Sut 167
n 49

C. 5.
C. 1.

R 57
5|6





ARGVMENTVM VATICINII VIGESIMIQVARTI.

QVAMQVAM lectio hæc ferè omnis vſque ad vaticinium proximum, CONSOLAMINI CONSOLAMINI, rerum publicarum, reges, & vrbes, ac regna ſpectantium, & inter ea quarundam etiam priuatarum narratione conſumatur, & ideò ad hiſtoriæ potiùs quàm ad reſponſi & oraculi rationem referenda nonnullis cenſeri poſſit, eademque eodem ordine, ſermone, ac ſtilo ſcripta videatur, quo in Regum libris legitur, vel hinc illuc, vel hinc huc tranſcripta; tamen alia illo in loco, alia in hoc cauſa & ratione, vel ab vno eodemque ſcriptore Iſaia, vel ab alio quouis auctore ſacro (parum enim refert) inducta eſt. Namq; in libris Regum vbi ad Ezechiæ regis tempora deuentum fuerat, ea omnia deſcribi, ac narrari oportuit, quæ regis illius partes munia, officia, ac vitam omnem & exitum ſpectabant. Hic verò ea cõmemorantur, quæ ſingularia quædam Iſaiæ vaticinia ac reſponſa antecedentibus atque euentis enarrandis indicare, & explicare poterant: eademq; diligenter obſeruata & collata, aliis, quæ in poſterum prædicta, & prædicenda erant, fidem facere. Nam priorum expectatus & explicatus euentus, poſteriorũ expectationem mouere, & ſpem facere, attentè excipientibus animis poſſit. Hoc enim pacto, ſine vllo alio miraculo nonnullis Vatibus fides arrogatur. Cùm ſolus diuinus Spiritus & nouerit, & indicare poſſit ea omnia, quæ vel propediem, vel longum poſt tempus futura trahantur. Itaque hoc loco Iſaiæ vaticiniorum & euentorum, illo verò altero Iezechiæ rerum tum domi, tum foris geſtarum ratio ducitur. Cùm eadem ferè vtrobique lectio ſit, nec illic, nec hîc tamen otioſa, aut præter cauſam inductam arguitur. Duo verò vaticinia hac in lectione continentur, cum manifeſtis & ſpectatis euentis, alterum de publica ſalute Ieroſolymorum vrbi ex Dei beneficio allata: alterum autem de Iezechiæ liberatione à lætali morbo & vita ad quindecim annos prorogata. Quæ cùm proximè ſubſecutis probata fuerint euentis, ad ea quæ in ſuperioribus decantata fuerant attentè & fideliter ſperanda, magni momenti eſſe Deus voluit.

Corr. Por comission de los ss. inquisidores corregi conforme al expurgatorio del año de 1632 Diego ...

B. E.

CAPVT XXXVI.

ET factum eſt in quartodecimo anno regis Ezechiæ. Aſcen-
dit Sennacherib rex Aſſyriorum ſuper omnes ciuitates Iu-
da munitas, & cepit eas.

HISTORIAM, *quantum poßimus, explicatam percurremus; lon-
giùs, Deo propitio nobis, in libris Regum perſecuturi; tantumq́; in iis im-
morabimur locis, quæ Vaticinij rationem videbuntur attingere. Cumpri-
mis verò mirabile videtur hanc huiuſmodi calamitatem Iudeæ genti illa
tempeſtate allatam, qua optimus & innocentißimus, admodumq́; pius rex
Iezechias præerat, cuius pater potiùs videatur eiuſmodi malum commeri-
tus. Verùm enimuerò huius diuini iudicij exemplum non in regem, ſed in
ipſum populum editũ fuit; cuius regis probitas, æquitas, pietas, & ſimplici-
tas, ac pacis & rei publicæ quietis, tranquillitatisq́; perpetuus amor, tanto
faſtidio fuerant inſolentis populi temeritati; vt de nouandis rebus, & rege
alio ſibi præficiendo, Sebna factioſo auctore & impulſore cõſultum fuerit.
Nam præter vitæ innocentiam & probitatem, atque perpetuum ſapientiæ
diuinæq́; legis ſtudium, quo Iezechias tenebatur, frugalißimus etiam fuiſſe
fertur: quod regni ſplendori atq; maieſtati improbi homines indecens &
illiberale eſſe prætexebant; cùm Phace, Remaliæ filius, qui Iſraelitarum ty-
rannidem occupauerat, ſplendidißimus iudicaretur. Hanc igitur inſolentis
populi temeritatem, Deo inuiſam, & magna atq; calamitoſa calamitate ca-*
Sup.6. *ſtigandam Iſaias antè prædixerat: Pro eo quòd abiecit populus iſte aquas
„ Siloë, quæ vadunt cum ſilentio; & aſſumpſit magis Raſin, & filium Rome-
„ liæ: propter hoc ecce Dominus adducet ſuper eos aquas fluminis fortes, &
„ multas; regem Aſſyriorum, & omnem gloriam eius: & aſcendet ſuper
„ omnes riuos eius, & fluet ſuper vniuerſas ripas eius: & ibit per Iudam,
„ inundans, & tranſiens vſque ad collum veniet. Id quod Iſaias ipſe inter-
pretatus fuerat, Aſſyriorum regem aquarum nomine appellando, hoc loco
res ipſa interpretari cogit.* Aſcendit Senacherib ſuper omnes ciuitates
Iuda munitas, & cepit eas. *Namq; ille, poſt captam Samariam, Iudæorum
etiam vrbes, torrentis inſtar impetu facto, inundans oppreßit, ſecumq́; ab-
ſtulit. Quod verò notanter à Vate additum fuerat, & tranſiens vſque ad
collum veniet; Ieroſolymam, totius regionis editißimam vrbem, & Iudaici
regni caput, tentandam ſignificans; ſubiuncto verſu factum indicatur. Et
quia huius inuaſionis felicem Ieroſolymis exitum, ab Iſaia quoque prædi-
ctum, euentus probauit; commodè in hunc locũ hiſtoria omnis producta eſt,
futuræ poſteà euerſionis Ieroſolymorum antè decantatæ iudicium expe-*
Sup.32. *ctandum monitura: Illius, inquam ſuperiùs denunciatæ: Mulieres opulen-
tæ Surgite, &c. & ad ferendæ poſt longum tempus reſtitutionis, inſtaura-
tionis, & amplificationis excitatura ſpem. de qua ſalute ſuperiore capite agi
cœptum: à proximo vaticinio videlicet, Conſolamini, conſolamini; conti-
nuatisq́; ſermonibus perorabitur. Itaq; calamitas hæc Iudaica prædicta, re-
bus nunc allata, & Ieroſolymorum conſecuta narratur ſalus: quibus Vati*

&

& ſuo tempore veritas adſcripta, & fides in poſterum conciliata eſt. Atq; hanc interpretamur cauſam, quamobrem tam longæ hiſtoriæ tela in hoc vaticinio, præter ceterorum Vatum exemplum, fuerit inſerta.

Et miſit rex Aſſyriorum Rabſacen de Lachis in Ieruſalem, ad regem Ezechiam in manu graui, & ſtetit in aquæ ductu piſcinę ſuperioris in via Agri-fullonis.

HISTORIÆ *contextum præcipuis verbis examinandis conſecuturos,* 4.Reg.18.
locum ad hanc rem oportunum recitare iuuabit. Anno quarto regis Eze- “
chiæ, qui erat annus ſeptimus Oſeæ filij Ela regis Iſrael, aſcendit Salmana- “
ſar rex Aſſyriorum in Samariam, & oppugnauit eam, & cepit. Nam poſt “
annos tres, anno ſexto Ezechiæ, id eſt, nono anno Oſeæ regis Iſrael capta eſt “
Samaria: & tranſtulit rex Aſſyriorum Iſrael in Aſſyrios: collocauitq; “
eos in Hala, & in Habor fluuij Gozan, in ciuitatibus Medorum: quia non “
audiuerunt vocem Domini Dei ſui, ſed prætergreſſi ſunt pactum eius: om- “
nia quæ præceperat Moſes ſeruus Domini, non audiuerunt, neque fecerũt. “
Atqui eundem Aſſyriorum regem pluribus dictum nominibus, antiquiores tradunt Scribæ. certè eundem Salmanaſarum & Zzanheribum vocatum, ſacra lectio indicat. Rabſaces, inter agenda referendáque domini ſui mandata, illud pronunciauit: Numquid liberauerunt Samariam de manu mea? Huius verò poſt Samariam captam in Iudæam etiam expeditionis, & inuaſionis conſilio, cauſam ex eo quæſitam intelligimus: quòd cùm primùm regnare cœpiſſet Ezechias, vectigal patri ſuo ab Aſſyriis impoſitum, pendere deſtitit. quod cum vno atque altero ad quartumdecimum vſque annum, Salmanaſarus aliis rebus gerendis occupatus, repetere diſſimulaſſet: tum verò, ceteris pacatis nationibus, negati iam diu vectigalis crimen, bello illato, animaduertendum decreuit. quam calamitatem cum pecuniæ damno redimendam potiùs, quàm extremum periculum ferẽdum cogitaſſet Iethias, aliàs ingenio inſtitutoq; ſuo minùs bellandi cupidus, de multa ſufferenda
paciſci ſategit. S.S.E. Tum miſit Ezechias rex Iuda nuncios ad regem Aſ- 4.Reg.18.
ſyriorum in Lachis, dicens: Peccaui, recede à me, & omne quod impoſueris “
mihi, feram. Indixit itaq; rex Aſſyriorum Ezechiæ regi Iuda trecenta ta- “
lenta argenti, & triginta talenta auri. Deditq; Ezechias omne argentum “
quod repertũ fuerat in domo Domini, & in theſauris regis. In tẽpore illo “
confregit Ezechias valuas templi Dñi, & laminas auri, & dedit eas regi “
Aſſyriorũ. Miſit autẽ rex Aſſyriorum Tharthan & Rabſaris, & Rabſacen “
de Lachis ad regem Ezechiam cũ manu valida Ieruſalem. Qui cùm aſcen- “
diſſent, venerũt Ieruſalẽ. & ſteterũt iuxta aquæ ductũ piſcinæ ſuperioris, “
quæ eſt in via agri fullonis. “ *Antiqui expoſitores, Aſſyriorum regẽ ſcribunt, illa pecunia accepta, domũ rediiſſe, ſperantem ſingulis annis tantundem ſibi miſſum iri: quo tamen poſt annum elapſum requiſito, copias has miſiſſe. quam quidem rationem nullo nobis hiſtoriæ ſacræ loco fultam prætermittentes, intelligimus ab Aſſyrio rege, primùm ea quam ſibi vectigalis nomine deberi indicabat, pecunia diſſimulata, pacto deciſam acceptamq; fuiſſe:*

ſiue illa ſummam tot annorum æquauerit, vel ſuperauerit; ſiue aliàs minorem tulerit: quam exacta de animaduertenda læſæ maieſtatis, hoc eſt, negatæ ſeruitutis iniuria denuò agentem, in Iudæi regis punitionem, atque ad aliarum nationum exemplum decreuiſſe, cogitantem de populi mutatione, ac tranſlatione in alia loca, eodem quo cum Iſraelitis egerat pacto: atque ita regni ſecuritati conſulere voluiſſe. Namq; hanc rerum ſeriem ac per tyranni mentem imperiorum ratio & ipſa ſimplex hiſtoriarum lectio & collatio indicare videtur; atq; adeò orationis argumentum ac deductio ſignificat. Quod verò in Regum libris tres præcipui ac ſummi viri miſſi dicantur, ex quibus hic vnus tantùm nominatur: ita intelligimus, tres rei gerendæ collegas cum exercitu miſſos: vnum verò Rabſacen ad mandatum denunciandi belli, aut actionum de deditione vel pactis conditionum ad regem, & ad populum accepiſſe, executumq; fuiſſe. Stagna ampliora manu arteq; facta, & ad excipiendas pluuias comparata, quales ab antiquis apud antiquas vrbes aquarum penuria laborantes factas nouimus, piſcinæ dicuntur: cuius generis ædificij duo exempla Hieroſolymis fuiſſe legimus, alteram ſupremã, GHALIONAH, id eſt, editiori conſtructam loco, ad lauandarum veſtium vſum, cum aquæductu oportuno, quò aqua, cùm opus eſſet, per tubũ deflueret in vaſa lauandis veſtibus accõmodata diſtribueretur. cui moli campus adiacebat, ex vſu appellatus Fullonis ager: vtpote qui veſtibus exiccandis deſtinatus eſſet. Erat verò locus ille ſatis conſpicuus, & vrbi proximus; adeò vt ad mandata populo exponenda ſatis oportunus à regiis miniſtris putaretur, & res ipſa conſtiterit. Quod verò ad miniſtrorum numerum attinet, totidem à ciuitate ad muros conſtiterunt, Iezechiæ regis partes acturi, quot ab Aſſyrio rege cum mandatis venerant.

Et egreſſus eſt ad eum Eliacim filius Helciæ, qui erat ſuper domũ, & Sobna ſcriba, & Ioahe filius Aſaph à commentariis.

Singulorum apud regem officia & munia certas ac diſtinctas parteis indicant; quæ tamen ſimul collatæ, magnam, ac planè regiam auctoritatem repræſentabant: namque rerum regiarum dictaturam à rege ſecundam Eliacim gerebat: iuris verò conſulendi ac reſpondendi facultas Sobnæ, ſiue Sebnæ: Aſapho verò rerum, mandatorum à rege accipiendorum, & ad regem noſtrum referendorum cura conſtabat. Primum præfectum, ſiue præſidem, ſecundum conſultum iuris, tertium autem relatorem fora noſtra nominant. Hos tres & auctoritate, vti diximus pollentes, & linguarum peritos (quod maximè vtile & opportunum ſemper in regiis aulis eſſe ſolet) ſuis inſignitos ornamentis, & nominibus etiam facilè agnoſcendos, mittendos rex curauerat, propter perſonarum dignitatem, & linguæ Chaldaicæ cognitionem, quòd vtraq; res ad agendum de pace idonei ac legitimi interpretes eſſent. Namq; Aſſyrij illi triumviri mandata de pace ad regẽ præcipuè adferre putabantur, contrà quàm res poſteà indicauit. Namq; ad hos qui regiam ſuſtinebant perſonam, minarum & exprobrationis atq; iræ ſuperba verba primùm facta; deinde verò ad populum de deditionis conditionibus actũ eſt. Tradunt autem antiqui auctores Rabſacem ex Iſraelitarum

ortu fuiſſe;tamen Aſſyriorum regi ſeruientem magis, quàm ſuis deditum, Iſraelitam MESSVMAD, *hoc eſt, de impietate ſuſpectum ferunt. vtcumq; ſit, certè cōſtat illum eius linguæ valdè gnarum, quæ tum Iudæis vulgaris erat, nuncq; in libris tātùm durat, & ſacra, ſiue Hebræa, ſiue Iudaica, ſiue Iſraelitica, ſiue potiùs Cananitica dici meretur: neque ſolùm peritum, ſed eloquentem, & ſublimis compotem tum ſermonis, tum orationis: cuius habendæ initium ab appellato Ezechiæ non titulo, ſed nomine, in contemptum & contumeliam factum eſt.*

Et dixit ad eos Rabſaces, Dicite Ezechiæ, Hæc dicit rex magnus, rex Aſſyriorum.

Ex *collatione perſonarum prima argumentatio texitur: altera ſuo tantùm appellanda nomine, tanquam priuata (ignominiæ enim genus eſt, vbi quis proprio tātùm nomine vocatur) Altera verò maximo atq; auguſtiſſimo regis titulo nominanda; regis, inquam, non vnius tantùm obſcuræ gentis, verùm Aſſyriorum: cuius antiquiſſimum, & latè patens conſtabat imperium. Significat enim Ezechiam non modò regis nomine ſupremi regis collatione non eſſe appellandum; ſed iam omnino, propter læſi imperij culpam, exauctoratum, atq; adeò regno prorſus priuatum: quippe cuius omnes vrbes iam captæ fuiſſent, & reliquum vnum latibulum eſſet Ieroſolymorum, nulla ex parte tutum, ſed vel ciuium ſpontanea deditione, vel facili belli ab Aſſyrio rege inferendi negotio cū probro, dedecore & ignominia amittendum.* Rex magnus. *Regum ſupremus: non vt Iudæorum aut Iſraelitarum, aut aliàs ſingularis cuiuſpiam gentis; verùm omnium maximus regum; atq; ideo gentis terrarum dominus, hoc eſt, Aſſyriorum rex.*

Quæ eſt iſta fiducia qua confidis? aut quo conſilio vel fortitudine rebellare diſponis? ſuper quem habes fiduciam, quia receſſiſti à me?

INTER *bellatorum & potentium leges, & communia ac recepta placita, duo hæc habentur celeberrima: alterum, ſeruitutem quamlibet omni homini odioſam eſſe: alterum verò, libertatem non niſi explorata domini ac ſeruientis facultate tentandam: qui ſecùs faxit, nimis audacem atque inſolentem, & humanæ maieſtatis contemptorem habendum; atque hoc nomine ſeuerè eſſe puniendum. Quiſquis enim, penſatis vtrimque viribus, iugo ſe eximi, atq; ita durare poſſe rectè intellexerit; magnanimi & ſeruitutis indigni viri laudem mereri, & à Fortuna, quam ipſi pro numine habent, iam tum iuuari arbitrantur. Contrà verò temerarij & inconſulti animi vitio argutum, pœnas dari meritum. Si quem ſine conſilio, ſine viribus, ſine certo præſidio nouarum cupido rerum inceſſerit; eumq; ſibi ipſi moliri exitium, vtpote fortunæ ac felicitati potentium non virtute pari, ſed audaci temeritate aduerſantem: in huiuſmodi audaciam ſeuerè animaduertendum, cenſent ij, qui rerum ſumma agunt. Neque verò ad huiuſmodi cauſarum cognitionem & iudicationem cenſores, vel iudices, vel arbitros vllos admittendos, niſi ſe ſolos, ij qui potentia valent, patiantur: ita vt ipſi tunc pro libidine dicant, & crimen perorent, ac iudicij pronuncient ſententiam. Hoc itaq;*

orationis genere Rabſaces vſus, detrectati imperij crimen Ezechiæ non iam regi, ſed priuato obiicit. Neq; enim decere videretur, regē, aut regium nomen de crimine accuſari, ſed iam abdicato & exauctorato culpam inurere, & cauſam capitis aut famæ dicendam imperare. Hunc enim iudicij morem in magnis magiſtratibus obſeruatum nouimus exemplo Samuelis, qui iudicis, vel dictatoris depoſito munere, Sauleq; reipub. clauum tenente,
» dixit ad vniuerſum Iſrael: Ecce audiui vocem veſtram iuxta omnia quæ
» locuti eſtis ad me, & conſtitui ſuper vos regem. Et nunc rex graditur antè
» vos, ego autem ſenui, & incanui: porrò filij mei vobiſcum ſunt: itaq; con-
» uerſatus coram vobis ab adoleſcentia mea vſque ad hanc diem. Ecce præſto
» ſum, loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto eius. In hunc itaque morem Ezechias ab Aſſyriorum imperatore exauctoratus primùm, atque adeò regno exutus, vti videbatur; amiſsis omnibus aliis ciuitatibus, vrbibus & oppidis, præter Ieroſolymam, in qua, captiuorum inſtar, concluſus, atq; veluti in carcere detentus, cauſam non regni iam, ſed capitis ac famæ dicere cogeretur, perfidiæ ac perduellionis crimine obiecto, quod nullis certis viribus ſeſe perduellis animi eſſe prodiderit; eoq; crimine regno priuari, quod iam ferè tranſactum erat, atq; capite mulctari fuerit commeritus. Atq; de re, hoc eſt, de violata tributi fide, nullum dubium eſſe cuiquam: illud tamen argui factum, non regio aut liberali, verùm ſeruili animo, contra mores eorum, qui rectè res gerere ſolent, nihil tentantes libertatis cauſa, niſi planè exploratū: cùm is qui in crimen vocaretur, quo fidere aut niti poſſet, ſaltem vt conaretur id quod cupierat, haberet nihil, præter verba quibus populo ad illam audaciam ferendam ſuaſerit: cùm tamen magnæ res & præclarè non verbis, ſed virtute propria, & opibus gerantur. Hic itaq; huius cauſæ ſtatus eſt: Ezechiam nihil ex ſe, præter verba, præſtare: nihil ab alio proprium agnoſcere, & firmum tenere valentem, perfidum tamen ſeſe magno Aſſyriorum regi prodidiſſe. Nam quod ad perſonæ ipſius facultatem faceret, illum imbellem, ac parum firmum declaraſſe hactenus: vtpote quem conſtet nullos apud ſe ex populo ſuo inſtituiſſe milites, nullas belli artes inſtruxiſſe; nihil etiam armorum, aut bellici apparatus, etiam poſt negatum tributum, ad audaciam defendendam confeciſſe; tantúmque legis ac diſciplinæ patriæ ſtudio vacaſſe, & precum ac ſupplicationum, ac votorum exercitationi aſsiduæ nauaſſe operam: quæ omnia maximis & potentiſsimis Imperatoribus mira cenſentur verba; quibus nihil magnum effici, ſed nec incipi poſsit. Argumentatio autem interrogationis forma inſtituitur: quæ, cùm inficiationem annexam habet, durius præmio, quàm quòd ais. Aliud orationis genus, Quæ eſt iſta fiducia, qua confidis? qua, inquit, confidentia iſtud occepiſti facinus. nihil enim tibi proprium in hac re fuit, niſi confidentia: non conſilium, non virtus, nō opes. aut quo conſilio, vel fortitudine rebellare diſponis? Interpres noſter omnem argumentationis vim, conciſo ſermone in enthymematis formā concinnato, complexus eſt. Namque argumentatio plena in hunc inſtitui poteſt modum: Magnæ res non verbis, verùm conſilio ac virtute geruntur: neque enim alterum ſine altero

altero valet; tu neutro vſus es, aut vti noſti, neque conſilio, inquam, neque virtute. temerario igitur auſu & verbis tibi, aut populo tuo datis à fide & imperio deſciuiſti. In exemplari locus hic ita ex verbo habet:

Dixi nempe verbum labiorum, conſilium, & fortitudo ad prœlium: nunc quonam fretus es, quòd deſciueris à me?

ATQVE *quantum ex hominum opinione eſt, ſumma potentiæ omnis ratio tribus præcipuis partibus ſiue nominibus conſtat: felicitate, conſilio, & virtute. Felicitas à numine dari putatur: numen autem in hac re ſupremum faciebant fortunæ, cui cetera omnia numina obſecundare credebantur: cùm plerique idem eſſe fatum & fortunam exiſtimarint. Atq; ita prima omnium à potentioribus colebatur Fortuna, cui etiam ſupplicabant minores. Namq; aduerſante Fortuna, nihil cetera numina, quamuis ſuprema, proficere poſſe, ipſa Dearum decantata regina conqueritur:*

Quippe vetor fatis. Pallas ne exurere claſſem Æneid. 1.
Argiuûm, atq; ipſos potuit ſubmergere ponto,
Vnius ob noxam & furias Aiacis Oilei?
Ipſa Iouis rapidum iaculata è nubibus ignem
Disiecitq; rateis, euertitq; æquora ventis.
Illum expirantem transfixo pectore flammas,
Turbine corripuit, ſcopuloq; infixit acuto.
Aſt ego, quæ diuum incedo regina, Iouisq;
Et ſoror, & coniux, vnà cum gente tot annos
Bella gero: & quiſquam numen Iunonis adoret
Præterea, aut ſacros aris imponat honores?

Conſilium proprium cuiuſq; eſſe putabatur pro ſingulorum genio mentem ſuggerente, & vnà cum mente ingenium & curas acuente: atq; in hoc genere ſocios adeſſe poſſe cenſebatur: quorum collatis ſententiis, de rebus ſtatueretur ſapientiùs. Virtutẽ animi propoſito gigni, conatu creſcere, exercitatione & ſucceſſibus, cum aduerſis contemnendis, tum ſecundis vrgendis & conſeruandis amplificari; vbi verò ex his tribus quicquam deeſſet, nihil præclarum ſperari poſſe, tradebatur. Quam doctrinæ hominum rationem operæpretium fuerit teneri ei, qui in antiquæ lectionis, cum prophanæ, tum ſacræ, ſtudiis proficere cupiet. Namq; ſacra ſcripta, & diuinas diſciplinas, & humanas, pro vtrarumque inſtitutis & exemplis indicat, & componit. atq; vtriuſque partis exitus oſtendit diuinarum quidem optandos, & petendos, vtpote felices, certos, & æternos; humanarũ verò pudendos, fluxos nimirum & caducos. De Fortunæ vi & imperio, inſtabilitate, ac ludo omni, quidquid ab hominibus exiſtimatũ eſt, pleniſſimè, atq; optimè omnium, quotquot legere meminimus, Flaccus decantauit carmine illo:

O Diua gratum quæ regis Antium. Hor. carm. lib. 1. Od penul.

Idem etiam tres illas, quas modò commemorabamus, ad potentiam idoneas parteis, felicitatem, conſilium, atque animi robur; breui & eleganti tetraſticho complexus eſt.

Nil Claudiæ non efficient manus

Quas

Quas & benigno numine Iuppiter
Defendit, & curæ ſagaces
Expediunt per acuta bella.

Atquì Iezechiæ nihil horum ſupereſſe obiiciebat Aſſyriorum rex: contrà verò ſibi omnia hæc non conſtare modò, ſed ſumma ac maxima eſſe iactabat. Primum enim proprium quicquam Iezechiæ vel conſilij, vel virium agnoſci poſſe negauit accuſator: quod tamen defendi quodammodo poterat; partim conceſſione, partim verò exceptione auxilij aliundè petendi. Namque hoc etiam ad facultatem & vires adnumeratur, cùm propriis copiis carens, alienis vti poteſt: hoc enim pacto nonnulli cum hoſtibus inducias facere ſolent, & paciſci de auxiliariorum ad dictum diem expectatione, vel certa deditione, niſi illi adfuerint: cuius rei illud oportunum producere poſſumus exemplum: Et factum eſt quaſi poſt menſem, aſcendit Nabhas Am- 1.Reg.11.
» *monites, & oppugnare cœpit aduerſus Iabes Galaad. Dixeruntq́ omnes*
» *viri Iabes ad Nabhas, habeto nos fœderatos, & ſeruiemus tibi. Et reſpon-*
» *dit ad eos Nabhas Ammonites: In hoc feriam vobiſcum fœdus; vt eruam*
» *omnium veſtrum oculos dextros, ponamq́ vos opprobrium in vniuerſo Iſ-*
» *rael. Et dixerunt ad eum ſeniores Iabes: Concede nobis ſeptem dies, vt mit-*
» *tamus nuncios ad vniuerſos terminos Iſrael: & ſi non fuerit qui defendat*
» *nos, egrediemur ad te. Huiuſmodi etiam exceptio ab Aſſyriorum oratore Iezechiæ eleuatur, aut frangitur potiùs.*

Ecce confidis ſuper baculum arundineum confractum iſtum, ſuper Ægyptum: cui ſi innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam: ſic Pharao rex Ægypti omnibus qui confidunt in eo.

N O N *vſque adeò conſtabat, nec ex vlla actione euinci poterat, Iezechiam ab Ægyptiis auxilium petiturum: ſed ex bellica ſolertia & prudentia hoc ab Aſſyrio rege, depulſionis cauſa, ſignificatum eſt. Nam cùm quis minoribus pollens opibus, potentiori parere negat, in ſuſpicionem venit certæ fiduciæ, aut comparati clàm auxilij: id verò quodnam, & cuiuſmodi eſſe poſſet, intelligere artis atque prudentiæ eſt, coniecturisq́ indagatur. Coniecturæ verò à voluntate & facultate ducuntur: diſpiciendum enim fuerit, quisnam potentiori inimicus extare poſſit: atque idem quantum opibus, viribus, & virtute bellica, atq́ exercitatione valeat: quàm commodè his vti poſſit, & amico ſuppetias ferre. Atqui illa tempeſtate nemo principum Aſſyriorum regi inimicitias palàm gerebat, præter vnum Pharaonem Ægyptium: nemo Iudæis vicinior: cuius equorum copia & agilitas, atq́ ad bellum facultas notiſſima erat. Quod itaque coniecturis coarguebat Aſſyrius, idem obiiciens excipere, & redarguere, ac frangere molitur: oſtendens periculoſæ aleæ eſſe, minores vires, ac pænè fractas, aduerſum ſummam potentiam tentare: quippe quas non ſine ſumptu ac damno comparatas, inutiles demùm, imò & noxias euaſum iri, conſentaneũ ſit. idq́ perinde fuerit, atq́ ſi quis non vſque adeò pedibus ad ingreſſum valens, quaſſatam arripiat arundinem, bacilliq́ inſtar habeat, quo cùm ſeſe fulcire volet, læſus doleat, mani-*

manibusq́ pariter ac pedibus debilior euadat. Non poſſe autem fieri vt Pharaonis opibus Aſſyriorum obſiſtatur potentiæ; ſed euenturum magis ex ea re, vt maior Aſſyrij regis augeatur inuidia, grauiores non ſolùm defectionis, verùm & peruicaciæ repetituri pœnas. Atque ita nullā humanæ virtutis copiam, aut conſilij capiendi dexteritatem Iezechiæ ſupereſſe Rabſaces aiebat. Nam ſi maximè Pharao iuuare vicinos vellet, in equis tantùm vel vendendis, vel donandis iuuaret; quippe qui equitum ſuorum turmas, ad ſui defenſionem ſaluas conſeruare, quàm aliis commodando deterere, aut amittere mallet; ideoq́ minori auxilio amicis eſſe poſſet, hoc eſt, quaſſato ac debili. Atque hactenus argumentatio ad prudentiam & facultatem humanam eleuandam, vel potiùs refellendam facit. Iam verò deinceps ad felicitatis inficiationem conuertitur.

Quòd ſi reſponderis mihi, In Domino Deo noſtro confidimus: nonne ipſe eſt cuius abſtulit Ezechias excelſa & altaria, & dixit Iudæ & Ieruſalem, Coram altari iſto adorabitis?

Felicitatem nullam eſſe poſſe eius, cui numen infenſum fuerit; imò contrà, infelicitatem certiſſimam fore, communis omnium hominum ſententia eſt. Numen verò hominibus ſupplicatione aduerſari receptum fuerat: vel propter alterius cuiuſpiam ſuſceptam tutelam, cui vt benè omnia cederent, aliorum poſthaberentur, negligerenturq́ res; vel propter acceptam offenſam, & pietatē proditam. De altera cauſa ita veteres iſtorū Theologi,

Hanc Iuno fertur terris magis omnibus vnam Æneid. 1.
Poſthabita coluiſſe Samo: hic illius arma,
Hìc currus fuit. hoc regnum Dea gentibus eſſe,
Si qua fata ſinant, iam tum tenditq́ fouetq́.

De altera verò ſic alius:

Eſt & fideli tuta ſilentio Horat. carm. lib. 3
Merces. vetabo, qui Cereris ſacrum
Vulgarit arcanæ, ſub iiſdem
Sit trabibus, fragilemq́ mecum
Soluat Phaſelum. Sæpè Dieſpiter
Neglectus, inceſto addidit integrum.
Raro antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

Atque huiuſmodi cauſa Iſraelitarum numen non modò Ezechiæ auerſum, verùm aduerſum & infenſum vehementer eſſe arguit accuſator hic, propter impietatis crimen: quod ita ex vulgari opinione, ac potiùs ſuperſtitione conſtare parat grauiſſimum, vt non tantùm Deo regem ingratiſſimum oſtendat, ſed populo etiam ipſi iniquum, & malè conſulentem doceat, ob eamq́ rem inuidioſum ſtatuat. Namq́ ararum, altarium, fanorum, & lucorum frequentia, ac variis in locis inſtituta copia, raritati, imò ſingularitati apud vulgus multis præfertur nominibus. Quo plura fuerint eiuſmodi ſacra ac dicata loca; ò plura fient ſacrificia, plures per ſingula loca ritus inſtituentur; plures agentur feſti dies, & quæ ad hoc genus faciunt om-

nia multitudine & varietate plurimum ad pietatem conferent: denique diuinus amplificabitur cultus. Quod verò ad vrbes, ad publicas ac priuatas attinet res, vnaquæque ciuitas, vnum quodque oppidum priuata ac ſingulari tutela & gratia Deum ſibi conciliabit tot modis, tam variis moribus, tam decoro ornatu, tam ſpecioſo apparatu cultum. His etiam addenda videntur feriarum ac celebritatum commoda, ſingulas ciuitates attingentia; vltrà ſplendorem, vltráq; decus & gloriam, quibus loca illa commendantur: vbi huiuſmodi fana viſuntur, & ſacra fiunt: quod etiam vtilitate non caret. quo enim maior hominum conuenit frequentia, eodē & alimentorum copia maior comportatur, & quæ ibidem contingit annona, cariùs ac citiùs venditur. Denique ad beatitatem plurimum ratio hæc valere & facere exiſtimatur. Iam verò quantum hæc res propter æmulationem & contentionem creſcit, quis non animaduertit? dum vnuſquiſque propria ſacra quàm ornatiſſima eſſe curet: ita fit vt huiuſmodi ſtudium magnum numini cultum, magnumq́; hominibus ornamentum fructumq́; afferat. Atq; adeò illud adiungitur facultatis & copiæ adeundi ac videndi ſacra pueris, feminis ac ſenibus, omnibusq́; debilioribus faciendæ: qua non ſine magna animi moleſtia carent ij, qui adorandi cauſa longius iter facere coguntur, atque aliam rationem inire regum ac principum auctoritate ac metu vetantur. Hoc populare ſatis argumentum ab accuſatore hoc arreptum eſt ad quærendam & excitandam apud populum regis inuidiam, cum opinione etiam ſacrilegij atq; imminutæ & contaminatæ religionis. Ex inuidia porrò odium conflandum propter publicas plurium ciuitatum, plurimorumq́; oppidorum commoditates, ad vnicam Ieroſolymam tranſlatas: quò non tam pietatis, quàm propriæ vtilitatis videretur ſtudio factum. Acutè itaque & argutè ac vafrè nimium verba apud populum aduerſus principem facturus, religionis violatæ, atque adeò contemptæ meminit, cuius maieſtate regiam auctoritatem extinguere ſtudioſè conabatur. Atq; hac etiam ratione proprium viri nomen notatum pronunciauit, regis detracto titulo, qui ſanctus cùm ſit, ſacrilegij à ſe accuſato homini non conueniret, præcipuè cui Deus eſſet iratus, atq; illius ob noxam hanc populo calamitatem afferri iuberet. Cuius abſtulit Ezechias excelſa & altaria. *quāplurima videlicet, tum ex ceteris locis, tum etiam & Ieroſolymis, cum magno tot publicorum ornamentorum detrimento; maximoq́; multorum collegiorum & virorum, ac totius gentis incommodo: quæ omnia ſibi vni domui ſuæ arroganter, ſuperbè, & cupidè adiudicauit. Hoc ſignificat exceptio illa,* Dixit Iuda & Ieruſalem, coram altari iſto adorabitis. *Magnam priuati ſtudij notam inurit ſingularitas illa,* altari iſto, *ſiue, hoc: nam pronomen* HAZEH, *primam indicat perſonam; eſtq́; mimoſis orationis imperioſæ; quæ plus parere poteſt odij, quàm ſi tertia perſona vſurpata, res tantùm enarraretur. Atq; hoc pacto felicitatis omnis fidem in magnæ infelicitatis opinionem apud populum cōuertere accuſator iſte ſtuduit. Atq; hactenus oratio ſuis argumentis proceſſit, in quorum confirmatione ac pondere omnis perorandi ſita videbatur vis; videlicet, infelicitate atq; inopia: nam cui vtrumque hoc eſſet, nulla ſalutis affulgere*

gere

gere poterat ſpes: verùm quia vtrique argumento ſua exceptio parata erat, qua firmitudinis vis minor exiſtimari poſſet; callidè ſatis accuſator iſte vtramq; exceptionem depulſurus occupauit. Argumētatus quidem primùm fuerat ab inopia, deinde verò ab infelicitate: quibus duobus argumentis formatis, tertium ſua ſponte cōſtabat, nimirum conſilij defectus. Inopiam negatione ſubſidij aut auxilij Ægyptiaci, non aliunde in terris petēdi, arguebat. Hanc verò argumentationem excipere poſſe videbatur Iezechias, dum diceret ſe non appellaturum auxiliares Ægyptios, verùm gentis ditioniſque ſuæ viros Iudæis ad ſui & ipſorum vſurum defenſionem: quandoquidem tribum illam bellis anteà confectis, ceterarum omnium ducem & apprimè ſtrenuam fuiſſe, omnium temporum memoria conſtaret prompta redargutione: cuius exceptionis præſidio prompta redargutione defenſor excluditur, argumentis ex re, atq; ex præſenti tēmpore productis, quibus & inopiæ atq; penuriæ augetur magnitudo. Nihil magis ab Aſſyriorum rege contemni, quàm propria Iudæorum propugnatio ac defenſio, non tantùm propter imbecillitatem & ignauiam, bellandiq; imperitiam; ſed propter miram paucitatem virorum qui bello ſint idonei, aut præliandi vſu valeant: adeò vt dimicare volentibus Aſſyrius imperator vltrò equorum bis millium copiam facturum ſeſe polliceatur, vtpote quos fruſtrà polliceri ſe intelligat, nimirum parem equitum exercitatorum numerū minimè coacturo: qua vel vna re & Aſſyriorum potentia, magnitudo, & amplitudo cognoſci, & Ezechiæ inopia, egeſtas, ignauia, atq; adeò imprudentia, vel potiùs temeraria ac vindice digna audacia intelligi poterat. Qui cùm neque minimò quidem ex Aſſyriis proceribus, vel magiſtratibus virtute ac facultate ad res gerendas comparari poſſet, cùm tanto tamen imperatore, cum tam immani imperio contendere voluiſſet. Hæc ſubiunctæ argumentationis interpretatio & vis eſt.

Et nunc trade te domino meo regi Aſſyriorum, & dabo tibi duo millia equorum, nec poteris ex te præbere aſcenſores eorum. Et quomodo ſuſtinebis faciem iudicis vnius loci ex ſeruis domini mei minoribus? Quòd ſi confidis in Ægypto, & in quadrigis, & in equitibus.

Contemptionis ac deſpectus plena propoſitio eſt: non quæ conſulat deditionem Ezechiæ, quem neceſſarium deditum iri præſumpſerat; ſed quoad imbecillitatis propriæ agnitionem & pudorem prouocet. Propoſitio inopiæ examine conditione magni pignoris ſi vincat Ezechias; nullius verò emolumenti ſi Aſſyrius vincat rex. nam verbum trade te, *in exemplari eſt* CHARAB, *quod oppignerare, deponere, ac propoſito pignore de re aliqua certare, ac decidere ſignificat: Itali, ſemettere, & far ſcomeſſa dicunt; Hiſpani, appoſtar; Galli verò, gaiger. Antiquus & communis omnium gentium mos contentionis cuiuſpiam alterius partis commodo, alterius verò damno, finiendæ cauſa inſtitutus, ac frequenter initus. vt,*

Vis ergo inter nos, quid poßit vterque viciſsim Verg. Eclog. 3.
Experiamur? ego hanc vitulam, ne fortè recuſes,

 Depono,

Depono, tu dic, mecum quo pignore certes.

Ad huiuſmodi conditionem dominum ſuum, Aſſyriorum imperatorem, deſcenſurum Rabſaces pollicetur: iniqua quidem lege, ſed quam nihil ſe ſubiturum vereatur; vtpote qui cauſæ fidens propriæ, de alterius partis caſu nihil addubitet. Lex itaque eſt, duo millia à me tibi vltrò deponuntur equorum, eorúmque tibi aduerſus nos vſum permittam, ſi tantundem hominum in equeſtri pugna exercitatorum producere poßis: tot verò cùm non habeas, quanam fronte comparare te poßis, non magnis apud imperatorem noſtrum principibus, neque vni ex minoribus locorum præfectis; nedum tanto cum rege manum conſerere? vnius iudicis loci, PEHHATH, *magiſtratus, ſiue, præfecturæ bellicæ præcipuè nomen, hoc eſt, pro quo interpres noſter aliquando reddit ducem, nonnuſquam principem: in*
3.Reg.10. *hac eadem hiſtoria apud libros Regum, Satrapam. Antiqui omnes interpre-*
3.Reg.20. 3.Reg.10. *tes Hiſpani, Conde, dicebant. quem noſtri nunc Latinè ſcribentes, Comitem vocant. Quòd ſi Etymologiam conſulere placeat, vulgari vocabulo nobis dicetur, Cabo; non ex capitis ſignificatione, ſed ex altero funis extremo. Namq;* PAHH, *laqueum ſignificat, vulgatum autem ram. nunc in militari ſermone nomen cabo, quo præfecti omnes communiter ſignificantur: qui tamen aliàs diſtinctis variantur titulis. Atq; ita hoc loco non ſingularem, ſed communem apud milites præfecturam intelligimus, quæ in maiores & minores diuideretur, ſingulas deinde certis cognomentis indicãdas. Certè nomen hoc in ſacris libris decies & ſepties legitur ſcriptum. Depulſa igitur per antipophoram exceptione, ſententiam ſuam denuò vrgens, ac repetens, confirmat: nempe nulla alia humana ope, niſi Ægyptia ope, Iezechiam niti, & fidere potuiſſe; idq; ex antecedentibus hoc modo confici ait.*

Quòd ſi confidis in Ægypto, in quadrigis & in equitibus.

Quòd ſi, collectiuæ dictionis fungitur officio; vt itaque, igitur; & huiuſmodi aliæ in exemplari. VATHBTAHR LECHA, & confides tibi, *&c. atq; hac parte, vti ſibi videbatur, cõfirmata, prioreq; exceptione depulſa, alteram quoque deuellere ſtudet; quæ diuinam tutelam ſpectare poterat. Negauerat antè Rabſaces auxilium & præſidium à Deo Iezechiam expectare poſſe; nimirum, irato & offenſo propter aras ac templa demolitione ſublata Atq; hoc argumento populum regi iniquiorem reddere, callidè tentarat: verumtamen vt Moſaicæ legis non prorſus ignarus, vel quòd Iſraelita transfuga eſſet, vt antiqui ſcriptores tradunt, vel quòd nemo ex vicinis cultiori ingenio nõ ignoraret, nephas Iſraelitis eſſe, vel plura numina adorare, vel plura vnico numini dicare tẽpla. Intelligit facilè promptã ſibi eſſe ab Iezechia exceptionem, ſe non priuato commodo in ea re conſuluiſſe, ſed magis paruiſſe Deo, illud in lege præcipienti: atq; ita numinis iuſſum, quod & ſibi, & populo excuſare poterat, in ambiguo relictum, alteri recentiore iuſſu & mandato conficto, poſtponere ſatagit. Nam ſi maximè ex præceptis per Moſem datis ille gubernationis ſuæ rationem inſtituens, lucos, templa, & aras demolitus fuerat, tamen & illa lex iamdiu illa ex parte vel abrogata, vel ſaltem interpretatione ac moribus emollita videbatur,*

templis

templis & aris per tot antea annos extructis & cultis, præcipueq́ vni Iſraelitarum Deo conſecratis; atq; adeò tot regum anctoritate, ſapientum aſſenſu, populorum ac reipub. frequētia conſuetudineq́ confirmatis: quorum omnium placita, ſententias & voluntates atq; doctrinas non verbis tātùm ac rationibus, verùm rebus ac demolitionibus fuiſſe damnatas & abolitas, numini inuiſum, & populo ac maioribus iniurium ac ignominioſum videretur. Populare quidem & vulgo atq; plebi omni probabile, & gratum argumentum hoc ſibi Rabſaces callidè ſignificauit; & opinionem quæ ex Iezechiæ tacito reſponſo oriri viris magis perſpicacibus poterat, oppoſito altero ex Dei recentioribus iuſsis argumento, eludere ſtuduit.

Et nunc numquid ſine Domino aſcendi ad terram iſtam, vt diſperderem eam.

SIVE, *uti iam ex veterum narratione retulimus, orator hic Iſraelita genere eſſet: ſiue quòd in maximorum principum rationibus & curis annumeratur, quæcumque apud alias nationes aguntur, publica præcipuè vel per legatos, vel per occultos iudices obſeruata exploratáque cognoſceretur. Namque hoc vnum ex præcipuis ac maximis firmādi imperij, & ſtabiliendæ dominationis, atque bellicæ etiam artis cum fructu promouendæ firmamentis eſt. vtcumq; iſtud contigerit, vaticinium illud Aſſyrium regem non latere, quod ab Iſaia iam pridem fuerat editum: Ecce Dominus adducet* Sup 8. *ſuper eos aquas fluminis fortes & multas, regem Aſſyriorum, & omnem gloriam eius: & aſcendet ſuper omnes riuos eius, & fluet ſuper vniuerſas ripas eius, & ibit per Iudam inundans: deinde turbæ periculum, quod plerumq; ſparſis rumoribus, atq; re ante finem vulgata, vel propter inuidiam, vel propter ingeniorum diuerſitatem, & animorum diſcordiam creari ſolet. Hic vnus color fuit interpellationi huic, ab Eliacimo & collegis factæ: alter verò ſedulitatis ipſorum prætextus, de opinione & fama Rabſaces: quem vel Iudæum transfugam, vt veteres tradiderunt, populus notum ſibi, aut iam ipſo ſermone perſpectum, minùs æquè, & minùs audiret ſtudioſè: vel ſi id nō eſſet, tamen ſuſpectum habere poſſet: maximè ſi propriam linguam, non vt aduena aut hoſpes, ſed vt indigena pronunciaret; vt verè ac purè pronunciatam eloquebatur. Obſeruatione intereà digna eſt aulicorum, ac nobiliorum antiquorum ſolertia & diligentia: qui non contenti ſua materna lingua, alienas etiam non audire ſolùm & cognoſcere, ſed ſonare, & exprimere ſtudebant. quod ad omnem humanæ vitæ, cum hominibus agendæ partem, quantum vtilitatis atq; compendij adferat, nemo ſatis æſtimare queat. Nam vel hoc vnum apprimè commendabile eſt, vt in media hominum turba perinde agatur inter eos, qui ſeſe mutuò intelligunt, ac ſi in occulto, vel in ſolitudine ageretur: omnesq́, id nos, vt Cicero ait, in iis linguis, quas non intelligimus, quæ ſunt innumerabiles, ſurdi profectò ſumus.* Loquere ad ſeruos tuos. *Fingit arbitrari ſeſe oratorem illum ad Iezechiam regem cum mandatis miſſum de pacis vel deditionis conditionibus agentem, & ſe cum collegis partes Iezechiæ repræſentantem, oratione illa compellari, atque ideo Iudaicè fuiſſe allocutum Rabſacen; quòd is populum*

 Syriacè

Syriacè neſcire exiſtimaret: ideoq́; orationis initio non diſcretè nec delectè quoſdam, ſed omnes vnà compellatos, allocutum illo monitu: Dicite ad regem. *Nunc verò regia mandata non palàm vulganda, verùm regiis miniſtris tradenda, præcipuè delectis ad eam rem, & orantis callentibus linguã. Hoc ſignificat* ad ſeruos tuos. *cum modeſtia humana atque adeò miti, & pro conditione temporis & loci, humili profeſſione nominis ſeruorum, quod vel ſuperbiſsimorum inſolentiam frangere ac mitigare poſſet verbum.* Syra lingua. *Complures regiones in illa tertia & maxima orbis terrarum parte vltra Palæſtinam, nomine* ARAM, *vocantur; quæ tamen cognomentis diſcernuntur.* ARAM. NAHARAIM ARAM ZZOBAH, *&c. de quibus nonnihil opportunè in Apparatu ſacro diſſerebamus. Ex* ARAM *Græcis ac Latinis* ARMENIÆ *nomen factum. Oportet autem linguam* ARMÆAM, *communem Armeniis omnibus fuiſſe, cùm nonnulla dialectorum varietate: cuius adhuc extant veſtigia. Porrò eas omnes terras, quæ vltrà littus Palæſtini maris iacent, Babyloniam vſque, Latini pariter & Græci Syriã vocarũt; cùm regionũ tamen certa apud accuratiores diſtinctione, Syria Palæſtina, Syria Meſopotamia, Syria Damaſcena, & Cœloſyria, & aliis. & quod Latinus interpres reddit Syra lingua, in exemplari legit* ARAMITH, Aramæè, *ſiue* Armenicè. *Quacunq́; itaq́; dialecto Aramææ linguæ ſonare volẽtem Rabſacen, regios miniſtros, qui ſe exciperent, reperturũ monet, & rogat: quorũ fidei etiã credi poſſe mandata aiunt, vtpote trium, ac delectorũ, & qui linguas teneant, & fidi interpretes ac teſtes, atq́; mandatorum memores futuri ſunt. ad eam rem delecti tres viri, qui ad omnium actionum genus legitimus eſt numerus.* Ne loquaris ad nos Iudaicè. *Iſraeliticam linguam anteà Cananæam dictam, illa tempeſtate Iudaicam appellatam, locus hic indicat: quòd Iudæa tribus ab initiò apud exteras gentes ceteris omnibus tribubus nomen commodabat ſuum, propter prærogatiuam antiquam tum in bellis, tum in conuentis comitiisq́; cunctis. Verùm de huius linguæ ratione omni ætate & appellatione nos plura aliàs in communi linguarum arte diſſerebamus. Vrget autem ſuum propoſitum Eliacimus, ſignificandi, ſe, ſuosq́; collegas, ad mãdati exceptionem cùm regiis partibus miſſos, abundè idoneos eſſe, & dignos regis Aſſyriorum mandati exceptione, ac fide; atq́; ita regiæ auctoritati, & arcanis conſiliis abundè fore conſultum.*

Ad nos in auribus populi qui eſt ſupra murum; *quiq́; huiuſmodi regiarum actionum arbiter eſſe non debet. perinde enim fuit dicere,* in auribus populi, *ac ſi diceretur,* audiente populo. *cuius partes non ſunt, hæc audire, id eſt, intelligere. Atq́; hac interpellatione, vti diximus, turbam populi diſſimulare, & ad officium fidelis mandati Rabſacen reuocare ſtuduit Eliacimus. Populum autem fuiſſe ſupra murum, non rarum, ſed frequentem, conſentaneum vero eſt, partim ad propugnationem cuſtodiamq́; imperatum, partim verò ad ea quæ agerentur ſpectanda, vltrò congregatum. Hæc Eliacimi deprecatio & interpellatio à Rabſace ſuperbè & artificioſè repulſa fuiſſe narratur.*

Et dixit ad eos Rabſaces, Numquid ad Dominum tuum, & ad te

miſit

miſit me dominus meus, vt loquerer omnia verba iſta; & non potiùs ad viros qui ſedent in muro, vt comedant ſtercora ſua, & bibant vrinam pedum ſuorum vobiſcum?

Ex *diſſimulata Eliacimi deprecatione populum commotum fuiſſe, facilè intellexit Rabſaces, eamq; occaſionem non omittendam duxit; vt animos labanteis omnibus efficacis eloquentiæ neruis ad cogitandum de deditione impelleret. Quamobrem, repulſa primùm deprecantis ratione & oratione, ac nouo argumento diſſimulato, & callidè inuento, populi ſalutis cauſa vnica, clementiſſimi ſui regis partes, ſibi demandatas, peragendas profitetur, atq; obiter argumenta ſibi antè obiecta reiicit, tum arcani regum conſilij, tum ſuſpicionis de ſe, fideq; ac religione ſua obiectæ. Ait enim ſibi nihil à rege maximo priuati mandati datum, ac priuati hominis, atq; condemnati, qualis Iezechias, & qui ab ipſo eſſent, cauſa; ſed publica, & communi totius rei publicæ Iudaicæ; quam ſaluam eſſe imperator cuperet, nec vnius aut alterius hominis culpa & contumacia perditam vellet. Atque ideo clementiam ſuam, & publicæ vtilitatis atq; rei ſtudium, ingenti cum humanitate coniunctum, & illis, & orbi omni probaturus, non ſolùm in populum ſæuire nollet; verùm ne ipſe populus imprudente fide pertinax, vel fallaci oratione, ac incerta ſecuritate deceptus, ea mala atq; incommoda vltrò moliretur, & pararet: & quæ obſeſſis de deditione differenda, aut neganda, neceſſariò eueniunt, antè etiam quàm vel muris dirutis, impetus in vrbem, extra omnium ordinum & ætatum atque ſexuum cladem efficiendam fiat. Negat itaque Rabſaces, quicquã arcani mandati ſe ab imperatore ſuo accepiſſe ad Ezechiam, & ad Eliacimum, priuatos iam homines, quos ſolos & ſingulares in ea re putare ſibi fingit.* ad Dominum tuum, & ad te. *Nam quamquam tres viri miſſi ad me videamini, tamen ego te tantùm audio, quem iſtius ſententiæ dumtaxat eſſe exiſtimo. Publicam & communẽ cauſam ſeſe peroraturum ait, ideóque communi & populari ſermone verba feciſſe, facturumq; eſſe: eorum, inquam, ſermone, quorum commoditas, vtilitas, demùm ſalus ac vita, ac res agitur omnis; & non potiùs* ad viros qui ſedent in muro. *Suſtinendæ obſidionis, & propugnandorum mœnium cauſa, qui ſi obſtinata imprudentia perdurare decreuerint, in eam famis ac ſitis, atq; extremæ inopiæ conditionem deducentur; id quod factum nolim, ideoq; cauendum moneo, prædico, & clamo,* vt comedant ſtercora ſua, & “ bibant vrinam pedum ſuorum vobiſcum. *Qui, quamquam illis alia* “ *promiſeritis, & ſperanda ſuaſeritis, tamen melius præſtare poteritis nihil,* “ *quàm id quod Dominus ac tu perpeſſuri eſtis. Atq; hac ſingulari exceptione* “ vobiſcum, *duo indicabat Rabſaces: alterum Aſſyrij regis animum, vnius* “ *Ezechiæ culpa iratum, populo clementem atque æquiorem adhuc eſſe: alterum verò vrbem illam defendere, ac tueri volentibus ad extremam vſque famis & calamitatis miſeriam, atque conſequentem ſine exceptione deditionem, vel crudeliſſimam irruptionem redactum iri.* vobiſcum. *qui iſtorum malorũ vobis atque illis in cauſa eſtis. Id verò quo minùs eueniat, & clementiæ regis ſui proſpicere, & ſui in ciues ſtudij atq; miſericordiæ, &*

volun-

voluntatis fuerit, curare, & ſatagere. Quidquid enim de ſe, deq́ fide ſua & religione populus iudicet, nihil ſua referre: certè tamen ſe oſtenſurum maiori ſibi illius gentis vitam, ſalutem, & commoda curæ eſſe, quàm aut Iezechiæ, aut iſti ipſi qui Iezechiæ partes ageret.

Et ſtetit Rabſaces, & clamauit voce magna Iudaicè & dixit.

HABITVS, *geſtus, & pronunciatio omnis, atq; adeò ſermonis cura ac temperatio, deinde orationis vehementia, ac verborum pōdera ſingulorum, magnum & vehemens orantis aduerſus Iudæos ſtudium, magnam etiam regis clementiam indicare moliuntur.* Iudaicè; *quò & audienti populo, attentionem augeret, & nullius egenti interpretis gratiorem ſe magis inſinuaret, amicumq́; profiteri videretur, & oportunè conſulentem.*

Audite verba regis magni, regis Aſſyriorum. Hæc dicit rex.

POSTERIVS *Eliacimi argumentum in ipſo ſtatim exordio eneruare, ac propulſare ſtudet: idq́; callidè ſatis. ſignificarat enim Eliacimus Rabſacen ſermone Iudaico vſurpando ſuſpicionem populo mouere potuiſſe, Iudæi vel fidelis, vel transfugæ, eaq́; re minùs æquis animis auditum iri: hanc obiectionem nominis regij auctoritate primùm eleuat; ſignificans eum, qui alterius parteis agat, quocumq; ex loco aut ordine ſit; tamen nihil ſui ipſius proprium curare oportere, ſed ſuſcepti muneris partes fideliter & ſedulò agere, vtpote non ſuam, ſed eius, à quo miſſus fuerit perſonam ex iure gentium repræſentantem: at iis rurſum, apud quos agit, non eius qui mandetur, ſed illius à quo ſit mandatus, ac mandati ipſius rationem tantùm habendam eſſe. Igitur nihil referre, quis, vel qualis ipſe fuerit, verùm intereſſe, quam perſonam agat, permagni intereſſe eorum qui audierint, agere ſe parteis & perſonam Regis; non cuiuſcumque, ſed magni, ſiue maximi* HAGADOL, *cui nullus comparari poßit regum; non minorum modo, qualis Iezechias fuerat, qui iam deinceps poſthac minimè habendus, aut appellandus fuerit eo titulo; ſed magnorum etiam: cùm ipſe omnium magnorum maximus regum ſit, nempe rex Aſſyriorum ſummus omnium imperator, cuius dicta & promiſſa, pacta, conuenta, denique verba omnia & grauißima & conſtantißima ſint: vtpote à maximo rege, eodemq́; Aſſyriorum pronunciata: quod vel nomen ipſum felicitatis eximiæ ſignificantißimum* ASSVR *indicare, promittereq́; poßit. Itaque quidquid ipſe dicat, vti verum regis illius dictum pronunciatumq́; excipiendum accipiendumq́; fuerit.* Hæc dicit rex, *non vt priuatus quiſpiam, qualis Ezechias eſt, ſed vt rex, & vt ille rex, quem iam præfati definiuimus. Dicere hoc loco* AMAR, *deliberatū; conſultum, ac decretum, & certum ſignificat ſermonem; eumq́; planè ac prorſus regium* CHO, *ſic in verbis atque modis pronunciatione, & parte omni orationis, regiam auctoritatem ac fidem indicat. Rex,* HAMELECH. *Huius tituli verbum, conſultationem, & conſilium cum proſpicientia & auctoritate coniungit: quæ omnes regiæ parteis, non tyrāni ſunt. Quod ergo rex ille dicit, magnæ auctoritatis ac fidei apud omneis eſto; maximè cum ipſo dicendi genere antiquum obtineat: id eſt, cùm à conſilio & monitu inchoetur ſermo.*

Non

Non ſeducat vos Ezechias, quia non poterit eruere vos.

PRIOR *huius verſus pars propoſitionis vim obtinet, poſterior verò confirmationis partem alteram. Eſt autem oratio in deliberationis genere, partim diſſuadens, partim verò ſuadens & monens. Diſſuadet enim propugnationis & euaſionis fiduciam omnem: ſuadet verò deditionem. Atque argumentatio hoc modo inſtituitur. Quidquid deceptione nititur, ſtare ac durare minimè valet: Iezechias deceptione vtitur aduerſum vos: eueniet igitur, vt ſi acquieſcitis, pereatis. Quamobrem vos ſeductionem veſtri vitare moneo. Omnis enim Iezechiæ apud vos actio, ſeductionem vobis molitur. Cuius propoſitionis confirmatio bipartita adiungitur: aut enim humana ope Iezechiæ ſuaſio nititur, aut diuina: ſed humana nulla conſtat, hoc eſt, quam ille ſibi arrogare poßit, nimirum gentis propriæ, ſed nullam, vt videtis, iam habet, omnibus iam amißis vrbibus, præter iſtam, quæ ne ducentos quidem equites ad pugnam vel propugnationem præbere poteſt. Hanc omnem argumentationem vna enthymematis pars continet.* quia non poterit eruere vos *Ezechias ipſe: atq; ita humanæ opis fiduciam præcidit. Reliqua eſt diuinæ opis exceptio; quam etiam oratione & argumentatione adimere ſtudet Rabſaces.*

Et non vobis tribuat fiduciam Ezechias ſuper Domino, dicens, Eruens liberabit nos Dominus, non dabitur ciuitas iſta in manu regis Aſſyriorum.

HACTENVS *partitio eſt ac remotio eorum argumentorum, quibus Ezechias Ieroſolymitanis ciuibus liberationis ſpem facere poſſe videbatur. Vtramque verò partem ſingillatim deinceps tractat: ac priùs priorem arripit comparatione principum, & conditionum oppoſitione diſſuadendam. Dixerat enim illos ab Ezechia nulla liberari poſſe ratione aut ope; imò contrà, ad ſuſtinendam obſidionis moram perſuaſos, ad extremæ famis ac ſitis miſeriam adactum iri. atq; ita verbis quidem & oratione Ezechiæ falli ac decipi poſſe, rebus autem iuuari vllis poſſe minimè. huic affirmatæ Iezechiæ deceptioni & inopiæ, ſui contrà regis fidem, beneuolentiam, facultatem, liberalitatemq; opponit, & conditionem accipere volentibus vtendam proponit, ac pollicetur; atq; adeò conſulit, tum ab honeſtate ac vtilitate, tum verò à neceßitatis vi; quam voluntate præuerti conſultißimum fuerit. Nihil quidem indicat, aut promittit Iezechias, quod præſtare ipſe valeat; vtpote priuatus iam, & prorſus omnis auxilij impos. Contrà verò, quidquid Aſſyriorum dixerit aut conſtituerit imperator, firmare, ac re ipſa præbere & probare poteſt: tantoq; id liberaliùs & auctiùs efficere, quanto libentius & accuratiùs, atq; gratiori animo à vobis admiſſum acceptumq; intellexerit.*

Nolite audire Ezechiam: hæc enim dicit rex Aſſyriorum, Facite mecum benedictioné, & egredimini ad me, & comedite vnuſquiſque vineam ſuam, & vnuſquiſque ficum ſuam: & bibite vnuſquiſque aquam ciſternæ ſuæ, donec veniam, & tollam vos ad terram, quæ eſt vt terra veſtra, terram frumenti & vini, terram panum & vinearum.

DISSVASIONIS *concluſio ſumma eſt, Iezechiam audiri non oportere, vtpote cuius perſuaſio in gentis perniciem euaſura putetur. Suaſionis autem contrà argumentum eſt: Aſſyriorum regis verbis fidem obſequiúmque præſtari maximi intereſſe illorum, vtpote, id quòd polliceatur, præſtare valentis: atque vltrò opportuniſsima & vtiliſsima promittentis, vnà tantùm lege ferenda migrationis non acceleratæ aut feſtinæ, aut importunæ: ſed quòd illorũ commodo fiet tempeſtiuæ, aliàs verò cetera æquiſsimæ: quippe quam nullam relictarum in patria regione commoditatum vel vtilitatum deſiderium exceptura ſit. Non cæli aut ſoli temperies, nec frugum, aut fructuum copia minor; neque etiam amœnitatis & elegantiæ defectus.* Facite mecum benedictionem. *Illius linguæ idiotiſmo idem oratio hæc ſignificat, quod Latino ſermone, de ſalute, ſecuritate, vtilitate, commodíſque veſtris omnibus, Iezechia prætermiſſo, mecum agite.* GHASVITHI BERACHAH, facite apud me. BERACHAH, *pro quo nomine Latini, benedictionem rerum omnium, commoditatum atq; commodorum genus pro rerum ratione vtendum ſignificant. Cuius, pro loci huius oportunitate modum idem orator exponit. Eam, inquam, benedictionem vobis vltrò offero: nempe, vt relicto iſto, quo cum Iezechia continemini carcere, hoc eſt, recluſa vrbe, egreßi, me regem ac dominum agnoſcentes & ſuſcipientes, pro illa inopia rerum omnium, qua obſeßi laboraturi fueratis, veſtrorum prædiorum fructibus tutò ac ſecurè fruamini cum ſumma pace, nullo cum perturbationis aut direptionis, aut iniuriæ metu. Namq; interim dum nullis militibus obſidemini, veſtris vtimini intactis per alios vineis, ficubus, hortis, & ciſternis; à nemine interim impediti, vel turbati, vel aliquo incommodo diſtenti. quoad ipſe compoſitis & conſtitutis rationibus, tum veſtris, tum meis auctor aut dux vobis veniam migrationis*, ad terram quæ eſt vt terra veſtra, *quod ad ſalubritatem ac temperiem facit.* terram frumenti & vini. *quod rerum ad vitæ vſum ſpectat, duobus nominibus omnis annonæ genera cuncta lingua illa ſignificantur.* DAGAN & THIROS, *quorũ prius quidquid ad vitæ vſum aridorum ſeminum, ſiue leguminum colligi poteſt: poſterius verò, quidquid expreßione remittitur, & remiſſum aſſeri ſolet, complectitur. Verùm quia in altero genere panis, in alterò verò vitis præſtat; id ſingulariter, velut excellens, per expoſitionem laudatur.* terram panum ac vinearum. *Abundare quidem poteſt regio aliqua his rebus, commerciorum officio aſportatis; quibus tamen ferendis, eadem idonea non ſit, vt quondam Attica & Tyrus: & nunc Belgia, quæ pacis tempore, nulla regio omnibus alimentorum aliunde petendis generibus, referta magis viſitur. Verùm illud longè eſt commodius, longeq; præſtantius, vt ipſa ex ſe, quòd ſibi ſatis atq; ſuper ſit, aliisq; vendere, & ſufficere poßit, proferat. His accedit agrorum amœnus & varius proſpectus, atq; culturæ exercitatio & cura, membris & fami hominum apprimè vtilis. Demùm quæ terra, vel omnis plana & campeſtris, vel montoſa ac ſalebroſa omnis eſt: & minùs variis ac diuerſis rebus alendis idonea, & paucioribus commoditatibus celebris, atque adeò minùs grata cùm ſpectatoribus, tum viatoribus habetur*

vtraq;

vtraque: gratior autem illa & commendatior, quæ vtrumque habitum mediocriter attemperatum obtinet. Talem Cananæam primò, deinde Iſraeliticam dictam, regionem omnium quas orbis habet, quondam celeberrimam, & cultoribus frequentiſſimam fuiſſe, in Apparatu ſacro, & Commentariis ad Ioſuem adnotauimus. Illa enim campis, vallibus, conuallibus, montibus & collibus diſtincta, & aſpectui iucundior, & breuiori ſpatio multis ad ſalubritatem, & ad vitæ vſuram commoditatibus, abundabat. S. S. E. Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam: terram riuorum, aquarumq́ & fontium: in cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyſſi: terram frumenti, hordei ac vinearum, in qua ficus, & malogranata, & olíueta naſcuntur: terram olei ac mellis: vbi abſque vlla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris: cuius lapides ferrum ſunt, & de montibus eius metalla fodiuntur. Has eaſdem laudes Rabſaces imitatus eſt, ad commendationem illius terræ, in quam Iudæos ducere Aſſyrius imperator cogitabat: non qui illam huic anteferret, vtpote diuino elogio commendatiſſimæ, ſed qui comparatam componeret, æquaretq́. terram, quæ eſt vt terra veſtra. *Quod ad aëris cæliq́ ſalubritatē facit: quod verò ad vſus, & rerum copiam,* terram DAGN & THIROS: *demū quòd ad locorum cultus & habitum, non ſimplici perpetuò facie terram, id eſt, non omnem campeſtrem, nec omnem montanam & aſperam, ſed qua & campis patentibus, & montibus collibusq́ diſtincta eſt. vtraque verò ex parte fertilis ac felix; & qua iacet, ſegetibus, qua verò attollitur, vitibus ſerendis & colendis, atq́ vineis continuo tractu ſtruendis oportuna. Namq́ hæ vtriuſque terrarum habitus commoditates eſſe ſolent, modò alia de cauſa non inſit ſterilitas: quod multis Hiſpaniæ locis accidit, vel propter aquarum penuriam, vel propter montium effætorum & collium frequentiam, qui vel nudis ſaxis, vel cretoſa aut gypſea conſtant gleba.*

Lib. Caleb.

Deut. 8.

Strabo.

> *At priùs ignotum ferro quàm ſcindimus æquor,*
> *Ventos, & varium cæli prædiſcere morem,*
> *Cura ſit, ac patrios, cultus habitusq́ locorum:*
> *Et quid quæq́ ferat regio, quid quæq́ recuſet*
> *Hic ſegetes, illic veniunt feliciùs vuæ.*
> *Arborei fœtus alibi, atq́ iniuſſa vireſcunt*
> *Gramina. nonne vides croceos, vt Tmolus olores*
> *India mittit ebur, molles ſua thura Sabei,*
> *At Chalybes nudi ferrum, viroſaq́ Pontus*
> *Caſtorea. Eliadum palmas Epiros equarum.*
> *Continuò has leges æternaq́ fœdera certis*
> *Impoſuit natura locis, quo tempore primùm*
> *Deucalion vacuum lapides iactauit in orbem.*

Virg. Georg.

Atq́ quantum ad amœnitatem, & ſalubritatem, atq́ etiam quantum ad rerum vitæ opportunarum copiam & vſum optari poſſit, omneis terrarum omnium præcipuas laudeis Iſraelitica ſibi arrogabat regio: hic alia, quæ comparata non cederet, Ieroſolymitanis ciuibus adnotata adiudicataq́ indicaba-

In Commēt. Miſnaioth cap. de פרק

cabatur: ea autem, ſi ſcribarum diligentiæ fidem tribuimus, Africæ regio erat, quæ nec diſsimili cælo ac ſolo conſtabat; nec ita proxima Iſraelitarum terræ, vt breuis ac repentini faciliſq; reditus illis abductis copiam ſuſtentaret. Fuit autem hic mos magnis imperatoribus quondam, genteis nationeſq; à ſe victas abducendi, ac ſolum vertere cogendi, illis hoc pacto & nouandarum rerum ſuſpicioni & imperij firmitudini cauentibus: ex quo euenit, vt nulla prorſus natio ſuam, quam anteà occupatam regionem incoluerat, retinuerit: nec origini propriæ ſimilem, nulliſq; aliis permixtam gentibus conſeruarit: quamobrem Nabucus ille Noſorius MEBALBEL HAGHOLAM, id eſt, orbis confuſor eſt vocitatus. huic hiſtoriæ, ſi ceteræ omnes mutationes, ac gentium trāſmigrationes, coloniarū deductiones, fugæ, impulſiones, ac ſpontaneæ peregrinationes adiungantur: ridiculum profectò fuerit, & vani laboris negotium, ſi quis vel maiorem auunculum in propria aliqua gente oſtendere velit. Solis enim in omni terrarum orbe Iudæis ſuam retinentibus legem, hoc non ex propria felicitate, ſed ex diuino contigit conſilio: de quo nobis diſputandi nunc non datur locus: id verò factum, & experientia hactenus docet, & vaticinium prædictum conſtat.

Amos 9.

S.S.E. Nunquid nō vt filij Æthiopū vos eſtis mihi filij Iſrael? ait Domi-
» nus: nunquid non Iſrael aſcendere feci de terra Ægypti, & Palæſtinos de
» Capadocia, & Syros de Cyrene? Ecce oculi Domini ſuper regnum peccans:
» & conteram illud à facie terræ: verumtamen conterens, non conteram Ia-
» cob, dicit Dominus. Ecce enim mandabo ego, & concutiam in omnibus gen-
» tibus domum Iſrael: ſicut concutitur in cribro, & non cadet lapillus ſuper terram. Cuius interpretationem loci ex commentariis noſtris in promptu eſt petere. Vt verò inſtitutam Rabſaces orationem perſequamur: annotationibus illis; Terram panum & vinearum, permixtum, ac vario habitu ſolum, campeſtre inquam & montoſum, ſignificatum eſt; atq; hoc pacto de prima confirmationis parte actum: in qua nullā illis in Ezechia ſalutis & opis, in Aſſyriorum verò rege magnam conſtare poſſe ſpem ait. Atq; ita quidnam, & quatenus, quantumq; opibus humanis fidendum fuerit, declarat. Reliqua autem erat argumētatio ad auxilij diuini opinionem minuendam, ſpemq; frangendam: quam anteà cœptam, verùm diſsimulatam partem, nunc apertè & nudè perſequitur. Idemq; qui anteà Dei cauſam tueri atq; vlciſci videbatur, dum nihil de ſuſpicione, & inuidia populi erga ſe cogitaret, nunc admonitus accurato diſsimulationis ſtudio, impia ac ſacrilega, & , vt vſitato iam dicamus verbo, blaſphema oratione agit. Anteà enim ita
» egerat. Nonne ipſe eſt cuius abſtulit Ezechias excelſa & altaria, & dixit
» Iudæ & Ieruſalem, coram altari iſto adorabitis? & paulò pòſt: Et nunc
» numquid ſine Domino aſcendi ad terram iſtam, vt diſperderem eam? Do-
» minus dixit ad me, Aſcende ſuper terram iſtam, & diſperde eam. quibus verbis Domini Dei rationem regi ſuo in illa cauſa haberi prætexebat. Cū & ipſe pietatis officio obſequi videbatur, interim dum Aſſyrius notiùs quàm Iſraelita eſſe putaretur: iam verò illis interpellatus verbis, Ne loquaris ad nos Iudaicè, in auribus populi qui eſt ſuper murum, &

men-

mentem pariter & colorem, orationémque mutans, ait:

Ne conturbet vos Ezechias, dicens, Dominus liberabit nos.

ÆQVAM & optandam conditionem à ſe propoſitam confidens, vni tantùm Ezechiæ repudiatum iri putabat; vtpote cuius vnius damno & incommodo pactum illud confici videretur: itaq. iam, tamquam prorſus arripiendum ſuaſos, fingens perſuadere ſtudet vnica ſemota exceptione, qua niti Ezechias poſſet, hoc eſt, diuinæ expectandæ opis. quam vbi depulerit, peroratum ſibi fore arbitrabatur. Ne conturbet vos. *In exemplari,* PEN IAZZVTH. ET CHEM. *ex verbo*, nimirum diſſuadet vobis. *nam verbum* ZZITH, *ſententiam mutare Latinè ſignificat; idq. multis obſeruauimus locis. pro quo interpres noſter, nunc* perſuadere *ponit. Vt ſi tibi voluerit perſuadere frater tuus, filius matris tuæ. &, Suaſa eſt à viro ſuo, vt peteret à patre ſuo agrum. &, Perſuaſitq. illi, vt aſcenderet in Ramoth. nunc verò, incitare. vt, Si Dominus incitat te. &, Concitauit eum Iezabel vxor ſua. interdum, commouere. vt, Commouitq. Dauid in eis, dicendo. nonnumquam auertere. vt, Et auxiliatus eſt ei* [Dominus] *atq. auertit eos ab illo. aliquando conturbare, vt in loco. Ex quibus omnibus exemplis facilis eſt ſignificationis cognitio. Nimirum, inquit, à deditionis ac pacti, conditionisq. ſententia ad ſuas partes huiuſmodi promiſſo ab Iezechia traducemini.* Dominus liberabit vos. *Iſti verò ſuaſui quàtum debeatis aut poßitis inniti, ac fidere, pronum eſt & mihi dicere, & vobis cognoſcere.*

Deut. 13. Ioſ. 15. 1 Sam. 26. 2. Sam. 24. 2. Paral. 18.

Numquid liberauerunt dij gentium vnúſquiſque terram ſuam de manu regis Aſſyriorum?

QVAMQVAM *nullius eorum, qui dij, atq. adeò gentium tutelares dicebantur, numen inficiatur; omnium tamen vires & opes vni felicitatis poteſtati cedere ex antiqua gentium doctrina ſignificare ſtudet, atq. hoc pacto Iudaici nominis ac generis eximit ſuſpicionē: aut ſi non eximit prorſus, tamen religionem Iſraeliticam abiurat, ſeſéq. Aſſyriorum, ſiue Dei, ſiue fortunæ aut fati, ſiue numinis cuiuſquam potentioris, atq. regi ſuo fauentis cultorem profitetur: eiusq. rei confirmandæ cauſa complures impias, ac nefarias ſacrilegasq. pronunciat ſententias: quod genus à Theologis noſtris Græco vocabulo Blaſphemiæ notatur. De cuius ſceleris forma ac partibus, aliàs diſſerendi dabitur locus, Deo propitio. Multa itaque in hac orationis parte impia cōgerere verba primùm à genere, deinde à partibus ſtuduit: antiquæ argumentationis, & ad vulgi captum magis aptam formulam vſurpans, hoc eſt, inductionem. qua primùm omnes Deos aut viribus & efficientia pares conſtituere, atque eodem gregi Iſraelitarum Deum adnumerare ſatagit: deinde non modò ſingulos, verùm omnes vnà coniunctos regis Aſſyriorum, cuius partes ipſe agit, viribus & efficacitate impares, minusq. valentes notare. Eſt autem propoſitio communis & lata.* Numquid liberauerunt dij gentium vnuſquiſque terram ſuam. *Antiquo errore ſignificat certis diis certas obtigiſſe regiones, tutandi ac fouendi cauſa: in quibus videlicet & ij colerentur, & numen oſtenderent ſuū: interim dum maioris vel numinis, vel felicitatis virtute impedirētur, vt illa tempeſtate*

Blaſphemia quid.

impediebantur à Genio Aſſyriorum regis. & quod ait, numquid liberauerunt? *poterat quis de voluntate fortaſſe, potiùs quàm de virtute & facultate interpretari: quòd infenſi, & minùs æqui, ſuis gentibus auxilium ſubduxiſſent, opitularíq; noluiſſent. Verùm hanc interpretationem remouet, priori propoſitionis parte ad gentes, poſteriori verò ad terram relata. Nam ſi maximè gentibus fauere nollent, terra tamen ſua priuari minimè paterentur, ſi propugnare ac defendere potuiſſent: præcipuè quibus nulla alia ſupereſſet, qua numen exercerent, probarent, ac tuerētur ſuum; quaq; priuari, non niſi indignè ferrent. quod vt confirmet, interrogationibus vtitur ſingularibus, imbecillitatem, & inopiam, vel abſentiam exilio ſimilem vniuſcuiuſque illorum ſignificantibus.*

Vbi eſt Deus Emath & Arphad? vbi eſt Deus Sepharuaim?

E*x pluribus deuictis ac domitis gentibus, captisq; terrarum regionibus, eas tantùm in teſtimonium inducit, quæ Iſraelitis viciores, atq; ideo notiores erant: vt videantur illi aduerſus Iudæam contendenti, obuia quæq; numina & loco & viribus ceßiſſe, atq; hoc pacto certiorē aduerſus Ieroſolymam victoriam futurā denunciet. Namq; ex Aſſyria in Iudæam venientē per Emath, Arphath, & Sepharuaim, atq; adeò per Samariā, militare iter faciundum fuerat, vel volentibus, vel inuitis; & calcatis obiter his quos commemorauit Diis. Conſtat autem illos non opitulatos, imò, vti apparet, non affuiſſe ſuis terris, quamobrem neque* IEHVEH *ſuam vrbem liberare valiturum: nam ſi valeret, aditum profectò venienti clauderet, & viam interciperet: ſi non in aliorum terris, at in ſua ipſius quam defendendo aſſereret, ac velut præſidium & propugnaculum cuſtodiret, quo minùs ad interiora terrarum, hoc eſt, Ieroſolymam vſque, pugnando, capiendo, & occupando deueniretur: ſed cùm illud non potuerit, neque hoc poſſe conſequitur; manifeſtum autem eſt, Iſraelitarum regionem in terris Domino dicatis, & magnam, & propugnatoribus frequentem fuiſſe; in illa verò præcipuā celeberrimam Samariam regni caput longè maioris, quàm ea, cuius regia Ieroſolyma habebatur, in monte etiam ſita, natura, arte munita, regis incolentis auctoritate & cura, atq; viribus inſtructa: quæ tamen capta argumento eſt, & exemplo Ieroſolymæ longè minori negotio capiendæ, vel nullatenus, vel fruſtra repugnante Domino illo, qui iam, Samaria amiſſa, Aſſyriorum regis validam, apprimeq; felicem manum expertus cognouerit. Hæc ſacrilegæ illius argumentationis concluſio ac ſumma eſt: quæ confirmationis cauſa repetitur.*

Numquid liberauerunt Samariam de manu mea? Quis eſt ex omnibus diis terrarum iſtarum, qui eruerit terram ſuam de manu mea, vt eruat Dominus Ieruſalem de manu mea?

A TQVE *hoc pacto ſuſpicionem de ſe apud Ieroſolymos ciues auertere, vel obſcurare ſtudet Rabſaces, impiiſsimis de Iſraelis Deo pronūciatis verbis, cuius numen cæterorum deorum numinibus, quæ colerentur à vicinis, ſimile, ac ſibi pariter virtute & fortitudine impar eſſe dicebat.*

Et

Et ſiluerunt, & non reſponderunt ei verbum. Mandauerat enim rex, dicens, ne reſpondeatis ei.

Hoc in regio mandato cautum fuerat, vt quidquid referre ad regem pertineret, fideliter referrent. Quidquid denique afferret, aut ageret, illi auribus exceptum ac diligenter conſeruatum, ſibi redeuntes narrarent, de reſponſione, & actione omni non minùs deliberaturi, quàm ab Aſſyriorum rege ante adlocutionem fuerat deliberatum, & ne omnino illis ſtultis fortaſſis & inſolentibus verbis, qualia in huiuſmodi ſuperborum principum proſperitate iactari ſolent, ſimile aliquid redderent, quod ad maiorem inſolentiam anſam daret; ſimul etiam quod hiſce tempeſtatibus, vt aliis etiam omnibus nihil ſilentio & obſeruatione vtilius, & illud in loco ſapientis dictum opportuniſſimum eſt. Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne efficiaris illi ſimilis. Prou. 26.

Et ingreſſus eſt Eliacim filius Helciæ, qui erat ſuper domum, & Sobna ſcriba, & Ioahe filius Aſaph à cõmentariis, ad Ezechiam ſciſſis veſtibus, & nunciauerunt ei verba Rabſacis.

De veſtium reſciſſione, & huiuſce habitus oportunitate in ſacro Apparatu diximus, profeſſionem ac ſignum eſſe intimi ex acerbiſſima re accepti doloris: idq́; cumprimis in more ac ritu fuiſſe iis, quibus teſtibus diuini nominis ac numinis maieſtati & ſanctitati detraheretur; id quod ab his tribus viris obſeruatum & factũ, primo ſpectaculo regi ſuſpicionem fecit, execrandæ cuiuſpiam hiſtoriæ ſibi referendæ, atq; audiendæ.

CAPVT XXXVII.

ET factum eſt, cùm audiſſet rex Ezechias, ſcidit veſtimenta ſua, & indutus eſt ſacco, & intrauit in domum Domini.

Piiſſimi regis exemplum in rege hoc obſeruandum, hiſtoria docet; qui maiorem etiam dolorem magna cum ſolicitudine coniunctum, audita blaſphemia, indicauit: non modò veſtibus diducendis, verùm conſilio ineundo de expiatione, deprecatione, placationéque diuina, atque omni ſtudio adhibendo circa ſalutem publicam, à Deo ſummis votis, atque puris ſupplicationibus procurandam. Cumprimis autem religione cauebatur quondam, vt quiſquis diuini nominis auctoritati & ſanctitudini aliquo modo detrahi audiret; indignitate ac impietatis deteſtatione ſummas diduceret veſteis: quamquã non ab ipſo detrahẽte, ſed vel ab aliquo alio referente audiret. Verùm enimuerò in hoc genere diſtinctio, ratioq́; perſonæ detrahentis habenda fuit. Namq; pronunciata à quopiam ex gentibus blaſphemia, Iſraelita, quamlibet audiens, teſtiſq́; eſſet, veſtem diducere, nec lege, nec moribus debebat; cùm blaſphemia propriè & legitimè dicatur, ea quæ ab eiuſdem legis ac religionis profeſſionisq́; homine pronunciatur. Quamobrem hoc regis exemplo Rabſaces Iſraelita, ſiue Iudæus transfuga à Scribis arguitur. Quòd ſi ille merè gentilis erat, hoc præter conſuetudinem ardenti tamen ſtudio à rege factum interpretari oportet. Saccum autem induere, maximi etiam fuit mœroris argumentum. Miſnaioth tract. de Zzãhedrin.

Et

Et miſit Eliacim, qui erat ſuper domum, & Sobnam ſcribam, & ſeniores de ſacerdotibus opertos ſaccis, ad Iſaiam filium Amos Prophetam, & dixerunt ad eum.

TEMPORVM *difficultatem atq; rerum ſtatum laborioſiſſimum, cura ac ſolicitudo, diligentiaq; regia indicabat; & publicam rem eo miſeriarum deductam, vt nulla humana, niſi tantùm diuina ac ſingulari ope reſtitui poſſe, ſperandum eſſet: atq; eandem ob rem ad diuinum interpretem, hoc eſt, ad Vatem iam anteà multis modis veracem, probatum, & agnitum, oraculi & conſilij cauſa referri, cum grauiſſimo ac dolorum malorúmque ſignificantiſſimo mandato.*

Hæc dicit Ezechias: Dies tribulationis, & correptionis, & blaſphemiæ dies hæc: quia venerũt filij vſque ad partum, & virtus non eſt pariendi. Si quo modo audiat Dominus Deus tuus verba Rabſacis, quem miſit rex Aſſyriorum dominus ſuus ad blaſphemandum Deum viuẽtem, & exprobrandum ſermonibus, quos audiuit Dominus Deus tuus: leua ergo orationem pro reliquiis quæ repertæ ſunt.

SESE *ingente animi dolore & grauiſſima cura affectum indicat Iezechias, non appellando primùm regio titulo, vtpote qui nõ regem, verùm deprecatorem illa tempeſtate pro populo ac pro ſe ageret. Doloris verò cauſam duplicem eſſe docet: alteram ad hominum ſalutem; alteram ad ſanctitudinem Dei pertinere; vtramque verò ſuo in genere grauiſſimam, eodémque tempore ſimul mixtam, & confuſam. Ad priorem verba referenda ſunt,* Dies tribulationis & correptionis. *ad poſteriorem,* & blaſphemiæ dies hæc. *In duo, inquit, duriſſima & moleſtiſſima, grauiter & iniquè admodum ferenda mala, vno eodemq; die & momento incidimus; quorũ vtrumque ſeorſum maximo dolori nobis eſſe oportet: prius eſt anguſtiæ illæ in quas ab Aſſyriorum rege redacti ſumus, expugnatis, captis, & occupatis ceteris omnibus regionis huius locis, & vna hac vrbe penè iam obſeſſa: idq; cum maximo probro inopiæ noſtræ; & , quod ſummè dolendum eſt, cũ contemptione & eleuatione, ac deſpectione veritatis ac maieſtatis Dei noſtri. cuius poſterioris rei vlciſcendæ cura, ſi Deo tamquam propriæ, & ad ſe attinentis fuerit ſuſcepta, ſpero priorem illam, quæ huic coniuncta eſt, vendicandam, hoc eſt, ciuitatem hanc illius impij & immanis, ſuperbiq; hoſtis vi & impetu defendendã. Priorem partem expolitione amplificat Ezechias, tranſlatione ducta à femina parturiente; cuius fœtus iam maturus dum prodire contendit, maximũ efficit dolorem: qui matrem in vita periculum coniicit certiſſimum, niſi viuida naturæ ac firma vis tantæ moleſtiæ ferendæ ſufficerit. Huiuſmodi in ſtatu & loco rem omnem ciuitatis illius, atque adeò totius regionis eſſe ait: vt ad ſummam hoſtis potentiam perferendam, nullæ ſuperſint vires, nedum ad repellendam ſufficiant.* Quia venerunt filij vſque ad partum. *non vnius tantùm, ſed plurium ſimul fœtuum partum eſſe indicat, vt grauiorem multo parturientis cum periculo ſignificet dolorem.* Si quomodo audiat Dominus. *Hoc non ad blaſphemiam referendum,*

rendum, quam à Domino auditam, hoc eodem verſu aſſeuerat, ſed ad cæteras orationis parteis; quibus Rabſaces inopiæ arguens Ieroſolymitanos, ad deditionis neceſſitatem propellere ſtudebat: quam Deum clementia [illegible]*ſum, auertendam vnà cum ſanctitatis ſuæ aſſertione ſuſcipere poſtulabat Iezechias, atque in ea re ſancti ac Deo grati Vatis, & ſuæ reip. miſerentis votis ac ſupplicatione adiuuari cupiebat.* Leua ergo orationẽ pro reliquiis, quæ repertæ ſunt. *Idem, reperiri, hoc loco, quod, extare, Latinè ſignificat.* Pro reliquiis, quæ *ex tribu noſtra, atq; adeò ex omni Iſraele extant.*

Et venerunt ſerui regis Ezechiæ ad Iſaiam. & dixit ad eos Iſaias: Hæc dicetis domino veſtro, Hæc dicit Dominus, Ne timeas à facie verborum quæ audiſti, quibus blaſphemauerunt pueri regis Aſſyriorum me. Ecce ego dabo ei ſpiritum, & audiet nuncium, & reuertetur ad terram ſuam, & corruere eum faciã gladio in terra ſua.

D I V I N Æ *prouidentiæ exempla exactiſſimis iudiciis conſpicua iis eſſe ſolent, qui rebus, rerumq; rationibus comparandis animum aduertunt: inter quæ vnum genus eſt, vt quo quiſquam impius maximè ſuperbiat, nitatur, & fidat, eadem puniatur, ac pereat re. Tyrannus ille, præter Aſſyriorum regni felicitatem, nullum ſatis potens, aut ſibi par agnoſcebat numen: ideoq; toties Aſſyriorum regis ac regni Aſſyrij inculcabat nomina magna, nimirum gentis, ac ſibi vni ſufficientis iactatione & oſtentatione: qui, cùm nullis iam imperaret nationibus, vnam tantùm ſuam gentẽ, quaſi propriam, familiarem, fidamq; ſibi, atq; vnicè vtilem, ſingulariterq; felicem laudaret. Quod nonnullarum gentium vitium ſatis putidum eſſe ſolet, vt ceteras omnes præ ſe contemnant, a*[illegible]*e deſpectuiq; habeant; deq; huiuſmodi gloriola ſeriò vſque ad inuidiam odiumq; contendãt: ſic Ægyptios quondam; ſic Scythas, & ex Græcis nonnullos populos inſolenter ſuperbiſſe accepimus: ſic & hodie Synarum regionis incolas audimus; & nonnullos etiam ex noſtris vel amicis, vel finitimis ad faſtidium vſque felicitatem laudemq; omnem ſibi arrogare intelleximus: quos vel viuum regis huius exemplum ad mentem, atq; ad modeſtiam reuocare poſſit, ſi modò culturæ patientes commodent aures. Quando iudicio diuino per Vatem anteà pronunciato, illum non ab his, quos hosteis duxerat, quos oppreſſerat, quos præ ſe contempſerat; verùm ab illis quos ſibi maximè amicos proprióſque laudabat, atq; adeò ab iis quos genuerat ipſe, interfectum; & quæ ab illius miniſtris inſolenter, ſuperbè, impieq; dicta iactataq; fuerant, omnia irrita infectaq; euaſiſſe nouimus. Atque hoc, quamquam breui per Iſaiam reddito reſponſo, plura animaduertenda indicantur: ex quibus primum eſt nihil ab Aſſyriorum rege factum, præter diuinam auctoritatem & ſententiam: nempe profectiones, victorias, & cetera omnia, Deo ita volente, ac decernente & mouente, conſtare. Hoc prima reſponſi indicat pars.* Ecce ego dabo ei ſpiritum. *In primæua lingua præſentis verbi conſtat vis.* Ecce ego dans ei ſpiritum. *& ſpiritus nomine, animi impulſus & voluntas atque efficientia hoc loco ſignificantur. Secundum verò membrum eſt,*

& audiet nuncium, *nempe Tharacam Æthyopem aduerſus ſe belli inferendi cauſa in expeditionem venire, eoq; nuncio impulſum, obſidione Lachis intermiſſa, Lebnam profectum, ibidem venienti hoſti occurſurũ, Deo omnia hæc admirabili conſilio prouidente, vt intermiſſa obſidione, ciuitas Ieroſolymorum ea ſibi compararet, quæ ad expectandum hoſtis reditũ, atq; ad obſidionem ſuſtinendã ſufficerent. Hæc omnia illo continentur reſponſi membro:* & audiet nuncium. *Tertio autem,* & reuertetur ad terram ſuam; *miraculum illud magnum ſalutis publicæ ſignificatur: quod* Aſſyriorum exercitu repentè, *id eſt, vna nocte extincto, in Senacheribo edendum erat: qui ex tanto militum & comitum, aulicorumq; numero penè ſolus euadens, cum magno damno ac dedecore in patrium ſolum reuerſurus prædicitur. Verbum* reuertetur, *ſingularem illum ſine exercitu reuerſurũ indicat. Quartum verò membrum vltimum, ſuperbiæ & impietatis illius exitum apertè ſignificat, necẽ videlicet apud ſuos, à quibus minùs metuebat; atq; adeò à propriis factam liberis, vt qui in Deum auctorem ſui ſe geſſerat impiè, ab iis vicem ferret, quorum pater, & vitæ auctor ipſe fuerat impieq; periret, qui impiè egerat. S.S.E. Potentes potenter tormenta patientur. &, Qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. Itaque ex vno decreto de regis illius felicitate tria reliqua præterea conſtituta, porrò futura Vates & expectanda obnunciat, hoc eſt, de illius profectione, fuga, & apud ſuos, atq; adeò à ſuis nece.* Et corruere eum faciam gladio in terra ſua. *Hoc itaque reſponſo ſignificauit Vates, hoſtem illum diuino impulſu in Iudeam veniſſe caſtigaturum populi illius crimen, iam anteà ab ipſo Vate accuſatum, à Deoq; iudicatũ: idq; iam præſtitum eſſe. veruntamen eundem ſuperbiæ, inſolentiæ, & impietatis pœnas daturum; idq; tam certũ & conſtans eſſe, quamquam futurum dicatur: atq; illud primum fuit, iam tranſactum de illius aduentu, & vſque ad Lachim. Cuius veritatis argumentum alterum fuit, illius profectio in Lebnam, quam ſecundam reſponſi diuini partem Vates indicauerat, quippe quam eadem illa tempeſtate conſecutam, hiſtoria docet.*

Reuerſus eſt autem Rabſaces, & inuenit regem Aſſyriorum prœliantem aduerſus Lobnam. Audierat enim quia profectus eſſet de Lachis; & audiuit de Tharaca rege Æthyopiæ, dicentes, Egreſſus eſt vt pugnet contra nos.

L o b n a, *ſiue Lebna, ex Iudææ tribu vrbs vna erat, iam anteà capta, & præſidio bellico, vt fieri ſolet, munita: quorum Æthyopum rex aduerſus Senacheribum veniſſet ille, prælio progreſſionẽ impediturus, reuerſus eſt, vtpote loco ad propulſandũ hoſtem idoneo. Eodem verò, Rabſaces deueniens regi quid apud Ieroſolymam eſſet, narrauit: cuius actionis partem ſuperbus atq; inſolens rex probare quidem viſus, partem verò improbaſſe, atque non actam irritamq; voluiſſe, ex hiſtoria ſequenti arguitur. Quippe non omnia quæ Rabſaces ex temporis occaſione & momento dixerat à rege ſuo excepiſſe, in mandatisq; habuiſſe videtur; ſed ea tãtùm, quæ per iteratos nuncios literis tabellisq; conſignata, repetita curauit. Nihil enim de oratione ad popu-*

populum, de ſuaſione deditionis, de promiſſa tranſmigratione, ac de migrationis cōmodis; quæ præ tanti imperatoris ſuperbia, potentia, humilia cenſeri poterāt: nihil horum, inquam, ſed neque de humani auxilij eleuatione, in mandatis habuerat orator ille; quippe quæ omnia à tanto rege contemnerentur, non aſſueto ad eiuſmodi conditiones inuitare populos à ſe debellandos, ſed iam debellatos ad ferendum cogere. Quamobrem, quamquam occupatus ac detentus nouo aduerſus Æthyopum inuaſionem bello, tamen non minùs quàm anteà ſuperbus, arrogans, & inſolens, mentem conſiliumq́ ſuum deſcriptis, & in monumentum redactis verbis Ezechiæ, denuncianda curauit: ita vt nihil à nunciis de mandati formula detrahi, mutaríve poſſet.

Quod cùm audiſſet, miſit nuncios ad Ezechiam regem, dicens, Hæc dicetis Ezechiæ regi Iudæ, loquentes:

QVOD *cùm audiſſet quidquid Rabſaces egerat, quòd non prorſus ratum eſſe vellet: quippe cui, non cum populo, ſed cum rege ipſo agendum duceretur (minoris enim cenſuerat gloriæ cum populo agere, vt Rabſaces, occaſione arrepta fecerat) iteratis rurſus nunciis, literas cum mandato dat, mandato, inquam, nihil à literis diſcrepante; id quod illa ſignificatur formula:* Hæc dicetis, loquentes. *nihil præterea locuturi, aut commentaturi.*

Non te decipiat Deus tuus, in quo confidis, dicens: Non dabitur Ieruſalem in manum regis Aſſyriorum. Ecce, tu audiſti omnia quæ fecerunt reges Aſſyriorū omnibus terris, quas ſubuerterūt, & tu poteris liberari? Nunquid eruerunt eos dii gentium, quos ſubuerterunt patres mei Gozam, & Haran, & Reſeph, & filios Eden, qui erant in Thalaſſar? Vbi eſt rex Emath, & rex Arphad, & rex vrbis Sepharuaim, Ana & Aua?

QVIDQVID *regiam potentiam in oratione Rabſaces indicauerat, & prætulerat ex ſententia ſua dictum, cetera omnia ex orantis cerebro ac ſenſu præter mandatum addita fuiſſe, oratio hæc ſignificat. Animum enim & conſilium regis fuiſſe IeZechiæ denunciare, nullum ſupereſſe in diuina virtute præſidium: idq́ maximis Aſſyriorum felicitatis exemplis confirmatum oſtendere: nam de humana ope non minùs Iezechiæ, quàm Aſſyriorum regi notum & exploratum erat: neque quicquam metuere, aut curare poſſe videbatur is, quem ſuæ felicitatis inſolentia ceterorum numinum primum victorem ſe à Deo putabat, vt Iſraelitarum etiam Dei, hoc eſt,* IEHVEH, *non ſecus atq́ aliorum contemptorem ſe gerebat. Itaque omnis orationis, ſiue mandati & epiſtolæ huius ſcopus eſt ille, vt Deum, cuius Ezechias diligentiſſimus cultor erat: cuiusq́ vnius præſidio fidebat, ſibi contemptum eſſe, dictis, mandatis, & ſcriptis, ac ſubſignatis tabulis declararet: idq́ docere exemplo ceterarum gentium, quarum contemptis & inuitis, atq́ nihil contra efficientibus, imò migrare coactis diis, terras omneis cum vrbibus debellatas ceperat. Atq́ ex multis aliis quæ in priore argumentationis propoſitione comprehenduntur, tres tantùm aſſumūtur in poſteriore, quæ ad argumentandum ſatis eſſe poſſint; dum nemo aliquid contrà excipiat: vt nec xcipere valeret: quos verò nominat, proximos indicat: quorum exempla*

& vicina, & adhuc erant recentia. atque argumentatio ita contexitur: Terræ omnes Aſſyriorum antiquæ & perpetuæ felicitati addictæ ſunt: quamobrem te etiam addictum oportet. Propoſitio ex noto & manifeſto firmatur. Ecce tu audiſti omnia quæ fecerunt reges Aſſyriorum omnibus terris. *Hinc verò collectio naſcitur.* & tu poteris liberari? *Hæc argumenti repetitio amplificatur ſyllogiſmo.* Nunquid eruerunt eos Dij gentium, quos ſubuerterunt patres mei? *Eas, inquit, nationes, quas patres mei euerterunt, atque migrare coegerunt, numquid ſui dij eruerunt? quam propoſitionem inductione confirmat nominibus citatis: non vrbium*
4. Reg. 19. *tantùm, verùm nationum ac regionum.* Gozam, *gentem ſignificat, fluuij*
Gen. 51. *eiuſdem nominis accolam ſecundùm Meſopotamiam.* Haram, *fluuij quo-*
4. Reg. 19. *que nomen eſt, cuius accolæ Aſſyriis parebant.* Reſeph. *à quibuſdam in Sy-*
Ibidem. *ria, ab aliis in Arabia ponitur hæc vrbs.* & filios Eden qui erant in Thalaſſar. *Orientalis regio hæc olim fuit, vltrà Syriam, & vltrà Arabiam, ad Perſiam, vt videtur, vergens deliitioſa, atq; amœna, quod vel nomine ipſo indicatur. Atque vti de diis diſſertum eſt, ita de earundem aliarumq; gentium regibus, iam extinctis, diſſeritur.* Vbi eſt rex Emath? *Celeberrima olim vrbs hæc fuit ad Libani radices, ante Armeniam Damaſcenam poſita, quæ poſtremùm Antiochia dicta eſt.* Vbi rex Arphad? *Inſula in Phœni-*
Ezech. 27. *cia fuit, cuius & Latini Geographi meminerunt.* Sepharuaim: *quæ quó-*
Plin. lib. 5. cap. 31. *nam ſita fuerit loco, incertum adhuc nobis eſt. videtur autem ex aliorum*
Mela lib. 1. *exemplorum vicinitate non longè fuiſſe ab Aſſyriis.* Ana & Aua. *vrbium quoque nomina hæc ſunt, incertæ poſitionis; non ſimulacrorum, vt ipſa lectionis indicat contextura. De quorum mandatorum atq; ſcriptorum ratione à ſe accepta, ad vnicum Deum prouocandum ac referendum Iezechias cenſuit, ac decreuit: cuius honoris auctoritatisq; res agebatur.*

Et tulit Ezechias libros de manu nunciorum, & legit eos, & aſcendit in domum Domini, & expandit eos Ezechias coram Dño.

MVLTITVDINIS *numero libri dicuntur, quos Latini etiam pluraliter tabellas dicere ſolent: vel, quòd plura eſſent ſimul argumenti eiuſdē exempla, vel quòd inuoluendi cauſa ceteris fuiſſent additi.* ZZEPHER, *à verbo quod narrare ſignificat nomen deductum; cuiuſcunque rationis aut narrationis, aut aliàs deſcriptionis genus ſignificat, in quo & epiſtola eſt. Solicitudo, ſedulitas, & cura, regia illa deſcriptione indicantur.* Et aſcendit Iezechias in domum Domini. *Non rex hoc loco, ſed Iezechias, tanquam famulus quiſpiam domus illius appellatus.*

Et orauit Ezechias ad Dominum, dicens: NON *mente, & interno tantùm animi affectu, ſed voce etiam & oratione animi motum efferente, & verbis ex vero atq; integro ſtudio profectis, quæ & orantis augerent ſpem, & populo audienti, pietatem ſuaderent; atq; Dei ipſius gratiam, prouidentiam, & opem conciliarent. hoc ſignificat verbum, dicens, id eſt, oratione huiuſmodi:*

Domine exercituum Deus Iſrael, qui ſedes ſuper cherubim: tu es Deus ſolus omnium regnorum terræ: tu feciſti cælũ & terram.

ORA-

ORATIO *hæc in ſtatu iudiciali vertitur, & prouocationis formã obtinet, vnà cum accuſatione in aduerſarium inſtituta. Namque epiſtola Aſſyriorum regis ad Ezechiam, decretæ iam iam exercendæ ſententiæ rationem inierat. Erat autem ſententia, Ieroſolymam cum rege ſuo propediẽ caſtigatum iri, abſque vlla exceptionis aut euaſionis ſpe: quippe quibus nulla neque humanæ, neque diuinæ opis defenſio eſſet; cùm is, cuius vnius auxilio ac præſidio fidere videbantur, nihilo plus aduerſus Aſſyriorum potentiam & felicitatem valeret, quàm ad ſuas cuiuſque tutandas regiones cæteri, qui tutelares habebantur, Dÿ valuiſſent. Et quamquam ſententiæ ac decreti illius cauſa Ieroſolymorum vaſtatio & clades erat: tamen ſcopus fuerat Aſſyriæ regiæ felicitatem, Dei Iſraelitarum virtuti comparatam anteponere: atq; hoc exemplo maximam, præſtantiſſimam, & gentibus omnibus formidandam conſtituere. Atq; ita non vnum tantùm iniuriæ ſibi factæ crimen, ſed plura & grauiſſima eadem ſententia notat, & accuſat Iſaias impÿ regis contemptoris q́;, & deriſores; itemq́; ſacrilegi atque ingrati Deo, proditoris officÿ propriÿ. Ducetur autem prouocationis huius exordiũ à contrariis argumentis & locis. Eſtq́; orantis in exordio propoſitum iudicis: ad quem prouocatur, ad ſuam audiendam & fouendam cauſam, conciliatio, quam parat depulſione intentionis aduerſarÿ: namque aduerſarÿ intentio fuerat, vel Deum* IEHVEH *non eſſe, vel non poſſe Ieroſolymas tueri: vtrumuis enim negatum fuerat in alienarum gentium Dÿs. Numquid eruerunt eos Dÿ gentiũ? Dixerat quoque Rabſaces. Vbi eſt Deus Emath? & Arphad? vbi eſt Deus Sepharuaim? nam voluntatem nihil moratur is, qui facultatem inficiatur. Atq; hæc omnia, vt diximus, ad minuendã, vel eleuandam, vel tollendam prorſus maieſtatem Dei tendunt. Quibus omnibus argumentis ex aduerſarÿ ſuperbia & impietate pronunciatis contraria omnino ex vero petita prouocator opponit; atq; eadem opera & intẽtionem aduerſarÿ depellit, & iudicem ex officÿ ac muneris proprÿ nominibus, titulis & rationibus atq; ornamentis conciliat, atque adeò ad ſuam ipſius cauſam dignitatemq́; tuendam, iure iudicato conuertere, & inclinare ſtudet. Citatur autem titulus ad hanc rem quintuplex: quorum primus ad facultatem & potentiam refertur.* Domine exercituum, *hunc titulum in manifeſtis iudiciis ad diuinam potentiam & facultatem aſſerendam, & in vltionis caſtigationisq́; cauſis appellari in ſacro Apparatu docuimus: & aliàs ſæpè in commentariis & ſcriptis noſtris, pro loci opportunitate, repetiuimus: pluresq́; eſſe Dei exercitus, ex Ieremia, aliisq́; Vatibus oſtendimus. Opponitur autem titulus hic allegatæ Aſſyriorum felicitati; cuius auctoritas & vis ex Chaldaica diſciplina ſideribus tribuebatur. quæ res, ſi quid (vt iſtorum opinio erat) veri aut ſolidi haberet; ea tamen non Aſſyriorum, non vllius gentis propria aut eſſe, aut dici poterat; non enim Aſſyriis, verùm Deo vnico aſtra & cæli & terræ ſuperioris, vel inferioris naturæ facultates vni Domino & Imperatori adſcribenda erant: quotquot enim exercitus dicerentur, Dei ſunt exercitus, & Deus ipſe ac Dominus* IEHVEH, *exercituum auctor & moderator appellabatur. Itaq; aſtrorum efficientia*

omnis non Aſſyriis arroganda eſt: quippe quæ tua omnino eſt, tibiq́ obtemperat. Alter titulus eſt, Deus Iſrael. Gubernatores Iſrael : *cuius tutelæ præſidium; cuius prouidentia ſingularis, Iacobum fouendum, defendēdum, ornandum, amplificandumq́ ſuſcepit: ſuſceptumq́ ad Iſraelis nomen, dignitatem, & amplitudinem prouexit; prouectum, non erga homines modò, ſed etiam erga Deum potentem conſtituit. Opponitur autem titulus hic argumēto illi, ab Aſſyrio rege producto.* Non te decipiat Deus tuus, in quo tu confidis. *Nunquam enim Iacob, dum priuatus ageret; nunquam, poſtquam Iſrael dictus eſt, deceptus notatur; ſed ſemper adiutus, defenſus, promotus, & amplificatus: denique à Deo curatus narratur; idemq́ nunc ex Dei beneficio experturus creditur, idemq́ poſcit. vtq́ Deus non permiſſurus eſt exercitus ſuos, præter conſilium propoſitumq́ ſuum, cuiquam mortalium inſeruire, aut adeſſe, aut fauere: ita etiam ſuum Iſraelem, hoc eſt, populum ſibi ſingulariter optatum, Aſſyriorum arrogantiæ & ſuperbiæ ſuccumbere, à ſeq́ abduci non eſt paſſurus. Neque enim is eſt, qui ſe diripi ſinat, quive carere velit ſuo Iſraele, præſertim per contemptionem ſui capto, & abducto: quidquid enim Iſraeli ſiue ſecundi, ſiue aduerſi temporis euenerit; non ex hominum libidine, ſed ex conſilio ſuo diuino euenit. Caſtigauit ille aliquando Iſraelem ſuum ob mala merita, non tamen prorſus perdidit; non humanæ arrogantiæ tradidit perdendum: ne quando dicant gentes: Vbi eſt Deus eorum? Deus autem noſter in cælo eſt (reſpondent illi) & omnia quæcunque voluit fecit. Itaq́ voluntati tuæ addictus Iſrael non eſt hominum permittendus arbitrio. Tertius in oratione hac Dei titulus eſt.* qui ſedes ſuper Cherubim. *Singularem Dei erga Ieroſolymam prouidentiam tutelamq́ commendat hæc vox: illam videlicet vrbē, ex omnibus terris ſibi regiam deſtinatā, & æde, tanquam aula, ac inſigni & illuſtri ſolio exornatam, omnium vrbium ac gentium, quibus ille imperat; atque Iſraelis totius, cuius ſe rectorem præſentem, & præcipuè fauentem geſſerit; illā, inquam, vrbem non eſſe permiſſurum Aſſyriorum regis arrogantiæ & impietati, ac ſuperbæ iactationi cedere, ita in epiſtola illa inſolentiſſima ſcribentis:* Non te decipiat Deus tuus, in quo confidis, dicens: Non dabitur Ieruſalem in manu regis Aſſyriorum. *Siquidem tam exquiſitus arcanusq́ apparatus templi adyti, ac ſedis à Cherubim fulcitæ, voluntatem diuinam probat fouendi vrbem illam, atque terris magis omnibus vnam colendi & exornandi, ſuæq́ maieſtatis argumentis inſigniter amplificādi: quam ab iſto tyranno vel verbis & oratione eleuari, deſpici, ac profanari indignū fuerit. Quartus titulus præcipuam atq́ vnicam diuinitatis prærogatiuam continet: quam aſſerturum Deum, atq́ ab omni vanorum Deorum confuſa æſtimatione & opinione vendicaturum, orator hic ſperat: atque totius cauſæ huius hanc præcipuam intentionem firmat.*

Tu es Deus ſolus omnium regnorum terræ. *Antitheto veriſſimo redarguit Aſſyriorum regis arrogantiam, ſeſe, vt iam audiuimus, maximum regem appellantis; & quaſi totius orbis imperium ſibi vni, tanquam proprio, & nato regi; atq́ monarchæ iure ſummo adſcribentis: cùm nullum*

ſit

ſit in terris regnum, nullum imperium, nullum poteſtatis ius, niſi à Deo: cuius vnius gubernationi omnia ſubduntur, quæcumque in terris regna, poteſtatesq́; appellari poſſunt: tamquam proprio, perpetuo, immortali Regi, gubernatori ſupremo, atq; ELOHIM. S. S. E. Meum eſt conſilium, & Prou. 8.
æquitas: mea eſt prudentia, mea eſt fortitudo. Per me reges regnant, & le- "
gum conditores iuſta decernunt. Per me principes imperant, & potentes "
decernunt iuſtitiam. Tua, inquit, eſt terra, & plenitudo eius: non iſtius "
qui ſe magnum appellat regem. Hunc verò quartum titulum ratione grauiſſima confirmat: videlicet, poſſeſſionis ac iuris antiquiſſimi; non vſurpationis, aut occupationis, ſed auctoritatis vnicæ ac ſingularis. Is enim qui rei cuiuſpiam auctor & opifex eſt, Dominus proprius & gubernator, naturæ vi, & iure ſummo dicendus eſt: non is qui rem vel ab auctore donatã commodatámve obtinet, vel iniuſtè occupatam retinet. Namq; ex his alter miniſter & adminiſtrator, potiùs quàm Dominus: alter verò tyrannus, & prædo dicendus accedit. Tu feciſti cælum & terram. *ex nulla tibi à quoquam præſtita, aut ſubſtructa materia: quamobrem, vt cæli ac terræ auctor, ita vtriuſque rector, gubernator, ac Dominus exiſtit. Quintus titulus, qui ex argumentatione indicatur, eſt* Zelator, *ſiue* Aſſertor. *Quem titulum ſummo ſibi vendicat iure Deus, & nõ ſine magno æmulatorũ malo defendit, nominis ac maieſtatis ſuæ ſanctitatẽ tuetur, non paſſus quemquã ſibi impunè detrahere: id quod idem ipſe profeſſus, declarauit: Ego ſum Domi-* Exodi 20.
nus Deus tuus, fortis, Zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios. &, "
Noli adorare Deum alienum, Dominus enim Zelotes eſt. Deus eſt æmula- Exodi 34.
tor. Et in huius ipſius, de qua agimus, cauſæ exemplo idem. Deus æmulator, "
& vlciſcens Dominus: vlciſcens Dominus in hoſtes ſuos; & iraſcens ini- "
micis ſuis. Huius tituli & cognomenti, quæ quinti argumenti ac poſtremi "
præſentiſſimiq́; vim habet, admonitionem ſubiungit Ezechias:

Inclina Domine aurem tuam, & audi: aperi Domine oculos tuos, & vide, & audi omnia verba Sennacherib, quæ miſit ad blaſphemandum Deum viuentem.

OMNIBVS *his citandis & commemorandis titulis, monitoris magis quàm deprecatoris parteis egit Iezechias: ea proponens, quorum, tanquam ſibi propriorum aſſertorem ſe Deus declarauiſſet: quæ, vbi admonentis oratione incitatus attenderet, vltionis iudicio aſſerẽda ſuſcepturus credebatur. Interim etiam Iezechiæ erga diuinas laudes ardentiſſimum probatur ſtudium: quòd orantis affectus animata oratione indicatur, gratiſſimáque aurium oculorumq́; Dei pictura exornatur.* Quæ miſit. *Non contentus proprio id ſermone, ſuoq́; ex animo agere, alios ad hanc rem inſtructos & informatos miſit, atque huius impietatis profeſſorem doctoremq́; egit.* Ad blaſphemandum Deum viuentem. *qui cùm honoris ac numinis ſui potentiſſimus aſſertor ſit; detractionem & contemptionem viuus & incolumis minimè patietur: aliàs non viuere putandus iis, qui huiuſmodi profeſſioni nouæ anteà modò non aſſerentem intellexerint. Atqui per tuum tibi viuentis æternumq́; cognomentum & eſt, & manet: quod hominibus iſtis,*

abs

abs te declaratum cognoſcant: vt quid, quantumq́; inter te, & ceteros, qui Dij putantur, & nominantur, interſit; publicè ac palàm pernoſcatur: ſi quidem illi mortui ſunt, nihilq́; plus quàm mortuus quiſpiam poſſunt: Tu verò Deus viuens cùm ſis, & vales, & potes, & ſoles auctoritatem, diuinitatemq́; tuam declarare, argumentationem hanc ex conceßione atque exceptione ita Iezechias inſtituit.

Verè enim Domine deſertas fecerunt reges Aſſyriorum terras, & regiones earum. Et dederunt deos earum igni: non enim erant dij, ſed opera manuum hominum, lignum & lapis, & comminuerunt eos.

PRIMVM *& grauißimum impietatis crimen fuit, deos omnes, qui mortui, qui nulli ſunt, cum viuente Deo componere, & æquare; nominis ac numinis diuini iure ac titulo. ex quo cetera proficiſcuntur, non minùs grauia, impia, & ſacrilega: nimirum poteſtatem, facultatem, vimq́; diuinam, ſua ipſius minorem aſſeuerare; argumento à pari, ac etiam à maiore, ſiue ex contentione ducto, hoc pacto. Quodcumque nullus multorum, quorum ſimilis & par auctoritas fuerat, potuit; imò, quod multi ſimul nequiuerunt; conficere idem, neque ſingularis aliquis, illis non dißimilis, efficere poterit. Hanc compoſitam argumentationem in ſuas diſſoluens partes Iezechias, propulſat & frangit, comparatione, primùm dißipata & reiecta, tanquam mendoſa & falſa: quippe quæ non cauſam pro cauſa arripuerit, & argumento nitatur inepto. Narrationem quidē concedit, & rem ipſam factam non inficiatur: rei cauſam indicatam refellit, & non cauſam eſſe docet.* Verè enim Domine deſertas fecerunt reges Aſſyriorum terras, & regiones earum. *Id conceditur vt manifeſtum & notum; ſed vnde illa facultas nata fuerit Aſſyriis, non rectè indicatum arguitur.* terras, *pro gentibus & nationibus hoc loco vſurpatur. vt, Omnes vrbium quæ veniebant in Ægyptum. vbi idem nomen eſt* ARATSOTH. *&, Omnis terra adoret te, & regiones eorum. Idem nomen in exemplari eſt, & vrbes, regiones, agrosq́; ſignificat.* Et dederunt deos earum igni. *Altera pars narrationis à Senacheribo factæ. rogante, videlicet, vbi eſt rex Emath, & rex Arphad, & rex vrbis Sepharuaim? Quo loco nomen* ELOHIM *appellatum, & repetitum indicauimus: Vbi, inquit, dij qui terrarum illarum tutores, gubernatores, ac reges dicebantur? Hos quidem incendio ab Aſſyriorum regibus conſumptos fatetur Iezechias, quod ad materiam attineret: quod verò ad rem faceret, omnino inficiatur. nam cùm diuina natura omnis corporis vim infinito ſuperet interuallo; conſequitur, eos, quos ignis abſtuliſſet, non fuiſſe deos, ſed quandam animalium figuram & ſpeciem, in auro, argento, ære, aut lapide confictā, quam ignis vis diſſoluere potuerit, ære etiam non abſumpto. Quod verò à mortali factum eſt, & ſua ſponte, & alterius mortalis opera ſolui ac perire potuit; aut tunſa, aut comminuta materia.* Non enim erant dij: ſed opera manuum hominum, lignum & lapis, & comminuerunt eos. *&, rationis, & illationis vim hoc loco obtinet, idemq́; efficit quòd, quamobrem, ideo, & ſimiles coniunctiones. Atq́; vt*

Gen. 43.
Pſal.

ex hoc

ex hoc ipſo, quòd comminuti fuerint, dij fuiſſe negantur, vt qui non modò dicatas ſibi regiones & vrbeis, verùm neque ſe ipſos incendio & interitu eripere potuerint: ita ex oppoſito diuinam IEHVEH *veritatem & virtutem, populi atque vrbis ſuorum defenſione ac tutela aſſerendam credit, ſperat, & poſcit, atque ita perorat.*

Et nunc Domine Deus noſter ſalua nos de manu eius.

SINGVLARI *exemplo diuinam veritatem aſſertum iri ait: hoc eſt, defenſione, & exceptione ab eo quem vltra omnium hominum facultatem & virtutem, vltrà ceterorum qui dij appellabantur, efficacitatem, felicem, victoremq́; omnes gentes putabant.* de manu eius *miſſus; cuius felicitas habetur ſingularis. ex qua ſalute ac defenſione illud conſequetur.*

Et cognoſcant omnia regna terræ, quia tu es Dominus ſolus.

IN *exemplari, quòd tu* IEHVEH, ſingularitatem tuam. *Quo tropo vnica tantùm diuina natura, nullo modo, nulláque ratione in plures deos diſtribuenda eſſe, ſignificatur. Ex eo, inquit, euentu, vt omnes hominum omnium nationes apertè intelligant, vnicum tantùm Deum eſſe ac ſingularem, eundemq́; nullum alium niſi* IEHVEH *eſſe; quippe qui ſolus verſus regis huius vim ſingularemq́; arrogantiam, atq; allegatam felicitatem irritam caſſamq́; reddens, efficacem te declinaueris. Atque hæc deprecationem ab Iezechia ſingulariter ac ſecretò in ſacra æde peroratam, Iſaias Vates, qui tunc in domo propria à rege ſeparatus agebat, & prophetico ſpiritu cognouit, & Deo exauditam, probatam, ratamq́; indicauit. Ex qua ratione apparet lectionem hanc omnem ad vaticinij auctoritatem referri, eodémque actorum & geſtorum narrationem tendere.*

Et miſit Iſaias filius Amos ad Ezechiam, dicens: Hæc dicit Dominus Deus Iſrael, Pro quibus rogaſti me de Senacherib rege Aſſyriorum, hoc eſt verbum quod locutus eſt Dominus ſuper eũ.

SINGVLARIS *atque certæ prouidentiæ beneficium Iſraelitarum ac Ieroſolymorum reip. propter boni principis curam, ſedulitatẽ, & ſtudium contigiſſe, & dicentis auctoritas, & audientis appellata perſona docent.* Iſaias filius Amos. *qua periphraſi idem ſignificatur, ac ſi diceretur,* Iſaias Vates. ad Ezechiam, *cuius vnius cauſa ſalutẽ illam populo conſtare; aliàs, vt ſuperiùs notabamus, immeritò ſignificabat. Atq; initiò Deus propoſitũ ſuũ de Iſraele conſeruando & ornãdo profitetur; quod propoſitũ nũquam ille ob quorumdam ex illo populo noxam & impietatem ſeſe mutaturũ ſubindicat; vt qui ſe ab antiquo Iſraelis Deum & gubernatorem dici voluerit, idq́; vbicumque res poſtulet, manifeſtis exemplis probaturum polliceatur: atq; hoc pacto oſtenſurum, quinam verè Deus, qui tutelaris verè ſit; & ceterorum, qui dij non eſſent, vanitatem arguiturum. Ne verò communem tantùm & publicam cum ceteris gentibus curam, ſed ſingularem quoque tutelam declaret: ita exceptum voluit.* Pro quibus rogaſti me de Senacherib rege Aſſyriorum. *Nomen cum titulo ad ſingularẽ & certam cauſam, quam Iezechias perorauerat, infertur: idemq́; demonſtratur ſubiuncta adnotatione.* Hoc eſt verbũ quod locutus eſt Dñs ſuper eũ. *Verbum*

 cer-

certum, certa ſignificatione, atque certo etiam rei euentu obſeruandum.

Deſpexit te, & ſubſannauit te, virgo filia Sion: poſt te caput mouit, filia Ieruſalem.

IN *hominem quem ſuperba ac magnifica locutum, & iactantem, & multa ac præclara minantem, certus, ac votis, minis, & animis contrarius expectat & accipit exitus, ceterorum deriſio, quam Græci auctores & rhetores ſarcaſmon vocant, parata eſt. Cuius exemplis & poëmata, & hiſtoriæ plena ſunt. vt, Alios ſaluos fecit, ſe ipſum ſaluum facere non poteſt. & apud exteros: Parce puer, quæſo, ne turpis fabula fiam,*

Dum mea ridebunt vana magiſteria.

Hoc elocutionis figura ridendam & exprobrandam Senacheribis regis impij arrogantiam, ſuperbiam, & importunam iactationem concluſum iri ſignificauit Vates, denuncians Ieroſolymorum ciuitatem (quæ, quod nulli anteà extraneo regi vel tyrãno paruerit, virgo appellatur) minas illas à Senacheribo iactatas, magna deriſione excepturam, quippe quæ illius nũc prædictum, paulò pòſt conſtitutum euentum ſpectatura ſit. Itaq; nomina, Virgo filia Sion, & filia Ieruſalem, *in recto caſu, Te verò, & poſt te, pronomina in accuſandi caſu lecta, illa Ieroſolymam ciuitatem, hæc verò, regem Aſſyriorum indicant. Hæc eadem inquit Deus, cui tu minitatus, & inſolentiſſimè ridebit, & mouebit caput, irridentium habitu & geſtu, poſt te: id conſulente, cuius tu numen non contempſiſti modò, ſed ſpreuiſti, ac deſpectui habuiſti; atq; in ceterorum, qui non ſunt dij, albo recenſuiſti.*

Cui exprobraſti. & quem blaſphemaſti, & ſuper quem exaltaſti vocem, & leuaſti altitudinem oculorum tuorum?

EXPROBRATIONIS *impietatem tria comitata exagerant. primum, verborum inſolentia. ſecundum, vocis improba intemperantia, clamoſusq; ſonus. tertium, habitus & geſtus, quibus animi maior indicatur motus & affectus: hæc omnia Zzancheribo à Vate accuſato, obiiciuntur.* Cui exprobraſti, & blaſphemaſti? ſuper quem exaltaſti vocem? *de geſtu verò & habitu:* & leuaſti altitudinem oculorum ad ſanctum Iſrael? *Blaſphemiæ & contemptionis atrocitatem oppoſitione declarat: quod ad eum, qui ſe ſanctũ, ſublimem, & ſingulari prouidentia, eademq; perpetua, magnum & excelſum Iſraeli ſemper præbuerit, oculos auſus fuerit attollere: quæ contemptionis & deſpicientiæ ſignificatio eſt, etiam impiis gentium notata:*

Lucret lib. 1. *Primùm Graius homo mortaleis tollere contra*
Eſt oculos auſus, primusq; obſiſtere contra:
Quem nec fama Deûm, nec fulgura, nec minitante
Murmure compreſſit cælum. *Huic impietatis crimini alterum adiungitur, doctrinæ nimirum, & exempli; quod non ſolùm ipſe rex vltrò contemptorem ſeſe diuini numinis præbuiſſet, ſed ſuos etiam ſeruos idem agere doctos impuliſſet.*

In manu ſeruorum tuorum exprobraſti Domino: & dixiſti, In multitudine quadrigarum mearum ego aſcendi altitudinem montium, iuga Libani. & ſuccidam excelſa cedrorum eius, &

electas

electas abietes illius, & introibo altitudinem ſummitatis eius, ſaltum Carmeli eius.

HÆC, *& huiuſmodi magnifica verba, quamquam in iis, quæ præceſſerunt, Rabſaces mandatis commemorata non fuerint: certè tamen iactata intelligimus: ab iis nimirum miniſtris, qui proximè epiſtolas ad Iezechiam regem detulerant, iuſſi literis minas, & ſuperbas tumenteſq; voces, quàm fieri poſſet arrogantiſſimè, addere, tragicis figuris, & magna ſpecie atque pompa inſtructas: quibus regis illius potentia ac felicitas, & maxima, inuictiſſimaq; ſignificaretur virtus. Atque hoc loco antiqui ſcriptores ſingulare aliquid adnotarunt, quod in breue coactum referre non pigebit. Ægyptius, inquiunt, quondam Pharao ſanctiſſimo Dei nomini, ac numini detraxiſſe, idem ipſe notatur. Legimus enim: Quis eſt* IEHVEH, *vt audiam vocem eius? Idem etiam Domini manu punitus traditur. &, Inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus: & dextera tua Domine magnificata eſt. In fortitudine dextera tua Domine percuſſit inimicum. At verò Senacheribus, qui miniſtrorum opera & actione* IEHVEH *exprobrauit, miniſtri etiam diuini opera pœnas dedit. S.S. E. Factum eſt igitur nocte illa, venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta-quinque millia. Atq; verbis iis tragicis omnibus illud Senacheribo ſignificabatur: nempe potentiæ virtutiſq; ſuæ nullam orbis terrarum partem non eſſe ſubiiciendam: quare nec Ieroſolymam ipſam, omnium totius orbis vrbium editiſſimam, cum æde illa celeberrima* IEHVEH *dicata, & cum omnĩ regia aula, & familia omni: eamq; victoriam non eſſe acceptam referẽdam Deo; ſed potentiæ virtutiq; ſuæ atq; felicitati, & in gerendis rebus dexteritati ſingulari.* In multitudine quadrigarum ego. *Arrogans pronomen cum verbo arrogantiore.* Aſcendi altitudinem montium. *Ex geographiæ ac topographiæ obſeruationibus Ieroſolyma vrbs totius terræ editiſſima eſſe cognoſcitur: id quod verbũ* ASCENDERE *declarat, perpetuò vſurpatũ, vbi de itinere ad illam vrbem faciendo ſermo fit. vt, Ecce aſcendimus Ieroſolymam. &, Vir quidam deſcendebat de Ieruſalem in Iericho. &, Illuc enim aſcenderũt tribus, tribus Domini teſtimonium Iſrael, ad confitendum nomini Domini. Vnde & iactatio illa.* Aſcendi ad altitudinem montium *Minarum plena erat aduerſus Ieroſolymam: quam non tantùm aſcenſurũ, ſed aſcendiſſe aiebat ſe, adeò certus ac perſuaſus de victoria ac felicitate erat ſuperbus imperator ille; vt quæ nondum contigerant, ſibi iam acta ac tranſacta iactaret. Sic Hannibal apud Liuium: Si tales animos in prœlio habebitis, quales hîc oſtenditis, milites, vicimus. Ego aſcendiſſe ſolum, atq; vnicum tanta fuiſſe & felicitate, & virtute præditum, vt eò victor aſcenderet, quo nullus anteà aſcendere ſperaſſet; imò quod mortalium nemo efficere poſſet, ipſe perfectum ſibi iactaret, vt quo ſingulari equo quiſpiam vſus eques, vel vix, vel difficillimè conficere poſſet. Aſcendere nimirum altitudinem montium, ipſe non vno tantùm curru, ſed maxima quadrigarum copia confecerit. Cùm nec equis quidem apta ſint mõtana loca, qualia ea in quibus Ieroſolymorum vrbs ſita erat. Neque verò vrbem illam expugnatam*

In Tractatu.
Exodi
Exodi 14.
4.Reg.19.
Titus Liuius

tam ſibi modò, ſed fanum illud totius orbis celeberrimum vni dicatum, ſacratum, ac dilectum Deo, occupatum quoque pronunciare mandauerat. Iuga libani, IARCHTHE LEBANON, *fæmora, ſiue, latera Libani. quo nomine aliàs decantatiſsimo templum illud ſignificabatur ex viuo & candidiſsimo extructum lapide: cuius proſpectũ marmorei montis ſpeciem præbuiſſe, externi etiam auctores narrant. Ex quo nomen idem in arcanis Vatum ſermonibus meruit: cum monte & maximo, & amœniſsimo, altiſsimoq́, quod Syriam Damaſcenam Palæſtinamq́ diſiungit: cuius culminis perpetuæ niues Lebanon, id eſt, candidi, nomen loco omni fecerunt. ſed parcè admodum hæc videbantur iactata; nimirum vrbium expugnatio, templi occupatio: niſi principes quoque & reges partim victi, ſuperati, capti, & interfecti, partim proſtrati adderentur.*

Et ſuccidam excelſa Cedrorum eius, & delectas abietes illius: & introibo altitudinem ſummitatis eius, ſaltum carmeli eius.

REGEM, *principes, ac ſummos magnatesq́ populorum Cedri, Abietis & procerarum arborum ſignificari nominibus, in ſacro Apparatu docuimus; & in his etiam Commentariis aliàs adnotauimus.* abietes, BEROSIM. *Buxos arbores, firmiſsima, ac ſolidiſsima conſtantes materia, nomen primæuum ſignificat; quales in Libano quoque laudatas accepimus.* Et introibo altitudinem ſummitatis eius. MEROM KITSO. *In Regum libro legimus* MALOM KITSO. *manſionem termini eius, verbo adnominato, mutatione & affinitate literarum* L, R, *Merom, altitudinem; Malon, manſionem, ſiue habitationem ſignificat; vtrumque verò indicari Imperator ille voluit. Regiam nimirum ſibi occupatam & poſſeſſam arcem, quæ in monte Sion ſita erat, editiore etiam apud Ieroſolymos loco; atque ideo dici poterat terminus, & vltimum poſtremumq́ ſummitatum terræ omnium. Omnem verò regiam progeniem ac familiam ſibi ſubactam, exciſam, & proſtratam promittens, illis ſignificauit nominibus,* Saltũ Carmeli eius. *Nam Carmel locus erat arboribus magnis, hortis, vinetis, & aliis etiam ſponte naſcentium, & arte conſitarum, plantarum generibus frequens: cuius arcana ſignificatio, principes cum populis complectebatur. Atque iactationis & arrogantiæ iſtius amplificationem ſubiuncta narratio ſtruebat; quæ argumentationis vim obtinens, facultatem & virtutem atq́ dexteritatem arrogantis imperatoris confirmabat.*

Ego fodi & bibi aquam, & exſiccaui veſtigio pedis mei omnes riuos aggerum.

DVO *ſibi confecta iactat; alterum eſt,* Ego fodi & bibi aquam: *qua tranſlatione nullam vrbem difficilem fuiſſe ſignificat, quam ipſe arte, induſtria & operibus adhibitis non expugnauerit, & expugnatam, in ſuos redegerit vſus, non ſecùs atq́ is, qui negatas aquas profundè effodiens, tandem inuenit, & bibit. Ego, inquit, omnibus potitus ſum populis, vt aqua è puteis effoſſa; ita vt nullam rem inceperim, cuius demùm compos non fuerim. idemq́ adeò ſe frequenti & copioſo exercitu valuiſſe ait, vt Ægyptum omnium terrarum expugnatu difficillimã, propter interiecti fluminis Nili* fre-

ſrequentes alueos; tamen ita domitam & ſubſtractam reddiderit, vt veſtigio pedis ſui exſiccaſſe & calcaſſe dicatur. Conſtat enim Ægyptũ per Sanheribum bello domitam fuiſſe, antequam Ieruſalem inuaderetur. Nili verò ſeptemplicis quondam, & fortaßis anteà plurium alueorum canalibus deducti nomen illo circumloquio ſignificauit: Omnes riuos aggerũ, *ſiue ex exemplari verbo,* riuos munitionis, *quibus munita olim regio illa fuit. quam inſulæ formam obtinuiſſe, ac Deltam appellatam fuiſſe, Geographi memoriæ prodidere. Poſt arrogantiæ ac ſuperbiæ impiæq́; iactationis crimen Sancheribbo obiectum, alterum etiam non lenius obiicitur, arrogatæ ſibi felicitatis: quæ vnius Dei auctoritate, iudicio, voluntate ac prouidentia contigerat. amplificaturq́; vtrumque crimen exprobratione immemoris beneficij, & ingrati animi. quod vitium in peßimorum genere ac numero cenſeri ſolet.*

LECTORI PETRVS VALENTIA.

VENERAT interpretando Commentariorum horum deſcriptor, D. Bened. Arias Montanus ad proximè ſequentis capitis XXXVIII. verſum XVI. &, quas ſcripſerat chartas, exſcribendas dederat. Accidit autem, vt cùm poſt dies aliquot eandem commentandi operam reſumeret, eò vſque ſeſe proceſſiſſe oblitus, ex ſuperiori verſu deintegro rurſus ſcriptionem continuaret. ita factum eſt, vt per verſus XXXI. duos haberemus commentarios: quorum neutrum reiicere fas arbitrati, his diſcretos notis 1. 2. tibi ſimul exhibemus, non inutili, vt confidimus, aut ingrato conſilio. Vale.

ATQVE *verbis iis tragicis omnibus illud Sancheribbo ſignificabatur:* 2.
nempe potentiæ virtutiq́; ſuæ nullam orbis terrarum partem non eſſe ſubiiciendam; quare nec Ieroſolymam ipſam omnium totius orbis vrbium editißimam, cum æde illa celeberrima IEHVEH *dicata, & cum omni vrbis ac gentis illius nobilitate, atq́; adeò cum rege ipſo, regioq́; ſanguine. Namque hæc omnia antiquo eloquio, ac tragico dicendi ſpiritu illæ tranſlationes ſignificant. Namque* altitudinem *montium, Iſraeliticam regionem montoſam, ceterarumq́; finitimarũ omnium editißimam interpretamur. eandem quoque* Libani iuga *dictam; ſiue, vt exemplar habet,* latera Libani. *nam Libanus, Iſraelitarum regioni & vicinus & conſpicuus viſitur. Se verò* excelſa cedrorũ eius, & electas abietes illius ſucciſurum *minitatur: atq́; hoc tropo nobilißimos & præſtantißimos totius gentis interfecturum abducturumq́; ſignificat. Neque enim tyrannis in plebeia ac minora capita & corpora, ſed in proceres, principeſq́; ſæuire ſolet, à quibus metuendum ſibi ſuperſtitibus arbitratur. Libanus mons altitudine & niuis candore procul ſeſe conſpiciendum præbet; qua ratione illuſtres homines ac primores populi appellatos ſignificat. Sed templi etiam ſacri illius celeberrimi imaginem præfert: cui nomen quoque communicat ſuum. Non ſecùs enim marmoreum illud fanum in monte Moria ſitum, pulcherrimam & candidiſ-*

 ſimam

ſimam ſui, longeq́ notabilem exhibebat ſpeciem, quàm Libanus in Syria celebratiſsimus mons. Atq; templum illud ſibi cum victoria adeundum, & ſuperandum Sancheribus minitabatur. Introibo altitudinem ſummitatis eius. *quod vt amplificando magis indicaret, adiunxit,* ſaltum Carmeli eius. *Templum illud atriorum ſtructura, & vario partium, ac multiplici frequentiq́ ordine, Carmeli quoque montis vinetis & hortis conſiti nomen in ſe tranſtulit. In Regum libris* altitudinem ſummitatis eius, *pro* MARON, *legimus* MALON; *quod manſionem hoſpitiumq́ interpretari licet: Interpres verò Latinus, terminos vertebat. Itaq; vicinitate vocum altiſsimum illum ſignificari dicimus montem ceteris illarum regionum eminentem montibus, atque templo Dei immortalis numine ac nomine inſignem. Atque hoc pacto Sencharibbi deteſtabilis augetur impietas, Deum ſummè colendum ac metuendum contemnentis: qui vlteriùs etiam ſuperba oratione & iactatione vim potentiamq́ ſuam amplificatam volens, addidit:*

Ego fodi & bibi aquã. & exſiccaui veſtigio pedis mei riuos aggerũ.

Vbi Latinè legimus riuos aggerum, *in exemplari eſt* IEOREI MATSOR. *Nomen autem* MATSOR, *præterquam quòd munitiones & firmiſsima arte & natura ſignificat loca; vocabulo etiam* MITSRAIM *valdè affine eſt; atq; ita Ægyptum ſignificat, nobiliſsimam & celeberrimam quondam terrarũ regionẽ, & propter Nili amnis oportunitates longè feliciſsimam. Atqui Sancheribum, antequam occupandæ Iſraeliticæ terræ ardor incendiſſet, Ægyptum expugnaſſe, ac imperio ſubieciſſe ſuo legimus: idq́ argumenti hoc loco ad potentiam ſuam oſtentandam protuliſſe intelligimus, duplicemq́ orationis agnoſcimus explicationem. Alteram, qua ſe Ægyptum, cuius præcipua laus ex fluminis commoditate & oportunitate petitur, expugnaſſe & cepiſſe iactat, fluuiis nimirum & riuis non modò exhauſtis, verùm exſiccatis etiam, idq́ multitudine ac frequentia militũ exercituumq́ ſuorum; diductis videlicet riuis, quò facilior aquarum conſtaret vſus, atq; ad vadanda flumina nulla ſupereſſet difficultas. Alteram verò, qua per tranſlationem gentium omnium regiones ac populos imperij ſui potentiæ conceſsiſſe declararet.* omnes riuos aggerum, *munitionum; quæ cùm non niſi machinis & ſcalis adiri & capi ſoleant, ego tamen, inquit, deſcenſu facili cepi, imò, veſtigio* pedis mei, *ſiue, vt in exemplari eſt* PAGHAMAI, greſſus mei. *Præterea etiam rerum, actionum, operumq́ ſucceſſus, eoſq́ abundè felices, oratio hæc ſignificat,* Fodi & bibi aquam. *Non enim fruſtrà, ſed feliciter impenditur labor iis, qui fodiunt, vbi nõ modò aquæ inueniuntur, ſed quæ potui vtiles oportunæq́ contingunt. Itaq; conſiliũ, propoſitum, ac ſtudium diligentemq́ laborem ſuum in cauſa fuiſſe ait parti & comparati ſibi in omnes gentes imperij. Hæc omnia, atq; his quàm ſimillima complura, arrogãtiſsima illa Sencharibbi actio continebat & indicabat: quem tamen impietatis ac mendacij Vates noſter ſubiuncta depulſione arguit.*

Nunquid non audiſti quæ olim fecerim ei? ex diebus antiquis ego plaſmaui illud: & nunc adduxi: & factum eſt in eradicationem collium compugnantium, & ciuitatum munitarum.

DEI

DEI perſonam in tota hac actione ſuſtinens Vates, noua ſermonis con- 1.
uerſione & interrogatione Sancheribbum impiæ obliuionis arguit; qui im-
perij ſui felicitati aliam auctoritatem adſcriberet ab ea, quam veram &
vnicam eſſe conſtabat, diuini videlicet iudicij prouidentiam aduerſus gen-
tes quamplurimas, impietatis ac ſcelerum vltionem commeritas. Cuius iu-
dicij edenda exempla Aſſyriorum potentiæ ad eam rem delectæ & inſtitu-
tæ oraculis primùm Vatũ demandata, reapſe verò & euentu deinceps fue-
rant commiſſa. S.S.E. Væ Aſſur, virga furoris mei, & baculus ipſe eſt: in Sup. 10.
manu eorum indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum: & contra “
populum furoris mei mandabo illi, vt auferat ſpolia & diripiat prædam, & “
ponat illud in conculcationem, quaſi lutum platearum. Id quod vt confice- “
retur, duabus rebus Deus proſpexerat. Altera quidem imperij illius atq; im-
peratoris inſtructione & corroboratione; altera verò gentium ipſarũ, quas
puniri oportuit, debilitatione & conſternatione. Atq; vtramq; rem à ſe
præſtitam Deus hoc loco memorans refert: & à Sancheribo obliuioni tra-
ditam, vel potiùs vni ſibi peruersè arrogatam exprobrat. Nunquid non
audiſti quæ olim fecerim ei? *Ex verborum primæui ſermonis vi, idem
hæc oratio ſignificat, quod illud, Nónne audiſti me quōdam felicitatẽ iſtam
feciſſe? eamq; me vno & auctore & informatore conſtare?* Ex diebus an-
tiquis ego plaſmaui illud. *Illud, quod iactas, tibiq; arrogas imperij ac fe-
licitatis decus. In ſacra lingua femineo genere pronuntiatur pronomen* il-
lam. *fortitudinem, potentiam, & proſperitatem ipſe quondam inſtitueram
prædicendamq; curaueram, vt nemo aut fortunæ, aut arti, aut ſingulari cui-
piam virtuti ac efficientiæ, præterquam vni mihi tribuere poſſet euentum,
qui nunc iam demùm prædictionibus apprimè conueniens extitit.* Et nunc
adduxi, & factum eſt in eradicationem collium compugnantiũ. *Hoc
enim vnius veri Dei eſt proprium, nulli cõmune alij naturæ. prædicere vi-
delicet, atq; ea quæ prædicta fuerint, opportunè præſtare. S.S.E. Quis hæc* Inf. 42.
operatus eſt, & fecit? vocans generationes ab exordio? Ego Dominus, pri- “
mus & nouiſſimus ego ſum. Itaq; quidquid à te expeditum factumq; eſt, ex “
*iudicio conſilioq; meo profectum fuerat, idemq; quondam prædictum, nunc
demùm euenerat: effectum, inquam, eſt, vt quæ munitæ ac firmæ cenſeban-
tur vrbes, in tumulos cumulosq; lapidum atq; in rudera ſint redactæ.* colles
compugnantes, *tumulos ex mixta, confuſa, ac temerè iacẽte ruina factos,
interpretamur. hoc ſignificat* GALIMNITSIM. *atque poſterius membrum* à verbo נצה
*prioris antecedens eſt, ſine coniunctione in exemplari lectum. Feci vt ciui-
tates munitæ in eradicationem collium tumultuariè corruentium redige-
rentur: adiuncta nimirum tibi victori fortitudine, quam damnatis & pu-
niendis detraxeram populis. Quippe,* Habitatores, &c.

BABYLONICI *imperatoris arrogantiam & ſuperbiam inſolen-* 2.
*temq; iactationem veræ doctrinæ vi & auctoritate Deus per Vatis actio-
nem impugnat; mendaciiq; manifeſti arguit hominem, cui perſuaſum &
planè cognitum eſſe oportuerat, ſuam illam in ſuperandis, vincendis, fun-
dendis, atq; ſub iugũ mittendis gentibus & populis felicitatem nõ aliunde,*

niſi

niſi ex Dei conſilio, iudicio, & efficientia natam & adauctam. quippe qui cùm cælum ac terram gubernet, hominumq́; res curet omnes, improbitatem & impietatem, quanquam aliquandiu propter pœnitentiam diſſimulet, non tamen contumaciam impunitam permittit euadere, ſed iuſtus demùm vlturus pœnis, famem, peſtem, & bella in gentes decernit, decretáque per Vates antè prædicta denunciatáq́; vult: vt vel ſingularis cuiuſquam hominis aut loci, aut imperij felicitatis & virtutis, vel fortunæ & caſus, vel aſtrorum efficacitatis, aut cuiuſuis alterius cauſæ & exceptionis opinionem ex humanis eximat mentibus. Quid, inquit, tu tuam vel virtutem, vel prædicas induſtriam aut felicitatem? An non ea omnia, quæ tua opera geſta, acta, & facta fuerint, à me decreta antè ac prædicta apertisq́; oraculis olim fuiſſe indicata conſtat? S. S. E. Quis operatus eſt & fecit, vocans generationes à principio? Nunquid non audiſti *à Vatibus meis prænunciata ea omnia, quæ fiunt factaq́; fuerint, vtpote* quæ olim fecerim; *ſupremo videlicet prouidentiæ ac ſapientiæ decreta conſilio, quanquam nunc demũ fuerim per te executus?* & nunc adduxi, & factum eſt, *vt quæ anteà firmiſſimæ & munitiſſimæ atq; adeò inexpugnabiles æſtimabantur vrbes, funditus delerentur.* In eradicationem collium compugnantium GALIMNETSIM, tumulorum æternorum. *Deſcriptio & imago eſt euerſarum funditus vrbium, quarum nulla in poſterum ſperatur inſtauratio. qua de re plura in librum Ioſue commentari nos meminimus.* Ciuitatum munitarum. *Antecedens pro ſequenti, mutato ordine poſitum. vt videlicet nunc deinceps* æterni ſint colles, quæ quondam ciuitates munitæ fuerant. *Id verò ita euenit, quod ad muros & ædificia ſpectat: quod verò ad incolas & habitatores, qualia nunc ſpectantur, fuerant prædicta.*

Habitatores earũ breuiata manu contremuerunt, & confuſi ſunt: facti ſunt ſicut fœnũ agri, & gramen paſcuæ, & herba tectorum quæ exaruit antequam matureſceret.

1. NISI *Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà vigilat qui cuſtodit eam: nedum cùm Dominus illam iuſto iudicio traditã, & ſingulari auxilio ſuo deſtitutã, & propugnatorum virtute caſſam reddiderit.* breuiata manu. *debiles, & ad quicquam ſtrenuè agendum imbelles ac propè manci; & non ſecùs hoſtium prædæ direptioni atque cædi expoſiti, atque equis & iumentis fœnum agri; imò antè etiam quam vires experiri ſuas poſſent, nullas conſtantes agnoſcerent.* ſicut herba tectorum, quæ exaruit antequam matureſceret. *In exemplari eſt* LIPNEKAMAH, ante culmum. *Culmus autem in herbis & ſegetibus non maturitatem tantùm, ſed ſpicam etiam natura ac tempore præcedit. Sunt qui duos hos verſus ad ſingularem Dei erga Ieruſalem tutelam & prouidentiam referant; quam nullus hoſtis, licet potentiſſimus, effringere, aut auertere poſſit. Eam interpretationem qui ſequi maluerit, poſteriorem argumentationis partem interrogando pronũciabit. Audiſti ne me ab initio hanc inſtituiſſe & fouiſſe vrbem? & tamen illam in cumulos lapidum, quales in aliis viſuntur vrbibus, redacturus fuerim? eritq́; argumentum ex abſurdo. Huic, quam expoſuimus, commentationi,*

geſto-

geſtorum Sencharibbi, quæ à Dei iudicio profecta fuerant, inceptorum & apparatus atq; progreſsionis ratio omnis Dei etiam auctoritati tribuenda adiungitur, cum exprobratione animi ingrati atq; impij: vtpote qui non ſolùm non gratulatus fuerit Deo quidquid incepiſſet aut egiſſet & confeciſſet; ſed etiam per ſummam inſolentiam & inſaniam atque ſtultitiam plus quàm belluinam, numini vero interminatus detraxerit, & petulantiſſimè maledixerit.

CONSILIA, *ſtudia, conatusq; gentium omnium, quæ præter ſuam voluntatem ſuſcipiuntur omnia, fruſtra ſuſcipi irritáque euadere hoc loco Deus docet. Niſi enim Dominus ædificauerit domum, in vanum laborauerunt qui ædificant eam: &, Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere. Quidquid ergo per ſummos imperatores olim ſuperatum, victum, geſtum, expeditumq; fuerit, ex diuino iudicio decretum & confectum conſtituere & interpretari oportuerit; neminiq; mortalium eiuſmodi geſtarum gloriam rerum ſibi arrogare, ſed vni Deo tribuere fas fuerit, nedum illa ſuperbè & inſolẽter, quæ tyrannus iſte iactauerat, pronunciare.* In multitudine quadrigarum mearũ aſcendi, &c. *Neque aliud nomen aut cognomen, titulúmve alium potentiſsimus quiſque gentium victor vſurpare iure poteſt, quàm gladij, aut flagelli, vel virgæ Dei. S.S.E. Væ Aſſur, virga furoris mei. & illud apud Prophetas: Gladius Dei & Gedeonis. & quod Habakuk aiebat: Domine in iudicium poſuiſti eum, & fortem vt corriperes, fundaſti eũ. Quid autem ſibi vnquam arrogare poteſt mortalis quiſpiam? qui, niſi diuina auctoritate & virtute inſtructus, nihil præter ceteros efficere mortales valet? S.S.E. Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum à quo trahitur? quomodo ſi eleuetur virga contra eleuantem ſe, & exaltetur baculus, qui vtique lignum eſt. Atqui vero ſimillimum eſt totius orbis terrarum habitatoribus non minùs ſeſe defendendi, quàm Sencharibbo expugnandi & euertẽdi propoſitũ fuiſſe. Æqualis enim ferè mortalium omnium vel imperij libido, vel ſui tutandi voluntas eſſe ſolet. verùm alius atq; aliis non æqualis & par exitus, propter detractas & imminutas ex diuino iudicio vires & facultates: quas imbellis pauor & metus, atq; perturbatio conſequitur. hoc eſt, quod ait,* Breuiata manu contremuerunt. *Manus enim vires & facultatem ſignificare in ſacro docebamus Apparatu: vti etiam fœnum, inopiam, imbecillitatemq; repræſentat, præcipuè verò antequam matureſcat. Ita autem detractam gentibus propugnandi ſui non facultatem & copiam tantummodo; verùm rectè ſibi conſulendi, & maturè proſpiciendi abductam intelligimus mẽtem. Vnde & caſtigatarum gentium euerſiones, & Ieroſolymorum tutela ac ſalus, & omnium publicarum ac priuatarum conuerſiones rationesq; rerum quiſquis Dei auctoritati ſubduxerit, errat prorſus, errorísque ſui pœnas dando redarguetur, ac iudicij diuini manifeſto in ſe teſtimonio & exemplo conuictus, arrogantiam demùm ſuperbiámque vel inuitus deponet; nihil quicquam conatus, quod non fruſtra ſuſceptum tentatumq; ſentiat. Hoc*

2.
Pſal.
Iudic.
Sup. 10.
Lib. Ioſeph.

 autem

autem eodem Sencharibbi exemplo manifeſtum attendentibus, imò omni terrarum orbi, fore Deus pronunciat.

Habitationem tuam, & egreſſum tuum, & introitum tuum cognoui, & inſaniam tuam contra me.

1. QVIDQVID *domi foríſve feceris, quidquid animo cogitaueris, atque occeperis conatúſve fueris, vel cùm in vrbe tua eſſes, vel cùm in expeditionem proficiſcereris, cùm aduerſus vrbes alias & gentes, tum verò aduerſus hanc Iſraelitarum regionem; quidquid denique quoquo tempore egeris, latêre me non potuiſti: præter meum enim iudicium nihil eorum quæ tibi arrogas, inire valebas; & tamen contra me, auctorem tuum vnicum, inſaniſti debacchatus. Nam qui nihil eorum, quæ ad alios attinebant, non noui; quæ in me inſanè cogitaueris & effutieris, omnia pernoui. Atq; tranſlatio hæc omnis à venatoribus & piſcatoribus, atq; adeò à piſcibus & feris artificiosè petita eſt. Nam venatoriæ ac piſcatoriæ artium præcipua pars eſt, locorum, quibus maneant, quibus paſcantur, quibusq; vagentur & verſentur, quibus demùm ſuccedant feræ, cognitio. Neque enim illæ huiuſmodi locorum obſeruatorem & occupatorem diligentem effugere valent, quo minus captæ voti compotem ſentiant. Solent verò venatores, excitatas è cubili feras, curſu & fuga aliquamdiu exercere, ac tandē, cùm libeat, vel in medio ſpatio, vel ſecundùm latibula vel propè capere, & occidere, vel viuas, conſtrictas, coactasq; domum ducere, aut raptatas trahere, ibidémque poſt ſpectaculum interficere. Quam ſimilitudinem Deus aduerſum hunc ferocem imperatorem leonis aut tygridis, aut etiam draconis cuiuſpiam marini inſtar habentem, perſecutus ſubiunxit.*

2. SPECTATOREM *ſeſe Deus omnium Sencheribbi rerum tam domi, quàm foris geſtarum, & item iuſtum eſſe declarat iudicem, quémque nulla humana facta, dicta, aut cogitata lateant; nullus etiam fallat vel modeſtiæ, vel arrogantiæ exitus, vt qui ſuperbis reſiſtat, modeſtis verò gratiam conferat. Res omnes à principibus vel geſtæ vel inceptæ in gubernandæ reipublicæ, & belli inferendi ſtudia diuiduntur: quarum nullæ Deo ignotæ eſſe poſſunt, nullæq; certum ac decretum ſupremi rectoris iudicium fallere. Quidnam, inquit, rerum ageres, quid molireris dum domi eras, quid aduerſus me agitares conſilij, exactè noui.* habitationem tuam. *quid etiam conatus fueris; nempe vrbem nomini meo dicatam inuadere, & religionis mihi ſacratæ ſanctitatem contemnere & euertere, cùmq; aliarum gentium diis, qui nulli ſunt, confundere.* & introitum tuum *in has Iſraelis & Iudæ regiones. denique quidquid in animum induxeras tuum, antequam verbis & oratione indicares, ipſe iam prænota tenebā: quæ omnia vno verbo ſummantur.* inſaniam tuā contra me. *quem, cùm tuarū victoriarum auctorem agnoſcere deberes, nec id tua, ſed humani caſtigandi generis cauſa interpretari; tamen inſanè & inſolenter tentare & aggredi auſus es. id quod ne vmquam inficiari poſſis, tua ipſius impietatis & contemptionis plena prodidiſti oratione.*

Cùm fureres aduerſum me, ſuperbia tua aſcendit in aures meas:

ponam

ponam ergo circulum in naribus tuis,&frenum in labiis tuis:&
reducam te in viam per quam veniſti.

SANCHERIBBVM *ſacrilego animo & propoſito omnia diuina humanaq́ miſcendi domo egreſſum ſignificat, eundemq́ impia verba ſuperbè iactaſſe cognitor aſſertorq́ ſui numinis Deus arguit; ac demum ſingulari iudicio reprimendum ac domandum, tandemq́ conficiendum prædicit. vt qui foris poſſe ſe multa & præclara minari, dicere, ac facere putabat; ſilere, ac victus, triſtis, vehementerq́ turbatus & pudefactus redire cogatur; nec quicquam vti propoſuerat, præclarè foris agere, nec honeſtè & fortiter inter regendas res occumbere poſsit: verùm domi ſuæ, vbi ſecurè ſibi videbatur acturus, à propriis interficiatur liberis; quos non magis aduerſum ſe patrem, quàm ipſe aduerſum Deum auctorem ſuum fuerit, pios obſeruanteſq́ ſentiet.* SAANAN, *ſuperbiam & arrogantiam cum confidentia & ſecuritate ſignificat: qualem vaccis pinguibus Samariæ obiiciebat Amoſus.* Amos 4.
Aſcendit in aures meas. *Prouidentiam diuinam in cælis nihil eorũ, quæ in terra aguntur ac dicuntur, latere docet aſſertio hæc: neque Deum ſurdũ, nec Tireſiam, vt ille aiebat, eſſe. vtpote quem nec facta hominum, nec effata, ſed neque cogitata quidem lateant. S. S. E. Domine probaſti me & cognouiſti me: tu cognouiſti ſeſsionem meam, & reſurrectionem meam. Intellexiſti cogitationes meas de longè: ſemitam meam & funiculum meum inueſtigaſti, & omnes vias meas præuidiſti. Atq́ de conſiliis & conatibus regis in verſu ſuperiore dictum; de effatu verò in hoc dicitur.* tunc cùm fureres, *eodem ipſo momento temporis* ſuperbia tua aſcendit in aures meas. *Nam qui plantauit aurem, non audit? & qui finxit oculum, non conſiderat?* Ponam ergo circulum. *Artificioſa verborum figura prædicit, arrogantem & iactabundum iſtum turbatum, mutum, tacitumq́ in patriam reuerſurum eſſe, diuino iudicio huiuſmodi pœnas ſingulares arrogantiæ ac maledicentiæ ſceleri irrogante.* circulum, HHAHHI, *hamum ſignificat, quo piſces capti, piſcatoris lineam vel inuiti ſequuntur; amaro quidem ſenſu, nulla tamen voce emiſſa. Atq́ hæc prima ſimilitudinis pars ad piſcatores; illæ verò, quæ ſubiunguntur, ad venatores fuerint referendæ.* Frenum in labiis tuis. *in exemplari cum pronomine poſſeſsiuo hæc coniunguntur,* hamum, *ſiue* circulum meum, & frenum meũ. *Quæ pronomina Deum illius deprehenſionis & oppreſsionis atq́ abſtractionis auctorem manifeſtè probandum adſignificant. ita vt plagam illam, qua afficiendus erat, non humana opera, ſed cæleſti virtute infligendam indicent, centum octoginta & quinque armatorum virorũ millia vna nocte interfecta, rege ipſo poſt tantam, tamq́ repentinam cladem, cum ſummo opprobrio ac dedecore, magnoq́ ſilentio domum repetente: id quod ſubiuncto hemiſtichio obnuntiatur,* reducam te per viam per quam veniſti. *Hæc itaq́ ſuperbo iſti & arroganti, inſolentiq́ regi pars decreta eſt; contrà verò, pio & ſupplici, numiniſque reuerenti Iezechiæ illa læta atq́ admirabilis adnuntiatur & promittitur.* Tibi autem hoc &c.

Pſal. (margin beside "Domine probaſti me")

Cùm fureres aduerſum me, ſuperbia tua aſcendit in aures meas. 2.

ILLVD *hac oratione ſignificat iudex Deus: quidquid hactenus ab imperatore iſto actum tentatumq́; fuerat, non ex ipſius tentātis virtute, verùm ex Dei auctoritate profectū: cuius conſiliū fuerit gentes omnes caſtigandi & Iudæam etiam omnem corripiendi, atque adeò ad Ieroſolymos vſque increpandi cauſa procedendi: neque ideo imperatorem illum omnia hæc expedientem punitione dignum fuiſſe, niſi mala mens malusq́; aduerſus diuinū numen animus, & ſuperbus inuaſiſſet ſpiritus: id quod paulo antè in crimen deductum fuerat.* Cui exprobraſti, & quē blaſphemaſti, & ſuper quem exaltaſti vocem, & leuaſti altitudinem oculorum? ad ſanctū Iſrael? *Hæc itaque ſuperbia & arrogantia illa eſt, quam hîc notat ipſe Deus,* & ſuperbia tua aſcendit in aures meas. *quæ & maxima & inſolētiſſima arguitur: vtpote quæ diuini numinis editiſſimas, & cælo celſiores vſque conſcenderit aures. Qualem verò huius arrogantis atque inſolentis impietatis experturus ſit exitum tyrannus, docetur idem.*

Ponam ergo circulum in naribus tuis, & frenum in labiis tuis: & reducam te in viam per quam veniſti.

EVM, *qui humana via maiorem inſolenter ſeſe præbere ſtuduerat, deteriore conditione quàm humana, hoc eſt, beſtiarum & belluarum more excipi, tractari, & verſari iudicio conſonum eſſe diuinū oraculum declarat. Circulo cameli & rhinocerotes, freno equi & muli verſantur & circumaguntur. S.S.E. Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intelle-*

Pſal. *» ctus: in chamo & freno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te. Non ſecus itaq; tyrannum iſtum habendum atq; verſandum tractandumq́; prædicit ex Dei conſilio Vates, atq; camelus circunuerſatur ac ducitur, iniecto in nares circulo, vt ſuperbiæ & arrogantiæ pœnas luat, atque animorum impetum deponat. Etenim in naribus animaliū, præcipuè equorum & iumentorum, atq; onagrorum, ſpirituum furor ſpectatur, & cognoſcitur. iſta verò, de qua ſermo eſt, bellua, animos aduerſus numinis maieſtatem ſuſtulerat: quod illa interrogatione ſignificabatur,* cui exprobraſti? *Cuius exprobrationis exitum prædicens, ait:* Ponam circulum in naribus tuis. *Primæuum nomen* HHVAHH, *hamum Latinè ſignificat: atque ita interpres noſter aliàs reddit. A piſcatoribus autem hæc ſumpta metaphora, ad belluas quoque pertinet; nempe bubalos, camelos, & , vti diximus, rhinocerotas. Deprimam iſtos animos, & quia vltra contemptionem & arrogantiam, verborum quoque magnificentiam inſolentiſſimā tyrannus iſte addiderat, frenum ori imponendum fuit promeritus; quò vexatus ac fractus, à maledictis deſiſteret.* & frenum in labiis tuis, *vt vel tuo non exiguo malo ſentias me eſſe ſicut dominum, qui vel antè ſe iumenta dicto parentia agit, vel inuita chamo ac freno ducit ac verſat. te verò, tuiq́; ſimiles, iumenti inſtar vel agi, vel verſari ac duci, neque poſſe pro libidine inſoleſcere ac vagari: ita vt qui, cùm domi eſſes, alia, quàm iuſſus fueras mente, prodire ac tendere præſumpſeras, vel inuitus domum, vnde egreſſus fuiſti, reuertaris; illic tuæ impietatis dignum exitum experturus: occidendus videlicet à liberis, quos tui amantes & colentes natura dederat, vt par pari referatur.*

ratur ei, qui auctorem ſuum, omniumq́ contempſerat parentē. Hoc eſt quod apertiùs iam additur, & reducā te in viā per quā veniſti. *Vtrumq́ verò tranſlationis nomen* circulus & frenū *ad hiſtoriā relatū, res diſtinctas & ſingularis definitionis interpretamur. prius quidē ſtragē illā ab Angelo in iſtius tyrāni exercitu editā; qua fractus ac debilitatus ab incepto deſtitit: alterum verò mutationē propoſiti, quāuis inuito reditū Babylonē feſtināti.*

Tibi autem hoc erit ſignum: Comede hoc anno quæ ſponte naſcūtur, & in anno ſecundo pomis veſcere; in anno autem tertio ſeminate & metite, & plantate vineas, & comedite fructū earū. L.

P o s t q v a m *Deus prædicto euentu ſuperbiæ regis Aſſyriorum, ſe mundi rectorem hominum, rerúmque gubernatorem eſſe, & homines vel famulorum ac domeſticorum, vel belluarum inſtar à ſe agi declarauerat, quemadmodum piis & probis prouidentem, tutorem, & conſulentem ſe præſtet, iam deinceps oſtendit; prædicendamq́ Ezechiæ ſecuritatem mandat, ac promiſſi prædictionisq́ fidem præſenti manifeſteq́ ſpectando ſigno firmat. Nam cùm Iudæorum Ieroſolymitanorumq́ publicæ ac priuatæ res maxima anguſtia & inopia præeſſe viderentur; propter vaſtatam ab hoſte regionem, & propter metum agricolas ex agris villisq́ fugatos, intra vrbium ſepta continentem, nullo pacto prodire auſos, agrorum colendorum cauſa; hunc metū certo ſigno & argumento propoſito deponere iubet Vates, atq́ ſecuritatis promiſſæ oportunitatibus, vti monet & perſuadet. hac videlicet ratione, vt ſpectato Sancheribbi digno exitu, malorum ab illo inferendorum finis diuinitus credatur impoſitus. atque ita ſingulis ſuarum rerum cura & vſus pro temporis ratione ineatur. hoc eſt, primo illo anno, quo propter hoſtis graſſantis iniuriam nulla ſegetis reliqua erat copia, ea tamen colligantur, quæ ſine vllo cultu regio ipſa ſponte protulerit; eademq́ diuinæ prouidentiæ benignitate aucta, abundè ſatis ad victū ſuffectura promittuntur. Itaque hoc ſpectaculum in Aſſyrios edendum certum & præſens, atq́ pignoris nomine obſeruandū ſignum fuerit, copiæ* ſpōte naſcentium *affatim ſuppeditandæ ad veſcendū.* Comede hoc anno quæ ſponte naſcuntur. *quæ nullo deterrente hoſte colligere & ad vſus domum inferre ſeruareq́ poteris. Namq́ hac fiducia firmari oportuit eos, qui aliàs in metu & ſuſpicione manere poterant, reuerſuri denuò cum ampliori exercitu hoſtis. Ex prædictionis verò ſententia coniicimus, annum illum, quo hæc agebantur, ſextum fuiſſe, iuxta ritum culturæ & quietis, ſiue ceſſationis terræ: quandoquidem proximo anno non iubentur arare & ſerere; ſed monentur & permittuntur veſci ex iis, quæ nonnullo ſemine, non tamen cultura hominum, humi nata producuntur. Huiuſmodi namq́ ſeptimi anni ratio erat; qui communes cibos ex his, quæ proximo ſexto anno deciderant, ſeminibus atq́ ex arboribis incultis incolarum vſibus præbebat. Quod Latinus vertit,* pomis veſcere; *in exemplari eſt* SAHHIM. *quæ vox ea ſignificat, quæ nemine cogente aut colente à terra ſponte proferuntur: qualia ſignificare Moſes voluit. Omnemq́* SIAHH *regionis priuſquam germinaret. Huiuſmodi anno ſeptimo productos fructus incolarum vſui largè ſuffectum* Gen. 8.

fectum iri ſignificabat Vates, & in anno ſecundo pomis veſcere, *id eſt*, SIHHIM. *At verò tertio anno, qui intercalarem terræ ſequebatur proximus, colendis agris, plantandis arboribus, & colligendis fructibus otium & ſecuritatem atq; legitimam facultatem præſtitum iri declarat*, Seminate, & metite, & plantate vineas, & comedite fructum earũ. *Non quidem earundem, quæ plantatæ eodem anno fuiſſent: nec enim id agriculturæ natura præſtat, nec ſi vel ex miraculo præſtitiſſet, ex lege comedere fas fuerat: verùm ex aliis vineis, hortis & arboribus fructus ſecurè perceptũ iri pollicetur: ita vt in poſterum etiam pacem expectandam ſubindicet, dum fructus earum, quæ tertio anno plantarentur, ſibi vſui demum futuros dicat, nullo interea agrorum, vinearúmve vaſtatore, ſed neque vlla cæli iniuria, quæ fructus intercipiat, pertimeſcenda: ita enim ſeſe metuentium & colentium rebus proſpecturum, atq; adeò in poſterũ conſulturũ Deus recipiebat.*

2. SIGNVM *hoc, quod appellatur, Ezechiæ regi datum, animaduertendumq; interpretamur. Eſt enim ſignum ei cui datur, præſentius vel prius, quàm id cuius eſt ſignum. ſiue ex miraculo, ſiue præter miraculum ſignum edatur, nihil refert; dum modò id quod ſigni cauſa promittitur, euentus probet. Hîc verò nihil de proximè futuro dicitur miraculo; ſed id quod expoſitum nuper fuerat, futurum regi confirmatur: nempe repentina tyrannicè propoſiti fractio, & Babylonem reditio; quæ, vt ſalutis ac ſecuritatis futuræ fidem faceret, euentus promiſsione confirmatur. Poterat enim rex vel populus Ieroſolymitanus vereri Sancheribbum in regiam vrbem reuerſum, maioribus rurſum inſtructum copiis, maiorìq; potentia Solymos deintegro inuaſurum; idq; veritis intra mœnia ſeſe continendi, muros firmandi, ac præſidia parandi, aliaq; ad ſeſe tutandum comparandi conſequens fuerat cura: quam omnino exemptam in fidei ſecuritatem transferre ſtudens Vates, non ſine eleganti aſſeueratione ait; ſimulatq; tyrannũ illum, ita vt prænunciaui, reuerſum conſpexeris, non in vrbe tantùm, ſed in agris quoque, & ruribus certã ac perpetuam ſecuritatem tibi ex Dei promiſſo proponito, hoc pacto, vt quamprimum ille reuerſus fuerit, nihil dubites in agros prodire; & quæ ſponte nata & producta reperies, tibi in vſum ſumere: quæ quidem ad vitam alendam ſatis, ex Dei benignitate ſuppeditabunt copiæ: deinde verò ſequenti anno iis frueris, quæ cõtigerint, abundè à tellure ſuggerenda: tertio verò anno & ſegetum prouentu vteris, & in poſterũ plantandi ſtudium promouebis. Huius autem numeri obſeruata huiuſmodi ratio fuerit: Ex contextu orationiſq; ſententia apparet annum illum quo hæc geſta ſunt, in annorum hebdomade ſextum fuiſſe; in quo propter belli importunitatem, & hoſtium difficultatem nihil fuerit ſeminatum: proximum verò annum ipſum futurum ſeptimum, qui legitimo vocabulo* SEMITAH *dictitabatur: tertium porrò hos conſequentẽ primum poſt agrorum quietẽ, quo cultura denuò repeti ſolebat. Cultura verò omnis plantatione ac ſatione abſoluitur. Duo autem in exemplari vocabula adnotamus* ZZEPHIAHH SAHHIM. *Eſt verò* ZZEPHIAHH *id quod vbere fertiliq; agro ſine hominum cultura ſpontè prouenit, cuiuſcunque generis vel frugum, vel arborum,*

rum, vel arbuſtorum id extiterit: cuius, quæ deinde ſequitur, ſpõtanea proſeminatio vocatur SAHHIM: *neque enim omnes* ZZEPHIAHH *fructus eodem exhauriuntur anno: quare & proſeminari vltrò ſolent ij qui ſuperſunt. Hoc verò ipſo* SEMITAH, *ſiue quietis terræ, contingit anno; quo & agri arantur & ſeruntur, & ſcrobes ad plantandum aperiuntur: huius verò culturæ prouentus tertio poſt quietem anno victum ſufficiunt. Eiuſdem verò anni, quo Sencharibbus diſceßiſſet, tranquillitatem futuram pollicitus ait,* Comede hoc anno quæ ſponte naſcuntur, *ſiue* ZZEPHIAHH. *proximum quoque non tutum tantummodo, ſed ſponte etiam futurum promittit,* & anno ſecundo pomis veſcere. *quid* SIHHIM *ſignificet, docebamus. At verò perpetuam deinceps pacem & ſecuritatem quid commodiùs declarare poßit, quàm permißio, vel potiùs iußio illa,* Seminate & metite, & plantate vineas, & comedite fructum earum? *Namque ſeminare & metere vnius alteriúſve fortaßis anni pacem ſiue inducias interpretari non alienum eſſet; verùm plantare vineas, & earum fructibus veſci, non niſi complurium annorum ſignificat continuam oportunitatem: quæ Latinis in ſymbolis numiſmatumq́ inſcriptionibus vocatur* SECVRITAS. *ad quod genus illa referuntur elegantis poëtæ carmina:*

Tutus bos etenim rura perambulat,
Nutrit rura Ceres almaq́ fauſtitas,
Pacatum volitant per mare nauitæ,
Culpari metuit fides. *Et poſt pauca:*
Condit quiſque diem collibus in ſuis,
Et vitem viduas ducit ad arbores,
Hinc ad vina redit lætus, & alteris
Te menſis adhibet Deum.

Huic & illud quam ſimillimum, Et ſeminauerunt agros, & plantauerunt vineas, & fecerunt fructus natiuitatis. Hæc verò omnia eò tendere Vates ait, vt propoſitum Dei de ornanda & conſeruanda, atque amplificanda illa ſancta ciuitate, atque adeò de ſalute humana per Vnctum ſuum præſtanda, conſtans & efficax perſeueraturum crederetur. Pſal. 66

Et mittet id quod ſaluatum fuerit de domo Iuda, & quod reliquum fuerit, radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum.

Tranſlationibus ex natura petitis, humani generis felicitatem & ſalutem Vates plerumque prædicere ac ſignificare ſolent. atq́ hanc eandem rationem, ſermonisq́ figuram hoc loco Iſaias repræſentat; illud, quod præcipuum eſt, aſſeuerans, diuinum conſilium de hominum ſalute Ieroſolymis per Meßiam ex Dauidis familia regem efficacißimum præſtanda nullo pacto, nullis externis viribus frangi poſſe, aut impediri, quo minùs oportunè perficiatur: quamquam enim hoſtium viribus potentia & opera, magna Iſraelitarum tribuum primùm, deinde Iudaicæ gentis pars extincta & occiſa, vel captiua abducta fuerit; tamen eam portionem, quam diuina prouidentia ſuperſtitem eſſe voluerit, ad propoſitum Dei perficiendum, cultiſſimam & felicißimam euaſuram confirmat; perinde atq́ exciſis ex denſo & 1.

vaſto agro arboribus, quæ inutiles ac ſteriles habebantur, ſapientis cultoris induſtria & opera euenit; vt, quæ reliquæ erant, probè ac diligenter curatæ, idoneos & oportunos vtilesq́ fructus agri Domino demum ſuppeditent. radicem deorſum. *ad Chriſtum Regem refertur tranſlatio; qui in terram veniens, homoq́ factus, tanquam granum frumenti mortuum, fructũ protulit copioſiſsimum & optimum. Ille in terram deſcendens, & in humana natura radices agens, admirabilem fructum edidit benedictionis diuinæ: cuius vniuerſa familiæ terræ participes euaſerunt. S. S. E. Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Radicẽ Deus agere humi inter homines homo conſtituit, vt fructus cæleſtes idem ipſe proferret: hoc eſt, vt homines Deos faceret, & ad ſui imaginem & ſimilitudinem conformaret. Decebat enim eum, propter quẽ omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſsionem conſummare: qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex vno omnes: propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te. & iterum: Ego ero fidens in eum. & iterum: Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus.* emittet radices. *Amplificationem & propagationem vltra commune & vulgatum aliarum arborum vel familiarum exemplum, hoc loco ſignificat verbum* emittet, *ex primæuo* IAZZPHAH *traductum; quod augere, accreſcere, amplificareq́ eſt: vnde* IOSEPHO *nomen factum. S. S. E. Filius accreſcens Ioſeph. Hanc autem maximam ex exiguis Iudææ tribus reliquiis, atq́ adeò ex vna Dauidis familia felicitatem in Ieroſolymorum vrbe primùm radices acturam præcinit Vates: quia ſalus ex Iudæis futura erat: quorum regia vrbs, & caput notiſsimum, & maximè conſpicuum fuit Ieruſalem: in qua Sionis arx à Dauide conditore & amplificatore regiæ domus & familiæ nomine celeberrima. Quamobrem quamlibet Iudæorum res attritæ, profligatæ, & imminutæ fuerint, propter ipſorũ peccata & ſcelera; tamen eæ, quæ diuinæ prouidentiæ beneficio ſuperſtites fuerint, reliquiæ publicæ hominum ſaluti efficiendæ ac præſtandæ idoneæ, & abundè præſentes erunt. Hoc eſt quod ſubiungitur:*

Quia de Ieruſalem exibunt reliquiæ, & ſaluatio de monte Sion.

ATQVE *huius publici maximiq́ beneficij auctoritatem vnico propoſito atq́ ſtudio diuino erga humanam ſalutem adſcribit Vates: eandemq́ ſingulariter agnoſcunt ij, qui ſalutis & redemptionis huius compotes euaſere. Cùm autem benignitas & humanitas apparuit ſaluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos; ſed per ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit. Hoc enim Dei propoſitum ab initio fuit, hominem ad imaginem ſuam factum, ad filij ſui exemplum perficere, & hoc pacto diaboli hominibus ab initio inſidiati & nocentis opera diſſoluere. quam rem Vates ſic gratulabundus per epiphonema ſignificauit.*

Zelus Domini exercituum fecit iſtud.

ZELVM *hoc loco ſtudij flagrantis nomine & ratione interpretari licet. Salutis namq́ publicæ veritatẽ & conſtantiã huic vni cauſæ acceptam referri*

Marginal notes: Pſal. (beside "cuius vniuerſa familiæ…"); Heb. 2. (beside "tudinem conformaret…"); Tit. 3. (beside "Cùm autem benignitas…").

referri oportet. hoc eſt, amori & caritati diuinæ erga homines, & propoſiti ſui aſſerendi & firmandi ſtudio, inuictis etiam, imò victis & ſuperatis, aduerſis inferi regni partibus omnibus, atq; profligatis; exemplo huius maximi beneficij Ieroſolymis aduerſus Sancheribbum propediem edendi: namq; hoc non ita longo poſt ſpectatum tempore, ſignum etiam indicatum agnoſcimus illius præſtantiſsimi, de quo præcipuus & frequentiſsimus Vatibus omnibus arcana ſub imagine ſermo eſt. Domini exercituum *inducta opportunè appellatio, ad facultatem & efficacitatem, vt ſæpè adnotauimus, referenda eſt.* facietiſtud, *verè efficiet, effectumq; dabit iſtud idem eo modo & pacto, quo prædictum eſt. Quoniam verò hoc Ieroſolymis efficiendum præſtandumq; prædicebatur; conſequens fuerat, nec vrbē illam, nec tribum & gentem poſſe vlla Sancheribbi aut regis hominiſve cuiuſpiam potentia, & vi opprimi, expugnari, dirui, diſsipari, ac perdi; ſicut ille ſibi per ſummam arrogantiam præſumpſerat. quod tamen nec tentare & contingere, nedum conficere valiturus prædicitur: vtpote cui nec ad vrbem quidem accedendi copiam permiſſurum Deum præcinat Vates.*

ISRAELITARVM *tribus decem iam abductas ac diſsipatas, totóque diſperſas orbe ex hiſtoriis accepimus antiquis: deinde verò non exiguam Iudaicæ gentis partem à Sancheribbo vaſtatam legimus, vnis exceptis Solymis. quam vrbem hactenus intactam Deus voluerat, propter promiſſum ex illa gente totius humani generis tutelarem ſeruatoremq; Chriſtum; quem ex longa deductaq; Dauidis progenie orbi oriturum Vates prænuntiarant. hanc verò progeniem certa & continuata ſerie, qualem Euangeliſtis deductam recenſere eſt, allegoriæ tropo Vates noſter ſignificabat arboris profundè radices agentis: ipſum autem fructum virginei ventris benedictū, quo gentes omnes benedicendæ erant, indicabat. Cuius rei & felicitatis cauſam diuinum de humana ſalute conſilium eſſe ait.* Quia de Ieruſalem exibūt reliquiæ, & ſaluatio de monte Sion. *Neque verò hoc propter vllum magnum & inſigne hominum ne Iudæorum quidem meritum, ſed propter diuini propoſiti conſtantiam & veritatem aduerſus antiqui ſerpentis, illiusq; ſatellitum peruicacem fraudem. Hoc eſt quod ſubiungitur:* Zelus Domini exercituum facietiſtud. *Zelum hoc loco diuinæ gloriæ aduerſus æmulatores omnes aſsertionem interpretamur, cognomento* exercituum *appellato; quod ad ſignificandam improbitatis & impietatis vltionem vſurpatur, vti iam ſæpiùs aliàs docuimus. Hactenus tranſlationibus vſus Vates, nunc iam deinceps ſimplici ſermone rem ipſam, vt futuram præuiderat, aperit; atque Solymos ciues omni liberat metu; non impræſentiarum modò, ſed in poſterum etiam illius tyranni frangendis conſiliis.* 2.

Propterea hæc dicit Dominus de rege Aſſyriorum: Non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi ſagittā: & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem.

CONSILIA *quidem & conatus hoſtis huius eatenus permiſſum iri, quoad patefacta cognoſcantur: veruntamen irrita prorſus reddenda declarat Vates: ita, vt qui expugnaturus vrbem venerat, tamen nec armatus nec* 1.

inermis ingredi ſinatur, imò nec vllo belli inferendi modo lædere. Commemorantur verò hoc in loco modi omnes, quibus capi vrbes ſolent: aut enim patentes & imparatæ, vel parum fortiter propugnatæ, ab hoſte inuaſæ ſubeuntur, ſubitaq́; vi & ferro domantur, occiſis nimirum ciuibus, & iis qui dimicare poterant. Vtrumq; verò horum Sancheribbo permittendum negatur. non intrabit ciuitatem hanc. *quò, cùm intrare non poſsit, & cum ciuibus cominus pugnare, ſperarit fortaſſe eminus telis & iaculis iaciendis poſſe propugnatoribus in muro ſtantibus nocere. hoc etiam negatur,* non iaciet tibi ſagittam. *Cùm verò huiuſmodi occaſio propter propugnatorum virtutem ac ſtrenuitatem, aliámve propter cauſam capi non poteſt: commune & vſitatum conſilium expugnandi ac diruendi muros, aut ſcalis, ingeniisq́; admotis, aſcendendi ad eos qui cuſtodiunt, dimicatione deturbandos. Solent verò milites, quibus hoc imperatur diſcrimen, clypeis vmbonibusq́; iunctis ac prætenſis, munimentum ſibi parare. quo iacula, tela, lapides, & quidquid ex alto in illos coniectum fuerit, exceptum & præuentum reſiliat, vel ipſis incolumibus decidat. quod genus in Romana militia teſtudo vocabatur. Poſtremum verò, ſi hac non ſuccedat, obſidionis periculum eſt, tædioſum quidē obſeſſoribus, quod tamen laboris ac diſcriminis minus habeat, & ſpem deditionis vel æquis, vel iniquis conditionibus faciat; concluſis verò ac obſeſsis diuturnæ moleſtiæ, famis, ac peſtis etiam metum, ſæpè etiam ſenſum afferat. Neutrum tamen horum Sancheribbo aduerſus Ieroſolymam vrbem, quamquam proximo iam iamq́; inſtanti, diuinitus permittendum aſſeuerat Vates.* non occupabit eam clypeus. *Latiniſsimè, & propria ſignificatione accipiendum verbum* occupabit, *ex primæuo verbo* IEKADMENAH, anticipabit, *expugnationis & aſcenſionis cauſa & ſtudio.* & non mittet in circuitu eius aggerem. *Acceſſurum quidem illum non inficiatur Vates, quod ad hoſtile propoſitum prodendum ſatis fuerit; verùm nihil præterea efficere, ſed ne tentare quidem, ſinendum eſſe: quin potiùs re infecta, imò infeliciter, atq; adeò irato numine perturbata, calamitoſoq́; incommodo prærupta, reuerſurum eſſe, poſt illam, quæ paulo pòſt narrabitur, acceptam cladem, & liberatos omni metu Ieroſolymorum ciueis. Hoc illud etiam reſponſi membrum ſignificabat:*

In via qua venit per eam reuertetur.

IPSE *ſolus, aut cum paucis, non ſine magna turbatione pudefactus & confuſus. Eſt autem prouerbialis formula, ſarcaſmo affinis, reuerti eadem, quà ventum fuerit, via: quæ rem malè cœptam, peius actam, ac prorſus infectam arguit, & exprobrat; & votis omnia aduerſa ſignificat eueniſſe. Quod verò poſtremum adiunctum eſt,*

Et ciuitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus.

NON *eſt antecedentis primi membri repetitio: aliud enim indicat, nempe illum, quamquā animo & conſilio de inſtaurando cum maioribus copiis bello agentem, impeditum tamen iri maximo alio negotio, hoc eſt, nece à domeſticis parata propriis: atq; ita nunquam ampliùs Ieroſolymam reuerſurum. Namq; negatio cum coniunctione* VAV *connexa, aſſeuerationē ſumit,*

ac perpetuitatem ſignificat; idemq́ efficit, quod apud Latinos nunquam. *Neque verò hoc priuata ſententia aut coniectura dici à Vate, ſed ex diuino decreto, reſponſo, ac dicto relatum accipi oportuerit.* dicit Dominus. *decreta, firmata, conſtansq́ ſententia, eademq́ pronunciata,* NEVM *dicitur in ſacra lingua: quod hoc loco vocabulum obſeruatum, ad ſimilem rationem ſæpè aliàs referendum eſt. Huius itaq; vrbis tutelarem ſè ſingulariter fore profiteutr Deus, quoad propoſitum ſuum de regia Dauidis domo ornanda, & amplificanda præſtetur. idq́ non ciuium, qui tunc erant, aut qui futuri fortaſſis nequiores fuerant, promeritis; ſed vnica cõſilij ſui benignitate ac ſanctitate, & fœderis cum Dauide initi conſtantia: in quo de ſalutis publicæ miniſtro ac pontifice ex illa familia orituro, quod primum & maximum eſt, promiſſum & pactum fuerat; atq; interim de domo & familia conſeruanda, & pro opportunitatibus defendenda, & aſſerenda, quoties id boni ac pij hæredis præſentia & copia, habẽdaq́ ratio poſtulauerit. Prior fœderis pars illo continetur oraculo: Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum. De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Poſterior verò promiſſio ita habet: Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc, quæ docebo eos: filij eorum vſque in ſeculum ſedebunt ſuper ſedem tuam. Erat autem Iezechias in eorum cenſu, qui pietatem coluerant, legemq́ ſanctè obſeruarant; atq; ex conſequenti promiſſi huius poſterioris fide & vſura digni cenſebantur. Memento, inquit, Domine, quòd ambulauerim coram te in veritate & corde perfecto. Hanc itaq; rationem ſuæ erga vrbem illam tutelæ ſubiungens Deus ait.* Et proteg.

PROPTEREA. *propter citatam Zeli diuini cauſam nihil Solymorum* 2.
vrbi Aſſyrium regem nociturum pollicetur Vates: idq́ ex Domini conſtante, ac etiam repetitione aſſeuerato dicto. de rege Aſſyriorum *Sencharibbo illo impio & inſolente: qui, quamquam aliàs Iudææ regionis vrbes expugnare & vaſtare permiſſus anteà fuerit, Ieroſolymam tamen vrbem nulla belli parte aut potentia lædet; ſed neque attinget quidem. Atque occupandarum vel expugnandarum vrbium antiquas artes, curas, & operas enumeratas ab Ieroſolymis hoc excipit vaticinium. Solent olim vrbes vel deditione occupari, vel expugnatione capi. Deditionis exceptio illa eſt,* Non intrabit ciuitatem hanc, *vltrò admiſſus: quæ prima belligerantium conditio eſt. Expugnatio verò pluribus expeditur curis: primùm propugnatoribus à murorum defenſione arcendis: quam ad rem ſagittæ, tormenta, & alia miſſilia parantur, & exercentur. Huius autem rei exceptio,* non iaciet ibi ſagittam. *Huic, & alia etiam adiungitur opera: nam dum alij ſagittis pugnant, alij coniunctis clypeis contecti ad muros foſſuri & rupturi inuadunt. atq; huiuſmodi clypeorum coniunctio* teſtudo *in bellicis artibus vocatur: cuius ope alij etiam muniti, vallum aggeremq́ conſtruunt; atq; ita ex imo muris aperiendis, & ex ſublimi loco per aggeres ac turres inſiliendis vrbs capitur. Nihil verò ex his Aſſyriorum regi permiſſum iri, ſic declarat Vates.* non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem. *Namque omnia hæc, quæ deinceps deſcribetur, illius exer-*

citus clades occupabit. eam verò cladem illud porrò conſequetur, In via, qua venit, per eam reuertetur. *Non ait eo modo reuerſurum, quo veniſſe conſtat; hoc eſt, magno inſtructum exercitu, & lentis ac breuibus itineribus, vti fieri ſolet: ſed ferè ſolum, ac nudum, vel potiùs fugiẽtem; nec aliam in partem diuertere auſum, vbi vel res aliæ gerantur, vel commeatus commodior contingat opportunitas; ſed nota iam atq; aperta, ideoq; expeditiſſima reuerſurum, ſibiq; aliàs vndique metuentem. hoc enim tropo irrita conſilia, vanoſq; cuiuſpiam conatus in omnibus ferè linguis cõmuni prouerbio ſignificari obſeruatum eſt. Huius namq; ſententiæ illud apud Lyricum eſt:*

Antehac nefas promere Cæcubum
Cellis auitis, dum Capitolio
Regina dementeis ruinas,
Funus & imperio parabat,
Contaminato cum grege turpium
Morbo virorum: quidlibet impotens
Sperare, fortunaq; dulci
Ebria. ſed minuit furorem
Vix vna ſoſpes nauis ab ignibus:
Mentemq; lymphatam Marcotico
Redegit in veros timores
Cæſar, ab Italia volantem
Remis adurgens: accipiter velut
Molles columbas, aut leporem citus
Venator in campis niualis
Æmoniæ: daret vt cathenis
Fatale monſtrum.

Huiuſmodi turpem reditum celerem Aſſyrij regis fugam prædicit ac promittit Vates, nulla deinceps illius reditus opinione aut ſuſpicione relicta; quæ ſi ſupereſſet, in metu etiam poterat Solymorum continere populum, atq; à plantationis & arationis fiducia & ſecuritate detinere: ideoq; ſubiungit: & ciuitatem hanc non ingredietur. *diuerſum hoc eſt ab illo priore*, non intrabit ciuitatem hãc: *quod ad eandem, qua hæc gerebantur, tempeſtatem referimus: hoc verò poſterius, illum vnquam ampliùs deinceps reuerſurum negat. quam fiduciam firmiſſimam vt faciat, Vates diuino corroborat dicto*, dicit Dominus. *Exemplaris ac primæua oratio formulam præfert, Vatibus in aſtruenda & firmanda fide vſitatiſſimam*, NEVM IEHVEH, *quod ex verbo Latinè non incongruè verti poſſit*, EFFATVM DOMINI: *Domini, inquam, cuius nomen ad ſalutis publicæ rationes appellatur. id quod ſubiuncta expoſitione & ratione declarat Vates: qua beneficij huius auctorem vnicum ac ſingularem Deum, neque id ſine miraculo, fore ſubindicat.*

Et protegam ciuitatem iſtam, vt ſaluem eam propter me, & propter Dauid ſeruum meum.

I. HVIVS *autem promiſſi expectatum euentum diligenter obſeruatum, paulò poſt Iſaiæ vaticinationẽ reapſe conſtitiſſe, Spiritus ſanctus narrauit.*

PRO-

PROMISSÆ *ſalutis ac tutelæ auctoritatem, imò & efficientiam omnem, ſibi vni Deus adſcribit: idemq́ arcano ſermone publicæ ſalutis promiſſæ repetit myſterium & conſilium.* Protegam, *ipſe ego, ita vt nemini, præterquã mihi, liberationis huius efficacitas & expeditio tribuatur.* protegam, GANOTHI, *verbum præteritum futuri loco poſitum, propter conſtantem certitudinem: quale illud Hannibalis apud Liuium, Si tales animos in prælio habetis, quales hîc oſtenditis, vicimus. Eſt autem familiariſſima Vatibus huiuſmodi aſſertionis formula. protectionis verò huius tranſlatio à clypeis & ſcutis ducitur, ex verbi etymo. Ego, inquit, me opponam huius conſeruatorem & vindicem vrbis aduerſus quoſcunque inuaſores, & expugnare conatos: idq́,* vt ſaluem eam *ab omni periculo ac diſcrimine. ita vt nihil impediat ſalutem illam publicam, omni hominum generi in hac vrbe efficiendam per Chriſtum à me ex Dauidis domo & ſanguine promiſſum. S.S.E. Iurauit Dominus Dauid veritatem, & nõ fruſtrabitur eum: de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam; ſi cuſtodierint filij tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc, quæ docebo eos. Atqui Ezechiam vnum ex iis Dauidis filiis, qui teſtamentum Dei cuſtodierint, diuinæ laudant hiſtoriæ: quare & fide etiam animatum, promiſſæ ſuo tempore Solymorum urbi protectionis & ſalutis.* Propter me. *propoſiti promiſſiq́ ſui conſtãtiam cauſam eſſe ait beneficij, quod in præſentiarum pollicetur Deus, ac ſeruandi etiam pacti Dauidi ſeruo ſuo: cuius pacti argumentum iam indicauimus; Chriſtum videlicet, in quem omnia tendũt oracula. Huius verò grauidæ & manifeſtæ, ac iam iam parturientis fidei in Ezechiæ animo ac mente factæ, quiſnam, & qualis ex Dei virtute & præſentiſſima prouidentia euentus fuerit, narratione aperta declaratum ſubiungitur.* 2.

Egreſſus eſt autem Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia. Et ſurrexerunt manè, & ecce omnes cadauera mortuorum. Et egreſſus eſt, & abiit. & reuerſus eſt Senacharib rex Aſſyriorum, & habitauit in Niniue. Et factum eſt cùm adoraret in templo Neſroch deum ſuum, Adramelech & Saraſar filij eius percuſſerunt eum gladio, fugeruntq́; in terrã Ararat, & regnauit Aſarhadon filius eius pro eo.

PRÆTER *certam rei cum vaticinio conſonantiam, omnibus conuenientem numeris, diuini iudicij exemplum ad criminis rationem relatum obſeruatur. Nam quem Dei veri timor ac reuerentia ab impio ſcelere ſuſcipiendo non deterruerat, quemq́ Dei auctoris ſui numen contemnere non puduerat; eundem liberi proprij, quorum auctor, hoc eſt, pater ille erat, nullo eius, quem ipſe pro Deo coluerat, abſterriti metu ſacrilegum & nefarium, naturæ ſpreto & poſt habito iure, etiam in templo interfecerunt: in eaq́ re, quanquam alio animo & conſilio, tamen ipſi familiariſſimi, ipſi, inquam, filij pœnis à patre repetendis diuini iudicij ſeſe miniſtros ac ſatellites præbuere: quamquam nihil ex illo facinore compendij ſibi parauerint; imò certo ac deliberato animo patrata re perpetuum tenuere exilium, atque patria* 1.

relicta Armeniæ hoſpites & exules perſeuerarunt. Vbi veroſimile eſt, ab illis liberos procreatos & poſteritatem relictam genus cum Armeniis miſcuiſſe. Sic enim hominum familiæ ex temporũ ac rerum locorumq́ mutatione miſceri ſolent. Atq́ in Regum hiſtoria res hæc omnis in hunc narratur modum: Factum eſt igitur, in nocte illa venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia, cùmq́ diluculo ſurrexiſſet, vidit omnia corpora mortuorum, & recedens abiit, & reuerſus eſt Senacherib rex Aſſyriorum, & manſit in Niniue. Cúmque adoraret in templo Neſroch, &c. Vtriuſque autem narrationis contextu inducti, totius rei ſeriem obſeruatam ita exhibebimus: Sancheribbus ex Lachiſa profectus Tharſacen Æthiopem bello exceptum, vicit & expoliauit: qua victoria ſuperbus, ſpoliisq́ onuſtus Ægyptiis & Æthiopicis, Ieroſolymam rectà petiit, animo quamprimùm capiendi, vel inſtructiorem repertam obſidendi: quo verò die ad vrbem proximè cũ exercitu acceſſit, eodem vaticinium hoc Iſaias vaticinatus eſt, proximaq́ nocte ſtrages ab Angelo facta: namq́ hoc ipſa indicatur narratione. Factum eſt nocte illa. atq́ hoc pacto nullum tempus Sancheribbo fuit, quo vel hoſtile telum in vrbem iacere poſſet. Atque ex aliis auctoribus nonnulla, eadem qua accepimus fide, referre hoc loco non pigebit. Legimus enim in antiquarum hiſtoriarum fragmentis, quæ inter legitimas diſputationes inueniuntur, conſtanter à veteribus ſcribis traditum, noctem illam fuiſſe, qua Phaſe Ieroſolymis celebrabatur: idq́ cum vaticinio iam anteà audito, quadraſſe, quo ſcriptũ eſt, Canticum erit vobis ſicut nox ſanctificatæ ſolennitatis. in ſua lingua, ſicut nox ſanctificati HHAG, *&c. Idem etiam aiunt Ezechiam antè ægrotare cœpiſſe, quàm Sancheribus ad vrbem accederet; eundemq́ ſanitati reſtitutum, tertia die in templum aſcendiſſe, eademq́ nocte exercitum illum fuiſſe diuinitùs interfectum. diuino etiam iudicio factum vt Sancheribus nõ periret vnà cum exercitu eadem nocte apud vrbem, quæ Dei in terris Eccleſiæ tunc regia, & caput erat: ſed magna cum ignominia in ſuam ipſius regiam, & Aſſyrÿ regni principem reuerteretur; ibidémque ſimilem apud ſuos experiretur fidem ei, quam ipſe erga Deum, auctorem ſuum, præſtiterat. ideoq́ notanter ab hiſtoriæ ſcriptore Sancheribbum Aſſyriorum regem appellatum, & indicatũ vrbis Niniues nomen. de qua anteà ſcriptum fuerat, De terra illa exiuit Aſſur, & ædificauit Niniuen. Præterea ex duobus illis, à quibus interfectus eſt, filiis alterum caſtrorum, ac totius militiæ præfectum fuiſſe aiunt; alterum verò equitum magiſtrum: de eodemq́ dictum ſuperiùs: Et dabo tibi duo millia equorum, nec poteris ex te præbere aſcenſores eorum. At verò cauſam, quamobrem filÿ in paternam necẽ coniurauerint, huiuſmodi fuiſſe ſcribũt: Rogato à Sancheribo ſapientes regni, quodnam adeò magnum meritum Ieroſolymorũ extitiſſet, cuius ergo Deus gentis illius ſeſe vindicem & propugnatorem præberet; reſpondiſſe, Quòd Abrahamus illorum primus pater proprium filiũ ipſe Deo ſacrificaſſet ſuo: atq́ hac re cognita, illum ſe non vnum tantùm, ſed duos Deo ſuo Neſroch ſacrificaturum filios vouiſſe: eoſdem verò eiuſmodi conſilÿ certiores factos,*

Margin notes: 4.Reg.19 (beside "tur modum: Factum eſt igitur"); 4.Reg.14. (beside "facta: namq́"); Sup.30. (beside "batur: idq́"); Gen. 10. (beside "fuerat, De terra illa").

patri

patri mortem priores attuliſſe; indeq́, relicta patria, Armeniam, inhabitandi cauſa, petiſſe; profeſſos illo exilio ſeſe non regni, ſed propriæ vitæ cauſa, & crudeliſsimi propoſiti paterni odio ad facinus deſcendiſſe peragẽdum; idq́ ſignificantem hiſtoriographum indicaſſe. & regnauit Aſſarhadon filius eius pro eo. *Admirabili verò Dei conſilio effectum eſt, vt victorum à Sancheribo Æthiopum & Ægyptiorum allatis tum primùm recentibus ſpoliis Ieroſolymitani potirentur: id quod ſignificanter & arcanè, quãuis tamen reuera & palàm, factum Iſaias cecinit: Quia ego Dominus Deus* Inſ. 43
tuus ſanctus Iſrael Saluator tuus, dedi propitiationem tuam Ægyptum, "
Æthiopiam, & Saba pro te. & rurſus: Hæc dicit Dominus, Labor Ægy- Inſ. 45.
pti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabbaim viri ſublimes ad te tranſibunt, & "
tui erunt: poſt te ambulabunt, vincti manicis pergent, & te adorabunt, teq́ "
deprecabuntur: tantùm in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus. "

NVMERI *magnitudo in hoc miraculo certam declarat liberationem:* 2.
nam præter conceptum ex tanta, tamq́ repentina clade metum, quem imperatori incidiſſe neceſſe eſt, vires etiam vehementer fractas arguit: quamuis enim copioſiſsimum, quamlibet ſtructiſsimum exercitum, maximè imminuere ac diſsipare potuit vnico temporis momento tanta edita clades centum octoginta quinque millium. *cuius ſubducta ad exactionem ſumma, manifeſtum miraculum non caſui, non ſideribus, neque vlli alij rationi aut cauſæ, quàm diuinæ efficientiæ tribuere potuit: ideò non legimus, ferè, aut eiuſmodi quicquam, quale in aliis adiungi ſolet narrationibus: ſed præcisè numeratos centum octoginta quinque millia occiſorũ: quibus occidendis nec maximæ aliàs copiæ ſatis eſſent, quamquam vel obiicerentur ligati ac vincti. Deinde etiam intelligimus, non ſolùm occiſos hos, verùm diligenter & attentè numeratos à Chaldæis, gente aſtrorum ac mathematicarum artium gnara & perita: quæ, niſi tam certam & exactè ſubductam reperiſſet ſummam, calorum fortaſsis efficientiæ, aut infortunatis aſtris calamitatem arrogaret. Verùm enimuerò aſtrorum vim ad certos reducere numeros nemo Mathematicus, quanquam ingenioſiſsimus, vſquam auditus eſt: qui, quamquam peſtem, famem, aut bellum, aut cõtrà aliquid felix fauſtumq́ mortalibus prædicere auderet; quàm multos verò, vel ad quotum, quemq́ id præſagiũ pertineret, nullus definiuit. Igitur notãter ſubductam hanc accipimus ſummam ab iis; qui cùm exactis numeris quadratã deprehenderent, manifeſtam Dei vltoris cladem eſſe intellexere. Fuiſſe autem occiſos illos ex primariis, atq́ ex ipſo exercitus robore, narrationis indicat contextus. Non enim legimus, Percuſsit ex caſtris, ſed* in caſtris Aſſyriorum. *vt ſelectiſsimum quemq́ interfectum intelligamus. Id quod apertè in Paralipom. libris declaratur: Et miſit Dominus Angelum ſuum, qui* 2. Paral. 32.
percuſsit omnem virum robuſtum, & bellatorem, & principem exercitus "
regis Aſſyriorum: hoc eſt, maximam & firmiſsimam belli partem; quod "
non tam copiis quàm conſiliis, prudentia, & ſelectiſsimorum quorumdam virtute definitur. quæ etiam res diuinam vltionem apertiſsimè declarauit, ſummis & præcipuis capitibus ablatis. Huic accedit interfectionis admi-

randum exemplum in hiſtoria indicatum. Et ſurrexerunt manè, & ecce omnes cadauera mortuorum. *Ex orationis filo ac primaua lingua idiomate apparet exercitus ille inſtructus ac iuſſus, vt poſtridie eo, quo inſtructus erat, ordine Ieroſolymam expugnandi cauſa peteret. idq́; maturè, hoc eſt, ſummo manè, inciperetur: quod cùm iam per præcones, tibicines, & ceteros exercitus miniſtros agi occepiſſet, fruſtrà tentatum fuit; primis nimirum & optimis totius exercitus fruſtrà appellatis, vtpote quorum cadauera exanimata deprehenſa fuerint, eo modo, loco, ſitu, atq; habitu, quo mors occupauerat. hoc ſignificat formula illa,* & ecce omnes illi cadauera mortuorum, *ſiue* cadauera mortua. *vtramq; ſiquidem interpretationem primæua oratio admittit. Vocabulum* Ecce, *rem arguit valdè notabilem.* Cadauera, PEGARIM. *nomen hoc corporis ſtructuram & figuram, quocunq; modo ſitam, ſignificat. Namq; & aliud quoque in lingua illa vocabulum pro cadauere iacente vſurpatur. horum verò corpora vario habitu, geſtu, ac ſitu reperta intelligimus, ſtatuarum inſtar, ſine vllo vitæ ſpiritu. Hanc verò cladem maximam exercitus perturbationem & conſternationē conſecutam ingentem præterea regi confuſionē & metū inieciſſe, euentus ipſe indicat.*

Et egreſſus eſt, & abiit, & reuerſus eſt Senacherib rex Aſſyriorum, & habitauit in Niniue.

Repentinam, celerem, & ignominioſam regis fugam arguit oratio illa, & egreſſus eſt, & abiit. *Non enim collecto & inſtructo exercitu, atque in ordinem deductis, quæ ſupererant copiis, receptum & redeuntem intelligimus: quæ aliqua conſtantiæ & fortitudinis in militari diſciplina habetur pars: verùm ipſe ſolus, ſibi tantùm vitæq́; ſuæ conſulens, atque illius, quam iactauerat, potentiæ & gloriæ immemor, vel, ſi memor, impotens tamen* egreſſus eſt. *vel paucis, vel nullo comite:* & abiit, *quaſi diuinam effugiturus iram ſcilicet. Itaq; iis, quibus fidebat ac tumebat, rebus relictis, turpi fuga ſalutem ſibi tantùm quærens, aliis contemnendus, ſpernenduſq́; ſuis, in firmiſſimum Aſſyrij imperij præſidium ſeſe recepit. nuſquam enim aliàs tutum ſeſe fore ſperauerat: nam Niniuen antiquiſſimam & firmiſſimam*
Gen. 10. *Aſſyrij regni regiam ſacra declarat hiſtoria. Ex terra illa exiuit Aſſur, & ædificauit Niniuen ciuitatem. Nec verò ſine antithetorum adnotatione nomina cum titulis legenda ſunt,* Senacherib rex Aſſyriorum, *qui nuper totius terrarum ferè orbis dominum ſeſe iactauerat, & imperatorem egerat, iam nunc deinceps Aſſyriorum Rex tantùm audit, nec de alia re cogitat, quā de quiete ſibi & ſecuritate in Niniuæ vrbis præſidio recepto, comparanda: hoc enim ſignificat verbum* habitauit, IASSAB, ſedit, *conſilio, anima, atq; ſtudio, verùm non re atque euentu tamen: quippe nullus vel remotiſſimus locus, nullum quamuis firmiſſimum præſidium diuinam poteſt effugere vltionem.*

Et factum eſt, cùm adoraret in templo Neſroch deum ſuum, Adramelech & Saraſar filij eius percuſſerunt eum gladio; fugerúntque in terram Ararat, & regnauit Aſarhadon filius eius pro eo.

RES *illa omnis, vt ex Regum lib. & antiquis hiſtoriis obſeruata intelligitur,*

ligitur, hoc ordine geſta & confecta fuit. Senacherib Thirhacum Æthiopum Regem, aduerſum ſe cum copiis prodeuntem, bello excepit, ſuperauit, & fudit apud Lebnam. *Cuius copias vbi captas ſuis adiunxit, nuncios alteros Ieroſolymam cum litteris miſit; tum præterea ipſe cum Æthiopum & Ægyptiorum, quos in illa expeditione vicerat, auctiſsima manu Ieroſolymam oppugnaturus contendit Lachin vſque, eademq́; nocte hanc inſignem, & horrendam diuinæ vltionis ac ſententiæ accepit plagam: poſtridie verò turpem indecoramq́; corripiens fugam, Niniuen reuerſus eſt. quod & Iudeæ Regum notatur hiſtoria: Reuerſus eſt cum ignominia in terram ſuam.* 2. Paral 32. *Quiſnam verò tantæ inſolentiæ exitus demùm fuerit, nempe diuini iudicij ſentētia dignus, narratione docemur. Eum videlicet, qui patrem omnium Dominumq́; terrarum, & ſuū ipſius contemnebat auctorē, à propriis liberis fuiſſe occiſum; vt quod aduerſus naturæ legem per ſummum admiſerat nefas, aduerſus naturæ quoque legem paſſus lueret. Atqui in antiquis hiſtoriarum traditionibus illud ad hanc rem ſingulariter adnotandum legere memini, Sencheribbum à ſuis, quos conſuluerat, ſapientibus audiſſe, Deum Iſraelitarum genti ſeſe præbuiſſe tutorem, propter dicatum ſibi, & ſacrificatum ab Abrahamo filium: quamobrem ſeſe, regnumq́; ſuum tutum deinceps conſtituturū putaſſe, duobus filiis propriis deo ſuo ſacrificatis; iis nempe, qui nominantur Adarmelech & Saratſer. idq́; ipſum iam iam in tēplo agentem, ab iiſdem fuiſſe gladio occiſum: nec aliam fuiſſe parricidij illius cauſam præter cognitum paternum propoſitum. quippe quibus regni hæreditas illam immittere non poterat mentem; cùm legitimus hæres primogenitus Azzarhhadon anteiret: qui ſine vlla difficultate* pro patre regnauit. *Huiuſmodi ſummæ impietatis exempla ſimillimos experiri exitus diuinum iudicium ſtatuit, vt qui impiè verum Deum contemnit, ab iis, quibus colendus erat, intra ſuæ religionis templum nulla, quamuis falſæ, tamen aliàs ſuis ſuſceptæ gentibus, religionis ratione habita, non veneno, aut inſidiis, ſed palàm gladio trucidetur, vt manifeſtiſsimum diuinum iudicium euadat, & vnius Dei in omnes gentes, & populos, & homines certa ac ſingularis probetur prouidentia, vnicumq́; numen: quippe quem tyrannus iste ſibi tutelarem putabat, colebatq́; Deum, atq́; ita venerabatur, vt verum Iſraelitarum, ac totius terræ Deum præ illo contemneret: tamen vanum & inutilem, nullum denique adeò malo exitioq́; ſuo opportunum experiretur. Quæ quidem omnia verbis illis* in templo Nizzroch dei ſui, *ſignificantur. Inultam verò tyranni illius fuiſſe necem, Deo ita permittente, hiſtoria indicat.* Et fugerunt in terram Ararat. *In exemplari lingua tutæ fugæ apertior ſignificatio eſt.* VEHEMAH NIMLETV ERETS ARARAT. MALAT. *Verbum, tutam & incolumem ſignificat euaſionem. notanterq́; legimus* VEHEMAH, & ipſi, *integri, incolumes, & immunes: atq́; adeò nobilitatem ſuam tutati & conſeruantes, voluntarium, vti apparet, exilium petiere: non tamen nimium à patrio ſolo procul, nec fortaſsè tunc etiam extra imperij limites, nempe apud Ciliciæ Armeniam, quam aliàs Ararat vocatam legimus, propter inſignem ac celebratiſsimum eiuſdem nominis*

 mon-

montem: quem Latini pariter cum Græcis appellarunt Taurum. in quo diluuij tempeſtate Noahbi arca conſediſſe narratur.

Tibul. lib. 1.

Quantus & ætherio contingens vertice cælum
Frigidus intonſos Taurus arat Cylicas.

Siue regio illa propter montium inacceſſibile præſidium, ſiue propter amœnitatem principibus quoque aptam, ſiue propter vtrumq; fuerit optata.

CAPVT XXXVIII.

IN diebus illis ægrotauit Ezechias vſque ad mortem: & introiuit ad eum Iſaias filius Amos Propheta, & dixit ei: Hæc dicit Dominus, Diſpone domui tuæ: quia morieris tu, & non viues.

1. IN *hiſtoriarum antiquarum compendio, quod mundi ſeries inſcribitur, legimus, eadem tempeſtate, iiſdemq; diebus, & Iezechiam ægrotaſſe, & Sancheribi exercitum fuiſſe extinctum; atq; vtramque cauſam ab Iezechia in ſupplicatione ſignificatam. Huic temporis adnotationi veteres adſtipulantur ſcribæ: quamquam qui ante trecentos annos ſacra ſcripta explicare ſtudebant, ex Iſraelitis quidam hunc morbum ante, quidam verò poſt Sancheribi imminutionem fuiſſe putant. verùm lectionis contextus in idem tempus vtramq; incidiſſe rem ſignificat.* In diebus illis, *in exemplari lingua* HAHEM iiſdem ipſis. *Hunc verò morbum non ex communi ac naturali ſanitatis & ægritudinum periodo ac viciſſitudine, ſed ex diuinæ prouidentiæ iudicio Regi illi allatum, ipſa narrationis obſeruatio videtur indicare. Cuius rationis cõplura exempla in ſacris lectionibus reperiri poſſunt. qualis ille fuit morbus, in quem Moſes incidiſſe narratur, eo quòd ad populum* (Exodi) *ſuum rediens, proprios liberos incircunciſos deduceret: & ille, de quo Ieſus* (Ioan. 11.) *pronunciauit, Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed ad gloriam Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam. Et videtur morbus hic Iezechiæ Regi correptionis cauſa allatus. cui verò culpæ adſcribenda cauſa ſit, alij alia ſentiunt. Fertur Rex ab vxore ducenda diutiùs continuiſſe, metu ſuſcipiendæ prolis, quæ impietate & vitiis paternam domum fœdaret, qualem Manaſſen euaſiſſe legimus: quòd id forſitan Vatum oraculo quopiam Rex ille intellexerat. cùm tamen illum oporteret promiſſo diuino credentem curare, ne proprio vitio aut culpa Dauidicæ domus poſteritas fraudaretur; cetera verò omnia diuinæ prouidentiæ & ſapientiæ gubernationi permittere, illud* (Pſal.) *tantùm attendentem, quod ſcriptum extabat: Et ponam in ſeculum ſeculi* (89) *ſemen eius, & thronum eius ſicut dies cæli. Hac autem ex cauſa ægrotãtem Dei mandato & Ieſaiæ opera admonitum fuiſſe, ſibi ex morbo inſtantis, eiuſdemq; breui afferendi periculi, atque in ipſo mandato indicatam rei rationem,* Sic dicit Dominus, Diſpone domui tuæ. *Nulla de regni rebus facta eſt mentio: quippe cui nullus erat filius, qui ſuperſtes patri ſuccederet, ſed tantùm de domo, hoc eſt, famulorum, ſeruorum, & ancillarum, atq; familiaris rei rationibus teſtari monetur. mandatum verò ex primæua linguæ verbis ita Latinè ſonare poteſt:* lega domui tuæ, quia mortuus tu,

&

& non viues. *domus tuæ rationibus caueto; nam prætereà, tibi m[illegible], nulla vita ſupereſt; qualis in filiis & hæredibus propagata ſupereſſe [illegible]*

BAIAMIM HAHEM, in illis ipſis diebus. *Ex orationis filo verborumq́; obſeruatione apparet, morbum hunc eodem tempore Iezechiæ incidiſſe, quo Sencharibbus Ieroſolymam inuaſurus petebat, nunciosq́; deſtinabat cum iis, quæ legimus, ſcriptis & mandatis. quo ægrotante, Sencharibbus Ieroſolymorum populum ſolicitandum terrendumq́;, vel aliàs ad deditionem inducendum curabat. De cuius nuncio vbi Rex per morbi grauitatem ad Iſaiam præſens referre nequiret, Eliakimi & Sebnæ, atq; ſeniorum ex ſacerdotibus opera retulit. Atqui morbum illum non tam ex naturæ & corporis vitio & ſonte cauſa, quàm ex animi culpa diuina prouidentia viro illi eueniſſe, ipſa Vatis indicatur denunciatione; eundémque adeò fuiſſe grauem, vt breuiſſimè mors cõſequi exiſtimaretur. quam opinionem Ieſaiæ Vatis firmauit reſponſum vltrò allatum, atque Deum referens & morbi & mandati auctorem.* Et introiuit ad eum Iſaias filius Amos Prophetæ, & dixit ei, Hæc dicit Dominus, Diſpone domui tuæ: quia morieris tu, & non viues. *Morbi diuinitus Iezechiæ illati cauſam, antiquiſſimi auctores fuiſſe aiunt cælibatum, eò vſque ſeruatum viro Regi ex Dauidis ſtirpe; cuius poſteritatem ad Chriſtum vſque promiſſum, propagatum iri Deus fuerat pollicitus. S.S.E. Et ponam in æternũ ſemen eius,* Pſal.
& thronum eius ſicut dies cæli. Hoc autem Dei propoſitum & conſilium “
ſua ex parte impedire videbatur Iezechias, dum de ſuſcipiendis liberis nihil cogitaret: veritus fortaſſis, vt nonnulli & antiqui coniectant, ne quiſpiam ex ſua progenie vel prauus vel impius exiſteret princeps, cuius vitio & crimine generis pollueretur decus, qualis poſteà Manaſſes fuiſſe narratur. Verùm enimuerò quòd ſuarum partium non eſſet, huiuſmodi metu ab vxore ducenda deterreri ac retineri, ſed promiſſum potiùs diuinum, quod ad ſe pertinebat, exequi ac promouere, repentino morbo correptus voluntatis diuinæ ſignificante reſponſo, ad pœnitentiam reuocatur. Hæc dicit Dominus. *Præfatio hæc manifeſtam Dei auctoritatem morbo adſcribit; ipſum verò mandatum culpam indicat.* diſpone domui tuæ. *ob ſterilitatis culpam illi mortem denunciari ſignificat. cui, ſi legitimus hæres eſſet, nihil de diſpoſitione huiuſmodi curandũ præciperetur, vt nemini vnquam ſuorum progenitorum fuerat antè præceptum. Namque ſuccedenti hæredi, domus etiam omnis vltro curanda, ipſo ſucceſſionis relinquebatur iure. Eſt autem mandati ſententia, tibi, cui nec filius nec vxor eſt, domus, id eſt familiæ ſeruorum & ancillarum, atque familiaris rei ſumma quàm breuiſſimè ex teſtamento ſolidanda reliqua eſt. quippe qui moriturus propediem es: idq́; ſine ſuperſtite viuo, qui vitæ perſonæq́; tuæ partes referens, præſtet.* morieris [tu] & non viues. *poſteritate aut auctoritate, & ſucceſſione. Ceterùm deligendi in poſterum hæredis ac regis optandi nulla tibi poteſtas permiſſa eſt: ſed ea ratio ad conſilium Dei, aut ad populi optionem refertur. ideo nõ monetur diſponere ſolio, ſceptro, ac regno, ſed* domui ſuæ, *vt priuati hominis, non vt Regis: quare nec in narratione appellatus eſt Rex. at vero Iſaias ideo*

Propheta appellatur, quòd non vt priuatus officium facturus inuiſendo aduenit, ſed vt Vates munus Propheticum exequuturus acceßiſſet.

Et conuertit Ezechias faciem ſuam ad parietem, & orauit ad Dominum, & dixit, Obſecro Domine, memento quæſo quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonũ eſt in oculis tuis fecerim. Et fleuit Ezechias fletu magno.

1. CHALDÆVS *paraphraſtes Ionatham, verſus templi ſacri parietem oculos conuertiſſe Ezechiam interpretatur, & intento animo, ac tota mẽte Deum deprecari cœpiſſe, non tam ſua iactantem pietatis officia ac merita, quàm excuſantem, vel declinantem facti culpam, conſilij atq; propoſiti ſui integritate Deo ipſi planè perſpecta & cognita. Atq; ita deprecationis explicatio huiuſmodi fuerit: Fateor mihi culpam imponi publicè aperteq; ab hominibus poſſe neglectæ in ſpeciem curæ de ſufficienda mihi in regnum ſobole: verùm tibi Domine non facta modò humana, verùm cogitata perſpicienti & examinanti manifeſta conſilij animiq; mei mens & ſimplicitas fuit. Neque enim ego quid palàm agerem tam curæ fore mihi putabã, quàm quemadmodum meum tibi ſincerum & ſimplicem probarem animum: qui verè illud reſpiciebam, ne impium ac tibi inuiſum relinquerem hæredem. Ideoq; non factum tibi recolendum, ſed animum commendo; iam etiam edoctus facti valdè, vti monitus nunc ſum, pœnitendi. Atque huius pœnitudinis argumentum certiſsimum magnum illum fletum fuiſſe. Antiquiores ſcribæ meritum illum ab Iezechia allegatum fuiſſe aiunt, quòd Salomonis de naturæ ac medicinæ ratione ſcripta edicto publico ac regio incenderit, vtpote quorum ſtudio magis quàm diuinæ opi vulgò fideretur, & incumberetur. atq; ita ipſum deprecatione hac ad diuinam prouocaſſe fidem, quam ſtudioſè aſſerendam curauerat.* & quod bonũ eſt in oculis tuis fecerim. *Prima in oculis Dei animi bona probantur, contrà quàm humanis oculis, qui ex re animum iudicant, idq; perſæpè falsò agunt.*

2. DIVINAM *de pœnitentia voluntatem ex hoc mandato intellexiſſe Ezechiam, habitus, geſtus, & ſitus atq; oratio indicant: nec enim, vt mandato iuſſus fuerat, de teſtamento, vel familiæ diſpoſitione quicquam egit: ſed mutandum ſibi conſilium, atq; pœnitentia ducto & emendato, Deum placandum in animum induxit. atque vt is, qui nec vxorem, nec liberos quos alloqueretur habebat, ſed ſolitarius ac ſingularis erat, relictis; ac poſthabitis alijs cunctis, cum vnico Deo negotium ſuſcepit. Parietem illum è regione templi conſtitiſſe Chaldæus indicat interpres: alij verò ex antiquis parietem hunc intra orantis pectus circum præcordia nõ ineptè ex tranſlatione commentantur.* & orauit ad IEHVEH. *Miſericordis & ſoſpitalis ac ſalutaris Dei nomen hoc loco adnotamus appellatum: atq; ita animum, conſilium, & ſtudium viri propoſitumq; intelligimus.*

Et dixit, Obſecro Domine, memento, quæſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim. DEFECTVM *quidem agnoſcit ſuum, & impactam ſibi fatetur culpam; verùm animi conſilium & propo-*

ſitum

ſtum pro ſe allegat; cuius argumentum in totius vitæ ratione firmat. Quòd quidquid hactenus egerit, ſana mente, ac ſimplici veritatis & probitatis fuerit profectum ſtudio. id quod vniuerſa rerum in regno adminiſtrando, geſtarum, Deo examinata, probabunt exempla: ſi quid verò nunc ſibi criminis aut culpæ propter negligenter curatam ſobolē imponatur; id quidem non dolo aut fraudi adſcribendum exiſtimat: vtpote cuius mens in Deum ſemper fuerat ſimpliciſsima. quòd ambulauerim coram te in veritate, *non aſtu vel dolo,* & in corde perfecto, SALEM integro. *Latinus ſermo huiuſmodi integræ mentis homines vocat. Verbum autē* ambulaui MITHHALACHTHI *reciprocum, internum animi ac mentis affectum ſenſumq́ significat. vt qui res actionesq́ ſuas non tam hominibus, quàm Deo probare ſtuduerit, ac dictorum factorumq́ ſuorum illum vnicè ſibi ſtatuerit ſpectatorem & iudicem. Breuem hanc & grauem, ſolidam, ac ſignificatione plenam orationem, qualem probare diuina ſolet clementia, efficacis pœnitentiæ index comitatus eſt fletus.* Et fleuit Ezechias fletu magno. *Namq́ huiuſmodi omiſsionis culpa deprecatione ac pœnitudine procuratur. quam tertia pœnitentiæ conſequitur pars, emendanda in poſterum negligentia. Huius verò integræ ac ſolidæ pœnitentiæ quanta fuerit efficacia, e veſtigio indicatur.*

Et factum eſt verbum Domini ad Iſaiam, dicens: Vade & dic Ezechiæ, Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui, Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas. Ecce ego adiiciam ſuper dies tuos quindecim annos; & de manu Regis Aſſyriorum eruam te, & ciuitatem iſtam, & protegam eam.

HVIVS *loci cum Regum hiſtoria collati apertior & facilior erit explicatio: Et antequam egrederetur Iſaias mediam partem atrij, factus eſt ſermo Domini ad eum, dicens: Reuertere, & dic Ezechiæ duci populi mei, Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui. Audiui orationem tuam, & vidi lacrymam tuam: & ecce ſanaui te: die tertia aſcendes in templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos. Sed & de manu Regis Aſſyriorum liberabo te, & ciuitatem hanc: & protegam vrbem iſtam propter me, & propter Dauid ſeruum meum. Adeò multa, adeoq́ magna ſeſe in hac breui hiſtoria offerunt conſideranda & obſeruanda, vt vel ea ſeorſum integros poſtularent ad commentandum libros, quorum maxima parte prætermiſſa, ea tantùm indicabimus, quæ cum vtilitate animorum lectionis contextum & ſeriem ſpectent. Prima nobis occurrit diuina animaduerſio & correptio; quæ ſemper in hominum ſalutem inſtituitur: deinde verò clementiæ facilitas & promptitudo erga eos, quos, vt Iezechiam, ſeriò ac ſincerè pœnituerit: tertia diuinæ prouidentiæ arcana ratio; quæ ſeſe ſubinde cognoſcendam præbet, vnà cum propoſiti maximi conſtantia & veritate. Cuius præſtandi cauſa multa fiunt: quæ, quamquam in ſpeciem hominibus dura ac difficilia exiſtimentur, felices tamen & optabiles, atq́ adeò admirabiles iucundoſq́ ſortiuntur exitus. Vix deprecationem finierat Iezechias, eamq́ fletu pœnitudinis indice, tanquam aduocato quodam, inſtruxerat; cùm ſententiæ à ſe* I. 4 Reg. 20.

pronunciatæ mutationem Deus Vatis opera nunciari iubet; iuxta illud quod
" *de diuinis moribus fuſum eſt oraculum: Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. Atq; videntur anni illi quindecim, quorum in hoc loco mentio fit, ex naturali hominis illius ætate, niſi pœnitentia interceſſiſſet, fuiſſe detrahendi. quæ antiquorum omnium conſtans communisq; ſententia eſt; atque lectionis verbis, vt poſteà videbimus, formata. Quippe vt Dauidis carmine pronunitiatum extat, Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. Atq; Rex ille ob factam regiæ proſapiæ fraudem præcidendæ vitæ pœna damnatus fuerat: quod quidem ille factum non inficiatus, tamen conſilium animiq; impulſum dolo malo caruiſſe ipſi teſti ac iudici Deo, allegare ſtuduit, adiuncta etiam facti pœnitentia. Erat autem iudicium diuinum imminuendis vitæ & regni annis eum mulctare, qui conſilio Altiſſimi de ſufficienda regno ſobole decrat. ſed clementi correctione Dei ad pœnitentiam conuerſus deprecatione ac lachrymis ex animi dolore profectis, vt ſibi parceretur, atq; rebus cõſuleretur publicis impetrauit.* Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas. *Eodem quo vtrumque actum fuerat, ordine Deo perſpectum, & Vati indicatum orationis adnotat ſeries: ſimulq; docet diuinam cognitionem humanis actionibus cunctis præſentem eſſe, & pro rerum ratione & æquitate conſulere, fauere, inquam, vel aduerſari. S. S. E.*

Intractatu de affinita. lib c. צרחיץ

Pſal. 33. *Ecce oculi Domini ſuper metuentes eum, & in eis qui ſperant in miſericordia eius, vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame. &, Oculi Domini*

Pſal. 35.

" *mini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum. Vultus autem Domini*
" *ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Clamauerunt*
" *iuſti, & Dominus exaudiuit eos, & de omnibus tribulationibus liberauit*
" *eos. Iuxta eſt Dominus iis qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſaluabit. Hac itaq; deprecatione ex vero animi affectu profecta exoratus Deus, quos annos Regi illi detractum iri obnunciauerat, addendos reſtituendosq; decreuit, & per Vatem prædixit.* & ego adiiciam ſuper dies tuos, *quos iam propè finieras; id eſt, quos hactenus vixiſti, moriturus, niſi reſipuiſſes,* quindecim annos. *atq; hic numerus annorum ad ſuſcipiendam prolem, regnoq; ſucceſſorem relinquendum opportunus fuit. Nam ex vxore, proximo, poſtquam hæc acta fuere, anno, vel eodem ipſo ducta, Manaſſes ſecundo poſt anno ortus eſt: qui duodecimum ætatis agens, regni relictus eſt hæres: quam ætatem ad ſuccedendum ſatis idoneam eſſe, Salomonis declarauerat exemplum. Horum verò annorum ratio ita facilè ſubducitur. Ex Regum historia accepimus Iezechiam quinque & viginti natũ annos, regno fuiſſe præfectum: cuius regni quarto decimo Sancheribus Iudæam inuaſit: his adiuncti quindecim anni, numerum conficiunt quinquageſimum quartum: quo ille & vita & regno pariter defunctus fuiſſe narratur. Atq; ita plures obſeruantur fuiſſe poſteriores anni regni Iezechiæ, quàm priores: qualia beneficiorum Dei eſſe exempla ſolent, plura & maiora addentis quàm rei caput ipſum fuerit. Siquidem Iobo ante tentationem vita annorum centum ac decem fuerat: eidem verò poſt tentationem quadraginta ſupra centum vitæ annos additos legimus. Et quoniam eadem tempeſtate iiſdemq; diebus*

&

& Regis vita, & Ieroſolymorum, hoc eſt, vrbis & regni ſalus in diſcrimen fuerat adducta maximum: vtrunque caput regium, inquam, & regni, periculo à ſe liberandum, & recepit per Vatem Deus, & receptum e veſtigio præſtitit. & de manu regis Aſſyriorum eruam te, & ciuitatē iſtam. *De præſenti ac proxima liberatione & ſalute promiſſio hæc eſt. de continenti verò & futura conſeruatione ac defenſione id quod ſubiungitur*, & protegam eam *in poſterum, vt mei maximi erga humanum genus beneficij theatrum futuram.*

*V*T *morbi rationem, ita præſentem medicinam Dei iudicio ſingularíſque prouidentiæ auctoritati adſcribit historia. Vtrunque enim quàm breuiſſimè expeditũ narratur: adeò vt in Regum libris legamus: Et antequam egrederetur Iſaias mediam partem atrij, factus eſt ſermo Domini ad eum, dicens, Reuertere, & dic Ezechiæ duci populi mei. Qui locus totum historiæ huius argumentum regij generis ac muneris propagandi ſpectare rationes indicat. eo enim nomine adire conuenireq́; Ezechiam iubetur, quo populi ſui* ducem *nouit. Probatam verò ibi illius viri pœnitentiam Deus declarat, prouidentiamq́; ſuam non in publica & communia tantùm, ſed in priuata quoque & ſingularia rerum atq; hominum confirmat: cùm ſibi audiendi precationem, & videndi lacrymam ſenſum adſcribit.* Ecce ego adiiciam ſuper dies tuos quindecim annos: & de manu regis Aſſyriorum eruam te, & ciuitatem iſtam, & protegam eam. *Ipſa oraculi promiſſio Ezechiam de ciuitatis ſalute & incolumitate non ſecus atque de ſua ſanitate deprecatum docet: quippe vtrunque credere & ſperare monetur. Sunt ex antiquis nonnulli qui Ezechiæ, niſi pœnitentia intercederet, quindecim hos annos è cõſtituto ſibi à natura vitæ ſpatio ſubductũ iri arbitrentur. Sunt & alij, quorum potior videtur ſententia, qui verè ad conſtitutæ vitæ terminum annos hos quindecim adauctos cenſeant: non ſecùs atq; Iobo ad poſtremam vitæ naturalis metam, id eſt, ad centum ac decem annos, centum & quadraginta diuinæ prouidentiæ beneficio acceſſiſſe legimus. Et quidem verba ipſa huic magis commentationi conueniunt.* adiiciam ſuper dies tuos. *Id quod non ex naturæ atq; ortus præſcripto, ſed ex diuino dono contingere, ſic oſtenditur.* Ecce ego. *Hoc autem annorum ſpatium & ad ducendam vxorem, & ad procreandam alendamq́; regno idoneam prolem, ſatis commodum opportunumq́; fuit. Ex Regum enim historia didicimus, Ezechiam quinto & vigeſimo ætatis anno regni habenas occupaſſe: cuius regnantis decimo & quarto anno Senacheribus Iudæam vaſtaſſe narratur: quibus annis quindecim porrò adaucti numerum totius ætatis nouem & quinquaginta conficiunt. Duodecim enim annorum erat Manaſſes cùm regnare cœpiſſet. Ex qua historia biennio poſt hoc Ezechiæ reſtituti beneficium Manaſſes natus adnotatur. Atque ſanitatis vtriuſque, hoc eſt, Regis ex morbo, & regni ex illa Sancheribi clade (quæ morbi peſtiferi inſtar habuerat) promiſſum diuinitus factum præſente edendo firmatum eſt ſigno.*

2. (margin)

4. Reg. 21. (margin)

Hoc autem erit tibi ſignum à Domino, quia faciet Dominus verbum hoc quod locutus eſt: Ecce ego reuerti faciam vmbram linea-

linearũ per quas deſcenderat in horologio Achaz in ſole, retrorſum decem lineis. Et reuerſus eſt ſol decem lineis per gradus, quos deſcenderat.

1\. *QVAE ab antiquis aliarum linguarum, quæq́; à recentioribus, & noſtri temporis commentatoribus de hoc miraculo & ſigno diſputata fuere, plura ſunt quàm vt nunc referre vacet; & à diligenti lectore ex ipſis illorũ ſcriptis peti, ſi vacet, poterunt. Eſt autem ſummum diſputationis illorum argumentum, inquirere quemadmodum ſignum hoc editum fuerit; an ne reuerſo verſus ortum ſole, an vmbra citra ſolem retrorſum concedente? Nobis verò dum res omnes ad lectionis ſimplicem normam exigere, quantũ licet, attenta cura eſt; trium librorum, in quibus eadẽ narratur hiſtoria, in medium adducenda & conferenda lectio operæpretium factura creditur. Dixerat autem Ezechias ad Iſaiam: Quod erit ſignum quia Dominus me ſanabit: & quia aſcenſurus ſum die tertia in templũ Domini? Cui ait Iſaias: Hoc erit ſignum à Domino, quod facturus ſit Dominus ſermonem, quem locutus eſt: Vis vt deſcendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus? Et ait Ezechias: Facile eſt, vmbram creſcere decem lineis: nec hoc volo vt fiat, ſed vt reuertatur retrorſum totidem gradibus. Inuocauit itaque Iſaias Propheta Dominum: & reduxit vmbram per lineas, quibus iam deſcenderat in horologio Achaz retrorſum decem gradibus. In verbis autem dierum regũ Iuda, ſic breuiter hæc res narratur: In diebus illis ægrotauit Ezechias vſque ad mortem: & orauit Dominum, exaudiuitq́; eum, & dedit ei ſignum. & paulo pòſt: Attamen in legatione principum Babylonis, qui miſſi fuerant ad eum, vt interrogarent de portento, quod acciderat ſuper terram, &c. Prima autem nobis horologij illius conſideranda eſt fabrica: deinde de ſigno agẽdum. Dies omnes ab antiquis in duodecim parteis ſiue vncias, quas horas vocamus, diuidebantur: quemadmodum libra, & pes, & cubitus, & omne ſtatæ menſuræ aut ponderis commune genus ad duodenarium reuocabantur numerum: quòd is numeros plures admittat rationales & conſimiles compareſq́; diuiſiones; nempe beſſem, trientẽ, quadrantem, quincuncem, ſextantem, ſubduplam etiam & ſeſquialteram, & ſuperpartientes rationes omnes. de quibus nunc ſingillatim agendi non eſt locus. Obſeruauerant quidem priſci, dimidiũ obliqui in cælo circuli, in quo duodecim viſuntur ſigna, ſingulis diebus à luce in veſperum, tantundemq́; à veſpero ad poſteri diei initium circa terræ ſuperficiem volui. hos duos dimidios circulos ſex traductis lineis partiebãtur: quibus totus orbis in duodecim diuiſus parteis, duodecim ſignorum domos dictas indicabat. Hac ratione inductus Ezechiæ pater Achaz Rex, horologium in regiis ædibus confecerat duodecim diſtinctum gradibus, iiſdemq́; ad duodenas dimidiati Zodiaci parteis ex amuſſi directis ac reſpondentibus; non æquidiſtantibus quidem, ſed qui inæqualia ſpacia clauderent, certa tamen & obſeruata inæqualitatis ratione, ita vt ſole quamprimùm orto, primi gradus poſtremæ lineæ vmbra proximum, hoc eſt, ſecundum, tangeret; eodem altiùs ad duodecimam ſemicirculi Zodiaci lineam eleuato, tertius gradus à ſecundi vmbra*

feri-

4 Reg. 20.

2 Paral. 32.

feriretur: atque ita vmbra per ſingulos deducta gradus, duodecimum demùm ad ſolis occaſum occuparet. Pari ratione, verùm non pari artificio, ea nunc concinnantur horologia, quæ artifices, planetarũ, vocant, ſiue inæquales horas indicantia. Huiuſmodi verò horæ numero quidem pares per ſingulos dies anni ſunt, verùm ſpatiis & modo inæquales; longiores æſtate, hieme breuiores: præterquã iis in locis, quæ ſub æquatore iacent. Illi Achazis horologio ſinguli gradus vicem ſtyli ſiue gnomonis præbebant: tota verò machina dimidij orbis, vel dimidij cylindri inſtar habuit. Quod ad miraculi verò explicationẽ attinet; nec lectionis obſeruata ſimplicitas, nec ſignificationis ratio poſtulat, vt ſolis curſum diurnum retrorſum conuerſum intelligamus: ita vt diei illius lux, quæ duodecim inæqualibus conſtabat horis, duabus & viginti duraſſe dicatur. Namq; huiuſmodi miraculum non regi modò, cuius cauſa ſignum & portentum præbebatur; non Ieroſolymis, vbi editum fuit; ſed vniuerſo orbi & notiſſimum & celeberrimum decantatiſſimumq; euaſiſſet: nam & eos qui in eodem hemiſpherio erant, inſolitam diei longitudinem, & qui in altero ex aduerſo degebant, prolixam præter tempeſtatis rationes noctem admirari, neceſſe erat. Ex Paralipomenon verò hiſtoria edocti ſumus, Babylonios tantùm legatos, fama ſanitatis Regi cum miraculo allatæ compulſos, Ieroſolymam veniſſe, gratulabundos pariter, & de miraculi veritate & modo certiores faciendos; vtpote quorum ſtudium in mathematicis diſciplinis celebre & frequens antiquumq; fuit. Illi verò non de miraculo in cælis edito, ſed de portẽto in terra dato interrogaſſe narrantur. Vt interrogarent de portento quod acciderat ſuper terram. GHAL HAARETS, ſuper terram illam. *quod ad vtrunque ſpectat verbum: videlicet portentum, quod illi ipſi terræ tantummodo portendebat, & acciderat ſuper terram illam. Atqui ſi miraculum illud ſole ortum verſus repentè per tantum conuerſo ſpatium conſtitiſſet; non Babyloniis ſolummodo, verùm gentibus nationibusq; cunctis negotium faceſſeret & curam incuteret cauſæ inquirendæ: idq; non Ieroſolymis tantùm, ſed per ſingulos in regione propria cenſeretur agendũ. Verùm Babyloni, non adeò remotæ vrbi celeberrimæ, & aſtrologiæ aſtronomicæq; diſciplinis deditæ, vnà cũ gratulationis officio, quod vicino principi deberetur, illius portenti cognoſcendi ſtudium inceſſit. Cùm verò diuinæ virtuti nihil non pareat & obſequatur, ſiue illud in rerum natura, ſiue extra, aut præter naturam eſſe videatur; facile fuit huiuſmodi miraculum edi, quod citrà vniuerſi orbis, & cælorum ac temporum, ordinum ac legum mutationem fieri poterat. Omnia quidem Deo, vt exercituũ imperatori ſummo & efficaciſſimo, ſeruiunt: veruntamen non omnes exercituum copiæ ad ſingula vocãtur miracula; ſed ea tantùm pars, quæ pro præſentis ratione & vſu rei commoda oportunaq; iudicatur: vt ſubſolanus ventus exſiccandi in mare ſoli cauſa, Africus ad coturnicum deferendam frequentiam, ricinus ad vmbram Ionæ præbendam, vermiculus ad intercidendum ricinum, cœte ad excipiendum aſportandumq; Ionam, qui Niniuitis futurum erat ſignum. Ita hoc loco miraculum hoc, quod ab Ezechia ſanitatem promiſſam cognoſcendi cupido rogatum eſt,*

eatenus præſtari ſufficiebat, quatenus ceteris naturæ ac mundi conſtantibus partibus ad ſigni facultatem & copiam ſatis eſſe potuit. Nulla itaq; in ſolis curſu mutatio videtur facta, ſed tantùm in vmbra: quæ cùm iam decimum teneret gradum, propiusq; ad lucis ac diei artificialis terminum, quò properabat, accederet; Vatis precibus ac diuini verbi imperio iuſſa, repentè primum horologij repetiuit gradũ; eodemq; notata eſt loci, quo cùm primùm ſol exoritur, notari ſolet. Namq; hoc pacto & miraculo fiebat ſatis, & præſentis rei ſigno aptiſſimè congruebat. Ac promiſſum diuinũ de inſtaurãda Regi vita fuerat pari ac maiori etiam annorum ſpatio, atq; illud fuit, quod hactenus in regno gubernando iam ferè peregerat: quippe cui exactis iam quatuordecim annis, regni gubernandi cauſa quindecim rurſus inſtaurarentur nouæ, vt ita dicam, lucis, & huius vitalis auræ hauriendæ: quæ cum diei ſimilitudine comparatur aptiſſimè: ſicut aliàs in ſacro ſermone mortalis huius vitæ curſus, vel potiùs fluxus, vmbræ inſtar habere dicitur, ſemper quidem verſus diei finem, hoc eſt, verſus noctem, atq; tenebras irreuocabili curſu creſcentis & promouentis: quæ ſi peracto curriculo poſtliminio, vt aiunt, inſtauretur; id miraculo ac ſingulari prouidentiæ beneficio fuerit

Iob 8. *neceſſariò adſcribendum. Mortalium autem vitam vmbræ ſimilem, imò*

1.Paral.29. *vmbram eſſe meram, antiquiſſimi ſapientes agnouerant. Heſterni quippe*

» *ſumus, & ignoramus quoniam ſicut vmbra dies noſtri ſunt ſuper terram.*

Iob 13. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miſeriis: qui*

Pſal.102. *quaſi flos egreditur & cõteritur, & fugit velut vmbra. &, Dies mei ſicut*

» *vmbra tranſierunt. Non eſſe autem vmbræ naturæ conceſſum huiuſmodi reditum, aut fugæ inſtaurationem, aut vltra præſcriptum productã extenſionem,*

Eccleſ. *appoſita ſimilitudine docuit Salomon. Non eſt bonũ impio, nec pro-*

» *longentur dies eius; ſed quaſi vmbra tranſeant, qui non timent faciem Domini. Itaq; vita omnis ſiue longior ſiue breuior ſit, tamen diurnæ vmbræ, ſiue longiori, ſiue breuiori, perſimilis eſſe dicitur. Pro dierum anni ratione, vmbræ longiores vel breuiores viſuntur: proq; opaci corporis ſoli obiecti ſitu & habitu. Iuſſa igitur fuit vmbra, quæ iam ad finem diei properabat, gradus decem, quos iam peregerat, repetere; ſignumq; præbere Ezechiæ inſtaurandi in regno temporis vitæ per integrum adhuc diem, hoc eſt, per totidem atq; iam peregerat, annos; & ampliùs etiam vnius anni ſpatium, vt vmbra decem peractos gradus repentè repetiuit, & vlteriùs etiam vna atq; altera durauit hora, hoc eſt, vndecimum gradum obtinuit. nam cùm iam ad duodecimum deuentum eſt, & diei & vmbræ fugæ finis adeſt. Itaq; idem & amplius vitæ ſpatium Iezechiæ recurrendum, illo declaratum fuit ſigno. Quemadmodum verò vmbra reuerti potuit, ſole nihilum ex proprij curſus rationibus immutante philoſophari facilè poſſumus, illo dicendis omnibus fundamento iacto, Omnem cæli ac terræ naturam auctori conſeruatoríque ſuo Deo, ſine vllo ſui intertrimento, ad nutum perpetuò eſſe paratam, ac ſeſe*

Pſal. 118. *pro iubentis arbitrio componere. S. S. E. Ordinatione tua perſeuerat dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi. hoc vt notiſſimo principio conceſſo obſeruamus, vmbrã non propriè ſolis, verùm ſolaris radij eſſe carentiam. Sol enim*

in cælo verſatus terram per proprium radium, tanquam per miniſtrum ſibi vt capiti coniunctum, illuminat & fouet. Quidquid verò opacum obiicitur, non propriè ac primò ſoli, ſed radio opponitur, oppoſitumq́; eatenus lumen proferre obſtat, quatenus pro oppoſitionis ratione ſolaris radij partem intercipit. Si quid ergo in hac oppoſitione contentionis & pugnæ eſt; id non ſol patitur, ſed radius: vt in ſolis defectu videmus, atque in nubilo die: in quibus nihil ſoli accidit, ſed radio obſiſtitur vnico. cedente verò nube, vel ex denſitudine in perſpicuam diſtenta & mutata raritudinem, ſolaris radius ſuum præſtat munus. Iuſſu igitur diuino ea radij pars, quæ Ieroſolymam attingebat vrbem, ita in vndæ cuiuſpiam modum replicata eſt; vt ceteris omnibus partibus propriam obtinẽtibus rationem, illa vnicè ortũ verſus rediens in primum dirigeretur gradum: qui eo pacto illuſtratus, vmbram faceret, qualem quantamq́; primo manè facere conſueuerat. Quoniam verò miraculum hoc vnicam vrbem illam attingebat, cuius regi in ſignum adauctæ vitæ datum fuerat, atque vtraque res fama apud vicinas gentes celebrabatur; euenit vt Babylonij, familiarium diſciplinarum, hoc eſt, Chaldaicarum, curioſi indagatores, cum mandato & legatione ſoſpitalis gratulationis, de hac etiam re, tanquam portentum illius beneficij diligentiùs inquirere & cognoſcere curauerint. Hoc enim verbum DARAS *in Paralipom. lib. vſurpatum ſignificat: Vt interrogarent de portẽto quod acciderat ſuper terram.* 2. Paral. 32.
MOPHETH *miraculi cum ſignificatione coniuncti nomen eſt. cui rectè Latinum portendere verbum conuenit. Vt diligenter inquirerent de veritate miraculi illius ſuper terram illam editi; quod regis portenderat inſtaurandam vitam. Super terram illam, non in cælo. Namq́; vmbræ non alibi quàm ſuper terram viſuntur. ad terram verò, aquarum quoque ſuperficiem referimus. Nec verò illud cũ explicatione noſtra pugnat, quòd in hiſtoria ipſa ſolis mentio fit.* Ecce ego reuerti faciam vmbram linearum, per quas deſcẽderat in horologio Achaz in ſole retrorſum decem lineis. *Namque vbi ſolem minimè curſum tenoremq́; ſuum variantem, ſed vmbrã retrorſum reuerſam ſtatuimus, in promptu eſt, vmbram in radio retrorſum redactam intelligere: quandoquidẽ vmbra nulla ſolem attingit; ſed vmbris omnibus ad radium ipſum ſolis reſpectus eſt: quamquam communi & vulgato ſermonis vſu, quidquid radius efficit, aut patitur, ad ſolis auctoritatem dicendo referri ſoleat: verùm quæ in terris fiunt, omnia radij opera fiunt, eademq́; à ſole facta dicuntur. S. S. E. Percuſsit ſol ſuper caput Ionæ, & æſtuabat. &: Per diem ſol non vret te. In Regum libris nulla ſolis mentio fit, dum res hæc narratur: Vis vt aſcendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus? Et ait Ezechias, Facile eſt vmbram creſcere decem lineis, nec hoc volo vt fiat, ſed vt reuertatur retrorſum decẽ gradibus. Inuocauit itaque Iſaias Propheta Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam deſcenderat in horologio Achaz. Præter hæc autem, quod ad ſignificationis, ſiue portenti rationem facit, in vtraq́; narratione Achaz horologium conſtanter appellatur: id videlicet aſtruente ſcriptore, vt in illo horologio, quod Achaz temporis indicandi cauſa inſtituerat, vmbra vltra*

Ion 3.
Pſal. 120.

 natu-

naturæ exempla omnia initium gradunm ab vſque decimo repetebat: ita Ezechias, quem idem Achaz regni reliquerat hæredem, à mortis iam declarato tēpore ad instaurandæ vitæ initium, cōſimili miraculo reuerti, potiturum regno totidem & vno etiam auctioribus annis, intra naturalē tamen atque illi ab initio ortus decretam vitam: perinde atq; vmbra illa nihil vltrà ſuum durans diem, tamen & gradus, quos exegerat, decem, & rurſus duodecim repetens peregit. Atq; miraculi huius & beneficij in ſe diuinitùs collati gratulationem, compoſito & literis mandato carmine manifeſtam teſtatamq; proferre, pietatis officiiq; ſui eſſe Iezechias intelligens, poëtico planè ac ſublimi orationis genere compoſuit.

2. VTRIVSQVE *promiſſæ, hoc eſt, ſibi & reipub. ſanitatis fidem & conceptam ſpem ſigno aliquo firmari èxoptauit Rex, non ſine laude præſtantis animi, & præ gaudio geſtientis. Atq; aliàs in difficillimis tēporibus exemplum hoc commendatur. vt in Gedeonis tempeſtate, non ſimplex tātùm, verùm duplex ac repetitum petentis ſignum. Atque non tam ex dubitatione, quàm ex boni nuncij gaudio ſignum ab Ezechio poſtulatum, ipſa declarat promiſſi ratio: audierat enim Rex, ſibi, tam grauiter tūc ac periculosè cubanti, tamen ex Dei beneficio tertia poſt die Dei templum fore petendum. quod promiſſum cùm lætiſſimè exciperet, vt iam iam tanquam præſens teneret, atq; toto animo in auctorem Deum intenderet; ſigno aliquo non à ſe indicando, ſed à Deo proponendo & exhibendo rem illam firmari cupiebat.*
" *Res autem omnis vt peracta fuerit, in Regum narratur libris: Dixerat au-*
" *tem Ezechias ad Iſaiam: Quod erit ſignum quòd Dominus me ſanabit, &*
" *quia aſcenſurus ſum die tertia in templum Domini? Et quidem neque magnum, neque paruum ſignum Ezechias vltrò indicabat, tantùm rogauit quódnam tantæ ſalutis futurum eſſet ſignum. Neque enim, vt Achaz pater ſuus, Domino infidelitate moleſtum, ſed fide potiùs gratum ſe præbere ſtuduit. Ideo tantùm rogauit,* quod erit ſignum? *duobus autem propoſitis alterum elegit, quod ad rei ſignificationem apprimè faceret.* Hoc autem tibi erit ſignum à Domino, quia faciet Dominus verbum hoc quod locutus eſt. *Singulari miraculo conſtans & rariſſimū ſignum futurum adnotatio illa ſignificat* à Domino. *Nam quamquam omnia ſigna, quæ verè ſigna dicuntur, diuinam probent auctoritatem; ex iis tamen nonnulla ſunt, quæ in communibus naturæ partibus & actionibus eduntur: quale illud à Samuele indicatum de pluuiis & procellis media æſtate immiſſis: & ſanitates aliquando repentè factæ, quæ aliàs fieri poſſent vel à natura, tamen tardiùs ac lento gradu: qualis in Petri ſocru ſpectata narratur. Verùm quod nullum habere poteſt cum natura commercium, id ſingulariter, & antonomaticῶs* à Domino ſignum *dicitur. De ſignorum autem ratione varia, nobis aliàs, Deo propitio, agendum.* Ecce ego reuerti faciam vmbram linearum, per quas deſcēderat in horologio Achaz in ſole, retrorſum decem lineis. Et reuerſus eſt ſol decem lineis per gradus quos deſcenderat. *De ſigni primùm ratione eſt nobis hoc loco agendum quàm breuiſſimè: quippe cuius exacta conſideratio ad Regum reſeruatur*

hiſto-

hiſtoriam: ſignificatio verò cognitu facillima ſequetur. Et quidẽ ſigni pro-
miſsio ſic habet : Ecce ego reuerti faciam vmbram linearum, per quas
deſcenderat in horologio Achaz in ſole, retrorſum decem lineis. *Res*
verò narratur expedita. Et reuerſus eſt ſol decẽ lineis per gradus quos
deſcenderat. *Vtraque lectio ſimul anſam ad opiniones præbuiſſe videtur;*
aliis quidem ſolem ipſum, ſiue ſolarem orbem, retrorſum verſum rediiſſe,
aliis verò vmbram tantùm receſsiſſe putantibus. Vtriſq; verò ſatisfactum
iri ſperamus verborum ſimplici ſignificatione exponenda, & earum teſti-
moniis rerum, quæ miraculum conſecutæ ſunt, citandis. Illud verò primum
animaduertimus; miraculum hoc, quod Ezechiæ ac Ieroſolymis tantùm ſi-
gni cauſa edebatur, commune & vniuerſale omni orbi eſſe non oportere,
imò nec fuiſſe; verùm iis tantummodo ſpectatum & acceptum, quorum ad
ſuæ ſalutis fidem & ſpem accipi intererat. Quare in Paralipom. lib. legi- 2 Patal. 32.
mus: Attamen in legatione principum Babylonis, qui miſsi fuerant ad eum, “
vt interrogarent de portento, quod acciderat ſuper terram. In exemplari “
lingua legimus GHAL HAARETS, ſuper illam terram. *ex qua lectione* “
priuatum miraculum fuiſſe apparet, fama tamen vnà cum Regis repentina
ſanitate peruulgatum. id quod eadem indicatur hiſtoria: quæ fuſiùs in Re-
gum libris deſcribitur: In tempore illo miſit Berodach Baldam filius Bala- 4.Reg.
dan Rex Babyloniorum literas & munera ad Ezechiam: audierat autem “
quòd ægrotaſſet Ezechias, CHI HHALAH IEHHEZ KIAHV, quem- “
admodum ægrotaſſet Ezechias. *Totius ægritudinis hiſtoriam ad Baby-* “
lonium Regem fama perlatam intelligimus, illumq́; vtpote Chaldæũ, aſtro-
rumq́; peritum, & gratulationis, & præcipuè etiam inquirendi miraculi
cauſa legatos deſtinaſſe, non modò principes in aula viros, verùm etiam, vt
in exemplari eſt, BEMALITSE, SARE, BABEL, *in interpretibus &* 2.Paral.32.
enarratoribus principum Babel HAMSILHIM GHALAV, illis mit-
tentibus miſſis[que] circa illum LIDROS HAMOPHETH, ad inqui-
rendum ac diſſerendum portentum. *Auditum enim famáque peruul-*
gatum fuerat, Regem grauiſsimo affectum morbo, repentè fuiſſe ſanatum:
quod certo ac ſingulari beneficio Dei factum, admirabile indicaſſet oſten-
tum, quod in cælo, cæliq; luminibus, ac luminum vmbris editum fuerat. id
verò quemadmodum factum eſſet, cognoſcere, mathematicarum artium do-
ctis principibus curæ fuit. quod ſi in cælo ipſo aut in ſole editum fuiſſet, om-
nibus orbis regionibus pariter extitiſſet notum, nec vllam rationis aut for-
mæ ſuæ inquirendæ curam iis, quibus viſum fuerat, iniiceret. Neque verò
ad eam rem, cui ſperandæ ſignum illud edebatur, neceſſe fuit maximum in
cælo dari ſignũ ſolis per decem ceſſantis horas; quale nunquam anteà ab or-
be condito datum fuerat, niſi ſemel tantùm, imperante Ioſue; quòd id mira-
culum ad conficiendos in prælio hoſteis oportunum admodum iudicatũ eſt.
Tunc locutus eſt Ioſue Domino in die illa, qua tradidit Amorrhæum in Ioſ. 10.
conſpectu filiorum Iſrael, dixitq; coram eis: Sol contra Gabaon ne mouea- “
ris, & luna contra vallem Aialon. Steteruntq́; ſol & luna donec vlciſce- “
retur ſe gens de inimicis ſuis. Stetit itaq; ſol in medio cæli, & non feſtina- “

 uit

» ait occumbere ſpatio vnius diei. Non fuit anteà & poſteà tam longa dies,
» obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Iſrael. Simile producti
diei exemplũ anteà aut poſteà in cælo ſpectatum, ſacra negat hiſtoria: quare
nec in hac Ezechiæ cauſa requirendum vt minimè neceſſarium, ſed neque
4.Reg.20. poſtulatum à Rege illud tantùm rogante, Quod erit ſignum quia Dominus
» me ſanabit, & quia aſcenſurus ſum die tertia in templum Domini? Qui-
bus obſeruatis & collatis rebus, intelligimus, non in cælo, nec in ſolis quiete
aut motu, ſed in horologij tantummodo vmbra ſignum fuiſſe editum: neque
verò in omni vmbra omnibúſve horologiis (quæ quàplurima fuiſſe in tam
vaſta & frequente atque egregiè ornata, & omnibus opportunis partibus
inſtructa vrbe oportet) ſed ſingulari prouidentiæ miraculo in vno Achazi
Regis horologio: quod in vtraque, cùm Iſaiæ, tum Regum libri hiſtoria no-
tanter appellatur. Atq; de ipſo horologij artificio & exemplo aliàs nos for-
taſſe plura per otium commentabimur: nunc ſatis fuerit docere horologium
illud rotundum fuiſſe, dimidiæ ſperæ vel rotæ inſtar; duodecim diuiſum li-
neis, quibus totidem terminabantur gradus: ad meridianam vſque lineam
ſex, indeq; ad occaſum ſex alij (nam dierum omnium magnitudo, quanta
quanta contingeret, duodenis quondam diuidebatur horis.) Prima autem
diei hora ſtyli vmbra primum occupabat gradum (ſiue iidem gradus vm-
bram conficerent, ſiue ſtylus quiſpiam, nihil refert) ſecũda hora ſecundum,
meridiei hora ſextum; ac demum ita creſcente vmbra, duodecim notabantur
gradus: poſtremus enim ſolem occumbere indicabat. Miraculi autem, ſiue
Ibidem. ſigni optio illa fuerat: Vis vt aſcendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur
» totidem gradibus? Et ait Ezechias, Facile eſt vmbram creſcere decẽ lineis,
» nec hoc volo vt fiat; ſed vt reuertatur retrorſum decem gradibus. De ſolis
motu, ceſſatione, aut receſſu, ſiue retrogradatione, vt Aſtronomi loquuntur,
nihil in optionibus & conditionibus actũ: ſed de vmbra tantùm, quæ, dum
dies duraret, vltrò creſcere poterat vlteriùs, quamquam non ita magno ac
certo tractu, vt continuis decem ſuperaret gradibus. decreſcere verò, aduen-
tante iam veſpero, idq; certo & condicto ſpatio, longè illuſtrioris erat mira-
culi & portenti: quod in ſacra lingua MOPHETH dicitur. atque ita in re-
2.Par.32. petita hiſtoria legimus: Et orauit Dominum; exaudiuitq; eum, & dedit ei
» MOPHETH. & rurſus poſt pauca: Legatione principũ Babylonis, qui miſſi
» fuerant ad eum, vt interrogarent MOPHETH, quod acciderat ſuper terram
[illam.] in quam terram ideò miſſi ſunt, quia priuatum & illa tantùm in
vrbe ſpectatum fuerat portentum. neque verò id in omnibus vrbis horolo-
giis aut vmbris turrium, murorum, aliorumq; corporũ, quæ ſoli per id tem-
poris obiecta erant; ſed in vmbra tantùm horologij Achaz: ita vt ſolaris
radij pars, quæ Achazis horologio oppoſita erat, per miraculum vel cõtracta,
vel ſublata fuit; idq; certo & conſtituto ſpatio, nempe decem graduum: vt
omnino à decimo gradu, quem tunc ex diei decurſu vmbra attingebat, ad
primum recurreret, atq; tractum omnem, quem occupauerat, lucidũ relin-
queret, cùm tamen in omnibus aliis locis vmbræ omnes eum, quem vmbra
conceſſerat, obtinerent gradum: ideoq; nullius horologij vel ſtyli vel corpo-
ris,

uis aut loci mentio ſit, niſi tantùm Achaz. Inuocauit itaq; Iſaias Prophe- 4. Reg. 20.
ta Dominum; & reduxit vmbram per lineas, quibus iam deſcenderat in "
horologio Achaz, retrorſum decem gradibus. Idem quoque horologiũ tan- "
tùm hoc loco à Vate indicatur. Quod verò legimus: Reuerſus eſt ſol decem lineis per gradus, quos deſcenderat. *ita, vti diximus, interpretamur, nõ quòd ipſe ſolis globus aut ſolaris, qui dicitur, orbis vel proprio motu ab occaſu ortum verſus, vel à ſupremo raptus mobili repentè diei fere integræ ſpatium recurreret: ſed ſolis ſuum tenentis & continuantis curſum radij tamen pars ea, qua Achazis aſpiciebat horologium: ita obliquè ſtylum ſuperaret, vt nulla iam appareret vmbra, quæ iam tum decimum attigerat gradum; atq; ad vndecimum deinde duodecimum porrò contendebat. Idem autem quod de ſolis radio dicitur, ipſi ſolis corpori omnium linguarum vſu, atq; adeò ex vero, tribui ſolet. Nam nec ſolem in horologium, vel horologij gradus aſcendiſſe, vel deſcendiſſe dici poteſt; ſed ſolarem, vti diximus, radium, eo modo, quo legimus: Et percuſſit ſol ſuper caput Ionæ. Atq; ita por-* Ion. 4.
tenti huius exemplum circa vmbram editum, ipſa vmbræ adnotata repetitio docet. Eſt autem vmbræ & radij ita communis & confuſa ratio ex linguarum vſu, vt ſæpè alterum pro altero appellari audiamus:

Stertimus indomitum quod deſpumare Falernum Perſ. Sat. 3.
Sufficiat, quinta dum linea tangitur vmbra.

Atq; illud adnotatum ad hanc rem facit, quod ſolis nomen in ſacra lingua
cum maſculini generis adiuncto ſemper auditur. A ſolis ortu vſque ad oc- "
caſum. GHAD MEBOO, vſque ad occaſum ſuũ. *pronomen poſſeſſiuum maſculini formam exhibet. Hoc autem loco verbum* deſcenderat *femininam terminationem tenet, idq; priùs cum vocabulo* TSEL *coniungitur: quod nomen femininum eſt, & vmbram ſignificat:* Ecce ego reducens vmbram graduum, quæ IARDAH, deſcendit [*femininum verbum*] in gradibus Achaz BASEMES in [illo certo] ſole, retrorſum decem gradibus. *In re autem efficienda ita legimus* VE THASAB HASEMES, & reuerſa eſt ſolis, *vel* ſol (*namq; vtrouis caſu interpretari licet* HASEMES) decem gradibus in gradibus, quos IARDAH deſcenderat. *Verbum* IARDAH *femininum indicat nomen; quod nos ad* TSAL *concinnè referimus, in hunc modum.* [vmbra] ſolis reuerſa eſt decem gradibus, quos deſcenderat [illa]. *Atqui portenti ſignificatio cum re, de qua agebatur, aptiſſimè quadrauit: quippe hominis vita in ſacris diſciplinis vmbræ imagine ſcitè deſcribitur. S. S. E. Peregrini enim ſumus coram te & aduenæ,* 1. Paral. 29.
ſicut omnes patres noſtri. Dies noſtri quaſi vmbra ſuper terram, & nulla "
eſt mora. De vitæ etiam humanæ vanitate ita in lege ſcriptum legimus: "
ZZARTSELAM MEGHALEHEM, receſſit vmbra eorum de ſuper eis.
quod Latinus noſter interpretatus eſt, Receſſit ab eis omne præſidium. Num. 14.
Sententiam enim reddidit, tranſlationis nomine TSEL *declarato. Itaque Ezechias ex portento vitæ ſuæ dies vmbræ perſimiles eſſe didicit: quæ tamen vmbra rurſus de integro, repetebatur ad quindecim annorum vſque tempus: ſicut vmbra illa, quæ iam propiùs ad diei tendebat occaſum, ad toti-*

dem, quot peregerat, gradus diuino redibat miraculo. Nam cùm Senacheribbus in Iudæam aſcendit, decimus quartus regni Ezechiæ agebatur annus: quem morbi vis, vitæ poſtremum reddere properabat. illi poſteà quindecim adaucti anni, nouã de integro, regni magis quàm hominis cauſa, inſtaurare cenſebantur: ideoq; in Achaz horologio ſignum editum eſt, quod aptiùs & ſignificantiùs indicauit beneficium, & beneficij euentum ad regni familiam, ſucceſsionem, & rationem pertinere. Nam quam vitam hactenus exegerat Ezechias rex, ab Achaz patre, vti regni hæres acceperat; cuius partes in regno filius & ſucceſſor tenuerat: eodem verò iure quindecim vlteriùs deinceps regnaturus annos, in patris horologio ſignum accepit, quo ſeſe, quaſi denuò in regno conſtitutum, totidem fere annos, quot antè regnauerat, repetiturum. Atque in hunc locum hæc abundè ſatis dicta ſufficient: quæ libros Regum aliquando interpretatis nobis fuſiùs & exactiùs tractabuntur.

Scriptura Ezechiæ Regis Iuda cùm ægrotaſſet, & conualuiſſet de infirmitate ſua.

1. INSCRIPTIO *ipſa ſcribentis conſilium & argumentum pariter exponit: nec enim carmen eſſe dicitur, quod ab auctore compoſitum ac decantatum ſemel, non fuerit ampliùs repetitum, ſed à rapſodo quopiam exceptum, & in hiſtoriæ huius contextum illatum: imò potiùs ab eodem ipſo auctore, viuente ac valente, propria deſcriptum manu, &, vt à ſcriptoribus fieri ſolet, ſuis numeris diligenter concinnatum & abſolutum; deinde teſtimonij & profeſsionis cauſa per exempla in ſua, vicinisq; regionibus diuulgatum; atq; ad poſteritatis memoriam literarum monumentis conſecratum. Cuius quidem ſcriptionis argumenti ſumma eſt: Ezechiam Iudææ Regem ex grauiſsimo & letali morbo, in quo Dei iudicio inciderat, eiuſdem clementis Dei beneficio repentè fuiſſe & vitæ ſanitati integræ reſtitutum. Hactenus inſcriptio, verſu etiam iuxta antiquum morem compoſita, & toti carmini capitis inſtar affixa: cui carminis ſubnectitur corpus omne, opportunis concinnatum membris quatuor, confeſsione, expoſitione, & æſtimatione morbi, voti nuncupatione, & diuinæ clementiæ experientia, ac demùm gratulatione, debitæq; profeſsione laudis.*

2. DIVINÆ *erga homines prouidentiæ beneficiis cunctis gratulationem & ſupplicationem deberi, Spiritus docet ſanctus: Confiteantur Domino omnia opera eius, & mirabilia eius filiis hominum. Prouidentiæ autẽ exempla compluribus in argumentis ſpectantur. ſed plerumque in duris & aduerſis rebus clariùs agnoſcuntur, propter humanæ mentis ſocordẽ ſenſum; qui ſecundis temporibus dementatus, nec Deum auctorem ſuum, nec etiam ſeipſum agnoſcit. S.S.E. Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit: incraſſatus, impinguatus, & dilatatus dereliquit Deum factorem ſuum, & receſsit à Deo ſalutari ſuo. Quamobrẽ huiuſmodi inſaniæ morbis, ægritudinibus, verberibus, & aliis commodè curantur plagis: quæ ſenſum dolore excitantes, remedium à medico vero poſtulare docent. S.S.E. In malo curabis malum. Atqui remedij certi experimentũ ad laudem & gratulationem*

Pſal. Deut. 32. Prou.

diui-

diuinam iure eum, qui liberatus incolumisq́ euaſerit, hortatur. id quod commune eſſe ſolet in omnibus aduerſis temporibus, quæ quis diuino ſuperauit beneficio. Inter cetera verò aduerſorũ genera morbi cẽſentur præſertim grauiores. Quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit. Pſal. 106.
Suſcepit eos de via iniquitatis eorum: propter iniuſtitias enim ſuas humiliati ſunt. Omnem enim eſcam abominata eſt anima eorum, & appropinquauerunt vſque ad portas mortis. Et clamauerunt ad Dominum cùm tribularentur: & de neceßitatibus eorum eduxit eos. Miſit verbum ſuum, & ſanauit eos: & eripuit eos de interitionibus eorum. Confiteantur Domino miſericordiæ eius: & mirabilia eius filiis hominum. Hoc ſenſu, & hoc ſtudio excitatum Ezechiam gratulatoriũ carmen non cecinisſe modò, ſed ſcripſiſſe, ac vulgaſſe narratur. Quamobrem carmini nomen impoſitũ MICHTHAB: *Latinus interpres* ſcripturam *vertit: quam ad poſteritatis memoriam literarum monumentis ſoſpitali Deo ſacratam voluit, & omnibus regni ciuitatibus, atq; etiam finitimis miſſam gentibus, morbi grauißimi, inquam, & ſanitatis diuino receptæ beneficio. Namq; hoc conſcripti carminis argumentum ipſa indicat inſcriptio,* Cùm ægrotaſſet, & conualuiſſet de infirmitate ſua. *Ex exemplari verbo,* In ægrotare illum, & vixit è morbo ſuo. *Propoſitionis & partitionis vim obtinet inſcriptio hæc: quæ vtramq; partem enarrandam ſuſcipit, morbum videlicet & ſanitatem. & quia morbi vi & grauitate ita fuerat oppreſſus, vt ſalutem ex naturæ virtute deſperaret, declarationis cauſa dixit* ex ægritudine ſua. *Appellatur autem non modò viri nomen, ſed titulus etiam* Regis Iuda. *cuius morbi periculum fama peruulgatum fuerat propter ſplendorem & celebritatem; vt fit, cùm vario auditorum ſenſu, amicorũ quidem metu ac mæſtitia, contrà verò inimicorum gaudio. quibus etiam carminis huius ſcripta exempla ipſiusq́ exarata manibus, diuerſum reponent animum; aliis quidem lætitia & gratulatione, aliis verò confuſione & cura affectum. Eſt autem carminis exordium huiuſmodi:*

Ego dixi, in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi: quæſiui reſiduum annorum meorum.

1. C A R M E N *hoc delectis ac geminæ ſignificationis compotibus verbis conſtat: atq; hoc pacto ſententia plenum ad communem rerum, & naturalem rationem, atq; ad arcanam pariter eſt referendum.* Ego dixi. *Deliberatam iam, ſibiq́ certam, & penè iam deguſtatam ſignificat mortem: namque vſu plerumq; euenire ſolet, vt in grauibus morbis, quamquam medicis iam triſtibus, amicis mœrentibus, & omni prorſus turbata familia, poſtremus omnium ægrotus ipſe ſe extremæ vitæ metæ proximum eſſe agnoſcat. quod quidem Rex hic ſibi iam denunciatum agnitumq́, & proprio ſenſu ac ſermone reſponſum fatetur.* Ego dixi *quòd denunciatum mihi à Vate fuerat: ipſe iam penè viribus & vita deficiens agnoui & publicaui.* In dimidio dierum meorum. DEMIIAMAI, *Verbum* DEMI *intercißionem & ſubtractionem, & ,vt ita loqui liceat, curtationem ſignificat. ex qua voce Latinum verbum* demere *natum videtur. quod in ſubductione annorũ Hora-*

Epiſt.1.lib.2. tius eleganter vſurpauit: Vtor permiſſo, caudæq́ pilos vt equinæ
Demo vnum, demo etiam vnum.

Itaque dimidium dierum hoc loco ademptionem dierum propriæ vitæ interpretamur, non autē exactæ iam atq; peragendæ demùm vitæ dimidium præciſum: vt Regis huius ætatem, quam iam partiti ſumus, recenſentibus conſtabit. Vadam ad portas inferi. SEOL vox à verbo SAAL facta, cuius Latina ſignificatio eſt petere, exigere: & pro morte, & pro ſepulchro, & pro mortuorū, ſiue, vt Latinè vocabant, manium loco vſurpatur. Namque his generibus tribus aſsiduam, perpetuam, & inſatiabilem exactionem ad-
Prou.27. ſcribit Salomon: Infernus & perditio nunquam implentur. Portæ autem SEOL, ſiue, inferi extremum iam vitæ finiendæ diſcrimen interpretari li-
Pſal.106. cet: quale, deſperato iam morbo, laborantibus adſcribit Pſaltes: Omnem „ eſcam abominata eſt anima ipſorum: appropinquauerunt vſque ad portas mortis. In ſimilem autem locum vitæ ſuæ rationem deductam ſeſe agnouiſſe declarat Iezechias, penè iam extinctum, atq; ad mortis & ſepulchri vſque ianuas præcipitatum dicens, & ex conſequenti, ad inferorum regionem tunc omnibus è vita hac mortali decedentibus adeundam, varia tamen ſingulis ſorte pro innocentis vel improbæ vitæ meritis experturis. Et quoniam ſibi hanc mulctam, irato Deo, irrogatam intelligebat; quidnam illic eſſet laturus dubitabat. hoc nouerat vnum, in loco SEOL agentibus Dei viuentis videndi copiam negari. quæſiui reſiduum annorum meorum. PAKAD verbum vnicum eſt, pluribus tamen Latinis pro ſententiæ ratione excipi-
Gen. 21. tur, recordari & reuiſere, aut viſitare. vt, Et viſitauit Dominus Saram.
Num.31. Deeſſe, ſiue deſiderari. vt: Nos ſerui tui recenſuimus numerum pugnato- „ rum, quos habuimus ſub manu noſtra, & ne vnus quidem DEFVIT. Nu-
Num.1. merare. vt, Et numerabis eos per turmas ſuas tu & Aharon. Commen-
Gen. 39. dare, cōmittere, ac deponere; præficere etiam. vt, Ioſeph heri ſui domui præ-
Gen.41. poſitus. &, Ægypti annona per vrbes depoſita narratur. his in locis & rebus omnibus idem vſurpatur verbum PAKAD. quod hîc etiam ad omnem admittitur interpretationem: nam in præterito tempore pronunciatum, iis literis legitur, quæ actiuam & paſsiuam ſine vocalibus admittunt ſignificationem. Itaq; perſona ad ſcribentem ipſum relata, dierum ſuorum reſiduum ſibi deſideratum eſſe, idemq́; rurſus diuino beneficio numeratū, idem proſpectum & conceſſum commendatumq́; ſignificat. Quoniam verò neq; corpori mortuo atque in ſepulchrum condito, neque manibus hominum in SEOL agentibus Dei conſpectus, aut hominum conſuetudinis copia conſtat, ſubiunxit.

2. DIVINÆ gratulationis amplificationem propria confeſsione molitur, qui ſe non communi ac leui, ſed grauiſsimo & letali correptum ſenſiſſe fatetur morbo: adeò vt nihil ipſe ſibi promitteret præter ſepulchrum; cui ſubeundo ſeſe iam proximum ſentiebat. dimidium dierum meorum. præciſionem & occationem vitæ, poeticè & eleganter deſcribit; qualem Poëtæ in parcarum numero tertiæ appingunt. Vocabulum DEMI, pro quo Latinè legimus dimidium, à verbo DAMAH factum eſt, quod excidere ſignificat,

vt

vt apud Hoſeam DAMITHI IMECHA, excidi matrem tuam. *Ait autem, ſe iam ad extremam vſque dierum exciſionem delatum, nihil prætereà vlteriùs corpori ſuo, præterquam ſepulchrum expectaſſe.* Portę inferi, *mors appellari ſolet, ex qua ſepulchrũ è veſtigio ſubitur. Et quidem nomen* SEOL *ſepulchrum ex primæua impoſitione ſignificat: deinde ex conſequenti euentu defunctorum vita conditionem quoque; ſiue illa felix, qualis piorũ quondam ante Chriſtianam ſalutem; ſiue acerba ac dura, qualis impiorum perpetuò fuit eritq́. Atq; indè iam receptum eſt, vt pro infernis vſurpetur hoc nomen locis, aut etiam vtraque ſignificatio confundatur. Namque & probi pariter & improbi quondam vbi è viuis deceſſerant, infernas adiſſe creduntur ſedes; diuerſo tamen vt merito, ita & iudicio ac loco: donec illi à Chriſto ſoluti, iſti verò ſunt in ſuo relicti carcere.* Quæſiui reſiduum annorum meorum. *Eadem ſignificatio eſt hoc loco verbi* quæſiui, *quæ Latinorum, deſideraui. vt, Quis deſiderio ſit pudor aut modus Tam cari* Horat. carm. lib. 2. *capitis. Deſideraui, inquit, reſiduum annorum meorum. Intellexerat enim nihil ſibi iam reliqui ad annos vitæ eſſe. Verbũ primæuum eſt* PVKADTHI *paſſiuæ ſignificationis & vocis. Fui iam de cetero deſideratus. inter alia enim, quæ pro verbo* PAKAD, *Latinè reddi poſſunt, hoc etiam quærere, requirere, ac deſiderare eſt. vt in illo exemplo: Vacuusq́; apparuit locus Da-* 1 Reg. 20. *uid. In exemplari eſt idem verbum* VEPVKAD MAKOM DAVID, *requirebatur Dauid ſuo in ordine Significat etiam recordari cuiuſquam in gratiam, vel in priſtinum locum reſtituendi. quale & illud eſt: Poſt tres dies* Gen. *recordabitur Pharao capitis tui. idem enim & illo in loco verbum legitur. Vtramq; ſignificationis ſententiam carmen hoc & admittit, & auctor intendiſſe videtur, hoc ſenſu: quod ad me attinet, quodq́; humanum ſpectat iudicium, ego iam deſideratus eram circa rẽſiduum annorum meorum: verùm à Deo viſitatus ſum, & in quindecim reſtitutus annos. Idem verbum eſt in illo etiam loco: Et viſitauit Dominus Saram. Atq; hanc ſignificatio-* Gen. *nem Chaldæus agnouit interpres: Propterea quòd memoratus fui in bonũ, & adauctus annis. Quantum verò à ſanitatis ac vitæ ſpe præ morbi magnitudine excidiſſet, vltrò etiam fatetur, quo maius & euidentius Dei commendet beneficium.*

Dixi, Non videbo Dominum Deum in terra viuentiũ, non aſpiciam hominem vltrà, & habitatorem quietis.

ET *ad ſimplicem ac naturalem, & ad arcanam quoque ſignificationem* I. *referenda huius carminis verba præmonuimus. Atq; ita, quod ad naturalem facit rationem, duplicis conſuetudinis facultate homo in hac mortali vita frui poteſt; diuinæ & humanæ. Diuina conſuetudo vel viſendis & contemplandis rebus, quæ à Deo conditæ gubernantur; vel ſacris documentis colitur: in quo genere religio, & quæ ad religionem comparãtur omnia ponuntur. qua de re ſcriptum eſt: Quemadmodũ deſiderat ceruus ad fontes aqua-* Pſal. 41. *rum, ita anima mea deſiderat ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fon-* " *tem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Atq; hanc du-* " *plicem rationem videndi & contemplatione cognoſcẽdi Dei, ſibi morte ſub-*

 ductum

ductum iri, gemens Iezechias querebatur, nomine diuino IAH, IAH *bis*
Lib Ioſeph. *appellato. de cuius ſignificatione in ſacro Apparatu, & in Pſalmorum interpretatione, atq; in magno opere diſſeruimus. Humanæ verò conſuetudinis copia vita defunctis hominibus omnino adimitur: ita vt non ſolùm iis, quos vel ſors vel ratio caros fecerat, verùm omnibus etiam totius terræ incolis carere ſit neceſſe. ex qua ratione ſuperorum & inferorum varia conditio ab antiquis diſtincta fuit. Iam verò ad arcanam quoque ſignificationem examinatus verſus, iis, qui in* SEOL *ſunt: quem locum Latinus inferavel infernum vocat, diuinæ viſionis & conſuetudinis facultas non conſtat: quandoquidem Deus non in* SEOL, *ſiue in inferno, ſed in terra viuentium videtur. Terram autem viuentium hoc loco arcanè dicimus, regnum, in quo cum Deo verſantur ij, qui diuinæ vitæ participes euaſere. Nominis autem* IAH, IAH *repetitio vtramque diuinæ viſionis & contemplationis indicat conditionem, quæ & in terra agenti homini contingere poteſt, & quæ in terra viuentium conſtat. altera illa terra, inquam, de qua ſcriptum*
Apoc. 21. *eſt: Cælum nouum & terram nouam. Primum enim cælum & prima terra*
» *abiit, & mare iam non eſt. Et ego Iohannes vidi ſanctam ciuitatem Ieru-*
» *ſalem nouam deſcendentem de cælo, à Deo paratam ſicut ſponſam ornatam*
» *viro ſuo, & audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernacu-*
» *lum Dei cum hominibus, & habitauit cum eis. Huiuſmodi arcanam viſionem in* SEOL *non ſe viſurum aiebat Iezechias, nimirum intelligens ſe irato Deo illuc relegatum iri. Atq; hæc ſententia ex antiquorum opinione profecta eſt, exiſtimantium eum, qui ex hac vita immaturè, & ante ætatis ſuæ terminum præciſus eſſet: alterius etiam vitæ, hoc eſt, futuræ & promiſ-*
Scribæ in tractatu de benedictionib. *ſæ felicitatis vſura mulctari. idemq; ex illo carmine adſtruentium: Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. & ex contrario etiam argumentati promiſſo vitæ huius piis hominibus prolatandæ, ita vt vitæ longitudo probitatem & pietatem apud illos probaret. Contrà verò, impietas vitæ illius facultatem adimeret, & huius etiam mortalis breuitatem efficeret. Atq; de felici illa vita prior verſus pars, de huius verò vitæ interciſione, atq; ex conſequenti, de humanæ conſuetudinis priuatione poſterior diſſerit pars.* Non aſpiciam hominem vltrà, & habitatorem quietis. HHEDEL *à* HHADAL *verbo deductum nomen, ceſſationem, & tempus etiam longiuſculum ſignificat, vt iiſdem literis, verùm immutatis nomen* HHELD, *longiſſimam ſenectam in Pſalmis interpretamur. in alio verò*
Pſal. 37. *Pſalmo legimus: Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum an-*
» *norum meorũ quis eſt, vt ſciam.* MEHEDELANI, *quid temporis, aut quid æui ego. Non, inquit, videbo hominem vllum, nedũ habitatorem æui quietì ac diuturni tẽporis. Quoniam verò ſe extincto, omnia ſua etiam abolitum iri nouerat, nempe regnum de ſtirpe, ſiue ſobole ſua, quippe qui, quam relinqueret, prolem nullam ſuſceperat; ideo ſubiunxit:*

2. DVPLEX *eſſe ſolet hominibus huius vitæ auræ amandæ cauſa: altera quidẽ, & maior ac potior, probis Dei inter viuentes colendi & laudandi, propter accepta, & perpetuò ſpectata beneficia, cùm priuatè tum publicè:*

ob

ob eamq́; rem feſti quondam inſtituti dies; in quibus templum communiter petebatur, cum beneficiorum ſolenni cōmemoratione, & gratulatione præteritorum, ac futurorum fide ac ſpe. Hic piis præcipuus vitæ fructus eſt. ad quam rationem illud pertinet: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi eſt Deus tuus? Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam: quoniam tranſibo in locum tabernaculi admirabilis vſque ad domū Dei, in voce exultationis & confeßionis ſonus epulantis. Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi ſalutare vultus mei, & Deus meus. Atque terra viuentium hæc terrarū ſuperficies vocatur: ex oppoſito verò mortuorum terra ſepulchrum dicitur; eo tropo, quo apud Latinos ſuperi & inferi vocantur. Refert autem ſe prorſus intellexiſſe mortem quàm citißimè obiturum, neque fruiturū illa lætitia viſendi Dei in ſacro & celeberrimo illo templo, in quo diuina prouidentia ſingulariter ſpectari credebatur. Alter viuendi vſus, cuius etiam cauſa vita amatur, hominum ſocietas, conſuetudo, & communicatio eſt; vnicuique eorum præcipuè, qui ſecum ingenio moribusq́; concordant. S. S. E. Oculi mei ad fideles terræ, vt ſedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat. Sui autē temporis atq́; æui homines habitatores HHEDEL *appellat. pro quo nomine Latinè* habitatorem quietis *interpres reddit. Verbum autem* HHADAL *certam ac definitam, terminatamq́; temporis aut actionum rationem ſignificat. continentiam quoque vertere licebit. Itaque* habitatorem quietis *ſui tēporis æuum interpretamur, & illius ætatis homines; quorum non perpetua, ſed certis finibus præſcripta vita eſt. Nam qui huius vitæ exceſſere æuum, non quietis, id eſt, certi temporis, verùm æternitatis habitatores dicuntur, quemcunque in locum illi migrarint. Hactenus vitæ ſuæ finem properaſſe querebatur Ezechias: cui dolori ille etiam, quem lamentaretur, acceſſerat: quòd ex hac vita penitus exciſus diſcederet, nullo relicto ad poſteritatem pignore, aut ſanguinis proprij monumento.*

Pſal. 42.

Pſal. 100.

Generatio mea ablata eſt; & conuoluta eſt à me quaſi tabernaculum paſtorum: præciſa eſt velut à texente vita mea: dum adhuc ordirer, ſuccidit me: & de manè vſq. ad veſperam finies me.

1. S*E, vitam, genus, monumentumq́; ſuum vna die ſublatum iri, lamentatur: quippe qui nullam hactenus haberet prolem; qui legitima hæreditate regno ſuccedens, domum familiamq́; in poſterum propagaret. atq́; rem ſuam omnem inſtar habere ait tentorij paſtorum: quod, vbi de paſtionis diſcedendum eſt loco, ſolutum & euulſum, complicatumq́;, alioq́; tranſlatum, ne veſtigium quidem ſui relinquit. Similem præterea eſſe telæ à textore præciſæ; apud quem nulla relinquitur pars; quam qui texendam olim dederat, ſibi vendicare poßit; nec ipſa etiam tela agnoſcere, atque ſibi coniungendam poſtulare. Huius verò telæ breuitatem ſibi imputat ipſi; qui, quamobrem præcideretur commeruit.* Præciſa eſt. *in propria lingua verbum primæ perſonæ eſt in graui ſiue efficaci coniugatione* KIPADTHI, præcidi. *Ipſe, inquit, meam præcidi vitā, vt textor præcidere telam ſolet.* dum adhuc ordirer.

nota & plana huius lectionis interpretatio eſt. Sed verbum DAL, *ægrotare, deficere, animo & viribus imminui quoque ſignificat. atque hoc vſurpato indicat, grauiſſimo ſe & præcipiti laborare morbo; adeò vt intra vnā diem vitæ ſuæ finem expectet, vixq́ poſteram aurorā ſibi cernendam ſperare poſſit.* de manè vſque ad veſperá finies me. *Sunt qui hoc loco interpretantur, illum interdiu leuiuſculè habuiſſe, noctu verò grauiſſimè laboraſſe, & optaſſe venturi diei auroram, releuationis cauſa.*

2. ELEGANTIBVS *& appoſitiſſimis tranſlationibus (quale antiquorum Vatum eloquium fuit) totum hoc contexitur carmen: ex quibus vna eſt tabernaculi paſtorum: cuius imagine Rex hic ſuum genus vnà ſecum prorſus raptum iri querebatur. Duplex in vniuerſum habitationis humanæ modus eſt; alter diuturnus & continuatus, alter verò breuis & fugax. prioris habitationis cauſa domus ædificantur; poſterioris verò tentoria ac tabernacula figuntur. domus diutiús durare, & firmo ſitæ loco manere, ac hæreditatis nomine in poſterorū quoque vſum cedere poſſunt, & ſolent. Ex qua ratione vſurpatum eſt, vt familiarū perpetua ſucceſſio domus in ſacris chartis frequentiſſimè appelletur. vt,* Pſal. *Domus Iacob de populo Barbaro. Domus Aharon ſperauit in Domino. Alter verò habitationis modus, cuius vſui tabernacula fiunt, nec diuturnus eſt; nec, vbi finitus fuerit, ſignū aut veſtigium relinquit ſui, in deſertis & campeſtribus locis præſertim. Breuiſſimus autem eſt paſtorum, qui Nomadum, ſiue Numidarum ritu, paſcuorum tātùm ſecuti oportunitates, aſſiduis migrationibus dant operā. In huius rei rationisq́ ſermone tria plerūq; vſurpātur verba* NTAGH *&* NAZZAGH, *&* GHALAH: *quæ Latinè figere, ſoluere, ſiue euellere, & migrare, vertere poſſumus. Hanc tranſlationē auctor hìc duobus verbis paſſiuis* NIZZAGH NIGLAH *ſequitur.* Generatio, *vocabulū Latinum hoc loco ex nomine* DOR *redditum eſt; quod in habitationem, ſiue ætatem & ſeculum vertitur. Eſt autem* DOR, *tempus vitæ hominis cuiuſpiam, inſignis præſertim atque illuſtris: cuiuſmodi Regum, Imperatorum, ac celeberrimorum patrum tempus notatur. cuius ſignificationis illud eſt:* Eccl. 1. *Generatio præterit, generatio aduenit; terra autem in æternum ſtat. Hac igitur imagine ſe vnà cum ſobolis poſteritatisq́ ſpe iam penè ex mortalium cōmunione ſublatum dolebat Rex hic: cuius oratio ad tranſlationem Latinè reuocata, ſic ſonat:* Habitatio mea vulſa eſt, migrauit ex me quaſi tabernaculum paſtorum. *Hoc vitæ ac migrationis genus Latinus poeta indicabat: Campeſtres melius Scythæ:*

Quorum plauſtra vagas ritè trahunt domus.

Hunc etiam vitæ ritū vſi habitantes Kedar *à Dauide vocantur. Aliam deinde etiam ad eandem rem, hoc eſt, ad vitæ ſuæ iam inſtantem terminum ſignificandum, tranſlationem vſurpans, ait:* Præciſa eſt velut à texente vita mea. *In exemplari lingua verbū actiuè ſonat* KIPADTHI CAOREG, præcidi vt texens, *quòd ſibi culpam imputet huius ita conciſæ, atque ſimul cum vita ſua finitæ poſteritatis: vtpote qui hactenus animū ad coniugium non appulerit, ipſe ſibi videretur in cauſa fuiſſe, vt nihil vlteriùs telæ à textore produceretur. Eſt autem elegantiſſima tranſlatio ab auleis ducta, &*

à telis,

à telis, in quibus Regum ac Principum hiſtoriæ textoria pinguntur arte; qualia aulea Attalica prima Romam aſportata, memorantur: in iis autem Regum non res geſtæ modò, ſed ſtemmata & ſucceſsiones deductis ordinibus viſere licet. Suo autem generi ac ſanguini finem, ſe mortem obeunte, factum iri dolens commemorabat, & lamentabatur Ezechias. Præcidi velut texens vitam meam, *ſiue, vt nos eadem ſententia legimus*, Præciſa eſt velut à texente vita mea. *id autem grauiſsimo, quem patiebatur, morbo effectum ait.* dum adhuc ordirer ſuccidit me. MIDALA. *duo ſignificat nomen* DALAH, *tenuitatem, & morbi impotentiam: quæ in idem recidūt, materiæ tantùm diſcrimine variato. Itaque* MIDALAH à tenuitate, *ſiue*, præ tenuitate, *vel* debilitate. *Quòd verò qui graui aliquo affligantur morbo, nonnullam interim ſpem habent valetudinis cum temporis mutatione mutandæ, atque ideo noctu diem, interdiu verò noctem appetunt; id ſibi etiam accidiſſe ait Ezechias, quamquam incerto ac magis metuenti, quàm ſperanti. Hoc eſt quod ſubiungitur*, de manè vſque ad veſperā finies me. *Verbum* THASLVMENI, abſolues, *ſiue* conſummabis me *ſignificat; poniturq́ plerumq́ in ſecundis, interdum etiam aduerſis in rebus. Eſt autem ſenſus: Sperabā me mutato tempore conſummandum & abſoluendum: videbam autem me potiùs conſumptum iri; ita grauiùs in diem & horam habebam. Non alienum ab hac ſignificatione & illud eſt apud Iobum: Dies* Iob 17.
mei tranſierunt, cogitationes meæ diſsipatæ ſunt, torquentes cor meū. No- "
ctem verterunt in diem, & rurſus poſt tenebras ſpero lucem. Eandē autem "
afflictionem & cogitationem inter ſpes & metus volutantem proſequitur.

Sperabam vſque ad manè, quaſi leo ſic contriuit omnia oſſa mea: de manè vſque ad veſperam finies me.

SE *noctu maximè oppreſſum & fatigatum poſteri diei manè anxiè cu-* 1.
piuiſſe & expetiiſſe ait: quæ ægrotantium ac laborantium affectio eſt. Cuius exemplum illud etiam: Dies mei tranſierunt, cogitationes meæ diſsipatæ Iob 17.
ſunt, torquentes cor meum. Noctem verterunt in diem, & rurſus poſt te- "
nebras ſpero lucem. Huiuſmodi verò leuamentum ſperanti ſibi oſſa confra- "
cta fuiſſe à Deo, veluti pecudis oſſa à leone confringuntur: itaque reliquam fuiſſe expectationem mortis proxima nocte futuræ. Verbum ſperabam *adiunctum ſibi poſtulat verbum* gemebam. *Namq;* SIVITHI, *ambo hæc ſignificat. Nihilominus tamen ſe attentè & acriter diuinam clementiam ſolicitare conatum gemitu, lamentis, clamoribus, & omni deprecationis geſtu & habitu vſum fuiſſe commemorat.*

MORBI *vi & pondere perinde ſe fractum ſenſiſſe ait, atque animalia* 2.
minora; quæ leonis impetu & ferocitate franguntur, & debilitantur: atq; ita priore ſpe in metum conuerſa, ſe quàm citiſsimè finiendum timuiſſe. de manè vſque ad veſperam finies me. *In exemplari legimus*, MIIOM GHAD LAILAH, à die vſque ad noctem. *quod horæ ac temporis viciſsitudinem ſignificat. Iam verò tanto dolore affectum, & metu perculſum ac turbatum, ad vnicum Dei auxilium ac præſidium votis, precibus, & clamore confugiſſe narrat ſe.*

Sicut

Sicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor vt columba: attenuati ſunt oculi mei ſuſpicientes in excelſum: Domine vim patior, reſponde pro me.

1. D V A R V M *vel trium auium, quarum triſtiſsimæ audiri ſolent voces, affectum & gemitum ſe expreſsiſſe ait: quarũ vna hirundinum pulli ſunt; qui, dum in nido continentur, parentes præſtolati & appellabundi indeſinenter vociferantur. altera eſt grus, cuius vox luctum potiùs quàm cantum imitatur: quamquam huius auis nomen* GHAGVR *in noſtris Latinis verſionibus non reperitur redditum. tertia verò columba; quæ ſobolis deſiderio languens, perpetuos ferè, eoſdemq́ maeſtiſsimos, ciet, & ingeminat gemitus, iiſdemq́ contentam curam exprimere videtur. Et voce quidem in hunc modum habuiſſe ait ſe; ſenſu autem, geſtu, & habitu non minùs laboraſſe declarat, ad oculorum vſque laſsitudinem, & ſenſus deliquium. Summam verò deprecationis & vocis lamẽtationisq́ ſæpiùs à ſe geminatæ, illã repræſentans fuiſſe ait,* Domine vim patior, reſponde pro me. G H A S K A H L I. *Extremam & acerbiſsimam exactionem ſignificat vocabulum* GHASKAH, *ſiue illud nomen, ſiue imperatiuum verbum ſit. Clamat itaque ſe hoc modo affectum, vt is à quo maximum debitum, vel pro debito caput exigatur. atq; diuinam implorans clementiam, illud appellat nomen, quod ad ius dominiumq́ refertur.* ADONAI, *correlatiuum eſt nomini* ſeruus. *Agnoſcit itaq; ſe ſeruitutis iure damnatum, ad ſupplicium rapi: verùm Dominum appellans ſuum, vt ſatiſdationis pro ſe ſpem deſpondeat.* reſponde pro me. GHARABENI, deſponde pro me. *ita emendati quidam Latini codices habent: qua oratione ſe pœnitere iam declarat, & emendationem in poſterum profitetur. Atq; hac oratione & appellatione vſum, clementiam Dei ſe expertum fuiſſe fatetur, & voti iam damnatum declarat; gratíque animi indicibus laudibus, hoc eſt, gratulationi perpetuæ ſe vacaturũ vouet.*

2. T R I P L I C I *ſimilitudine votum, querelam, & clamorem deſcribit; quibus diuinã ſollicitare ſtuduit clementiam, dum graui ac deſperato vexabatur morbo. Voces autem indicat auiũ, & mœſtas, & quæ, dum eduntur, interni ſunt affectus indices, gruis, hirundinis, & columbæ. Nam grus lugubri ſonat voce; hirundo importunam & inſtantem, perpetuamq́ querimoniam; columba verò, gemitum affert grauem.* pullus, *primæua lingua* ZZVZZ *habet: quod nomen in quadrupedibus equum, in bipedibus verò gruem ſignificat. vtrumq; autem nomen ſine coniunctione ponitur in germana lingua: quæ figura vehementem animi indicat motum.* ſicut pullus, grus, hirundo. *Sunt autem qui* GHAGVR, *picam; Italis gaza dictam interpretantur. Clamorem verò ſuum non aliò quàm in cælum directum ait, cum vehementi mentis ac ſenſus attentione, ad animi vſque penè deliquiũ. querelæ autem ac deprecationis argumentum, imò & formulam ipſam refert:* Domine vim patior, reſponde pro me. *Dei tutelæ vnicæ ſeſe commendaſſe ipſum ait; ducta tranſlatione ab iis; qui per violentiam à fortiore opprimuntur. Se prorſus morbo obnoxium ait, eoq́ diuinitus illato: neque alio poſſe ſibi pacto conſulere, quàm pœnitentiæ promiſſo, quod à Deo admiſſum*

miſſum expetit. Reſponde pro me. *in lingua ſancta:* Domine durum
mihi. GHARABENI, pignora me. *pignus & ſidem à me cape, mutatio-
nis ac reſipiſcentiæ in eo, cuius cauſa vexor.*

Quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cùm ipſe fecerit? recogi-
tabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.

E x *verbo primæuo prima huius verſus pars in hunc habet modũ.* Quid 1.
loquar? & dixit mihi, & ipſe fecit. *ſignificatq́; ſibi hæc, quæ commemo-
rata ſunt, locuto à Deo feliciter per Vatem reſponſum, atq; e veſtigio reapſe
præſtitum.* Quid dicam? *mihi id, quod dixeram, cogitanti aduenit ille, &
per Vatem præſtandum dixit, & ipſe idem fecit: quamobrem vitæ meæ an-
nos omneis additos illius cultui & laudibus deuouendos decerno, pro animæ
meæ mœſtitia & acerbitate; quam, dum ægrotarem, expertus fui.* recogi-
tabo, EDARE, *idem verbum eſt, pro quo ſæpiſſimè Latinus interpres red-
dit* vouere. *Porrò quindecim annorum promiſſum certum, ratum, felix,
fauſtum, & auctius ex Dei liberalitate poſtulat.*

R E R V M *ſuarum & vitæ ac valetudinis in melius conuerſionem, vo-* 2.
*tum, clamoremq́; ſuum ex diuino beneficio conſecutam deinceps narrat, ac
totius hiſtoriæ cataſtrophen canit. Ait enim: Poſtquam ego Domini fidem
implorauí, quidnam de euentu narrare poſſim, audire eſt operæpretiũ; nem-
pe reſponſum ex animi ſententia mihi fuiſſe relatum, & cum reſponſo pa-
riter collatum beneficium. Hic verſus ita ex exemplari verbo Latinè ſonat:*
Quid eloquar? & dixit mihi, & ipſe fecit. *Admirationem, & repentini
beneficij laudem commendationemq́; ſuadet interrogatio.* Quid eloquar?
ſiue, quid dicam? *eſt autem frequens huiuſmodi interrogatio & admira-
tio apud poëtas, in magnis ac ſubitis rebus enarrandis, præſertim ſecundis.
quale illud eſt: Credimus? an qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt?
ſic Ezechias. quid dicam de euentu?* reſpondit mihi [*per Iſaiam Vatem*]
atq; reſponſo & promiſſi factũ, & veritatem beneficij addidit, ipſe fecit.
*Quamobrem reliquum vitæ, quod additum ſupereſſet annorum, ſuis com-
memorandis rebus, aduerſis (inquam) & beneficiis diuinis recenſendis, &
laudandis impenſurum ſe ait. hoc eſt quod ſubiungit:* Recogitabo omnes
annos meos in amaritudine animæ meæ. *Annos (inquit) meos omnes
in recenſenda hac animæ meæ, quam pertuli, amaritudine ponam.* animam
hîc pro ſenſu atq; animali portione accipimus ex primæuo nomine NEPHES
amaritudinem *verò, morbi impotentiam interpretamur. cui amaritudini
additos ad vitam annos ſecunda valetudine, & integris viribus firma-
tum iri ſperat:*

Domine, ſi ſic viuitur, & in talibus vita ſpiritus mei, corripies me,
& viuificabis me.

H V I V S *verſus obſcurior interpretatio eſt; qualis plerumque eſſe ſolet* 1.
*in iis quæ ex aliena lingua & carminis lege in aliam, oratione ſoluta, con-
uertuntur: cuius rei exemplo Pſalmi ferè omnes erunt. quamobrem ipſum
carmen ex verbo redditum, apponendum cenſetur.* Domine, ſuper illos
viuent, & omnibus in illis vita ſpiritus mei, & impinguabis me, &

viuiſicabis me. *quo in verſu gratulator hic duo poſcit; primò, vt proprius ſibi ſtatuatur & perpetuus huius promiſſi vſus: deinde verò, vt auctior etiã & felix, optimaq́; valetudine & habitudine amplificatus euadat.* Domine, ſi ſic viuitur. *ſi, vt tu pollicitus es, viuendum mihi eſt; ita, vt nihil de promiſſo ſubducatur, ſed potiùs ſuper illos quindecim promiſſos anni viuent. hoc verò dicit, vel quòd augeri ſibi eos poſtulet, vel quòd rectà valetudine, & integro ſpiritu & animo exigendos, longiores cenſeri poſſe ac deberi intelligat: quippe dies omnes, qui in morbis & animi ægritudine conteruntur, inter vitæ annos non videntur enumerandi. S.S. E.* Psal. 89. *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur: dies annorum noſtrorũ in ipſis ſeptuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni, & ampliùs eorum labor & dolor. Quare qui ſanis, valentibus, & rectè habentibus tranſiguntur, auctiores multò videntur: non enim quàm multos, verùm quàm benè quis vixerit annos, laudari ſolet. & qui ita viuunt, pleni dierũ, & in ſenectute bona deceſſiſſe dicuntur. Atq; hæc oratio & poſtulatio regis huius, eorũ exprimit ſenſum & votum, quibus ea quæ optata fuerant, ex animi ſententia contigerint, eademq́; gratulabundi proſperè, fauſtè, feliciterq́; euenire ſibi poſtulant.* corripies me, & viuificabis me. *Si verbi* corripies, *hoc loco ſignificationem expendere placeat, eadem erit atq;* corriges. *correctam & emendatam, omni morbi, aut mœroris animi exceptione liberam concedes vitam; ita vt ſanus, integer, valensq́; hos omnes tibi iam deinceps deuotos, & addictos annos viuam. Eadem erit, ſed apertior ſignificatio verbi* impinguabis me, *pro* THAHHALIMENI *redditi: vt integer, valens, pinguisq́; viuam: ita tamen obeſus, vt vitæ actiones, muniaq́; omnia rectè & expeditè ſeruare, & præſtare valeam.* & viuificabis me, *ſimili gratulatione ac ſenſu voti ſui ſucceſſum celebraſſe, Latinus ille doctus & elegans auctor videtur.*

Hor. Sat. 5. lib. 2.

Hoc erat in votis, modus agri non ita magnus,
Hortus vbi, & tecto vicinus iugis aquæ fons,
Et parum ſyluæ ſuper his foret. Auctius atque
Dÿ melius fecere. benè eſt, nihil amplius oro
Maia nate, niſi vt propria hæc mihi munera faxis,
Si neque maiorem feci ratione mala rem,
Nec ſum facturus vitio culpáve minorem.

Et paulò pòſt: *Hac prece te oro*
Pingue pecus domino facias & cetera præter
Ingenium, vtq́; ſoles, cuſtos mihi maximus adſis.

* * * * * * * *

2. CONDITIONIS *vocula in exemplari lingua nec reperitur, nec requiritur; atque in multis Latinæ etiam verſionis codicibus abeſt, citra vllum ſententiæ diſpendium.* Domine, ſic viuitur. *Ex primæua lingua ita,* Domine, ſuper eos viuent, & omnino in illis vitę ſpiritus mei, & vegetabis me, & viuificabis me. *Ait ſe ex promiſſi fide non modò quindecim illos annos victurum, ſed vlteriùs etiam vitæ metas producturum; atque adeò*

adeò firma valetudine & integris viribus, animoq́ forti vſurum. ſic viuitur. *præſens pro futuro hîc poſitum ex antiqua lectione intelligimus,* ſuper eos [*annos*] viuent. HHAIV, *verbum* viuere, *& ſanum integrúmque eſſe ſignificat. ita ſe ſuos annos, & vlteriùs etiam, proſpera & integra ſanitate vſurum.* & in talibus vita ſpiritus mei. *Spiritus nomen, viuacitatem, agilitatem, & promptitudinem ſignificat.* in talibus *annis vita ſpiritus mei integra erit.* corripies. *confirmationem & vegetationem hoc verbo intelligimus.* VE THAHHALIMENI, *ſomnum conciliare, & vegetare, firmareq́ ſignificat. à quo verbo nomen factum* HHOLEM: *quod oui vitello impoſitum eſt, propter alimenti vegetam vim. ita autem fatetur ſe ex duplici incommodo, & vtroque grauiſsimo, cùm priuatè, tum publicè ad integram ſalutem diuino beneficio tranſlatum.*

Ecce in pace amaritudo mea amariſſima: tu autem eruiſti animam meam vt non periret, proieciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea.

NON *vnum, ac ſimplex ægritudinis genus Ezechiam eodem tempore inuaſerat; verùm duplex: vtrumque magnum & graue, ſed alterum longè grauius altero. Namque morbi, quo correptus fuerat, quanta eſſet vis, iam hactenus gratulatione ſalutis indicata eſt: verùm multo ſe magis animi ægrimonia affectum fuiſſe ait, propter vexatum bello regnum & Ieroſolymam vrbem Sanacheribi aduentu, perturbatam: quippe maior publicæ rei ac ſalutis, quàm priuatæ commoditatis ac vitæ ſummis viris ac principibus, officium ſuum facientibus, cura eſt. Itaque vtroque morbo pariter laboraſſe ait ſe Ezechias: corporis quidem vehementi, ſed & animi multo etiam vehementiori, triſti, & faſtidioſa ægrimonia. Hæc plana & ſimplex nobis huius verſus explicatio & ſententia eſt.* Ecce in pace amaritudo mea amariſſima. *ex verbo ſic Latinè ſonare poteſt:* Ecce ad pacem, amarum mihi amarum. *Ecce, vocula, plerumque graue aliquid indicat. Eſt autem ſenſus: Ecce verò ad pacem quod attinet, id profectò acerbiſsimũ mihi fuit: qui omnia bello vaſtata, & regiam vrbem atque aulam vehementi conturbatam timore experiebar: atq́ ita vtrimq́ oppreſſum ſe duplex quoque beneficium diuinitus datum agnouiſſe ait; agnitumq́ gratulatur. nempe alterum, quo ſibi culpam demiſſam intellexerit, quamobrem corpore ad mortis vſque diſcrimen correptus fuerat.* tu autem eruiſti animam meã HHASAKTHA, complacuiſti, voluiſti & curaſti. *hæc verbi vis eſt.* vt non periret. *In lingua ſancta poëticè* MISAHHATHBELI, in fouea ne. *ne in foueam & interitum deſcenderet. Id autem beneficium ex maiori profectum gratulatur: videlicet,* quòd proieciſti poſt tergum tuũ omnia peccata mea. *eius autem beneficij euentum ex parte ſua gratulationis commemoratione celebratum iri pollicetur. id quod viuens & valens, vt iam conſtabat, efficere & præſtare poterat, quod mortuus nimirum non poſſet.*

Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt qui deſcendunt in lacum veritatem tuam.

BENEFICIA, *vt in viuentes collata ſunt, ita à viuis celebrantur:*

namque mortui, vti ſenſu carent, quod ad corpus attinet, ita etiam linguæ vſu ad laudes peragendas priuati ſunt. quamobrem neque ipſi diuinos canere honores, neque aliis canendos tradere poſſunt. Simili oratione antiquior Ezechiæ auus in eodem fere argumento eſt vſus: Nunquid mortuis

Pſal.87.

„ *facies mirabilia; aut medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi? Nunquid*
„ *narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam, & veritatem tuam, in*
„ *perditione? Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua: & iuſtitia tua*
„ *in terra obliuionis? Hæ omnes circumlocutionum formæ ab antiquis vſurpatæ mortuorum ac ſepultorum conditionem ſignificant: qualia etiam apud externos poëtas Cocyti, ſtygis & Lethei fluminis nomina in vſum veniũt. Diuina igitur erga viuentes beneficia laudes mereri debitas, tum apud viuentes ipſos qui acceperint; tum etiam apud horum liberos & poſteros, qui à parentibus edocti fuerint, atque vtraque lege ſeſe obligatum prædicat, & confitetur.*

Viuens viuens ipſe confitebitur tibi, ſicut & ego hodie: pater filiis notam faciet veritatem tuam.

HYPOTHESIN *cum theſi coniungit, id eſt, à communi lege ad priuatam refertur conditionem: atq; obiter indicat ſe coniugio operam daturum, procreaturumq; liberos, quos de diuini promiſſi conſtantia & veritate docendos curare deceat.* ſicut & ego hodie. *Votorum nuncupationem non prolatandam, ſed maturè ſumma cum fide præſtandam eſſe, exemplo docet ſuo. Atque hæc de priori ſalutis, hoc eſt, priuata ratione dicta; de publica verò ſalute, pace, & ſecuritate ſibi etiam languenti promiſſa ac reapſe præſtita illud ſubiungit:*

Domine ſaluum me fac, & pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini.

DOMINE. *Nomen illud appellatur arcanum; cuius pleraque ſignificatio ad miſericordiam & ſalutem refertur.* ſaluum me fac, *ex exemplari verbo* ad ſeruandum me. *ſignificat autem ſpem ſalutis à Domino ſibi factam: non ex morbo tantùm, ſed ex illa etiam communi calamitate impendentis belli certam & firmam euentu ipſo euaſiſſe, quemadmodum audierat.* & die tertio ibis in domum Domini. *Ideóque ſibi laudum ſuſcepta vota cum populo omni deinceps perpetuò ſoluenda pollicetur; cantandis videlicet carminibus ac ſupplicationibus decernendis & celebrandis.* & pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini.

Quoniam verò carmen hoc eleganti numerorum ac pedum ſtructura conditum, aptiùs ac ſignificantiùs verſu quàm proſa oratione exprimitur; Latinis etiam modis ex tempore, vtcunque potuimus, in lectorum gratiam referre non piguit.

Ex

Ex ſcripto Ezechiæ regis Iuda.

DIXERAM, quando mihi nunc ſupremus
Iam dies inſtat, ſupereſt ſepulchri
Ianua extincto ſubeunda, nec iam
Summa mihi vlla
Reſtat annorum, neque iam valebo
Protinus, dixi, superûm per oras
IAE adorandum, priùs vt ſolebam,
Viſere templum.
Sed neque, heu, certi aſpiciam quietos
Compotes æui breuis atq; Adami ex
Gente mortaleis, ſociata quorum
Vita placebat.
Noſtra migrauit citiùs reuulſa,
In breue atque ætas ſpatium coacta:
Sic tabernaclum pecoris magiſter
Soluit, abitq;.
Heu, meam, textor velut, ipſe vitam
Vſque præcidi, cruciante morbo:
Nec dies quicquam iuuat, aut laborem
Imminuit nox.
Noctibus totis gemo, & ad ſequentis
Lucis auroram premor vſque fractis
Oßibus, vaſti velut ictus vngue ac
Dente leonis.
Vel die vel me per amica noctis
Tempora afflictum recreabis, inquam;
Sed dies mortem grauis ipſe acerbam
Noxq; minatur.
Grus velut, mæſtam repetens querelam
Perſono, ac tectis vt amica hirundo,
Edit & quales gemitus lugubri
Voce columba.
Languet attentus mihi nempe ſummum
Viſus in cælum. Premor, atq; duram
Vim fero: Præſta, ô Domine, & vadatô
Tu mihi adeſto.
Quid loquar? Dixit Deus; ipſe præſens
Et volens fecit. numerabo cunctis,
Vita queis poſthac mea reſtat, annis
Quæ mala ſenſi.
Hiq; viuenti vt ſuperent, dabis tu
Here, vt integris validiſq; membris

 Spiri-

Spiritu & multum vegeto per omne
Temporis æuum.
Ecce, ſed pacis mihi amara reſtat
Cura: Pax noſtra procul vrbe diſtat,
Et grauis me iam premit iſte morbo a-
marior hoſtis.
Tu meam curans animam, redemptor,
Eripis duro baratri periclo:
Proiicis poſt & tua terga noſtræ
Crimina culpæ.
Non enim ſurdis tua laus ſepulchris
Inſonat, nec mors tibi muta carmen
Dicit, aut atris tua facta in antris
Commemorat quis.
Viuus at carmen celebrare, viuus
Eſt potis: ſic nunc ego, ſic & olim
Te canam. Caris memorent parentes
Te quoque natis.
Soſpitem ſeſe mihi præſtat IAS.
Hunc ſalutarem patrio canemus
Carmine, huic gratus populus, ſacra dum
Siſtimur æde.

Et iuſſit Iſaias vt tolleret maſſam de ficis, & cataplaſmarent ſuper vulnus, & ſanaretur. Et dixit Ezechias: Quod erit ſignum quia aſcendam in domum Domini?

HISTORIÆ *huius contextus ac ſeries argumento ac ſenſu parum differre videtur ab eadem narratione in Regum libris expoſita: loco verò atque ordine diuerſo ponitur. Illic enim totius rei ratio, ita vt cœpta, deducta, & abſoluta fuerit, deſcribitur: hoc verò in capite poſt integrā promiſſi diuini, atq; editi miraculi narrationem, velut appendix quædam, ſubiungitur. Id verò ex eo factum animaduertimus, quòd huius libri concinnator, quiſquis is fuit, nihil ex omni hiſtoria prætermiſſum voluerit. Verũtamen ea quæ præcipua fuerant, & ſequacem poſtulabant narrationem, continente ac perpetuo calamo deduxit: quæ verò oblata atque obiter intermiſſa cognouit, ne requirere quis iure poſſet, ad finem diſtulit narrationis. Et quidem res omnis ita expedita fuiſſe videtur. Ex malo corporis ac membrorum ſucco, eoq; nimio, grauiſſimus Ezechiæ acciderat morbus. qualem habitũ cacochymiam & plethoram vocant medici: perículoſiſſimumq; eſſe docent. qui vbi diutiùs viguerit, perpetuo ardore & confuſo feruore in varios & corruptos deſpumat abſceſſus, tumoreſq; gignit importunos, & ſcabiem, puſtulas, membrorũ luxationes, vel contractiones, diſtorſiones atq; alia cõſlura, quæ vocantur Symptomata. Hoc verò genus non ipſum ſua ſponte periculoſum ducitur: ſed propterea horretur, quòd morbi grauiſſimam vim, vnde*

proficiſcatur, arguit: tamen ægrotantibus, quia dolorem, aut pruriginem, aliaq́; incommoda affert, moleſtum eſſe ſolet. Id quod & Ezechiæ quoque euenerat, qui præ morbi nimia & impotenti materia, puſtulis & ſcabie infeſtabatur: quam non tam ex miraculo quàm ex medicinæ ratione leuandam & curandam monuerat Iſaias, interim dum de diuini beneficij promiſſo cum viro ageret. Namq; morbus ipſe, vtpote grauiſſimus, nullius medici, vel medicinæ, niſi ſolius Dei ope ſanari poterat. id quod narrationis adnotatur initio. ægrotauit Ezechias vſque ad mortem, *qui nullũ aliud ſibi niſi à Deo ſubſidiũ ſperabat, ſed neque per Vatem expectare iuſſus fuerat. Hæc dicit Dominus Deus patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi* 4.Reg.20.
lacrymam tuam. Ecce ſanaui te: die tertio aſcendes in templum Domini. "
Cuius quidẽ promiſsi nulla Ezechiæ inciderat ambiguitas, vtpote cui Iſaiæ Vatis auctoritas planè conſtabat: ſed quòd illum de abſceſſu curando agere audierat, cuius minor multo quàm capitalis morbi cura premebatur, intellexit, ſcabiem quidem ex Iſaiæ conſilio ac præcepto curari, verùm id non eſſe quod maximè referret: ſed morbi vtriuſque curationem, hoc eſt, ſui illius teterrimi, & etiam periculi ciuitati ſuæ per hoſtem allati. Id quod vt à naturali ſcabiei curatione diſtingueretur, & ſuæ ſingularis efficientiæ, & laus, & auctoritas Deo publicè conſtaret, miraculiq́; prædicaretur nomine, nec naturæ alteri, præterquam diuinæ, acceptum referri poſſet, miraculo indicatum, & certo ac ſingulari declaratum ſigno, expetiuit. Vtrumq; autem conſilium ab huius libri deſcriptore diſtinctis verbis enarratum eſt, Iſaiæ medicinam morbi abſceſsibus conſulentis: id quod narrationis auctoritas indicat. Et dixit Iſaias. *non ait Deũ per Iſaiam, ſed Iſaiam ipſum dixiſſe id quod ad abſceſſus tantùm referendum declaratur:* vt tollerent maſſam de ficubus, & cataplaſmarent ſuper vulnus, & ſanaretur. *Quod verò morbi caput ſpectabit, et ad Dei referendum erat virtutem, quod præcipuè & efficiendum, & publico ſigno declarandum Ezechias curabat. atque ita diſtinctis & apertis verbis à deſcriptore commonſtratum eſt.* Et dixit Ezechias: Quod erit ſignum, quia aſcendam in domũ Domini? *Planius verò ac diſtinctiùs in Regum hiſtoria legimus, Dixerat autem Ezechias* "
ad Iſaiam, QVOD ERIT *ſignum* QVIA DOMINVS ME *ſanabit, &* "
quia aſcenſurus ſum die tertia templũ Domini? Ita variata ſuis locis nar- "
ratione, auctor hic rebus proſpexit diſtinguendis; quibus ille Regum libri ſcriptor, id eſt, Iſaias, eo quo edi contigit, ordine deſcribendis ſatisfecit. Quod verò hic vulnus *& in Regum lib.* vlcus *legimus in exemplari lingua vocatur* SAHHIN: *non ſcabiem, vt alias alij, ſed moleſtum atq; difficilem tumorem interpretamur: quales abſceſſus ex nimio aut malo humorum ſucco, aut ex putreſcente ſanguine fiunt, & non exiguum ægrotanti adferunt dolorem. His autem vel reſolutione, vel maturitate & apertione, medici auxiliantur. quibus parandis non incommoda ex aridis ficubus materies habetur; quamquam antiquis ex auctoribus nonnulli in hac etiam re miraculum ſubeſſe affirmant, aſſerentes foueri magis & prolatari ſcabiem quàm curari, ficuum cataplaſmatis admotis. Verùm nos non ſcabiem, ſed importunos tumores, quos apoſtemata chirurgi vocant, intelligimus.*

CAPVT XXXIX.

IN tempore illo miſit Merodach Baladan filius Baladan rex Babylonis libros & munera ad Ezechiam: audierat enim quòd ægrotaſſet & conualuiſſet.

DIVINA *beneficia in Ezechia priuatè, & in Ieroſolymis publicè collocata, ſingularisq́ prouidentiæ indicata ſignis, ad vicinas & exteras quoque gentes fama pertulit: quæ tanto illuſtriora iudicata ſunt, quanto opportuniùs facta; nempe ſanitate Regi reſtituta & vita adaucta, atque pace reipub. parta, vltisq́ hoſtibus ac perditis. quæ omnia manifeſto diuinæ erga res humanas curæ argumento fuere. S. S. E. Increpaſti gentes, & periit*
Pſal. 9. » *impius: nomen eorum deleſti in æternum & in ſeculum ſeculi: inimici de-*
» *fecerunt frameæ in finem, & ciuitates eorum deſtruxiſti. Periit memoria*
» *eorum cum ſonitu. Et, Dn̄s in æternum permanet, parauit in iudicio thro-*
» *num ſuum. &, Ipſe iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in*
» *iuſtitia. Et, Factus eſt Dominus refugium pauperi, adiutor in opportuni-*
» *tatibus in tribulatione. Et ſperent in te, qui nouerunt nomen tuum: quo-*
» *niam non dereliquiſti quærentes te Domine.* *Hæc itaque diuinæ prouidentiæ exempla Babylonis Rex admiratus, legatos Ieroſolymam cum literis deſtinauit & muneribus, quibus Regis amicitiam teſtaretur, & vtriuſque ſalutis, tum priuatæ, tum publicæ gratulationem ſignificaret. Fuit autem Merodach Baladan proprius ac legitimus Babylonis rex: qui tamen, vt complures alij nationum reges, Senecharibi imperio vel tyrannidi parebat: vnde factum eſt, vt aliquando etiam in ſua vrbe ſeruire & obſequi vel inuitus cogeretur. Ita in Regum libris legimus, Et venit Rex Aſſyriorum ex Babylone. quem regem atq́ illius hæredes, vtpote tyrannidem occupantes, inuidia apud Babylonium regem laboraſſe, res ipſa docet, & legatio apertè demōſtrat ad Ezechiam gratulationis cauſa data, etiam viuente Azzarhhadon Senacheribi filio & imperij hærede.* Libros & munera *Scriptura omnis, quæ vel ad abſentes, vel ad poſteros tranſmittitur,* ZZEPHER, *in lingua ſacra vocari ſolet: vt Latinæ etiam epiſtolæ, literæ vocantur; tametſi quidquid ſcribitur, literis exaretur. Itaque* libros, *gratulatorias literas, interpretamur. atque ita interpres noſter in Regum hiſtoria pro eodem nomine* ZZEPHARIM literas *reddidit. Oportet autem legationem illam principibus & inſignibus aulæ regiæ viris demandatam intelligere: quibus breuium epiſtolarum argumenta mandatorum cōmentatione explicanda communicata fuerint, & commiſſa.* Munera *verò & regalia, & templo illo, & Rege digna fuiſſe conſentaneum fuerit, quibus nimirum Ezechias lætaretur, & Regis celeberrimi amicitiam libens admitteret. id quod conſequenti argumento ac ſigno declarauit.*

Lætatus eſt autem ſuper eis Ezechias.

COMPLVRES *lætitiæ rationes humano iudicio æſtimatæ Regem ad inſolentem vſque iactationem perculerant. Prima regis auctoritas, & conciliata vltrò amicitia: quæ non ſolùm mutuam gratiam & opem, ſed cōmu-*

nem

nem in hoſtes atq́; inimicos inuidiam promittebat: deinde munerum elegantia; literarum argumenta atque oratio gratulationis ac ſignificationis magnificæ plena: legatorum præſentia, geſtus, & habitus, atque ſermo & actio. quibus omnibus permotus, ac penè elatus, facilem, apertum, & cōmodum ſeſe exhibuit Ezechias, ſuaq́; omnia, etiam pretioſiſſima & reconditiſſima oſtentans, communicationem cum Babylonis rege exponere ac polliceri viſus eſt.

Et oſtendit illis cellam aromatum, & argenti, & auri, & odoramentorum, & vnguenti optimi, & omnes apothecas ſupellectilis ſuæ, & vniuerſa quæ inuenta ſunt in theſauris eius.

Locupletiſſimum fuiſſe Iezechiam, atq́; adeò elegantiarum omnium diligentem atq́; etiam copioſum; idq́; Dei benignitate, qui omnia hæc, quibus voluit, magis ad honeſtum vſum cum cognitione coniunctum, quàm ad ambitioſam oſtentationem ſuppeditat. Porrò quàm varia huiuſmodi rerum, quamq́; exuberans contigerit Ezechiæ copia, aliàs narratur. Fuit autē Ezechias diues, & inclytus valdè; & theſauros ſibi plurimos congregauit argenti & auri, & lapidis pretioſi, aromatum & armorum vniuerſi generis, & vaſorum magni pretij. apothecas quoque frumenti, vini, & olei, & præſepia omnium iumentorum, caulasq́; pecorum, & vrbes ædificauit ſibi: habebat quippe greges ouium & armentorum innumerabiles: eo quòd dediſſet ei Dominus ſubſtantiam multam nimis. Ipſe eſt Ezechias, qui obturauit ſuperiorem fontem aquarum Gihon, & auertit eas ſubter ad occidentem vrbis Dauid. in omnibus operibus ſuis fecit proſperè quæ voluit. Præter cellam aromatum, *quam Rex hic legatis oſtendiſſe narratur, poſt argenti & auri mentionem, rurſus* odoramentorum *fit mentio: quæ ſingulariter balſamum declarat pretioſiſſimū illud, vni Iudææ vico, nempe Ierichunti, à natura conceſſum: cuius quanta fuerit æſtimatio, à Plinio indicatur, aſſerente, in ipſa Iudæa triplex auri pondus in ſingulas vncias impendi, hoc eſt, quatuor & viginti ex noſtris aureis ducalibus nummis. In exemplari lingua eſt,* HASEMEN HATOB, vnguentū illud optimum. *Atqui cenſetur Ezechias omnia hæc oſtentabundus legatis Babylonicis commonſtraſſe, profeſſusq́; communicationem cum Babylonis rege ad communem vſum, atque ad armorum belliq́; ſocietatem, opumq́; vtriuſque coniunctionem; quaſi iſtis vanis & caducis, atq́; fluxarum rerum copiis fidentem: quem tamen, omnibus aliis poſtremo habitis loco, vni tantùm Deo fidere & inniti oportuerat. Quod quidem exemplum humanæ mentis inconſtantes & mutabiles laudes arguit apertè. cui dum ille vetus homo viget, nec diuino ſpiritu correctus mutatur; ſuperbia, auaritia, inuidia, & cetera inſidiari ſolent vitia; nec ſapientia nec arte ſatis opprimūtur. id quod Spiritus ſanctus aliàs in huius ipſius regis docet exemplo. Attamen in legatione principum Babylonis, qui miſſi fuerant ad eum, vt interrogarent de portento, quod acciderat ſuper terram, dereliquit eum Dominus vt tentaretur, & nota fierent omnia quæ erant in corde eius. Sunt ex antiquis qui ſcribant, illum etiam ſacroſanctum templi adytum, cum arca & legis tabulis, oſtendiſſe Babylonicis*

2.Paral. 32.

Dioſcorid.

2.Paral. 32.

In capitib. Eleazari.

nicis legatis. Id quod ſubiuncti confirmant verſus teſtimonio.

Non fuit verbum quod non oſtenderet eis Ezechias in domo ſua, & in omni poteſtate ſua.

VERBVM *non modò rem omnem hîc ſignificat, ſed quidquid eloquio & commemoratione dignum eſt. qualia fuerant ædificia, aquæductus, & machinæ, atq; armorum & artium varius, aliis incognitus, ipſi verò notus vſus. ingenia varia, & facultates cùm rerum tum verò hominum, ita vt non modò ſingulorum indicaret naturas, verùm vſus etiam & cauſas narraret. Quo quidem ſuperbiæ & iactationis exemplo, omnibus hominibus ac regibus præcipuè cauendo diuinæ correctionis mulctam ſibi & regno commeruiſſe Ezechiam, ſacra docet hiſtoria.*

Introiuit autem Iſaias Propheta ad Ezechiam regem, & dixit ei, Quid dixerunt viri iſti, & vnde venerunt ad te? Et dixit Ezechias, De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone. Et dixit, Quid viderunt in domo tua? Et dixit Ezechias, Omnia, quæ in domo mea ſunt, viderunt, non fuit res, quam non oſtenderim eis, in theſauris meis.

ET *rei narratæ contemplatio, & humani ingenij exempla docent, non regem modò, ſed regni quoque proceres & populi primores, atq; adeò plebem ipſam, regis iactationi & oſtentationi plauſiſſe; in parteq; poſuiſſe gloriæ regalium diuitiarum & opum ad Babylonios perferendam famam, & magnæ virtutis atq; prudentiæ opinionem: quamobrem vtrique parti, & regi, & populo, animaduerſionem à Deo allatam, atque ab Iſaia denunciatam: ideo Vatem appellatum, vtpote officio ſuo liberè functum; idq; apud Ezechiam, non vt priuatum, ſed Regem: Regem, inquam, cuius perſonam vt Ezechiam virum mortalẽ & ægrotantem Vates pro Dei clementia amanter & gratè habuerat priùs, nunc autem ſuperbientem & arrogantem, quãuis Regem, tamen libera & familiari interrogatione adortus primùm, deinde ſimplici ac nuda denunciatione excepit. Et quanquam denunciatas pœnas ex Dei iudicio pati commeritus dicitur, tamen in ea quoque re humanæ arrogantiæ vicem expertus eſt. Solet enim plerumque inuidioſa eſſe iſtiuſmodi opum ac diuitiarum iactatio, & anſam ad bellum atque ad direptionem cupidis & ambitioſis aliis principibus dare: cùm è diuerſo vacuus viator coram latrone cantare minimè dubitet. Minatur autem, imò & prædicit, regi non modò direptionem certam earum, quas oſtentauerat, rerum à Babyloniis ipſis, quos hoc pacto amicos retinere putarat, expectandam: ſed liberorum quoque ac nepotum ſuorum abductionem & ſeruitutem apud Babylonis regem ſeruiendam.*

Et dixit Iſaias ad Ezechiam, Audi verbum Domini exercituum [*vltoris, vt aliàs adnotatum ſæpè*] Ecce dies venient, & auferentur omnia quæ in domo tua ſunt, & quæ theſaurizauerunt patres tui vſque ad diem hanc, in Babylonem: nec relinquetur quicquam, dicit Dominus.

SENTENTIÆ *confirmationem repetita hac appellatio exprimit: quam poſteà,*

poſteà, ita vt Vates prædixerat, expeditam, & conſecutis pœnis diuulgatam accepimus. Nam vltrà diuitias omnes Babylonem à victoris regis exercitu aſportatas, Manaſſes quoque Ezechiæ filius captiuus eodem loci ductus, & eiuſdem regis nepotes IEHOIAKIM, *& Iehoiachin, & Sedekias Babylonem capti migrarunt. Præterea HHanias, Miſael, & Ghazarias, Daniel & Zorobabel, ex regio quoque orti ſanguine, in Babylonia captiuorum ac ſeruitutis nomine verſati ſunt diutiùs, atq; inter aulæ eunuchos numerati.*

Et ex filiis tuis, qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis.

NON *parua, verùm vehemens & admirationis plena lectoribus conſideratio hoc loco incidit. Num ob tam leue exiſtimatum peccatum, qualis regia opum iactatio & oſtentatio habetur, ingens illa calamitas Iudaicis rebus omnibus allata fuerit; nempe belli grauiſſimi, vrbis Ieroſolymorum captæ, templi illius celeberrimi euerſi, populi cum regibus ac principibus in captiuitatem ac ſeruitutem abducti. quæ omnia breuiter quidem, tamen in ſumma, Ezechiæ ab Iſaia hoc loco prædicta appareat. Atq; aliorum de hac re ſententias & commentationes facilius & commodius fuerit, in ſuis auctoribus, Latinis, Græcis, & Hebræis lectori diligenti cognoſcere, quàm nobis hîc recēſere: quod cùm breuiter fieri non poſſit, faſtidio potiùs, quàm emolumento futurum ſit. Quid verò commodum, aptumq;, & ſacris lectionibus conſonum arbitremur, paucis exponere non pigebit. Et primùm quidem ſuperbioris & ambitioſæ iactationis peccato Ezechiam non eximimus. quod inſaniæ genus quoddam eſt; verùm regibus plerunque ſolenne, nullius tamen mortalium iniuriæ damnatum; quodq; magis ipſius peccantis animi modeſtiæ, quàm vlli alij aduerſetur & obſit. Ac præter hoc & illud dilati coniugij, nihil in bono probatoq; rege ſacra hiſtoria excipit. hoc autem cùm intra mentem tãtùm verſari ſoleat, nec niſi certis periculis factis notari ab aliis poſſit; vt etiam in hoc viro cognoſceretur, permiſit Deus: quò neminem quenquam ſub lege antiqua hominem, quãquam vitæ integrum, tamen labis internæ purum vixiſſe conſtet. S.S.E. Non eſt enim homo qui* 3 Reg. 8. *non peccet. Huius itaq; veræ doctrinæ exemplum in Ezechia bono aliàs viro & innocente, atq; pio, publicæq; ac ſacræ rei ſtudioſiſſimo certo facto in gloria periculo poſitum eſt; Deo id ad noſtram permittente doctrinam. id quod ad ſacris ipſis didicimus hiſtoriis: vbi vna hæc in multis Ezechiæ laudibus nominatim notatur exceptio: Dereliquit eum Deus, vt tentaretur,* 2. Par. 33. *& nota fierent omnia quæ erant in corde eius. Nam quæ aliàs priuatè ac publicè ab illo acta ac geſta ſunt rege, ad vitæ vſque extremum exitum, illuſtria & commendatione digna prædicantur. Id verò cùm ita habeat, facilis inueſtigatio reſtat cauſæ: quamobrem vrbis illius ac templi excidium, & gentis captæ & abductæ ſeruitus diuino iudicio decreta, & maturo tempore allata fuerint. Complura & nefaria ſcelera, grauiſſimaq; peccata Iſraelitæ & Iudæi commiſiſſe ante Ezechiæ tempora, & in ſacris indicantur hiſtoriis, & apud hunc, & Hoſeam, Amoſum, alioſq; Vates arguuntur. nimirum ſuperſtitionis, & vani cultus; iniuriarum priuatè ac publicè il-*

latarum, violatæ religionis, neglecti omnino pauperum iuris, atq; agrorum perpetuis culturis exercitatorum, ſine vlla intermiſſione ſeptennij diuini dominij & egenorum cauſa imperati. Cuiuſmodi cenſurarum plenæ ſunt huius Vatis ac Ieremiæ aliorumq; chartæ, quotquot illa tulerunt ſecula. Horum verò ſcelerum pœnas primæ decem Iſraelitarũ tribus dederunt, à Salmanazere abductæ. Verùm quas ob eadem crimina Iudæi quoque debuerãt, ob Ezechiæ pietatem Deus in poſterum diſtulit; ſua illa admiranda & immenſa miſericordia functus, qua peccatores ad pœnitentiam reuerti, quàm ad ſupplicium & mortem rapi exoptat & curat; & qua Ieroſolymam vrbem ſingularibus etiam beneficiis augere voluit: inter quæ illud etiam expe-
Iſaiæ 30. *ctationis atq; reuocationis aſſiduæ fuit. S.S.E. Propterea expectat Domi-*
» *nus vt miſereatur veſtri. &, In ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtrã;*
» *quia veni, & non erat vir; vocaui, & non erat qui audiret. Interim autem dum latæ iam ſententiæ intercederet Ezechias, vir bonus & pius, dilatas voluit pœnas Deus, quas Manaſſæ regis impij ſolicitauit improbitas, nec tamen populi pœnitentia anteuertit; imò pertinacia & contumacia vitiorum magis etiam maturauit. quod cùm Iſaias probè cognoſceret, Ezechiæ rerum omnium, quæ tunc florentes apparebant, conuerſionem, imò & euerſionem prædicit. Non enim accuſatorem agit, nec ait, Quia ſuperbiſti, quia oſtentaſti, vel quia feciſti rem hanc, &c. quæ aliàs in denunciandis pœnis obſeruari ſolet formula: ſed ſimpliciter denunciat quidnã illius vrbis rebus ac genti futurum ſit, & quàm citò euenturum. idq; explicat ex antitheto eorum quæ tunc temporis quaſi in præſentiarum contigerant. Atq; amicitiam illam Babyloniorum, quæ tunc publica celebrabatur lætitia, in hoſtiles inimicitias & iniurias mutatum iri prænunciat: hoc enim indicat formula illa,* Ecce dies venient, *ſiue, vt in exemplari lingua legimus,* veniunt. *quod iam inſtare & aduentare ſignificat, tantumq; ipſius regis Ezechiæ præſentia & cauſa detineri ac ceſſare. Quantum verò & quemadmodum omnia mutanda fuerint, ex membrorum comparatione declarat hoc pacto. Vt nunc ad te amicè & gratulanter venientes excepti ſunt Babylonij; ita poſteà hoſtiliter direptores affuturos intelligas volo: adeoq; certum hoc erit, vt certũ & manifeſtũ eſt ab illis nunc te eſſe viſum & ſalutatum.* Auferentur omnia quæ in domo tua ſunt, & quæ theſaurizauerunt patres tui vſque in diem hanc, in Babylonem. Et qui exierint de te, quos genueris, tollent, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis: *vt modò* non fuit res quam non oſtenderis eis in theſauris tuis, ita non relinquetur quicquam, dicit Dominus. *Ita quæ tunc apud Ezechiam facta & acta contigerant, velut ſigna obſeruanda, & cũ iis, quæ euenient, componenda, poſteris tradita & cõmendata, interpretari conueniet. Cauſam autem illius magnæ mutationis iam Ezechiæ aliàs cognitam, & nunc præſente colloquio repetitam intelligimus. obſtare autem ipſius vitã, quam & propter miſericordiam ſuam, & propter pœnitentiæ expectationem reſpexerit iuſtus miſericors, & patiens Deus. Cuius iudicium, clementiam, & miſericordiam agnoſcens Rex, ſupplici ac pia modeſtiaq; deprecatione*

proba-

probauit. Ita verò quòd Ezechiæ pietas ac votum & ſtudium impetrauerat, calamitatis, inquam, publicæ dilationem. id vt feſtinaretur poſtea Manaſſæ impietas in cauſa fuit: de quo ſcriptum legimus, Multiplicauit, vt faceret malum coram Domino, & irritaret eum. & paulo inferiùs, Illi verò non audierunt, ſed ſeducti ſunt à Manaſſe, vt facerent malum ſuper gentes, quas contriuit Dominus à facie filiorum Iſrael. Locutusq; eſt Dominus in manu ſeruorum ſuorum Prophetarum, dicens: Quia fecit Manaſſes Rex Iuda abominationes iſtas peßimas, ſuper omnia quæ fecerunt Amorhæi ante eum, & peccare fecit etiam Iudam in immunditiis ſuis; propterea hæc dicit Dominus Deus Iſrael, Ecce ego inducam mala ſuper Ieruſalem & Iudam, vt quicunque audierit, tinniant ambæ aures eius: & extendam ſuper Ieruſalem funiculum Samariæ, & pondus domus Achab, & delebo Ieruſalem, ſicut deleri ſolent tabulæ: delens verram, & ducam crebriùs ſtylum ſuper faciem eius: dimittā verò reliquias hæreditatis meæ, & tradam eas in manus inimicorum eius; eruntq; in vaſtitatem & in rapinam cunctis aduerſariis ſuis, eò quòd fecerunt malum coram me, & perſeuerauerunt irritantes me, ex die qua egreßi ſunt patres eorum de Ægypto, vſque in hanc diem. Inſuper & ſanguinem innoxium fudit Manaſſes multum nimis, donec impleret Ieruſalem vſque ad os; abſque peccatis ſuis, quibus peccare fecit Iudam vt faceret malum coram Domino. Atque hæc ratio aperta conſtat criminum & flagitiorum, quamobrem iudicium aduerſus Iudæam & Ieroſolymam editum, & maturatum fuerit. Id quod Ezechias planè intellexerat, & nunc de integro confirmatū excepit. cuius reſponſionem vbi explicuerimus, omni huic ſatisfeciſſe videbimur cauſæ. 4 Reg.21.

Et dixit Ezechias ad Iſaiam, Bonum verbum Domini quod locutus eſt. Et dixit, Fiat tantùm pax & veritas in diebus meis.

Animaduerſione primùm digna ſunt aliorum regum ac patrum in ſimili denunciatione reſponſiones & conſilia. Neminem enim anteà ſimili exemplo reſpondiſſe obſeruatur, vbi de publica calamitate quicquam denunciantibus accepit Vatibus: ſed alij admirati timuerunt & pauerunt; remq; omnem, & rerum exitus diuinæ permiſerunt prouidentiæ: vt Heli. alij verò grauißimè doluerunt, & deprecari conati ſunt calamitatē, vel etiam ſtudioſißima ac vehementi ſolicitudine & pœnitentia deprecati ſunt, & parcentis Dei miſericordiam impetrarunt. prioris exempli imaginē viuam in Saule; poſterioris imitabilem perſonā Dauid nobis repræſentat in cauſa Vriæ. Nemo tamen ex iis aut ex aliis, quorum ad nos notitia peruenit, denunciatam calamitatem bonum dixit: cùm calamitates omnes, cùm priuatæ, tum publicæ, in humanorum malorum potiùs, quàm in bonorum habeantur genere. S. S. E. Si eſt malum in ciuitate, quod nō fecerit Dominus. Amos 4. *Vnde nec hic ſtragem, direptionem, & captiuitatem illam per Iſaiam indicatam, bonum ab Ezechia nominari intelligimus: imò potiùs id malum: nec leue, vtpote commune & publicum detrimentum atq; exterminium putatum arbitramur: & quidem, quod ad iudicium Dei attinet, non ipſi nouum nec inauditum, ſed ex huius atq; aliorum Vatum reſponſis obſeruatum &*

formidatum. Quare aliam nobis regis in hoc reſponſo mentem, aliam verborum interpretationem res ipſa indicat. ea huiuſmodi eſt: Dixerat quidem Iſaias, Ecce dies veniunt, & auferẽtur omnia quæ in domo tua ſunt. *Cuius denunciationis formula aduentantem, ac penè iam præſentem ſignificare videbatur calamitatem.* veniunt. & de domo tua. *Quod ſi ita eueniret, non modò non iucundum, verùm grauiſſimum & acerbiſſimum videri poterat beneficium vitæ, ſibi per quindecim prorogatæ annos: quorum in tanta calamitate vſui citiſſima mors potiùs ducebatur præoptanda, & anteponenda: neque enim pacis & quietis atque tranquillitatis expers vita iis, qui iudicio ac mente valent, expetitur. id quod ex oppoſito promiſſo Mo-*
Deut. 5. *ſes legiſlator & Vates docuit, Vt viuatis & bene ſit vobis. idem hoc valet quod apud Latinos, Vt bene viuatis. vt bonis vſi degatis. ſic enim vita iucunda eſt in bonis rebus beata, & ita dilata ac prorogata probatur, vt apud*
" *eundem Vatem eodem loco: Et prolatentur dies in terra poſſeſsionis veſtræ. Id quod ſi non contingeret Ezechiæ, quid nam boni nuncij allatum ab Iſaia fuerat, cui minùs graue duceretur, quàm maturrimè emori, et priùs quàm domus ac reipub. ſuæ priuatum & commune ſentire malum, vel ſpectare etiam. ideo ait,* Bonum verbum Domini quod locutus es. *idem ſignificat ac ſi Latinè dicatur, Ediſſere quemadmodum iſta denunciatio quadret cum bono illo verbo Domini, quod non nunc, ſed non ita pridem tu locutus es:* Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui, &c. *& quidem niſi ego quindecim hos annos tranquillè acturus ſum, quemadmodum bonum illud accipiam verbum non video: ſed tamen cùm boni nuncij nomine à te allatum acceperim, fit vt credã, inimicitias iſtas, quas indicas, Babyloniorum, viuenti mihi minimè ſubeundas; ſed pacem & amicitiam horum legatorum opera mihi promiſſam, & inter nos initam, per omnes vitæ meæ dies duraturam: id quod fides beneficio diuino ac promiſſo habita ſperare & poſcere monet me iam edoctum de iudicio Dei in populum hunc, propter præterita ſcelera, pronunciato. Hæc illius pronunciati ſententia.* Et dixit [*credens & ſperans de bono Dei verbo*] Fiat tantùm pax & veritas. *in exemplari lingua* CHI IIHIEH, Et quidem erit. *Pacis nomine* [SALOM] *tranquillitatem & ſecuritatem, atque quietem omni exceptione maiorem interpretamur.* Veritatem *autem conſtantiam diuini beneficij, atq; etiam pacti fœderis amicitiæq; coniunctæ inter ſe & Babylonium regem. Atque hoc modo huic lectioni commentandæ finem facimus, ex Dei benignitate; cui ſit honor & gloria in æternum.*

ARGVMENTVM VATICINII VIGESIMIQVINTI.

Act. 3. VATVM *vaticiniorumq; omnium finis Chriſtus. S. S. E. Omnes*
" *Prophetæ à Samuel & deinceps, qui locuti ſunt annunciauerunt*
" *dies iſtos. Vos eſtis filij Prophetarum, & teſtamenti, quod diſpo-*
" *ſuit Deus ad Patres noſtros, dicens ad Abraham, Et in ſemine tuo bene-*
Ibidem. 10. *dicentur omnes familiæ terræ. &, Huic omnes Prophetæ teſtimonium*
perhi-

perhibent, remiſsionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum. huius autem rei ſummam rationem huiuſmodi facere commodiſsimũ arbitramur. Cuius rationis nomina ex ordine deducta, ſi cui receſſere vacarit, vel ſcripta noſtra legũtor, vel magni operis Anima tenẽtor.

Deus per Verbum omnia è tenebris in lucem edidit: omnium autem editorum vim & rationem ad vnius hominis naturam retulit: quem non ſolùm terrarum orbis dominum: verùm etiam eundem ipſum quodammodo omnia atque adeò mundum breuem eſſe diciq́; voluit: in quo ſuperiora & inferiora conſtituit, hæc minora à maioribus illis gubernari iuſsit. Diaboli verò inuidia hæc rerum ſeries & concordia in homine turbata eſt, & labefactata: & quod anteà valde bonum & apprimè concinnum fuerat, in mortem commutatum eſt. S. S. E. Sine ipſo factum eſt nihil quod factũ eſt. Ioan. 1. *Itaq; homo, qui antea rectus, Deoq́; gratus & viuens fuerat; prauus ac deprauatus, Deo inuiſus, ac naturæ turbatæ culpa & vitio iræ filius, & morti obnoxius addictusq́; euaſit. Mortem hoc loco, vt ſæpè aliàs, à vita æterna, hoc eſt, à Verbo, ſeparationem vocamus. Verùm diuinæ miſericordiæ conſilio ac propoſito humani generis non inſtauratio modò, verùm etiam amplificatio decreta fuit, eaq́; per Verbum præſtanda. S. S. E. Decebat enim eum,* Heb. 2. *à quo omnia & per quẽ omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, au-* " *ctorem ſalutis eorum per paſsionem conſummare.* *Hoc diuinum conſilium* " *à mundi conſtitutione promiſsis & oraculis indicatum, ad certa quædam ac decreta tempora præſtandum, ſacroſancta veritas diſtulit; vt videlicet humanum genus, ægritudinis, vel mortis potiùs illius, qua damnatũ erat, pondus grauitatemq́; per omnes terrarum orbis partes expertum ſentiret, atq; agnoſceret, atque communi & efficaciſsimo ſeſe egere medico intelligeret. Quam tamen rationem antiquus ſerpens mendaciorum callidiſsimus artifex obſcurare molitus fuit; nec voto potitus tamen eſt: quoniam dolos iſtos diuina ſapientia opportunè aperuit; gente videlicet vna ex omnibus nationibus delecta, quam veræ doctrinæ, atq; adeò ſacrorum arcanorũ, diſcipulam primùm, ac deinde omnibus aliis nationibus magiſtram cõſtituit. Quæ quidem, quãquam diuinam cognouiſſet ex accepta lege voluntatem; præſtare tamen propter innatam infirmitudinem non potuit: imò ipſa totius humani generis perſonam variis tum actibus, tum laboribus atq; miſeriis repræſentauit. atq; ita non modò quibus lex non audita, ſed etiam quibus accepta & celebrata fuerat, communis damnationis imputata fuit culpa. S. S. E. Sed concluſit Scriptura omnia ſub peccato, vt promiſsio ex fide* IESV " *Chriſti daretur credentibus. Vt verò maior & apertior voluntatis diuinæ declaratæ Iſraelitis cõtigerat notitia; ſic etiam violatæ & neglectæ grauior ac denſior euenit animaduerſio. S. S. E. Ille autem ſeruus, qui cognouit vo-* Lucæ 12. *luntatem Domini ſui, & non ſe præparauit, & non fecit ſecundum volun-* " *tatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis,* " *vapulabit paucis. Omni autem cui multum datum eſt, multum quæretur ab* " *eo: & cui commendauerunt multũ, plus petent ab eo. Omnibus autem quæ* " *credita & commendata Vatibus actio recenſetur, bipertita fuiſſe conſtat,*

hoc

hoc eſt, in duo ſumma refertur capita: alterum eſt, legis diuinæ præſtandæ exactio, cum obteſtatione ac denunciatione pœnarum, quas negligentia & contumacia commerita eſſet; ſiue ex animo, ſiue corpore, ſiue vtraq; hominis parte luendæ prædicerentur. alterum verò eſt, diuinæ miſericordiæ in omnes homines exercendæ promiſſio, ſalutis publicæ cauſa iis afferēdæ & communicandæ, qui inopiam & ægritudinem, imò & mortem ſuam agnoſcentes, diuina promiſſa fide conciperent, & pœnitētiæ ſtudio præſtolarentur. Igitur prioribus partibus, hoc eſt, accuſatoris, monitoris, reuocatoris, ac denunciatoris à Vate noſtro Iſaia hactenus fideliter ac diligenter & ſeuerè peractis; poſterioris, nempe eius, qui ſalutem publicam ex diuino promiſſo prædicans adnunciet: nunc iam deinceps, continuatis vaticiniis & ſermonibus, quàm ſtudioſiſſimè tranſigit; vniuerſamq; hominum generis rempublicam, tanquam ab vno parente primo profectam, vniusq; auctoris opus, ad vnius cæleſtis ciuitatis communionem reuocans, diuini populi nomine ac titulo compellans, docendum, animandum, & ad ſalutis communis expectationem hortatus alloquitur: interdumq; ſuam, ſæpiùs autem miſerantis ac permittentis Dei, Vatum aliorum more, ſuſtinet perſonam.

CAPVT XL.

CONSOLAMINI, conſolamini popule meus, dicit Dominus Deus veſter.

NON *abs re vſque à puero Iſaiam Vatem à doctis concionatoribus Euangeliſtam appellatum audire memini. Quippe cuius in hoc vaticinio initium idem agnoſcimus, quod ab Euangeliſta Marco factum conſtat. Nam qui vtrumuis rectè nouerit, ambos nouerit; ita ſimillima ſententia ſunt: quamquam pro linguarum formulis diſſimili oratione ſint & ſtylo. Eſt autem Euangelij interpretatio* bonus nuncius. *Bonus autem nuncius eſt ſalutis & lætitiæ iis, qui aut contrario in ſenſu verſantur, aut aduerſarum rerum in ſecundas mutationem expetunt. Et quidem communis ac publicæ ſalutis denunciandæ conſilio & propoſito prior Iſaias pronunciauit,* NAHHAMV NAHHAMV GHAMI, Conſolamini, conſolamini populum meum. *Poſterior verò Marcus eodem argumento occepit:* Initium Euangelij IESV Chriſti Filij Dei. Sicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta, Ecce ego mitto Angelum meum, &c. *Et quidem quoniam tota ferè horum Iſaiæ ſermonum deinceps materies longè pleniùs ac planiùs à noui Teſtamenti ſcriptoribus & miniſtris, quàm ab antiquis vllis, quos legerim, tractata eſt: hos, noſtræ inquam aureæ ætatis veridicos & exactos interpretes in ea, quæ reſtat, libri huius parte explicanda, auctores noſtrarum commentationum ſequi, & nobis commodiſſimum, & lectori opportuniſſimum & vtiliſſimum duximus. Inprimisq; animaduertere & conſiderare dignum fuerit, ex quàm mœſto ac miſerabili argumento, quo ea, quæ hactenus legebamus, perorata ſunt; in quàm lætum & iucundum ſenſum Vatis oratio fuerit ita repentè mutata. Hactenus namq;, poſt abductas decem tribus, propediem fore audiuit Ezechias, vt Ieroſolyma vrbs capta, diru-*

diruta, ſpoliata, & vaſtata, principibus viris & plebe in ſeruitutem traditis, omnis illa Iſraeliticarum rerum facies penitùs euerſa, & perdita fore putaretur: idq́; in externo illo ſpectaretur populo, qui omnium totius orbis hominum, vti iam indicauimus, referebat imaginem; quam deinceps perpetuò cogitare conueniet. Et quidem Iſraelitica gens duplicem perpeſſa ſeruitutem narratur: alteram communem, tum optimatum & bonorū, tum plebis ac populi apud Ægyptios ſub Pharaonis imperio; alteram verò poſteritatis illorum apud Aſſyrios & Ægyptios ac Babylonios, atq; adeò in vaſta per totum orbem diſperſione: quam ſecundam ſeruitutem ſuis ipſorum criminibus diuino iudicio nouimus irrogatam. Et quidem imaginis huius veriſsimæ exemplar in omni hominum genere intueri licet: quod primorum parentum vitio & culpa, Mortis ac Diaboli imperio ac tyrannidi addictum fuit. idem etiam propriis ſingulorum hominum ſceleribus varias & multiplices commeritum eſt pœnas. atq; ita mortaliū nemo vel altera vel vtraque damnatione immunem ſeſe aut natura, aut propria virtute & opera præſtare & ſiſtere potuit. Si enim dixerimus quòd peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra. Si dixerimus quoniam non peccauimus, mendacē facimus eum, & veritas eius in nobis non eſt. Igitur mundum totum, hoc eſt, humanum genus omne, eandem verè ac reapſe conditionem pertuliſſe, quam Iſraeliticus populus narratur, doceri ac tenere operæpretium fuerit: idq́; quoad animorū vitam pertinet. Verùm Iſraelitis præter communem cum ceteris hominibus animi ſortem & laborem atque ærumnam, ſingularem quoque in corpore ſubitam fuiſſe calamitatem intelligimus: quæ internæ illius ac longè grauioris, & ſibi, & aliis omnibus gentibus imago & ſignum fuit. Atq; hanc communem rationem ſanctorum ſcriptorum ſtudioſis cunctis certam ſubductamq́; conſtare expediet; aliàs enim non ſine veritatis diſpendio, quæ communia omni terrarum orbi fuerint, tum in reprehenſione & incommodo, tum in laude & cōmodo; ad vnam tantùm ſingularem gentem, hoc eſt, Iudæam, ſiue Iſraeliticam, iniquis & anguſtis terminis mendosè referentur. Quamobrem quæcunq; deinceps legendo explicabimus, quanquam ſimplicis hiſtoriæ facie apud Iſraelitas, ſiue Iudæos; atq; adeò apud Ieroſolymorum ciues, acta videantur, nemo tamen eadem totum hominum genus atq; ſeipſum vnicè ſpectare dubitet; ſi cum eo fructu legere ſtudeat, quem diuinus ſpiritus ſingulis hominum decreuit impertiri. Erit ergo poſthac nobis orbis omnis, qui à Deo ſuus vocatur populus. Deus enim vult omnes homines ſaluos fieri, & ad ſcientiā veritatis venire. Erit Hieroſolyma vrbs, humana omnis natura; quam ſibi ſedem ſanctam ac regiam propriam ſacrare ac dicare Deus propoſuit: erit porrò, vt eſt, vnus Deus & Pater omnium, Iudæorū primùm & Græcorum, marium & feminarum; atque vnus Dei & hominum mediator habitus & verè creditus Chriſtus, cunctorum procurator efficaciſsimus: quamquam hoc ſingulariter Iudæis ſecundùm carnem concedendum, quòd apud ipſos primùm, atq; in illorū republica, huius veræ rationis conficiēdæ

1. Ioan. 1.

abacus publicè paratus & inſtructus fuit. Verùm debitorum & ſolutionis nomina omnia ad omnes totius orbis homines cõmunicanda pertinuerunt; niſi quiſquam & illis, & ſibi deeſſe, & à diuini conſilij communicatione voluerit abeſſe. Itaq; populum à Deo delectum, humanum genus omne vocamus, præter omnia animalia ſublime & excelſum, & ad conſuetudinem diuinam ſegregatum quondam; tandemq; poſt illam publicam & cõmunem ruinam de integro reſtitutum, imò & amplificatum. de quo ſcriptum eſt:
Pſal. *Quid eſt homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam viſitas*
" *eum? Minuiſti eum paulo minùs ab Angelis, gloria & honore coronaſti eũ,*
" *& conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum: omnia ſubieciſti ſub pe-*
" *dibus eius, oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi. Volucres cæli*
" *& piſces maris, qui perambulant ſemitas maris. Domine Dominus noſter*
" *quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra. Huius autem Domini, Domini, inquam, Iſraelitarum: cuius nomen admirabile eſt ſuper vniuerſam terram. huius, inquam, mandatum ad omnes omnium nationum tractus, hoc eſt, ad viſitatum hominem pertinens, illud eſt:* Conſolamini,
Pſal. conſolamini populum meum. *Ipſe eſt Dominus Deus noſter, nos au-*
" *tem populus eius, & oues paſcuæ eius. quippe nullam gentem diuina ſapientia à ſui communione excluſam volens, ait: Et deliciæ meæ cum filiis hominum. Legimus autem in quarto caſu,* populum meum. *quod verbum* NAHHAMV, *in exemplari lingua actiuæ formæ planè eſt, vt Latinum etiam* conſolamini *actiuam ſignificationem perpetuò obtinet. mutatum verò in codicibus noſtris arbitramur caſum ex compendiis literarum; quibus nõ ita pridem ſcribæ vſi, interdum etiam abuſi deprehenduntur. Itaq; vtrumque verbum quartum poſtulat caſum: niſi interpres Latinus mandati exitum reſpiciens, paſſiuam voluit eſſe ſignificationem: tamen quod e veſtigio adiunctum eſt verbum, eodem tempore ac modo imperatiuo pronunciatũ, tertiam manifeſtè compellat perſonam.* Loquimini ad cor Ieruſalem.

Sunt autem ij, quibus mandata hæc imponuntur, Vates poſt Iſaiam omnes: quorum decem numero ad nos vſque perlata ſunt volumina. In iiſdem huius mandati expedita leguntur exempla. quorum pars non exigua à nobis in magni operis anima recitata eſt: reliqua verò in corpore, Deo votis annuente, recenſebitur. Vates autem decem vſque ad Ioannem Baptiſtam, omnium Vatum maximum & poſtremum, hoc eſt, vndecimum, numeramus. poſt quem ipſe Euangeliſta IESVS, *& huius etiam Apoſtoli conſcribuntur: quibus omnibus, vt ſuo loco videbimus, idem conſolationis, & boni afferendi nuncij munus & officiũ fuit. Vtroſque itaq; & antiquiores, & poſteriores verbi diuini miniſtros delectos, bonum hunc nuncium aduerſus populum ſuum ſuſcipere, ac diligenter expedire, diuina iubet benignitas, repetito conſolationis verbo; non modò ad confirmationem & curam, atque exaggerationem, ſed ad duplicis mæſtitiæ ſignificandam leuandamq; miſeriam: altera, laboris primi ac diuturni apud Ægyptios exantlati; altera verò, captiuitatis ac ſeruitutis ſingulariter poſteà ſeruitæ; eiuſdemq; multiplicis ac variæ propter priuata populi, ac ſingulorum ciuium crimina: quæ*

omnia

omnia quemadmodum ad omne hominum genus fuerint reuocanda, iam docuimus; nec repetere opportunum duximus. Vtriuſque verò conditionis conſolationem curare iubentur Vates: eius, de qua ſcriptum eſt: Patres noſtri comederunt vuam acerbam, & nos iniquitatem eorum portauimus. atque eius, de qua etiam ſcriptum legimus: Ceruicibus noſtris minabamur, laßis non dabatur requies, Ægypto dedimus manum, Aſſyriis vt ſaturaremur panibus. Vtramque autem miſeriam in maximam lætitiam mutatum iri Deus pollicetur, & Vatibus adnunciandum credit. ideoq; duplicato vtitur imperatiuo Conſolamini, conſolamini populum meum. atqui conſolationem hanc non ex temporum inconſtantia & mutatione, neque ex caſu vel fortuna (cui mutationes rerum vulgaria adſcribunt iudicia) ſed ex diuinæ prouidentiæ benignitate, decreto, & auctoritate declarat nominis ELOHIM appellatio & verbum dixit. Dicit Deus veſter. qui dixit, & facta ſunt; mandauit, & creata ſunt; ſtatuit ea in æternum, & in ſeculum ſeculi. Hæc enim dictorum Dei conditio eſt: Dei inquam veſtri gubernatoris. veſtri itaq; primam conſolationis vocem pronunciat Deus, quam repetit, repetendamq; miniſtris mandat ſuis. Omnem autem efficacem conſolationem ſuaſio rectè inſtituta præcedit: nam fruſtrà cõſolationem adhibeat quis, cui non ſuaſerit: ſuaſionẽ autem mœſtis ac triſtibus ex præſentis miſeriæ dolore & commiſeratione inceptam oportet, cum promiſſo & ſpe melioris conditionis ab eo parandæ, à quo afflictio venerit. Huiuſmodi autem actio omnis & cura ſingulari in ſacra lingua ſignificatur tropo. Loquimini ad cor Ieruſalem. Eandem omnino formulam in Dinæ hiſtoria vſurpauit Moſes: Locutus eſt ad cor puellæ. quam Latinus interpres ita vertit, Triſtemque deliniuit blanditiis. Eſt itaq; ad cor loqui, idem quod apud Latinos, acerbitatem demere: id quod leniendo animo, atque ad meliorem ſpem reuocãdo curatur. Eſt autem à medicis tranſlata oratio, qui ægrotis ex arte ſalutem pollicentur, modò morbum agnoſcere & ſibi temperando parcere ſtudentibus. Namque aliàs incurabile cenſetur malum, quod ab intemperante ægroto non ſentitur: vel ſi ſentiatur, fouetur tamen. Habẽt autem ſua tempora morbi, quibus impotenter ægrotos vexant: hæc, leniendo, ac modicè tractando primùm; deinde verò, vbi temporũ ſuperati fuerint termini, purganda & expellenda mala cauſa curantur. Iubet autem Deus, eos qui populo ſuo ægrotanti adſunt, ſedulam operam dare, monendis & ad pœnitentiam vocandis animis, cum fide & ſpe ſanitatis à Deo obtinendæ: quæ prima ad curationem præparatio eſt.

Thr. 5. — Hippocr. lib. 1. Aphor.

Et aduocate eam: quoniam completa eſt malitia eius, dimiſſa eſt iniquitas illius: ſuſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis.

QVAM indicauimus tranſlationem, concinnè & aptè proſequitur Vates (quæ allegoriæ artificioſa ratio eſt.) Primùm namq; diuini miniſtri populum Dei ad pœnitentiam vocare iubentur; medicorum ritu, qui ægrotos ad temperantiam vitæ ac victus rationem, & conſuetudinis mutationem hortãtur. hoc eſt quod legimus, aduocate eam, ad pœnitentiam & ſalutis

 ſpem:

ſpem: idq́ non temerè promittendum ait, aut ſine argumento & ſigno ad ſalutem faciente: quin potiùs, quoniam completa eſt malitia eius, *non facilè adduci poſſum, vt credam, ita ab interprete noſtro Latinè redditum nomen* TSEBA, *quod aliàs ab eodem plus centies in, exercitum, exercitationem &* militiam *verſum eſt: idem enim vocabulum omnino eſt, quod apud Iobum:* Militia *eſt vita hominis ſuper terram. Idem verbum quod apud eun-*
„ *dem: Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio*
„ *mea. Facilè autem ſacræ linguæ imperitus librarius pro* militia, malitia *reponere potuit. quales alliterationes non raro aliàs diligens deprehendat lector. Dicitur autem* TSEBAH, *labor & opera omnis, qua quiſque in ſua arte, vel in munere ſuo exercetur: vnde plerumque in bellicis & militaribus vſurpatur ſtudiis. Et quidem morborum rationes, vis, & natura omnis, hoſtilis belli imaginem exactè imitatur; aduerſis nimirum succis & ſpiritibus in animali corpore aduerſus natiuos & vtiles ſuccos & ſpiritus inſurgentibus & belligerantibus, ac per certa quædā atq́ conſtituta vtriſque exercitatis tempora, quos dies decretorios appellant medici: intra quæ vel externi & infeſti domeſticos & familiares vincunt, vel illis victi cedunt. totum verò illud huius exercitationis, conflictus, & contentionis tempus* TSEBA, *id eſt,* militia, *dicitur. à cuius vocabuli ſignificatione Latinorum & Græcorum, imò & Arabum medicorum ſermo non diſcrepat: apud quos frequens vſurpatio eſt verborum certaminis, luctæ, conflictus, potentiæ, virium, & victoriæ ac victorum, & iudicij ſiue iudicationis. quæ omnia bellica vocabula eſſe nemo non nouit miles. Malum autem & morbum à primorum vſque parentum culpa contractum, non raris firmatum ac repetitum recidiuis, præſcripta iam tempora, voluentibus annis, ad expetitam & felicem iudicationem ex Dei miſericordia deueniſſe, Iſaiæ & Vatum atq́ Apoſtolorum opera nunciari diuina conſtituit & iubet prouidentia; quæ humani generis aduerſam valetudinem perpetuam fore non*
Pſal. 76. *eſt paſſa. S. S. E. Numquid in æternum proiiciet Deus, & non apponet vt*
„ *complacitior ſit adhuc? Aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet à gene-*
„ *ratione in generationem? Aut obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit*
„ *in ira ſua miſericordias ſuas? Et dixi, nunc cepi, hæc mutatio dexteræ ex-*
„ *celſi. Memor fui operum Dñi; quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.*
„ *Et meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus tuis exerce-*
„ *bor. Deus in ſancto via tua. quis Deus magnus ſicut Deus noſter? tu es*
„ *Deus qui facis mirabilia. Notam feciſti in populis virtutem tuam: redemi-*
„ *ſti in brachio tuo populum tuum, filios Iacob & Ioſeph. Hoc itaque pacto Ieroſolymorum, id eſt, ciuitatis Dei in terra laborantis, militiam impletam interpretamur. quòd ſi* malitiam *legendum ſit; eam ad morbi illius grauiſſimi ac diuturni vim referre conueniet. quæ vbi abundauit, & in præcipiti ſtetit, diuina ope ſuperata & expulſa eſt. Et quòd morbus nō ſimplex, verùm multiplex fuerat, ex primo caſu, & compluribus recidiuis conflatus, iccirco grauibus laboribus ægrotum ipſum affecerat, pro ratione & magnitudine atque multitudine malorum ſuccorum: quam κακοχυμίαν, id eſt,* peccan-

peccantes humores appellant medici: eandemq́ πληθώρα, hoc eſt, inutilium ſuccorum redundantiæ adiungunt. quam tranſlationem perſecutus Vates, inquit : Quia dimiſſa eſt iniquitas illius, ſuſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis. *Iniquitatem hoc loco idem quod prauitatem, deprauationemq́ interpretamur, ex verbo* GHAVON, *ſignificãte quidquid à recto, iuſto, temperato & æquo deflectit. Quòd verò dicitur,* ſuſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis, *nõ ita accipiendum arbitramur, vt pro vno ſcelere vel bis corripiat, vel grauiùs quàm culpa poſtulat, puniat peccatorem Deus: quem contrà conſtat quidem iuſtum eſſe; verùm in repetendis pœnis clementiſſimum, atq; in differendis etiam patientiſſimum; in danda pœnitentibus venia longè miſericordiſſimum & benigniſſimum. itaq; nunquã de condigno, vt ſcholaſtici loquuntur, punit; ſed tamen hoc loco ægrotum, id eſt, humanum genus, pro duplici intemperamento; primò quidem apud primos parentes contracto, deinde verò ex actuali, vt vocant, culpa, repetito, duplici morbi grauitate affectum, ſignificat. Namq; Iſraelitæ, vti iam diximus, & paterno hominum ſceleri obnoxij, & vario deinde errore & malo ſæpè conflictati notantur. Ceteri verò homines illi communi atque hæreditario malo quid non ignorantiæ, errorum, ſuperſtitionum, aliorumq́ omnium criminis generum coniunxerunt? Quam ob rem traditi ſunt in deſideria cordis eorum, & in paſſiones* Rom. 1. *ignominiæ: qui negligentiæ, ignorationis, ac intemperantiæ eſſe ſolent exitus. Itaq; concluſi ſunt omnes ſub peccato, vt omnium miſereatur Deus. Eſt ergo idem* ſuſcepit duplicia de manu Domini, pro omnibus peccatis ſuis, *quod à medicis dicitur vel duplex morbus ex redundantia & malitia, vel caſus & recidiuæ. Atq; in ſimilium rationum commemoratione diuina prouidentia aſſeueratur: vbi enim rationum comparatio & numeratio atq; obſeruatio eſt, ibidem nec iudicium abeſt, nec fortuito aut caſui locus relinquitur. Huius etiam ſententiæ legitimum illud eſt : Sin autẽ nec ſic obedieritis mihi, addam correptiones veſtras ſeptuplum propter peccata veſtra. In* Leuit. 26. *exemplari* GHAL HHATATHECHEM, *iuxta propter peccata veſtra. Atque hactenus cõmune omnibus de ſalute annuncianda Vatibus mandatum eſt: cuius etiam in publica illa totius orbis erudiendi ſchola, hoc eſt, apud Iſraelitas, ſingularem quoque præconem & concionatorem non modò ſtatui, ſed ſtatuendum prænunciari diuina voluit benignitas.*

Vox clamantis in deſerto: Parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas eius.

Singularem Iohannis Baptiſtæ & illuſtrem, cunctisq́ hominum ordinibus notam & celebrem legationem, hoc loco ſingulariter prædictam, veriſſimi diuinorum oraculorum interpretes Euangeliſtæ teſtantur; atque Iohannes ipſe de ſe profeſſus narratur. Qui interrogatus, Quis es, vt reſponſum demus iis qui miſerunt nos? quid dicis de te ipſo? ait : Ego vox clamantis in deſerto, Dirigite viam Domini; ſicut dixit Iſaias Propheta. Deſertum autem hic ſimpliciter Iudææ regionis, & Galilæorum ſolitudines interpretantur Euangeliſtæ: Fuit Iohannes in deſerto baptizans & præ- Ioan. 1. Mat. 3.

„ *dicans baptiſmum pœnitentiæ in remißionem peccatorum. aliàs enim* deſertum *loca virtutibus ac veris ſolidisq́; doctrinæ paſtibus & alimentis egentia arcano ſermone interpretamur. quod & ab hoc argumento minimè eſt alienum. Præconij verò per Iohannem Baptiſtam edendi argumentum omne, fidem & pœnitentiam vnà complectitur.* Parate viam Domini. *Via aduenienti Domino paranda recta morũ ac vitæ inſtitutio eſt. Namq́;* DERECH *primæuum in exemplari nomen à* DARACH, *quod eſt calcare, incedere, & ex tranſlatione, conſueſcere, deducitur. quamobrem nomen pro omni conſuetudine & more vſurpatur. vt etiam Latinis* viæ *nomen ali-*
Catonis lib. *quando. vt, Cùm animaduerterem quamplurimos homines errare in via morum. Eſt autem ſuaſionis formula, per tranſlationem ſumpta ab expectatione propinqui & iam aduentantis magni principis ditionis, ac regni ſui populos & vrbes inuiſuri: cuius cauſa inter ceteros apparatus ſternendarum, repurgandarum, ac reficiendarum viarum magna ac diligens expectantibus cura ſuſcipitur. in quibus illud præcipuè curatur, vt nihil, quod aduenientem morari aut offendere poßit, relinquatur. qua de re ſingulares apud architecturæ magiſtros præceptiones & obſeruationes traduntur, de*
Vitruuius. Leo Baptiſta. *via regia, ſiue militari, munienda, ſubſtruenda, & concinnanda. Verbum ſacrum* PANV, *ſternere, complanare, & æquabili ſuperficie componere ſignificat. Quæ res magnam diligentiam, & multarum partium correctionem poſtulat. neque enim ad Principem excipiendum ſatis fuerit, viã verrere, & ſaxis ac ſcrupulis aliisq́; offenſiunculis minoribus repurgare; ſed omni difficultate adempta & correcta complanare; maximè in montoſis & cliuoſis regionibus, qualis Iſraelitica ferè omnis terra fuit: vbi via, quæ aliàs breui conficeretur, propter vallium deſcenſus, ac collium & montium arduos aſcenſus longo temporis diſpendio exigua peraguntur ſpatia. vtrũq́; enim vitium viæ longitudinem difficultatemq́; adauget. altera enim difficultatis pars, hoc eſt, vallium anfractus ac depreßiones, defectus; altera verò, hoc eſt, obiecti montes, exceßus nomine improbatur: neque corrigi aliter atq́; complanari poteſt via, quàm montium egeſtionibus, & vallium æquationibus curandis & conficiendis; & vtriſq́; partibus ad æquabilem rectitudinem & planitiem reducendis. Atqui vitæ humanæ via duobus iſtis vitiorum oppoſitis extremis vitioſa & improbanda cenſetur: defectu, inquã, & exceſſu earum rerum, actionum, & paßionum atq́; affectuum; quibus ad medium reductis & reuocatis, rationi conſentanei concinnantur mores, vitaq́; homine digna, ac Deo probanda inſtituitur; quam expectato per fidem ſeruatori & cæleſtis regni Principi muniri oportuerit. Itaq́; montium & collium atq́; vallium nominibus & imagine, humanorum exceſſus ac defectus morum interpretamur. quorum vitiorum ſeria correctio & emendatio pœnitentia dicitur, & à Iohanne Baptiſta præconiis & clamoribus aßiduis indicitur, eademq́; planiùs, atq́; extra tranſlationum & alle-*
Lucæ 3. *goriarum figuram explicatur. S. S. E. Et interrogabant eum turbæ, dicen-*
„ *tes: Quid ergo faciemus? Reſpondens autem dicebat illis, Qui habet duas*
„ *tunicas, det non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat. Venerũt autem*

&

& publicani vt baptizarentur. Et dixerunt ad illum: Magiſter, quid facie- “
mus? At ille dixit ad eos, Nihil ampliùs, quàm quod conſtitutum eſt vobis, “
faciatis. Interrogabant autem eum & milites dicentes, Quid faciemus & “
nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & eſto- “
te contenti ſtipendiis veſtris. Hæc nobis aperta ac ſimplex huius parandæ “
& inſtruendæ viæ explicatio eſt.

Rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt praua in directa, & aſpera in vias planas.

VERBORVM *omnium tempus, futuri formam habet; & ad præceptionem vſurpatur, atque adeò ad continuatam conſuetudinem morumq́ aſſiduitatem.* ſolitudinis *autem nomine, humanam vitã interpretamur: quam cum illa antiqua & prima hominis conditione, nedum cum cæleſti & ſpirituali ſanctitudine, comparatam; ſterilem, atq; effœtam dicere licebit; tamen certis pro præſentis ſtatus ratione legibus munitã: quas Deus, qui iam declarauerat, probare, & ſibi aduentãti dicare, atq; ſecundare dignetur. de his enim ſcriptum ac decantatum noſcimus illud: Legem pone mihi Domi-* Pſal. 118.
ne viam iuſtificationum tuarum, & exquiram eam ſemper. Non appellat “
Pſaltes legem iuſtificationem Dei, ſed diuinarum iuſtificationum viam; idq́ non ſine myſterio. Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum: quia “
ipſam volui. Hanc viam, & huiuſmodi ſemitas rectas, planas, ac ſimplices, aduentanti Deo parari, & conſtare, omni tum defectu, tum exceſſu corrigendo, illa clamantis in deſerto poſcit vox, cum aſſeueratione & promiſſo ſalutaris illius maximi Principis & ſeruatoris Dei propediem omnibus hominibus acceſſuri. qui Non ex operibus iuſtitiæ, quæ facimus nos, ſed per “
ſuam miſericordiam ſaluos faciat credentes & ſperanteis in ſe, per lauacrũ “
regenerationis & renouationis ſpiritus ſancti, quem effudit ſuper eos ab- “
undè. Huiuſmodi promittitur beneficium iis, quibus rectæ ſternendæ atq; reficiendæ viæ diligens fuerit cura. & hoc eſt quod ſubiungitur:

Et reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum eſt.

Gloriam Domini, *diuini nominis in humano genere ſanctificationem interpretamur. vt enim quondam: In exitu Iſrael de Ægypto, domus Iacob* “
de populo barbaro: facta eſt Iudæa ſanctificatio eius, Iſrael poteſtas eius: ita “
verè in illa communi & publica filiorum Adami redemptione, ac liberatione de poteſtate tenebrarum, humanum genus ſanctificatio Domini faciendum erat, per confeſſionem ore factam propter ſalutem; & Iſrael verus cum Deo potens poteſtas Dei, quæ anteà non apparuerat, apertè declaranda erat: ac demùm hoc ipſum euenit, quod IESVS *Præceptor precibus docebat poſcendum: Sanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuũ, fiat volun-* Mat 6.
tas tua ſicut in cælo [in cæleſti natura] & in terra [in terreſtri creatura.] “
Hoc autem, quod iam pridem ab Iſaia fuerat prædictum, reapſe in aurea noui Teſtamenti ætate præſitum, Apoſtoli teſtantur. Vt oſtenderet diuitias Rom. 9.
gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriã: quos & vocauit, “

non

non ſolùm ex Iudæis,ſed etiam ex Gentibus,ſicut in Oſee dicit: Vocabo non
plebem meam,plebem meam;&,non dilectam,dilectam; & non miſericor-
diam conſecutam,miſericordiam conſecutam. Et erit in loco vbi dictum eſt
eis, Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei viui. Quiſquis verò hanc
gloriæ Domini definitionem capiet, idem etiam cognoſcet quid Apoſtolus
2.Cor.3. velit,cùm ait:Vbi Spiritus Domini,ibi libertas. Nos verò omnes reuelata
facie gloriam Domini ſpeculantes,in eandem imaginem trãsformamur,à
Ephes.1. claritate in claritatem,tanquam à Domini ſpiritu. Qui prædeſtinauit nos
in adoptionem filiorum per IESVM Chriſtum in ipſum, ſecùndùm propoſi-
tum voluntatis ſuæ,in laudem gloriæ gratiæ ſuæ; in qua gratificauit nos in
dilecto Filio ſuo:in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius,remiſ-
ſionem peccatorum ſecundùm diuitias gratiæ eius: quæ ſuperabundauit in
nobis in omni ſapientia & prudentia, vt notum faceret nobis ſacramẽtum
voluntatis ſuæ, ſecundùm beneplacitũ eius, quod propoſuit in eo:in diſpen-
ſatione plenitudinis temporum inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cælis,
& quæ in terra ſunt in ipſo. In quo etiam nos ſorte vocati ſumus, prædeſti-
nati ſecundùm propoſitum eius; qui operatus eſt omnia ſecũdùm conſilium
voluntatis ſuæ:vt ſimus in laudem gloriæ eius nos, qui antè ſperauimus in
Chriſto.In quo & vos,cùm audiſſetis verbum veritatis, Euangelium ſalu-
tis veſtræ,in quo & credentes ſignati eſtis Spiritu promiſsionis ſancto:qui
eſt pignus hereditatis noſtræ,in redemptionem acquiſitionis,in laudem glo-
1.Pet.4. riæ ipſius. Et alius Apoſtolus,idemq́; conteſtis: Cariſsimi,nolite peregrina-
ri in feruore, qui ad tentationem vobis fit,quaſi noui aliquid vobis contin-
gat:ſed communicantes Chriſti paſsionibus,gaudete, vt in reuelatione glo-
riæ eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Chriſti,beati eri-
tis: quoniam quod eſt honoris,gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt eius Spi-
Ibidem.5. ritus, ſuper vos requieſcet. Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in
æternam ſuam gloriam in Chriſto IESV,ipſe perficiet, confirmabit,ſolida-
bitq́;. Et quòd gloria illa non apud vnam tantùm gentem, id eſt, Iſraelita-
rum, ſecundùm carnem, ſed apud omnes totius terrarum orbis nationes re-
uelanda ſpectandaq́; fuit,ſubiungit Vates: Et videbit omnis caro pariter
Rom.3. quòd os Domini locutum eſt. An Iudæorum Deus tantùm? nonne &
Gentium? imò & Gentium.quoniam quidem vnus eſt Deus,qui iuſtificat
circunciſionem ex fide,& præputium per fidẽ. Dicit enim Scriptura, Om-
Ibid.10. nis qui credit in illum,non confundetur: Non enim eſt diſtinctio Iudæi &
Græci: nam idem Dominus omnium diues in omnes, qui inuocant illum.
Gal.3. Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini,ſaluus erit. Omnes enim filij
Dei eſtis per fidem in Chriſto IESV: quicũque enim in Chriſto baptizati
eſtis,Chriſtum induiſtis. Non eſt Iudæus, neque Græcus; non eſt ſeruus,
neque liber; non eſt maſculus neque femina: Omnes enim vos vnum eſtis
in Chriſto Ieſu: ſi autem vos Chriſti,ergo ſemen Abrahæ eſtis ſecũdùm
promiſsionem hæredes. Quod Apoſtolus dicit, Vos vnũ eſtis in Chriſto,
Iſaias dixerat, Omnis caro pariter. Namq́; eadem vtriuſque vocabuli vis
Coloſſ.3. EHHAD & IAHHDAV. Nolite mentiri inuicem, expoliantes vos vete-
rem

rem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum, eum, qui renouatur in agnitionem ſecundùm imaginem eius, qui creauit illum: vbi non eſt gentilis & Iudæus, circuncisio & præputium, Barbarus & Scytha, ſeruus & liber; ſed omnia in omnibus Chriſtus. Quod os Domini locutum eſt. *Efficientiæ & miſericordiæ nomen ſignificans hoc loco appellatum. Eſt autem ſententia, Communi omnium hominum teſtimonio comprobabitur Dominum fuiſſe locutum: qui dixit, & facta ſunt, mandauit, & creata ſunt. Itaq; qui ſe promiſerat maximum illud præſtiturum beneficium, fidem liberabit ſuam. Atqui hoc ipſum communis ac publicæ ſalutis beneficium admirandum, non ex naturæ humanæ virtute, aut ex vlla hominum dignitate, non etiam ex legis antiquæ efficientia; ſed ex vnico benigni Dei propoſito promiſſo ac dicto efficiendum eſſe Iſaias ait. S. S. E. Apparuit huma-* Tit.
nitas & benignitas ſaluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fe- “
cimus nos, ſed per ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit. Hoc verò ſubiun- “
ctæ lectionis argumentum eſt.

Vox dicentis, Clama. Et dixi, Quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri. Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos: quia ſpiritus Domini inſufflauit in eo.

DRAMATICI *ſermonis vim oratio hæc refert. ait enim Vates, Diuina voce ſe clamare iuſſum rogaſſe, quidnam clamaturus eſſet; vtpote qui rerum humanarum imbellem & inutilem agnoſceret ſtatum: nam ſi gentes, quæ lege carebant, reſpiceret, inutiles prorſus ad propriam ſalutem cognoſcebat; ſin verò ad ſcriptæ legis compotes Iſraelitas animi cogitatum & æſtimationem verteret, vero ac ſolido fructu inanes deprehendere erat: qui præter externæ ſpeciei breues & elegantes flores, nihil præterea præſtabant, quod ad veræ virtutis, atq; adeò ad ſanctitatis Deo probandæ faceret definitionem & vſum. Id quod manifeſtè arguebat diuina ira, non minùs iam in Iſraelitas, quàm in Gentes effuſa. Hoc verò diſtare à Gentibus Iſraelitas; quòd omnes homines fœno compararentur, verùm Iſraelitæ fœnum quoq; repræſentantes floribus ornatum oſtentarent: vtroſque autem ſui ſeruandi impotes diuinæ iræ flatus arguiſſet. Itaq; quidnam prætereà clamaturus eſſet, audire ac doceri cupiebat Vates. Edoctus verò, diuinum ſubiicit reſponſum, dicente ſibi Spiritu ſancto:*

Verè fœnum eſt populus: exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos: Verbum autem Domini noſtri manet in æternum.

HVC *illud Apoſtolicum pertinet, Benedictus Deus & Pater Domini* Epheſ. 1.
noſtri IESV *Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in* “
cæleſtibus in Chriſto. Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, “
vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate. Qui præ- “
deſtinauit nos in adoptionem filiorum per IESVM *Chriſtum in ipſum ſe-* “
cundùm propoſitum voluntatis ſuæ. “
Itaque quanquam nihil egregium ſuæ ſalutis cauſa præſtare genus humanum valeat, cuiuſcunque illud ordinis & cenſus fuerit, diuina tamen efficaciſſima eſt veritas, eadémque dicto nunquam non conſtabit ſuo. Quamobrem idem Vates vaticinandi & bene

nunciandi officium facere deintegro iubetur, idémque monetur Vatum & Apoſtolorum concio omnis.

Super montem excelſum aſcende tu qui euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ieruſalem.

VERBA *hæc omnia in exemplari lingua feminini ſunt generis, & ad prophetiam referuntur. Latinus interpres ad Vatem, ſiue Vates ſingulos retulit, eadē ſententia. Latinus enim ſermo verborū femininam terminationem non agnoſcit. Hæc autem loci editi, & ſublimis vocis adnotatio ad fiduciam & certitudinem boni nuncij facit; quem, qui publicum afferunt, ex antiquo more ac ritu prææalti montis aſcendunt cacumen; vnde & quàm vocaliſsima poſſunt voce mandatum prædicant, & exponunt nuncium.* Exalta, noli timere. *Nihil enim conuenit de Euangelij ambigere euentu.* Sion *verò &* Ieruſalem, *& ſimpliciter loca illa Iſraelitis celebratiſsima, & ex ſignificatione Eccleſiam Eccleſiæq́; caput interpretamur. Nuncij verò argumentum & formulam monitus docetur & refert Vates.* Dic ciuitatib. Iudæ. *Cōfeßionis, confitentiumq́; reſpublica Iudæ ciuitates vocātur.*

Eccce Deus veſter: ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur: ecce, merces eius cum eo, & opus illius coram illo.

DEVM, *quem videre viuens nemo anteà mortalium valebat, vltrò venturum, vltrò ſeſe inſinuantem cum hominibus acturū & verſaturum, atq́; in ipſis regnaturum, vox* Ecce *indicat; quæ præſentibus atq́; indicandis adiungitur plerumque rebus: eodem tropo, quo Iohannes: Ecce, inquit, agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Dei nomen primo appellatum loco gubernatorem ac regem ſignificat, ſecundo loco dominatorem, ſiue Dominū, qui vel virtute, vel iure ac pretio ſeruos à tyranno oppreſſos, ipſe ſibi vendicarit. Tertium verò nomen illud arcanum* IEHVEH, *miſericordiam & efficacitatem diuinam connotat. Ex nominum verò appellatione facilè cognoſcuntur efficientiæ. id quod in ſacris perpetuò obſeruandum ſcriptis. quod ſcholarum ſermo formalem ſignificationem vocat. Et hæc etiam ſignificatio eſt expoſitionis illius,* In fortitudine. *efficienter ac potēter, ita nullo adiutore, nullo adminiſtro, ſed ſua vnius virtute id quod propoſuit, abſolutè conficiat: quemadmodum in figura & imagine Iſraelitarum ſalutem apud Ægyptios abſoluit. Hæc ſignificatio illius expoſitionis,* & brachium eius dominabitur. *In exemplari eſt,* dominabitur ei. *Idem quod eadem*
" *ſignificatione ſapientiſsima feminarum & optima dixit: Fecit potentiam*
" *in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui: depoſuit potentes de ſede,*
" *& exaltauit humiles: eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes.*
Idem etiam Chriſtus ab hoc Vate Iſaia inductus, haud abſimili ſignificauit
Iſaiæ.63. *oratione: Dies enim vltionis in corde meo, & annus retributionis meæ ve-*
" *nit. Circunſpexi, & non erat auxiliator; quæſiui, & non fuit qui adiuua-*
" *ret: & ſaluauit mihi brachium meum, & indignatio mea ipſa auxiliata eſt*
mihi. Quòd verò adiungitur: Ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo, *Deum ſignificat victoria potitum, primogenitis peccati occiſis,*

&

& hoſtibus victis cunctis, populum à ſe redemptum, collectum, & in gregis formam redactum, ante ſe acturum atq; gubernaturum, ab omni periculo & metu exemptum. quam tranſlationem proximo verſu explicatam, audire eſt.

Sicut paſtor gregem ſuũ paſcet: in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit.

C V R A M, *ſtudium, atq; miſerationem diligentiamq; perpetuam imagines ac ſimilitudines à paſtorum officio ductæ ſignificant. quo in exemplo frequenter auctores omnes verſatos, ac ſacros præcipuè, obſeruamus. vt in Pſalmo: Dominus regit me, eleganter & copioſè Dauid egit. & illud, De-* “
duxiſti ſicut oues populum tuum in manu Moſis & Aharon. Eſt autem “
boni paſtoris officium, iis quæ vel ætate, vel valetudine debiliores fuerint in gregibus, maiorem curam, imò & operam atq; amorem & benignitatem impendere. quod & ille probus paſtor Iaacob oratione atque re exprimebat:
Noſti Domine mi, quòd paruulos habeam teneros, & oues & boues fœtas Gen. 33.
mecũ; quas ſi plus in ambulando fecerim laborare, morientur vna die cũcti “
greges. Præcedat dominus meus ante ſeruum ſuum; & ego ſequar paulatim “
veſtigia eius, ſicut videro paruulos meos poſſe. Magnæ itaq; atq; humaniſſi- “
mæ curæ Deo populum à ſe redemptum fore, ſingulari nimirum erga ſimplices, pauperes, & paruulos ac puſillos prouidentia regendum, gubernandum, ac deducendum pollicetur Vates. id quod Dei Filius ſibi profitetur ſuſceptum, & perpetuum futurum in ſe recipit. Ego ſum paſtor bonus. Bo- Ioan. 10.
nus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis. Mercenarius autem, & qui “
non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, & di- “
mittit oues, & fugit; & lupus rapit & diſpergit oues: Mercenarius autem “
fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ouibus. Ego ſum pa- “
ſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ. Sicut nouit me “
Pater, & ego agnoſco Patrem, & animam meam pono pro ouibus meis. Et “
alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & “
vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus paſtor. & poſt pauca: “
Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me: & Indid.
ego vitam æternã do eis, & non peribunt in æternũ, & non rapiet eas quiſ- “
quam de manu mea. Pater meus, quod dedit mihi, maius omnibus eſt; & ne- “
mo poteſt rapere de manu Patris mei. Ego & Pater vnum ſumus. Itaq; ſa- “
lutis ouium cauſa ſingularum rationibus & infirmitudini conſulturum Deum, idq; perpetuò, & cum ingente amoris affectu acturum Vates ait, quod à ſe tam ex Patris voluntate præſtitum I E S V S *Chriſtus declarabat. Huiuſmodi ſtudioſam pecoris curam & apud exteros legimus ſcriptores:*

Non agnámve ſinu pigeat, fœtumve capellæ Tibul. lib. 1. Eleg. 1.
Deſertum oblita matre referre domo.

& ille apud poëtam: *Hanc etiam vix Tityre duco:*
Hîc inter denſas corylos modò namq; gemellos,
Spem gregis, ah, ſilice in nuda connixa reliquit.

Fœtas ipſe portabit. I I N A H E L, *deducere ſignificat eodem tropo, quo*

Poëta dixit, Hanc etiam vix Tityre duco. Namque ſaniores & validiores pecudes agere ante ſe, fœtas verò, ac minùs valentes, ducere paſtores conſueuere. Prioris verbi ſignificationem illa lectio habet, opus illius coram illo: *poſterioris verò verbi illa*, fœtas ipſe portabit. *quòd verò dixerat*, merces eius cum eo, *ad diſcrimen facit veri paſtoris (cui ipſe grex, ſua ſibi ducitur & eſt merces, ob amorem videlicet) & mercenarij, qui ab alio mercedem poſcit, cuius conduxit cuſtodiendas oues. Hic enim ſibi magis, quàm ouibus cauet & conſulit: quia vt mercenarius eſt, vt* IESVS *ait, hoc eſt, quia tantùm mercedem, non opus aut officium curat. ideoq; non minus ouibus atque lupis nocere ſolet, vt ille aiebat:*

Hic alienus oues cuſtos bis mulget in hora:
Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis.

Hinc illa celebris apud Ieremiam de malis & mercenariis paſtoribus querela & accuſatio. Animaduerſione verò dignum fuerit, populum Deo gratum, carum, & agnitum, non taurorum, aut boum, vel equorum armentis, quibus cum ſuperbia robur ineſt; verùm ouium gregibus imbelli & innocuo pecori propter modeſtiam & ſimplicitatem conferri. Id quod bonus ille paſtor docens, aiebat: Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri dare vobis regnũ. quo verò infirmior erit pecus, eo maiori à Deo fouetur beneficio. Congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit: & fœtas ipſe portabit.

Quis menſus eſt pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit? quis appẽdit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in ſtatera?

TANTÆ *rerum humanarum, ac tam breui tempore faciendæ, mutationis admirationem omnibus gentium ſapientibus, & maximis ingeniis creatam, diuinæ virtutis ac ſapientiæ, & voluntatis cõmemoratione excipit ac ſoluit Vates: quas in Deo vires, ſiue attributa hæc dicere malimus, ex effectis declarat, ac probat; hoc eſt, ex mundi totius opificio: cuius admirabilis ſtructura ſummo iudicio, perfectiſſima arte, omnibus deniq; membris abſoluta, nemini mortalium cognita euaderet, niſi prophetico ſpiritu, & certo ac diuino oraculo nobis fuiſſet enarrata. Id quod diuinæ quoque benignitatis fuit, non modò mundum componere, ſed eiuſdem etiam compoſitionem hominibus declarare. quod vt proprium Deo in illo genere, ita in hoc etiam, quod agimus, argumento, ſua illa ſapientia efficacitasq; cum miſericordia coniuncta, exercenti, & propoſitum conſiliumq; ſuum Vatibus ſuis reuelanti: quibus rem ipſam à ſe expediendam communicat; quamquã expeditionis modum & artificium, donec perficiatur, non indicauerit. Quòd ſi nobis hoc loco otij & ſpiritus, quantum ſat eſſet, ad enarrandum contingeret, magnus ſeſe aperiebat campus ad diſſerendum de rebus partibusq; præcipuis; quibus cælum & hoc, quòd alio nomine mundũ vocare licet, factum conſtat, & perſeuerat: quamquam iam aliàs plenè ac dilucidè, vt videmur, in magni operis corpore vniuerſam & ſingularem naturã explicauerimus. Verùm quod ad argumentationem Propheticam facit, ſic breuiter exponimus. Omnium rerum maximorumq; corporum, quibus mundi conſtat fabrica,*

brica, certiſſima & abſolutiſſima ratio apud Deum auctorem fuit: ita vt nullam neque materiæ, neque formæ aut loci, aut alius cuiuſpiam rationis exceptionẽ, vel ex defectu, vel ex exceſſu admittat. id quod nulli alij virtuti aut ſapientiæ, præterquam vnius ac ſingularis Dei, tribui poteſt. Nominatim verò indicantur in ſpeciem quatuor maximæ & præcipuæ mundi partes, in numero, pondere, ac menſura ex nihilo conditæ: ex quibus, & in quibus cetera creata & facta ſunt omnia. quarum ratio iuxta naturam conſideratur ſingularum. Illud enim cũprimis conceſſum conſtare oportet, nihil in mundo hoc infinitum, nihil extra numerum & modum eſſe; ſed ſingula ſuis rationibus ita eſſe addicta ac diſtincta, ſuis locis ita conuenientia, vt nulla ſecũ ex parte pugnent, aut aliud alij ſui proprij vſus impedimento, aut aliàs detrimento eſſe poſſit. Hæc enim cumprimis ponderũ, & menſurarum natura ac vis eſt, vltra elegantiam ac decorem: quæ etiam ex modorũ proficiſcuntur eueniuntq́; rationibus. Adſcribit autem Vates primò omniũ, quæ facta ſunt corpori, id eſt, aquis, pugillum: qui rectè & aptè concluſus & compreſſus, vaſis inſtar habet, aquasq́; continere poteſt, nedũ puluerem, aut tenuem aliam rem quamlibet. Omnium autem liquorum, ſiue marinorum, ſiue fluuialium, vel cuiuſcunq; aliàs naturæ fuerint, certam rationem & menſuram nulli alij præterquam Deo auctori notam fuiſſe, illi verò à primo etiam initio ſubductam & notam, indeq́; legem ac terminum huic generi omni conſtitutũ. de qua ſcriptum eſt: Quando circundabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis ne tranſirent fines ſuos. Et quidem quo breuior eſt menſura, hoc maiorem diligentiam, notitiam, & ſcientiam in eo qui menſurauit, probat: diligẽtiùs enim & accuratiùs docet, qui ſcyatis, quàm qui amphora metiendo examinat liquorem. Pugnus autem, ſiue pugni capacitas notiſſima vnicuique omnium menſurarũ eſt, ſua præcipuè cuiuſque. Hoc autem nemini contigiſſe ait, vt liquorum omnium, quotquot in mundo ſunt, tum inferiorũ, vt maris, fluuiorum, fontium, & mineraliũ; tum ſuperiorum, vt aquarum quæ ſuper cælos ſunt, certa ac definita menſura minutim conſtaret. Verùm hoc Deo propriũ fuiſſe & eſſe ait: qui non externa menſura egens, pugillo ſuo omnem naturam hac menſuratã tenet. Idem etiam cæli ſpatium, quod ſicut pellem extendiſſe à Pſalte canitur, non cõmuni & ampla quadam menſura, ſed certis ac definitis, iisq́; exactis ac breuibus, nec arte factis, ſed naturalibus æſtimauit modis; hoc eſt, palmo, quatuor digitorũ latitudine conſtante. Itaq; concinnatis & conuenientibus atq; in ſuam circinatis rationem, vt nihilomnino vſquam requiri ad ſuam figuram & extenſionem poſſit. Eſt autem tranſlatio à veſtium artificibus ducta; qui non ſolùm cubito aut pede, aut alio maiori modo, ſed exactiùs ſingulas concinnent partes palmo ac ſeſquipalmo; palmiq́; minoribus partibus, id eſt, digitis in latum admotis metiri ſolent. Sic maximum omniũ ſpatium hoc eſt, ſupremã cæli faciem, non decempedis modò, verùm palmis æſtimatum Deo Vates ait. ſiue palmus ipſius fuerit Dei, ita ſimilitudinis cauſa depictus; ſiue, quod magis conuenit, humanus palmus: qui, quamquam ſit minimus, tamen Deo nulla ex parte ignotus. Is verò à principio certis huiuſ-

Prou. 8. [margin, beside "Quando circundabat mari terminum"]

Pſal. 104. [margin, beside "Pſalte canitur"]

modi palmis ita cælum circinauit, vt coniunctum in ſphericum orbem conſtaret. Latinum verbum ponderauit, *hoc loco idem nobis quòd aptauit & concinnauit ſignificat, ex exemplari verbo* THICHEN. *Nam veſtis figura & forma atque vſus, niſi partibus ad corporis rationem inuicem coaptatis, nec hærere, nec ad vſum accommodari decenter poteſt. Cælum verò ita aptè ab opifice Deo concinnatũ conſtat, vt ſeſe omniaq́; ambiens, nihil interius nudum relinquat, nihil interius vacuum & inane retineat, vtpote quod ad palmum commenſuratum & circinatum cùm fieret, extiterit. Atque totius mundi partium quædam editiſſimæ ſunt, quædam depreſſiſſimæ: aliæ verò mediam & loci & vſus rationem obtinent. Terra omnium infimo eſt loco, præcipuè, quæ propriè ac ſingulariter* GHAPHAR HAERETS *dicitur. medium verò aquas obtinere dicimus; quarum pars in ſublimi ſuper cælos collocata, pars verò ſub cælo & ſuper terram ſuoptè ingenio reſidere amat. Videmus enim terram in aquam iniectam, imum ſemper petere, atq; ex partium experimento, quæ totius natura ſit, cognoſcimus. Igitur primam orbis partem, hoc eſt, aquas, ita pugillo menſuratam intelligimus, & quanã harum partes, quæ loca tenerent, certo iudicio, conſilio, & opificio definitum & aptatum cognoſcimus. Cælum quoque digniſſimã & continuam mundi partem, qua totus velatur orbis, non pugillo, vti liquida, ſed palmo, vt cõtinuata & extenſa veſtis, menſuratum animaduertimus. Nec verò minorẽ terræ habitam audimus rationem; cuius duæ præcipuæ ſunt partes. altera, quæ propriè* GHAPHAR ERETS, *id eſt, pinguis & concreſcibilis terræ humus; quam interpres noſter terræ puluerem vocat: atq; depreſſiſſimũ ſua ſponte occupat in infimo hoc orbe locum. alteram verò, quæ in hoc eodem orbe tumentior editiorq́; apparet: eaq́; ad nomen* HARIM, *id eſt, montium, refertur. illa, quòd arida ſit, & in puluerem redigi poteſt, atq; hoc pacto ad menſuram aptari, vt inter montes diffunderetur, & quid cuique regioni conueniret, diſtribueretur; certa etiam æſtimata fuit menſura: quæ in ſacra lingua* SALIS *dicitur. eſtq́; tertia maioris menſuræ portio. Namq; hoc ſignificat* SALIS, *tertiam partem; atq;, vt nomen etiam indicat, triangulari figura conſtantem. quam Latinus interpres* tribus digitis *vertit. Verbum autem huic menſuræ adſcriptum eſt* CHAL, *quod capere & continere, aptè interpreteris. Docet autem terram ipſam infimum ac humillimũ corporum naturæ, ac mundi partium omnium, non temerè aut fortuitò, ſed magno & certiſſimo iudicio conſilioq́; fuiſſe ſuis locis diſtributam; non ſitus modò, ſed vſus etiam ratione habita: namq; vt alia mineralium, plantarum, animantumq́; genera alibi proueniant, ſoli natura in cauſa quoq; eſt: quæ non eadẽ omnibus locis ac regionibus, ſed alia aliis cõtigiſſe viſitur. et, vt ille canebat:*

Virg. Geor. 2.

Aſpice & extremis domitum cultoribus orbem,
Eoaſq́; domos Arabum, pictoſq́; Gelonos.
Diuiſæ arboribus patriæ. ſola India nigrum
Fert ebenum, ſolis eſt thurea virga Sabæis.
Quid tibi odorato referam ſudantia ligno
Balſamaq́;, & bacchas ſemper frondentis achanti?

Quid

Quid nemora Æthiopum molli canentia lana,
Velleraq́ vt foliis depectant tenuia Seres,
Aut quos Occeano proprior gerit India lucos,
Extremi ſinus orbis, vbi aëra vincere ſummum
Arboris haud vllæ iactu potuere ſagittæ.
Et gens illa quidem ſumptis non tarda pharetris.
Media fert triſtes ſuccos, tardumq́ ſaporem
Felicis mali, quo non præſtantius vllum,
Pocula ſiquando ſæuæ infecere nouercæ,
Miſcueruntq́ herbas & non innoxia verba,
Auxilium venit, & membris agit atra venena.

Huiuſmodi variam ſoli atque humi naturam indicabat hiſtoricus, cùm de rebus ceteris omnibus ac de plantis: à cedro Libani vſque ad hyſopum, qui naſcitur in pariete, Salamonem diſputaſſe narrauit. Igitur hunc varium GHAPHAR HAARETS *certis locis diſtribuendum, ſuaq́ cuique menſura ponendum, Vates hic menſuræ, quæ aridis aptatur, mentione ſignificauit. Montibus verò & collibus, quæ magis ſolidam & integram, in ſeq́ velut integro conſtantem corpore, naturam ſortita ſunt,* pondus & ſtateram *allegauit: vt ſuo vnũquemque loco & ordine ſitum doceret. Sunt enim colles & montes tum aliàs ad plurima vtiles, vt in magni operis corpore oſtendimus; tum etiam ea cauſa aptati & compoſiti, vt ei terræ pulueri, quẽ* GHAPHARHAARETS *nominari diximus, ne diſiici ac diſsipari accidat, pro vallo & repagulo ſint, & fulcimenti vice fungantur: quare & à Sapientia* terræ fundamenta *vocantur, eodemq́ modo, hoc eſt, pondere dicuntur expenſa & conlocata. Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens. Has autẽ huius infimi orbis partes, vt rectè conſtitueret, appendiſſe dicitur Deus; idq́ non in ſumma tantùm, ſed minutim etiã ad libram & aſſem. Maioribus* PELEZZ, *id eſt, trutina conuenit: cuius recta & apta ſtructura maximæ quæque moles tolli, ſuſtineri, & ponderari poſſunt, exiguo contra oppoſito pondere. Hoc genus Hiſpana lingua, Romana vocatur. de qua latè Ariſtoteles in Mechanicis diſputauit. Colles verò, qui non ita editi ſunt, nec tam ſolidis conſtant partibus, minoribus ad pendendũ deſtinati ſunt inſtrumẽtis: hoc eſt, bilanci; vt, vel per partes cõpingi, vel bini ponderari, & pro ponderis & grauitatis ratione ſuo ſinguli ſitu vel continenter, vel differenter locati componerentur. Itaq́ nullũ corpus, materiam nullam vel pondere & menſura à Deo exacta carere, vel ineptè, & præter vſum atq́ rationem ſita eſſe; atq́ ita, repentè omnia creata & conſtructa, apteq́ compoſita, & ſuis cauſis reddita, & humilium pariter atque ſublimium rationem habitam ſapientiſsimè atq́ efficaciſsimè cõſolidatam, omnis hæc oratio & adſtruit, & confirmat. Atq́ ita quod ad rerũ omnium & partium mundi corpore conſtantiũ materiam, formã, cauſam & diſpoſitionem facit: ſolam diuinam ſapientiam efficientiamq́ celebrari: quòd verò motus, actiones, effecta, atq́ efficacitates ſpectat omnium rerum, eodem quoque tropo omnia Deo tribuuntur auctori.*

Quis

Quis adiuuit ſpiritum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit, & oſtendit illi? Cum quo iniuit conſilium, & inſtruxit eum, & docuit eum ſemitam iuſtitiæ, & erudiuit eum ſcientiam, & viam prudentiæ oſtendit illi?

Si *Latinæ verſionis, quam libenter ſequimur & interpretamur, lectio tantùm habenda ſit, facilis eſt huius loci & plana doctrina: quæ ſolam diuinam ſapientiam earum, quas commemorauimus, rerum ex nihilo primùm edendarum, & ſuis locis ac terminis aptiſſimè definiendarũ ſibi ipſi quidnam, quomodo, & quatenus efficiendũ eſſet, conſuluiſſe, decreuiſſe, & præſtitiſſe declarat. quam quidem doctrinam ad illud, quò hæc omnia tendunt, de publica ſalute caput referens, Diuus Paulus citaſſe adnotatur: O altitudo*

Rom. 11. ›› *diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt iudi-*
›› *cia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Quis enim cognouit ſenſum Domini,*
›› *aut quis conſiliarius eius fuit: aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei?*
›› *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia. Ipſi gloria in ſecula, Amen. Et quidem omnia hæc rectè & aptè quadrant, & Vatis docent ſententiam: verùm nondũ perdocent, propter ſacræ linguæ amplitudinem; quam breuibus & ſimplicibus Latini ſermonis verbis plenè cùm exprimi non contingat, duplici, atque etiam interdum triplici oratione interpretari oportuerit; vt in hoc etiam opportunè exemplo agemus, illud præfati, locum ex verbo ita Latinè vtcunque reddi:* Quis aptauit ſpiritum? Dominus: & virum conſilij eius noſſe fecit illum. Quem conſuluit, & intelligere fecit illum? & docuit eum in ſemita iuris, & docuit eum ſcientiam, & viam prudentiarum ſcire fecit illum.

In priori argumentationis huius parte magna rerum corpora vnius Dei ſapientia & auctoritate conſtare indicata fuerant: ſed quoniã illa nec fruſtra condita fuerant, nec otioſa deprehenduntur; ſed omnia ac ſingula ſuis efficientiis, motibus, actionibus, & paſſionibus cõmendantur: omniũ verò efficientiarũ & motuum initium eſt ſpiritus, vti iam in magni operis corpore plenè diſſeruimus. Spiritus autem multiplex eſt: eſt enim qui ſeparatus eſt, qui corpori immiſſus partes agat vel ferat ſuas. Hunc etiam ſpiritũ naturalem, ſiue à corpore ſeiunctum, ſiue adiunctum corpori, ſuis diſcretũ ordinibus (qui omnes vnico appellantur ſpiritus nomine) ab vnico Domino Deo conſtitutũ ac determinatum affirmat Vates. Quis aptauit ſpiritum? *efficacem, inquam, naturam in omnes mundi parteis diſtributam? Reſpondet ipſe ſibi,* Dominus. *Namq; nomen* IEHVEH *ita hoc loco poſitum eſt, vt recto & ſecundo Latinis caſibus aptè reddatur. Dominus, inquit, ille miſerator & miſericors, idemq; benigniſſimus, omnia hæc nobis hîc cõmemo-*

Pſal. *rata condidit, ponderauit, concinnauit, & aptauit. Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud, & aridam fundauerunt manus eius: Quia in manu eius ſunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipſe conſpicit. Vt verò ille ſolus totius rerum naturæ & vnicus auctor fuit, quam nulla alia vis & virtus, quæ nulla præter ipſum anteà fuerat, efficere potuit; ita nullus alius, præter ipſum, huius cognoſcendi veri atq; diſciplinæ huius eruditor,*

ac doctor fuit. Neque quiſquam tantum valuit ingenio, tantum iudicio aſſecutus eſt, vt veram totius mundi ac naturæ omniũ rerum aptam concinnamq́ rationem & cognitionem ſua ſponte inuenire, nedũ alios mortalium docere poſſet. Vt enim hæc omnia facere Domini virtutis fuerat, ſic etiam ad amuſsim indicare, ſingillatimq́ tradere ipſius vnius voluntatis & liberalitatis ſingulare donum fuit, vni Vati Moſi conceſſum, & per hunc ceteris communicatum ſcire cupientibus mortalibus. Atque Moſes hoc loco, vir conſilij eius: *cui videlicet magna totius conditi orbis monumenta, magna dignitatis naturæ & partium humanarum documenta; magna etiam ſalutis orbi reſtituendæ arcana credidit Deus. Conſtat enim omnis à Moſe traditæ doctrinæ ſumma tribus his præcipuis capitibus: creationis mũdi & hominum; gubernationis, & rectæ inſtitutionis eorundem; renouationis, ac regenerationis hominũ per* IESVM *Chriſtum efficiendæ. Hæc verò tria capita illis nominibus indicata, ſignificantur* ſemita iuris, *quæ ad humanorum morum præcepta & inſtituta facit:* ſcientia, *quæ ad naturæ cognitionem rerum pertinet:* & viam prudentiarum, *quæ ad arcanorum diuinorum reuelationem ducit. in qua ſignificationes rituum, ceremoniarũ, & ſacrorum omnium continentur. Eſt autem horum verſuum paraphraſtica huiuſmodi interpretatio:* Quis aptauit ſpiritum, *efficacem illã naturam per omnes mundi partes inſinuatam?* Dominus, *qui fecit cælũ & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt. Et idem Dominus fecit noſſe conſilium ſuum* virum conſilij ſui, *quem ad hanc rem vſque à matris aluo comparauerat:* & intelligere fecit illum, *non ſolùm cognoſcentem quæ facta, ſed quemadmodum, & quando, & quamobrem facta fuerint omnia:* & docuit eum in ſemita iuris, *in mundo omni, mundiq́ partibus exerciti, atq́ inter homines cognoſcendi & exercendi:* & docuit eum ſcientiam; *quæ humanæ naturæ prima conditio, degeneratio, ac deprauatio, præſensq́ ſtatus cognoſceretur:* & viam prudentiarum ſcire fecit illum; *in qua publicæ ſalutis continentur ſacramenta & reſponſa. Itaq́ rerum omnium natura & veritas, & efficientia, earundemq́ cognitio atque doctrina, vni diuinæ tribuuntur auctoritati; præter quã nihil verè & rectè ab hominibus non ferri ac præſtari modò, verùm neque cognoſci ac tradi poteſt: cùm ipſi nihil prorſus ſint, vel ſint tanquam non ſint, ſi cum Deo comparari ſtudeant.*

Ecce Gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt: ecce inſulæ quaſi puluis exiguus.

DIVINÆ *ſapientiæ ac virtutis & efficacitatis veritatem naturæ, ac mundi rerũ opificio, ratione, & vſu doceri, probari, ante dixerat, eandemq́ per Vates hominibus eſſe declaratam; quorum exemplo Dei etiam voluntatem & benignitatem ad nouam creaturam efficiendam, eandemq́ facultatem commendat, & Vatibus iam diuinum propoſitum indicatum fuiſſe ait. Facile autem eſſe ei, qui ex nihilo mundi ſuperiorem & inferiorem omnem condiderit molem, ex nihilo etiam homines denuò creare & renouare; & verè ex nihilo. namque humanum genus, vbi à prima ſui conditione, quam ex Dei verbo ſortitum fuerat, decidit; tantum degenerauit, quantũ id, quod*

,, eſt, à nihilo diſtat. erat enim hominis natura ſuo in genere omnia. S. S. E.
Et omnia per ipſum facta ſunt: verùm amiſſa per culpã ſorte, in nihilũ re-
dacta fuit & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factũ eſt. ita enim recta illius
lectionis habet diſpunctio. Ei autem, qui ex nihilo omnia corporea primùm
condiderat, & qui ſpiritũ ſingulis aptauerat à ſe conditis rebus, promptum
Pſal. 50. fuerit etiã homines in nihilũ redactos, in nouam creaturã edere, recto ſpi-
Lucæ 1. ritu in eorũ quoq; viſceribus renouato: Qui nõ eſt impoßibile apud Deum
omne verbũ. Neque verò dicendũ aut putandũ in noua huiuſmodi creatio-
ne ipſum humanũ genus, antequã creetur, aliquid diuinam efficientiã vel
iuuare, vel impedire poſſe. Iuuare quidẽ, eò quòd ſit: et ex eo quod eſt, faciliùs
quàm ex eo quod nõ eſt aliquid fieri poßit: impedire rurſus; quia promptiùs
aliquid à principio rectè initur & inſtruitur ac dirigitur, quã, vbi depra-
uatũ fuerit, corrigitur: faciliùs aliquid purũ ab initio paratur, quàm, iam
fœdatũ & contaminatũ, ad priſtinam renouatur puritatẽ. Huic argumẽta-
tioni vnica ſententia ſatisfacit Vates: ait enim humanũ genus, quanquã in
iſta, qua modò iacet cõditione, hominibus ipſis, aut aliis etiã creaturis, tam
ſpiritalibus, quàm animalibus aliquid eſſe videatur; vt vel addere & iu-
uando, vel detrahere, & impediendo auctori Deo quicquam poſſe videatur:
tamen re vera non magis ad eam, quam Deus parat, rem valere, quàm ni-
hilum ipſum quondam vel in rerum producenda natura iuuare vel retine-
re potuit. Ecce Gentes quaſi ſtilla ſitulæ. Situlam hoc loco vas interpre-
tamur, quo aqua ex puteo hauritur: cui, dum extrahitur, guttula primùm
exteriùs adhærens nullius neque ponderis ad momentum, neque vſus ad id
iuuandum quod ſitula continet; neque ad implendum rurſus puteũ, in quod
decidit, hauriẽdo, æſtimationis habetur. Non potuit aptiùs generis humani
ad ſuam ſalutẽ, vel efficiendã conficiendámve, inopia, aut ad impediẽdam
imbecillitas declarari & exprimi, quàm ſtillæ vnius ex ſitula deciduæ. nãq;
ita ex verbo reddimus, MIDAL, ex ſitula. atq; hoc quoad naturæ copiam &
facultatẽ: quod verò ad efficacitatẽ attinet, quaſi momentũ ſtateræ. Mo-
mentũ Latinus interpres poſuit pro SAHHAK, qui tenuiſſimus puluis eſt,
bilanci etiã excuſſo & exſufflato adhærens, nullius prorſus ad minuendũ,
vel augendũ pondus momenti. quam rationẽ natura humana vt in ſe habet,
rurſus reformare, reficere, & ad pondus auctorare volenti & parãti Deo,
non certè maiorem tenere dicitur: ita vt neque ſibi conſulere & prodeſſe ad
ſe per Deum inſtaurandam & amplificandam, neque obeſſe (ſecũdùm na-
turam, loquimur, non ſecundùm ſingularem culpam.) Hanc ſententiam &
,, apud Iobum celebrari audimus: Quis poteſt facere mundum de immundo
,, conceptum ſemine? nónne tu, qui ſolus es? His alia Vati additur ſimilitudo.
Ecce inſulæ quaſi puluis exiguus. DAK, hoc loci puluis eſt, veſtibus aut
calceis adhærens; qui tamen incedentem hominis greſſum aut curſum nihil
morari poßit; quin & ipſo inceſſu vel decurſu interdũ excutitur. In exem-
plari legimus CHEDAKIITOL, vt puluis portabitur. Inſulas autem vo-
cat Græciam, Italiam, & ceteras regiones, ad quas ex Palæſtinæ continẽte
nauigiis itur. In iis autem humana ſapientia & induſtria, atque ſolertia
vigere

vigere putabatur. negat verò Vates non modò potentiam & vim, ſed ſapientiam hominum quicquam Deo ad humani generis efficiendã ſalutem, conferre auferréve poſſe. id quod ſimiliter à Vatibus ceteris, & à Pſaltibus negatum conſtat paſſim. Quia non in fortitudine ſua roborabitur vir, neque in brachio ſuo confortabitur. Fallax equus ad ſalutem, in abundantia virtutis ſuæ non ſaluabitur. Ita viribus humanis, humanam effici inſtaurationem & amplificationem impoſsibile fuerat. vna verò reliqua erat controuerſia ac dubitatio, numquid ſacrificiis & victimis, quæ ſecundùm legem veluti ſacra & ſancta maximi fiebant, aſsiduéq; frequentabantur, humana expediri poſſet & effici ſalus. qua quidem in re valdè fidere videbantur Iſraelitæ. Hanc quoque fiduciam frangens, dubitationem de medio tollit Vates: aſſerit enim nullam earum hoſtiarum, quæ ex antiquo ritu fiebant, ad hanc rem efficacitatis quicquam habere; ſed magis veteris legis imbecillitatẽ argui, quo magis hiſcè opera impenderetur ſacris. S.S.E. Sacrificium & oblationem noluiſti, neque placita ſunt ante te (quæ ſecũdùm legem ſiſtebantur.) &, Audi popule meus, & loquar: Iſrael, & teſtificabor tibi. Deus Deus tuus ego ſum, non in ſacrificiis tuis arguam te: holocauſta autem tua in conſpectu meo ſemper. Numquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? Omnem verò illam antiquiori legi addictam rempublicam cum ſacris ritibus & expiationibus ſuis; atque adeò Hieroſolymam illam terreſtrem, quæ totius gentis caput erat, imò & cum templo celeberrimo, in quo ſacra fiebant legitima, Libanum *ex tranſlatione & ſimilitudine Vates appellat noſter, ſicut appellare aliàs cõſueuit. Vt enim Libanus celebratiſsimus totius orientis mons à perpetuæ in culmine niuis candore nomen habet: ita & Moria mons à marmorei templi inſigni corona Libanus dictus eſt. Hoc eſt quod ſubiungitur:*

Pſal. — Pſal.

Et Libanus non ſufficiet ad ſuccendendum, & animalia eius non ſufficient ad holocauſtum.

MAGNA *Libani montis vaſtitas innumeris & variis arboribus frequens eſt, & multis alendis cùm pecoribus, tum armentis ſpatia commendat opportuna: ita & ad ſacrificia, victimas, & materiam lignorum ſufficere poteſt copioſiſsimè. Eodem quoque modo Libanus, iſte alter mons, in quo templum erat, continuandis hoſtiis, & igni perpetuo frequentabatur: quæ tamen omnia ad peccatum delendum, ad veterem auferendum hominem, & nouum, qui ſecundùm Deum in iuſtitia & ſanctitate creatus eſt, edendum, ſufficere ac præſtare negatur. Denique humana omnia ad hanc rem inutilia & manca atq; inepta Dei comparata virtuti exiſtimantur.*

Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei.

ET *quidem in ſalutis ratione conficienda humanum genus illud vetus, vt inutile, prorſus extinctum iri, & nouum porrò ſanctum, viuum, ac Deo dicatum creandum, & hic, & alij Vates allegoricῶs plerumque, interdum verò apertè & ſimpliciter cecinerunt. Et dices ad eos, Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael: Bibite, & inebriamini, & vomite, & cadite: ne-* Ierem. 25.

» *que ſurgatis à facie gladij, quem ego mittam inter vos. Cumq́; noluerint*
» *accipere calicem de manu tua vt bibant, dices ad eos, Hæc dicit Dominus*
» *exercituum, Bibentes, bibetis. Quia ecce in ciuitate, in qua inuocatum eſt*
» *nomen meum, ego incipiam affligere, & vos quaſi innocentes & immunes*
» *eritis? non eritis immunes: gladium enim ego voco ſuper omnes habitato-*
» *res terræ, dicit Dominus exercituum.*

Cui ergo aſſimilaſtis Deum, aut quam imaginem ponetis ei? *In exemplari verbo comparatio ſignificatur*, quam imaginem comparabitis, *ſiue*, componetis ei?

INTERPRETVM *ferè omnium, qui diligentiores habentur, explicatio cò tendit, vt Vatis huiuſmodi mens eſſe videatur: nimirum gentes docere ad ſalutem populo ſuo comparandam, efficaciſsimum eſſe, & longè diſsimilem illorum diis, quorum nulla vis, nulla efficientia eſt: vtpote non natura diuina conſtantium, ſed materia naturali & arte hominū fingendi, vel dolandi, vel conflandi peritorum, ideoq́; nulli iſtorum Deum eſſe comparandum. quæ ſententia, quamquam aliàs vera, & ſæpiùs repetita eſt, cum huius loci ac propoſiti interpretatione multis ex partibus haud conuenit. Primùm enim illud cordatis viris in confeſſo eſſe debet, nullam adeò barbaram & ab humana mente communiq́; ſenſu alienam eſſe gentem, quæ auro, argento, lapidi, ligno, argillæ, aliíve huiuſmodi materiæ, ſiue rudi, ſiue ſecundùm artem informatæ numen eſſe credat, cum diuini numinis natura & efficacitate comparandum; nedum hæc dicat aut appellet mundi rectores, vel duces & gubernatores: multo minùs etiam creatores. quippe ante hæc artificioſa ſimulachra & factus & rectus conſtat mundus. Præterea, qui huiuſmodi ſigna conficiunt & venerantur, mundum non caſu aut fortuitò factum aiunt, ſed æternum putant alij, alij verò factum aliquādo; tamen ab vna prima omnium cauſa, hoc eſt, ſuprema & infinita mente editum. Verùm hi aſtra, ſtellas, & ſuperna mundi corpora in cælo ſparſa, vim ex Deo ſortita ad inferioris mundi partium gubernationem; hoc eſt, ad aëris, maris, terrarum, plantarum, animalium, atq́; hominum creationem, & recreationem, atq́; mutationes omnes. Cui ſententiæ non videtur lectio*
» *hæc pugnare, cùm paulò inferiùs legamus: Leuate in excelſum oculos ve-*
» *ſtros, & videte quis creauit hæc. qui educit in numero militiam eorum, &*
» *omnes ex nomine vocat. Ex nomine autem vocari dicitur id, quod ab opifice ſummo aliquam ſortitur efficacitatis partem: quamobrem iſtis tanquā numinis miniſtris, atq́; ideo minimè carentibus numine, diuinos honores tribuendos, & ſigna etiā, cultus & monumenti cauſa, dicāda ducunt. Ideoq́; doctrina hæc cum iis, quæ iam præceſſere oraculis, & cum redemptionis ac ſalutis publicæ, de qua inpræſentiarum agitur, non videtur ex amuſsi quadrare; præterquam quòd nonnulla huius oraculi verba & membra in ea, quam citauimus, explicatione ſuperuacare videtur. cuiuſmodi illa ſunt qua-*
» *tuor eandem in rem contendentia membra: Numquid non ſcitis? numquid*
» *non audiſtis? numquid non annunciatum eſt vobis ab initiò? numquid non*
» *intellexiſtis fundamenta terræ? Quid, quòd in iſtorum expoſitione rerū ac*

ver-

borum ordo miſcetur, ac ſuperiorum cum inferiorum confunditur mentio? Quod cuiuis attentè ceteras commentationes legenti deprehenſum patebit: nec noſtri inſtituti fuerit, alienam induſtriam & operam ex profeſſo impugnare, ſed cohærentem rebus & orationis filo interpretationem, quàm breuiter id præſtari poſſit, attexere. quam ita perſequimur.

Dixerat Vates, nullam in hominum omnium natura vim eſſe aut facultatem ad publicam ſalutem efficiendum, iuuandum, vel impediendum: imò omnes gentes, tam lege carentes, quàm vſas, ad hanc rem pro nihilo duci. Supererat verò obiectio quædam & allegatio numinum, quæ dicerētur cæleſtia: qualia habentur principes illi ſpiritus, quorum miniſterio ac muneri & officio ſingulæ gentes commendatæ crederentur, quorumq́; apud Danielem non obſcura ſit mentio ſub SAR *Hebraico,* & Principis *Latino vocabulo: Princeps regni Perſidis, Princeps regni Græcorum. Hos etiam nullo ſecundùm naturam adiumento, nullo rurſus impedimento eſſe poſſe, ait Vates, Deo ſalutem effecturo publicam: ſiue enim hos aſtra eſſe, ſiue intelligentias aſtrorum vim ſufficientes credatis: tamen vim illam, ſiue numen dicere libeat, non ex illorum natura neceſſariò arrogare, vel perpetuam & æternam, ac ideo propriam, & nulli acceptam referendam dicere quis poſſit: vtpote quibus, quidquid eſt aut ineſt, non ſpontè innatum, ſed ab auctore Deo benignè ac liberè datum, & ipſis acceptum, veritas affirmet; & etiā experientia commonſtret: hæc non ex ſuo arbitrio, ſuis viribus, muneribus, aut officiis perpetuò poſſe fungi; ſed tantùm dum ab auctore iubentur, permittuntur, vel ſinuntur: atq; ita ſuas illas gentes, quibus præfecta creduntur, non æternum iuuerint, nec æternum deſeruerint, niſi pro iubentis prouidentiæ vnius Dei voluntate & conſilio ac iudicio. vt manifeſtè euincitur ex diluuij, Sodomorumq́; exemplis, atq; etiam ex Ægyptiaca ſalute, in qua Deus in omnibus Ægyptiorum diis iudicia exercuiſſe narratur. In hanc itaq; ſententiam canit Vates,* Cui ſimilem feciſtis Deum. *Dei nomen hoc loco eſt* EL, *quod fortitudinem & efficacitatem propriam & æternam ſignificat. quam vim aut efficientiam ſimilem arbitramini efficacitati ipſi, ſummæ & æternæ?* aut quam imaginem ponetis ei? Quam ſimilitudinem componetis ei? *quámnam vim & virtutem illi ad agendum ſociam adſeritis; ita vt ex illo atq; ex alia quapiam natura & virtute efficacitatem vel efficientiam concinnetis & compingatis aliquam, quemadmodum vos in veſtris confingendis ſimulachris facere conſueuiſtis? quæ non ex nihilo, ſed ex aliqua principali materia cum altera alia diſtincta compingitis & conficitis.*

Nunquid ſculptile conflauit faber? aut aurifex auro figurauit illud, & laminis argenteis argentarius?

EXEMPLARIS *lectio à litera* HEH, *inchoatur; quæ interdum interrogationis, verùm ſæpiſſimè certæ cuiuſpiam rei nota eſt; atq; hoc loco ita habet. Quod autem in communi propoſuerat Vates de ſigno ex non ſimplici, ſed ex pluribus compoſito partibus, per ſpecies amplificat; atq; argumentationis primam partem expoliendo confirmat. ait enim:* Faber conflare ſolet ſcul-

ſculptile ex ligno, aut ære, aut argilla, vel alia quauis materia, ex qua ipſa primùm conficitur moles: deinde & artifex auro figurauit illud, *bracteolis admotis aureis, quibus prima illa occulitur materia: quòd ſi nō tam ſumptuoſum paretur opus, pro auro, argentum ab argentario extenditur. hoc eſt quod dicit:* & laminis argenteis argentarius. *Verùm ſi ne tam carè quidem conſtare ſignum velint,*

Fortè lignum, & imputribile eligit: artifex ſapiens quærit quomodo ſtatuat ſimulachrum quod non moueatur.

VTCVNQVE *autem fiat, & ex quacunque fiat materia, tamen non ſimplex opus eſt: verùm compoſitum, vel ex complurium generum vario corpore, vel ſi ex vnica tantùm materia, vt ligno aut luto; tamen figuram poſcit adiunctam: aliàs nullum conſtitui poteſt ſignum.*

Horat. lib. 1. Sat. 8.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Cùm faber incertus, ſcamnum faceret ne Priapum,
Maluit eſſe Deum: Deus inde ego furum auiumq́;
Maxima formido: nam fures dextra coercet,
Obſcenoq́; ruber porrectus ab inguine palus:
Aſt importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa, vetatq́; nouis conſidere in hortis.

Itaque vt id, quamobrem conficitur, ſignum præſtet, compoſitione quadam prorſus indiget & opificio atq́; opifice. Ita quoque Intelligentias quas vocant, ſiue corporeæ illæ forent, vt gentium nonnullæ putabant; ſiue animæ ſtellis immiſſæ, ſiue ſeparati quidam animi, qui ſtellis præeſſent, vt alij philoſophabantur; non ſua ſponte extitiſſe, aut conſtare poſſe, verùm ab auctore id quod ſunt, habere; & id quod agunt aut efficiunt, ad compoſitionis ſuæ rationem ab auctore Deo accepiſſe, & obtinere, atq́; conſeruare docet. Vt ſimulachrū quoduis à cōpoſitionis opifice ſuæ ex materiæ ac formæ ratione id repræſentat, quod auctor voluit: idq́; habet, ex quo conſtat. vt ille aiebat:

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus, at tu,
Si fætura gregem ſuppleuerit, aureus eſto.

Atq́; ex hoc appoſitiſſimo exemplo complura in ſuperioribus naturis, quas Principes *diximus, appellari, obſeruanda docemur. Primùm quidem non eſſe eandem & parem omnium, communemq́; omnino conditionem: verùm alium alij gradibus quibuſdam præſtare, vt ſignorū alia aliis materia præſtant, aurea argenteis, hæc marmoreis, marmorea verò ligneis, quæ figulinis quoque antecellunt: Ita etiam in influentiis capiendis non omnes præfectos, quos dicimus, eſſe pares: imò iuuari aliis alios, aut etiam impediri. vt lignea materies in ſigno argenti aut auri laminis abſoluitur. ſic vnus ex iſtis apud Danielem probibitum ſe eſſe dicit ab alio, ne pro ſtudio ſuas ageret parteis. Secundò etiam docemur, principes iſtos omnes prouinciarum, & miniſtros cælorum non ſua ſponte extitiſſe; aut id quod ſunt, quodq́; efficiunt, ab æterno habere; ſed ab auctore Deo accepiſſe: perinde atq́; ſigna in ſimilitudinē citata, id quod ſunt, à ſapiente habent opifice. Tertium animaduertimus, non puram, ſimpliciſſimam, & ſingularem eſſe iſtorum principum,*

pum, ſiue præfectorum ſimplicitatem; ſed compoſitione quadam conſtãtem, ſiue ſpiritus cuiuſdam tenuioris & formæ, vt nonnullis placuit; ſiue entis & eſſentiæ, vt à noſtris traduntur theologis; ſiue potentiæ & actus, vt ab alijs philoſophis; demùm naturæ ſpiritualis & ſuæ ab opifice donatæ formæ: ita vt neceſſariò egeat aliquo reſpectu, vel vnico illo, qui ſummus eſt, creaturæ ad creatorem ſuum. veluti ſigna compoſitioni obnoxia ſunt, quædam materiæ multiplicis, alia vnius materiæ cum forma; & omnia artificem agnoſcere debent ſuũ: namq; vbi nulla omnino compoſitio eſt, ſummam oportet eſſe ſimplicitatem: hæc, vbi eſt, nullam admittit differentiã. verùm, vt in ſimulachris, ita in ſuperis illis principibus graduum diſcrimina ſtatuuntur: quamobrem vel compoſitionem, vel compoſitioni quicquam affine in illis fateri conueniat, vti nulli ex illis ſimpliciſsima ſimplicitas & ſingularis concedi poßit vnitas. Namq; hæc vnius Dei rerum omnium conditoris propria; &, vt ita Latinè loquamur, conſubſtantialis eſt: quæ nullam compoſitionem, ſocietatem nullam, nullam denique comparationem admittat. His omnibus argumentis illud conficitur, ſuperis principibus, intelligentiis, & influentiis illorum, poſſe ſimilitudinem, poſſe comparationem adaptari, vel eorum ſignorùm, quæ in illorũ conficiuntur vel cultum, vel monumentum: Deo verò nullum inueniri comparabile, nihil prorſus vel ſimile eſſe vel ſecundum: quippe cuius in ſimplicitate nulla prorſus reperitur exceptio. Rurſus verò, vt hoc expoliamus, quod iam diximus, huius carminis membra percurrimus ſingula. Sculptile conflauit artifex. *ex ære vel ferro, quæ infima metallorum nota eſt: quod tamen artifex cõflat. aliud autem vel ex ligno, vel ex alia minoris æſtimationis materia fingit, quòd* artifex auro figurauit *exteriùs; vel, ſi auro parcit,* laminis argenteis argentarius *obducit illud. quacunque ex re conficiatur ſignum, omnino ab artifice conficitur, idq; ex conſilio ac delectu; ita vt, ſi pauper fuerit, qui dicare parat, nec niſi ligneum conficere valeat, ligneam tamen quærit materiam quam poßit durabiliſsimam. Sic veteres ædes incoluiſtis aui.* Tibull. lib. 1.
Hoc eſt quod addit: Fortè lignum & imputribile elegit. *& huic etiam ſigno conficiendo artifex quæritur peritus,* artifex ſapiens. *talem enim optari & quæri conueniebat. In exemplari lingua ita concinnatur membrum hoc.* artificem ſapientem quærit illi [*ſigno*] *efficiendo. ex quacunq; verò materie illud artifex conficiat, illud comprimis* quærit, quomodò ſtatuat ſimulachrum, quod non moueatur. *Nouit enim artifex nullam omnino rerum naturam, ex quibus ſimulachra conficiuntur, ſuopte ingenio immobilem, aut immutabilem eſſe: quamobrem arte & ſapientia eiuſmodi exceptioni proſpicere ſtudet. Ex qua ſimilitudine illud conficitur nimirum, nullam illorum principum, quorum iſta ſimulachra ſunt, vel vim, vel efficientiam, vel influentiam æternam eſſe, & immutabilem ſua natura, aut perpetuam & inceſſabilem: ſed ex Dei ſapientia, prouidentia, & arbitrio pendere; quo deſerente, illorum ceſſabit vis & efficientia omnis, volente autem, conſtabit. Atq; hactenus de ſignis ac ſimulachris diſſertum: quorum ratio quotidiana experientia nemini ignoratur mortaliũ: nunc iam ad ipſos prin-*

principes, intelligentias, inquam, ſpirituales vel cæleſtes, totam refert ſimilitudinem, oſtendens, longè pluribus ac maioribus rationibus naturas omnes cæleſtes & ſpirituales, Deo auctori, gubernatori & arbitro obnoxias eſſe, quàm ſimulachra iſta ſuis ſunt obnoxia artificibus: ad idq́ argumẽtum diſtinctione vtitur maximarum præcipuarumq́ mundi partium: quas in quatuor partitur gradus, naturæ infimæ, mediæ, atq́ ſupernæ, & ſupremæ omnium, hoc eſt, primæ cauſæ: quibus gradibus totidem adiungit verba, magno & oportuno dicendi artificio.

Nunquid non ſcitis? nunquid non audiſtis? nunquid non annunciatum eſt vobis ab initio? nunquid non intellexiſtis fundamenta terræ?

CÆLORVM *orbiumq́ natura, figura, motus, & efficacitates, non tam ſenſu, quàm intellectione cognoſcuntur, ex certis primis principiis, ex ſenſibus, cõmuniq́ ſentiendi vi perceptis; ex quibus deducuntur documenta quædam neceſſario mentis & rationis diſcurſu firmata: quæ* Scientia *appellatur. de hac itaque naturæ cognitione rogat,* Nunquid non ſcitis? *Spiritualis verò ordinis ac naturæ notitia magis ex ſapientũ antiquorum auctoritate, quàm ex ſcientiæ præceptis & concluſionibus accepta eſt: credendum enim fuerit iis, qui quòd antiquiſſimi extiterint, rerũ cognoſcendarum peritiſſimi habentur. Ij autem & ſpiritus, & intelligentias, & bonos malosq́ dæmones eſſe tradiderunt. id quod ab illis acceptum eſt,* auditio *dicitur. ergo* Nunquid non audiſtis? *quæ de ſpiritibus per maiores tradita fuerint? de gradu autem illo diuino ac ſupremo primæ omniũ cauſæ ita interrogat,* Nunquid non annuntiatum eſt vobis ab initio? *Indicat mundi creationem & opificium, quæ nec ſenſu tangi, nec ſcientia comprehendi poterant, fuiſſe iaminde à primis temporibus per Vates declarata mortalibus. ex quorum Vatum numero Hanoch, Mathuſalach, Noahhus, & Melchiſedekus, & Abrahamus. qui omnes auctorem, gubernatoremq́ mundi prædicauere Deum: qui antiquis temporibus permiſit omnes gentes* (Actor.) *ingredi vias ſuas, & non ſine teſtimonio ſeipſum reliquit, dans illis pluuias de cælo, & implens cibo & lætitia corda eorum.* Nunquid non annunciatum eſt vobis ab initio? *Vltimo verò loco infimas mundi citauit partes, verbo etiam vſus ampliſſimo.* Nunquid non intellexiſtis fundamenta terræ? *quòd hæc loca, vt omnibus familiaria & frequentata, conſiderando, obſeruando, & comparando cognoſci poſſint. Eademq́ protracto ſermone, primum proſecutus, ait:*

Qui ſedet ſuper gyrũ terræ, & habitatores eius ſunt quaſi locuſtæ.

NATVRAE *ratio ſic habet, vt ceteris mundi magnis corporibus perpetuò agitatis motibus, terra immobilis permaneat. vt & Salomon dixit:* (Eccl. 1.) *Generatio præterit, & generatio aduenit; terra autem in æternum ſtat. Hanc verò ſtabilitatem non natura ſua, ſuopteq́ ingenio terram eſſe ſortitam, & obtinere; ſed iuſſu, voluntate, & efficacitate Dei ſuper ipſam ſedentis, atq́ hoc pacto immotam conſeruantis. S. S. E.* (Pſal.) *Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam; non inclinabitur in ſeculum ſeculi. Deo autẽ omnia verba illa*

illa tribuuntur in ſacro ſermone, ſtare, ſedere, ambulare, aſcendere, deſcendere; eò quòd omnium huiuſmodi habituum vis & veritas non aliunde, quàm ex virtute diuina conſtet. atq; ita in iis, quæ immobilia dicuntur, ſedet; in iis, quæ mouentur, ambulat. vt, Qui ponis nubem aſcenſum tuum: qui ambulas ſuper pennas ventorum. Gyrum autem hoc loco pro omni terræ corpore, ſiue mole, ſiue globo vſurpatum vocabulum accipimus. Namque nomen HHOG, quod interpres vertit in gyrum, & cæleſti corpori addicitur. vt apud Iobum: Cardines cæli perambulat; idem nomen HHOG legitur: pro quo redditum eſt cardines. & apud eundem: Terminum circundedit aquis. Latinum circundedit, ex HHAG, verſum eſt. &, Quando certa lege & gyro vallabat abyſſos. In exemplari eſt, In indicendo HHOG, ſuper facies abyſſi. Itaque HHOG, vniuſcuiuſque rei naturam & legem interpretamur. atque hoc pacto quidquid terræ arrogatur, vt ſtabilitas & fæcunditas, non ipſi natura ineſt ſua; ſed ab inſidente Deo: quem ſedentem nemo vexare, mouere, aut ſolicitare poteſt. nam aliàs nec ab initio terra, vbi nunc eſt loci, fuit; nec id, quod nunc tenet, fæcunditatis habuit: vtpote quæ tunc arida vocabatur & erat, atq; aquis obducta nulla certa ſe conſpicuam præbebat ſtabilitate. S. S. E. Abyſſus ſicut veſtimentum amictus eius, ſuper montes ſtabãt aquæ: ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabunt. Aſcendunt montes, & deſcendunt campi in locum, quem fundaſti eis. Terminum poſuiſti, quem non præteribunt, neque conuertentur operire terram. Et quamquam ſtellæ, & cæli, & ſuperiora cetera corpora, vires, efficientiasq; ſuas terris influant & immittant, non tamen vt præſides ac domini, imperatoresq; terrarum id faciunt; ſed tamquã inſtrumenta & media, quibus, cùm vult hæc efficere, imperat, & cùm nolit, rurſus vetat Deus: neque enim inſtrumenta vel ſemper in vſu ſunt, vel ſemper operi admota viſuntur, ſed cùm artifex vult; cuius arbitrio vel vſurpantur, vel omittuntur aut ſuſpenduntur. Terræ itaq; ſolus imperat & moderatur Deus; atq; ideo inſidere dicitur ſuper HHOG, id eſt, ſuper vniuerſæ terræ naturam: quam nunc fæcundã, nunc ſterilem efficit pro conſilio & arbitrio ſuo cum ſumma iudicij veritate conſtante: quale iudicium ſedentis, hoc eſt, imperantis, Dei credi & eſſe conuenit. Cuius imperatoris comparatione habitatores eius ſunt quaſi locuſtæ. Locuſtas quidem in terra naſci & verſari videmus: ſed neque vbique terrarum ſemper ſunt; nec, vbi ſunt, ſemper denſæ ac frequentes. imò pro Creatoris Dei voluntate aliàs quamplurimæ, aliàs raræ viſuntur; aliàs diu durant, interdũ verò repentè extinctæ pereunt. nonnunquam volant & mouentur, & magni exercitus inſtar procedunt, omnia loca & prædia ac rura vaſtãtes: fit etiam vt certis hæreant locis, aut in deſerta deferãtur, aut in mare ſeſe coniiciãt. Non ſecus cum habitatoribus terræ pro iuſto Dei iudicio, pro ſapientiſſimo conſilio agitur. Hinc felicitates, hinc rurſus calamitates gentium, & copiæ & inopiæ, & quæcunque inter mortales aguntur tempora, mutationes ac viciſſitudines temporum. Illud præterea admirandum & celebrandũ magnitudinis & amplitudinis præconium Dei; qui tam exiguam rem, qualem

Iob 22. Iob 26. Prou. 8. Pſal. 103.

illius comparatione humanum genus eſſe accepimus,tamq́; abiectam, tamen illius prouidentiæ, curæ, ac benignitati, iudicio, atque beneficientiæ gubernatione acceptũ & tractatum, certiſſimis ac perpetuis noſcamus exemplis.

Pſal. *S.S.E. Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia*
" *reſpicit in cælo & in terra: Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens*
" *pauperem, vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi ſui. Qui*
" *habitare facit ſterilem in domo matrem filiorum lætantẽ. Vtpote qui totam terræ molem ſedens agit, & quid, quoq́; loco, quáve parte ſit, prorſus tenet.*

Locuſtarum *nomen ad humilitatis & exiguitatis tum virium, tum etiam*
" *æſtimationum comparationes vſurpari ſolet. vt, Ibi vidimus monſtra quæ-*
" *dam filiorum Enac de genere giganteo; quibus comparati quaſi locuſtæ videbamur. Atq; hoc verſu dominium, imperium, & prouidentiam tum communem, tum ſingularem erga terræ naturam & facultatem omnem vni Deo Vates adſcribit, idemq́; iuris in cæleſtium orbium naturam atque vim prorſus arrogat: quibus nihil proprium aut perpetuũ concedit agnoſcendum aut excipiendum; ſed omnia voluntate atque nutu Dei gubernari, exerceri, aut rurſus retineri in proximo docet hemiſtichio.*

Qui extendit veluti nihilum cælos, & expandit eos ſicut tabernaculum ad habitandum.

CAELOS, *quorum ambitu cuncta velantur & continentur, tenuiſſimæ & perſpicuæ telæ naturæ ſimiles depingit Vates: quos à Deo extenſos, & in orbis aptatos ambitum dicit; ita, vt quidquid ſunt, quacunque pertinent, ab eodem habeant auctore.* Nihilum, *hoc loco non ex genuina Latini vocabuli ſignificatione interpretamur: nam quod nihil eſt, non extenditur; & idem in ſacra lingua* HEBEL, *ſiue* AIN *dicitur. Verùm pro hoc nomine, in exemplari* DOK *vocatur; quod à* DAKAK *deriuatũ, tenuiſſimũ velum, ſeu telam ſubtiliſſimam ſignificat: quales eſſe ſolent, per quas liquores & tenuiſſimi excernũtur excolanturq́; pulueres. atq; ita cælos non veluti influxuum fontes ipſos, verùm veluti colatoria influxuum eſſe docet; influxuum autem copiam à diuina prouidentia & efficacitate manare: quæ nihil ſibi ſubducens, omnia omnino ſufficit omnibus, virtutemq́; diſtribuit, variam tam ſuperioribus quàm inferioribus mundi partibus. quam tamen nulla pars propriam vel perpetuam ſibi prædicat: non terra, vti iam audiuimus: non cælum, quippe quod nulla regione ſtabilem & æternam efficientiam probat, niſi quantum habitator ipſe præſtare & proſpicere voluerit. Neque enim cæli natura ſuæ ſpontis eſt, ſed habitatori ſubſeruit Deo; non quidem vti domus aliqua fundamentis altè iactis fixa, ſed vt tẽtorium artificis cuiuſpiam, qui pro arbitrio & vſu migraturus quò placuerit, tentorium ſoluit, & aliò traducit. &, ſi velit eodem loci manere, tamen voluere, & variare poteſt: ita vt partem, quæ ortum aſpiciebat, in occaſum vertat, & ſiniſtra dextris commutet, atque opus facturus, quod pararit, ad conſilij ſui rationem tabernaculum componit vel diſponit. ita videmus multa in orbe terrarum, & in cæleſtibus variata influentiis, nonnunquam etiam irrita & impedita, rurſus reſtituta, interdum abolita, poſtmodũ inſtaurata*

pro

pro Domini & opificis in cælo ſedentis nutu, atque illud pro iudicij ratione minati & prædicentis, Sit cælum, quod ſupra te eſt, æneum; & terra, quam calcas, ferrea. Ex quo etiam iure ac foro illa ſunt: Ego quoque prohibui à vobis imbrem, cùm adhuc tres menſes ſupereſſent vſque ad meſſem; & plui ſuper vnam ciuitatem, & ſuper alteram ciuitatem non plui: pars vna compluta eſt, & pars ſuper quam non plui, aruit. Et venerunt duæ & tres ciuitates ad vnam ciuitatem, vt biberent aquam; & non ſunt ſatiatæ. Percuſſi vos in vento vrente, & in ærugine multitudinem hortorũ veſtrorum, & vinearum veſtrarum: oliueta veſtra & ficeta veſtra comedit eruca. His modis atq; his pactis terram & cælum, aëra & mare, & omnia mundi ſuperna & inferna corpora Deo parere, & ad nutus obſequi, ac mortalibus vel aduerſari, vel ſecundare, vti locuſtis, Vates docuere, cumprimisq́; Iſaias illi cælos veluti tabernaculum ad habitandum expandi perdocet: namq; hæc vna ex rationibus eſt nominis SADAI, *Deo tributi; quòd veluti agricola glebas, ita ille cælum ac terram verſet, frangat, comminuat, & vſibus habiles reddat, vel ſinat inhabiles. Iam verò de ſuperiore, ſiue ſpirituũ, ſiue principum dicere velimus, natura, auctoritate, & facultate diſſerit: quibus nihil æternum & proprium tribuit, ſed omnem vim & efficientiam auctori ſuo acceptam referri ait.* Deut. 28. Amos 4.

Qui dat ſecretorum ſcrutatores quaſi non ſint: iudices terræ velut inane fecit.

PRINCIPES, *præfecti, ac præpoſiti variis circumſcribuntur in ſacro ſermone nominibus: ex quibus vnum eſt* ROZENIM, *pro quo Latinus interpres nunc reddit* ſecretorum ſcrutatores. *intellige conſiliarios principum ex hac interpretatione. alias reddere ſolet* principes, *vt in pſalmo, Et principes conuenerunt in vnum. &, Audite reges; auribus percipite* ROZENIM, principes. *& idem apud Habbakuc* tyranni *vertit. alibi verò,* legum conditores. *Vtcunque ſit, principes & præfectos, regibusq́; intimos vocabulum ſignificat. eoſdem etiam propter auctoritatem vocari audimus Deos. vt, Et deducent eum Domini illius ad Deos. &, Ego dixi Dij eſtis, & filij Excelſi omnes. Atq; inter hos, qui aliis agenda præſcribunt vel commendant,* SOPHETIM *appellantur; quod Latinus in* Iudices *vertit. ex qua ratione* SOPHET *nomine Deus frequentiſſimè celebratur, vti ſupremus omnium dictator & iudex. Atque duo hæc nomina pro ſuperioribus naturis hic vſurpantur, quas principes Daniel dixit. Hos omnes, qui terrarum præfecturis fungi creduntur, iudicio & voluntate Dei impediri, teneri, ac turbari ait Iſaias: itaq; effici declarat, vt non pro ſuo, ſed pro ſummi imperatoris agant & agantur arbitrio.* quaſi non ſint. *In exemplari* LE AIN, ad non, *id eſt, negat, & negare poteſt agendi facultatem; quemadmodum Lucifero negatam conſtat: qui quondam oriebatur mane; verùm iuſto Dei iudicio de gradu decidit. Quin etſi velit illos auctor ex nihilo creatos, euertere, & in meram vanitatem poteſt redigere; vtpote quos ex nihilo antea fecerit. hoc eſt quod ſubinfertur.* & iudices terræ, *qui terris præeſſe dicuntur; idem Deus & auctor, velut* inane *fecit. Primum terræ* Pſal. 2. Iud. 5. Habac. 1. Prou. 8. Exodi 21. Pſal.

nomen fuit TOHV, *pro quo Latinus interpres vertit,* Terra erat inanis. *Quidquid autem illud fuerit quod* TOHV *vocatur, non erat ab æterno, ſed*
Gen. 1. *à Deo creatum extitit. S.S. E. In principio creauit Deus cælum & terrã. vt verò ille illud* TOHV *fecit, quod & poſteà in* ERETS, *hoc eſt, terram vtilem promouit; ſic terrarum iudices iſtos, quos principes aliàs dicimus, ille ex nihilo fecit,* velut inane, *& iſtis, quas exercent, influentiis & præfecturis atq; tutelis admouit; impediturus aut reuocaturus vbi voluerit. namque ex iſtis nulli propriam & æternam ſibi vendicare aut allegare poſſunt naturam: nec propagationẽ vllam ſui efficere, aut moliri valent. ſed ſinguli, ac ſingulares proprias tuentur naturæ & muneris partes, ex auctoris tamen voluntate & prouidentia conſtantes, indeq; dependentes. hoc eſt, quod expolitionis & confirmationis cauſa ſubiungitur.*

Et quidem neque plantatus, neque ſatus, neque radicatus in terra truncus eorum: repentè flauit in eos, & aruerunt, & turbo quaſi ſtipulam auferet eos.

I N *exemplari lingua multitudinis numero leguntur hæc.* Equidem non plãtati ſunt, & quidem non ſati ſunt, & quidem non radicabitur in terra truncus eorum. *Atque ita etiam in vulgatæ verſionis codicibus nonnullis emendatioribus. Dixerat, principes iſtos iſtos, de quibus diſputatur, ex nihilo fuiſſe factos, perinde atque inanitas antea dicta, quæ poſteà terra appellata eſt. Ita quidem ab auctore Deo profectos affirmauerat, verùm non ex eo ſequi ait, illos vel eſſe certo fixos loco immobiles & immutabiles prorſus, aut futuros vel ſua ſponte ipſos æternos, vel certa & cõtinuata ſobole perpetuos, atque ita iam ſemel editos terris in ſuis, quibus præfecti habentur, æternum permanſuros. atq; hoc pacto eandem obtinere conditionem cum terra, quæ ex* TOHV *in* ARETS *amplificata, & in æternum ſtare dicitur, & varias plantas variis in regionibus proferre & propagare viſitur. non ſic iſti principes, inquit, habendi, quibus nulla omnino ante rerum principium natura fuerat, nulla plantatio, nulla etiam ſatio, aut propagatio; ſed neque dum conderetur orbis, ita conſtituti ſunt, vt plantati, ſati, atq; radicibus altè actis, in terra fixi dicantur. Neque enim id iuris aut ſta-*
Gen. 1. *tuti à conditore allegare poſſunt, cuiuſmodi terræ conceſſum legimus. Ger-*
„ *minet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum*
„ *faciens fructum iuxta genus ſuum, cuius ſemen in ſemetipſo ſit ſuper ter-*
„ *ram & factum eſt ita. Et protulit terra herbam virentẽ, & facientem ſe-*
„ *men iuxta genus ſuum, lignumq; faciens fructum, & habens vnumquodq;*
„ *ſementem ſecundùm ſpeciem ſuam. Et vidit Deus quòd eſſet bonum. Verùm in iſtorum principum creatione & inſtitutione atq; munere nihil tale expectes; ſed ita poſitos, vti truncos apud vites & arbores agricolæ figere ſolent, fulciminis ac retinaculi ac repaguli cuiuſdam cauſa: qui nec radices agere permittuntur, ſed tantiſper manere dum illis inſeruiant vſibus; deinde pro domini voluntate commoueri, & ventorũ ac ſolis vi ſiccari, demumq; cùm libeat, igni exponi. Hanc ſimilitudinem perſecutus Vates, principibus iſtis, de quibus agit, applicat. quos non neceſſariò neque æternum ſuis, quibus*

bus præfecti ſunt, cæli ac terrarum regionibus vel præfuiſſe anteà, aut præfecturos in poſterum; neque quicquam habere quod ſui iuris ſibiq́ proprium, & ,vt ita dicamus, natiuum aut congenitum & concreatū defendere poſſint; ſed pro creatoris & imperatoris nutu & voluntate eſſe & habere fateantur quidquid ſint & habeant. Atq; hoc nunc non de omnibus cæleſtium ſpirituum ordinibus dictum accepimus, verùm de iis tantùm, qui vel aſtrorum influxibus ac viribus, vel terrarum locis ac regionibus aptati dicuntur & principes appellantur Perſidis, Græcorum & Romanorum, Aſſyriorum: in quorum monumenta & cultum ſigna & ſimulacra variis dicata nominibus ſuperſtitiosè magis quàm ritè ſacrabātur. Nam de Angelis & ſpiritibus in genere alius, neque is loci aut argumenti huius fuerit ſermo. Quare, vt ad inſtitutum redeamus; nulla cauſa, nulla lex, ratio nulla euincit, hos terrarum ac nationum dictos principes cum ſupremo illo & vnico numine, ſingulariq́ rerum auctore & gubernatore, in ſalutis publicæ arcano & admirabili beneficio tanquam adiutores componendos, aduocandóſve fore. hoc docet Vates illo dicto, Repentè ſufflauit in eos, & aruerunt. *Ex primæua lectione ſic Latinis verbis hæc referuntur.* Et etiam ſufflabit in eos, & areſcent, & tempeſtas quaſi ſtipulam auferet eos. *Ita naturam, ingenium, munus, & cetera, quibus commendantur, non ſibiipſis arrogare, aut retinere poſſe quis dicat; verùm auctori vnico omnium accepta referre verum eſt. Atq; ex his omnibus locis & argumentis illud omnino conſequitur & efficitur, quod initiū diſputationis ac doctrinæ fuerat, neminem prorſus in re vlla, nedum in ſalutis publicæ ratione, facultate, & efficientia, Deo tanquam ſocium poſſe comparari & adſcribi, vel allegari. Id quod ita repetitur.*

Et cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis? dicit ſanctus.

CONCLVSIONIS *collectionisq́ vim obtinet interrogatio hæc. Eſto, inquit, veſtra iſta conficta aut cōflata ſigna rationem habeant, quamobrem cum principibus illis vel influentiis ſiue intelligentiis comparentur: mihi verò quam aßignabitis vel rationem vel ſimilitudinem in comparationem alterius efficacitatis cum mea vnica & ſingulari concinnandæ? id fieri poſſe manifeſtè euincit nomen* Sanctus: *quod ſeparationem, ſingularitatem, ac maieſtatem nulli quicquam ſimile aut ſecundum concedentem ſignificat; maximè cùm abſolutè appellatur, vt ab hoc ipſo Vate appellatus refertur, Sanctus, Sanctus, Sāctus: à quibus verò appellatus? nempe ab ipſis magnis & præcipui ordinis ſpiritibus, à Seraphim, inquam.* Dicit Sanctus. *In exemplari futuri formam obtinet verbum, perpetuitatisq́ ſignificationem tuetur. dixit, dicit, ac dicet. In creatione rerum & in regeneratione etiam hominum, & in maximo illo ſalutis publicæ opificio. Porrò autem quoniam de principibus illis, quas intelligentias vel ſeparatas mētes vocare ſolemus, plantarum ac truncorum & vallorum tranſlationem vſurparat, eam iamnunc ex natura ipſa indicatam explicat.*

Leuate in excelſum oculos veſtros, & videte quis creauit hæc.

EOS *indicat, quos* ROZENIM *& iudices* terræ *vocatos iam audiuimus,*

atque non æternos natura, neque muneris præſtandi neceſſario iure arrogantes, aut abſolutè arbitros eſſe docet; ſed creatos, & ſuis quemq; vel communibus, vel ſingularibus adſcriptos partibus, idq; ab auctore. nec ſolùm capitis, verùm præcipuè mentis oculos in altum tollere contemplantes iubet.

Qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat: præ multitudine fortitudinis & roboris, virtutisque eius, neque vnum reliquum fuit.

IPSO *aſtrorum cælorumq; intento ſpectaculo, ipſis contemplandis locorum ac motuum rationibus & ordinibus, ipſa tantæ varietatis cõcordi lege doceri contemplantes poſſe, auctorem & gubernatorem vnicum, ſingularẽ, ac prorſus integra maieſtate ſanctum eſſe, ait. Quippe cùm innumerabiles aſpicientibus mortalibus appareant, tamen ſpatiis diſtinctis, ſua ſinguli loca ſeruant, ſua momenta exercent: non ſecus atq; in maximo aliquo & inſtructiſsimo exercitu ſuæ ſingulis capitibus diſtributæ conſtant & obſeruantur partes, quamquam aliis minoribus, aliis maiori decoratos auctoramento:* 1.Cor.15. *Namq; alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarũ:*
» *ſtella enim à ſtella differt in claritate. nihilominus tamen ſuis cuncta reguntur ac parent legibus, omnia & præſcriptos ſeruant ordines & militiæ decus atque vſum præſtant, ſuis non modò partibus, verùm & nominibus diſtributa & appellata, ac domino imperatori duciq; ſummo parentia atque vocanti audientia; perinde atque ſinguli ſerui hero vocati ſuo, ſuas miniſtrando præſtant partes. Ex familiarum conſuetudine & inſtitutione formula hæc ſæpiſsimè vſurpatur.* Exodi. Leuit. *Vocaui te nomine tuo. Ego vocaui in nomine Bezalael & Aholiab. Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat. Atq; hoc quod ad naturam & munus vniuſcuiuſque: quod verò ad durationem facit, verum quidem id eſt, certam conſtantemq; eſſe cælorum, luminarium, ac ſtellarum & intelligentiarum, quæ his præſunt, durationem, quoad mundum & hæc omnia durare auctor ac militiæ ſummus imperator velit; verùm hoc non à ſemetipſis habent, ſed ab infinitudine & virtute illius, qui cùm omnis efficientiæ immenſum ſit mare & perpetuus fons, cumq; omnia complectatur ac teneat, nihil quicquã prætermittit, cui non opportunè commodas ſuppeditet vires.* præ multitudine fortitudinis & roboris, virtutiſque eius, neque vnum reliquum fuit. *nihil quicquam cuiquam neque vni vel minimo defuit vmquam. verbum primæuum* NEGHADER, *defecit, aut deſtitutum vel abſconditum eſt, vertere aptè poſſumus; vt & aliàs interpres noſter vertit,* Soph.3. *Mane iudicium ſuum dabit in lucem, & non abſcondetur: &,* 1.Reg.30. *Nec defuit quiſquam à paruo vſque ad magnum, tam de filiis quàm de filiabus & de ſpoliis: & quæ-*
» *cunque rapuerant, omnia reduxit Dauid. Ex quibus huius pronũciati ſententia aperta conſtat. Hæc itaq; omnia ea cauſa diſputat Vates, vt oſtendat in ſalutis publicæ expeditione nullam earum naturarum, quæ creatæ ſunt, ſapientiſsimo & efficaciſsimo Deo opitulatum ire; qui, cùm cuncta crearet, nullius vſus eſt aut indiguit ope.*

Quare

Quare dicis Iaacob, & loqueris Iſrael? abſcondita eſt via mea à Domino, & à Deo meo iudicium meum tranſiuit.

QVISNAM, *cuiúſque conditionis Iacobus antea fuerit, vtq́; diuina tutela ſeruatus, demũ ad Iſraelis nomen & amplitudinem fuerit traductus, iam ſæpiùs ex ſacræ doctrinæ obſeruatione docuimus; priusq́; nomen ad priuatum & humilem, poſterius verò ad ſplendidum & illuſtrem viri ordinem citari oſtendimus, & indicauimus interdum Iaacob humanum ſignificare genus, communi tantùm filiorum Adami ordine conſcriptum; idem verò ad populi Dei communionem iura & commoda optatum ac ſuſceptum appellari Iſraelem. vtrumque autem definiendum eſſe notitia imbutũ Dei, ſed Iſraelem ampliùs etiam inſtructum. Hæc igitur præfati dicimus, hoc loco nomina hæc & ex ſimplici, & ex arcana ſignificatione citari: hoc eſt, vt verè illos Iacobi & Iſraelis filios ſecundùm carnem, ita & homines omnes, qui modò Dei notitia præditi ſunt, ſignificare; tam eos, qui tantùm humanis agũtur conſiliis & rationibus, quàm eos qui cæleſtis diſciplinæ præceptis & inſtitutis, atq́; etiam diuinis oraculis pleniùs & expeditiùs aucti fuerint. Vtriſque autem publicæ ſalutis promiſſa facta cùm fuerint, tamen propter longam expectationis moram in dubium interdum ſunt vocata: vſque adeò, vt de diuina erga homines ac ſingulari cognitione, cura & prouidentia fuerit non ſine magno incommodo controuerſum. Cuius quidem argumenti illud ab Apoſtolo inductum & improbatum legimus, Vbi eſt* 2 Pet. 3.
promiſſio aut aduentus eius: ex quo enim patres dormierunt, omnia ſic per- "
ſeuerant ab initiò creaturæ. Latet enim eos, hoc volentes, quòd cæli erant "
priùs & terra de aqua, & per aquam, & conſiſtens Dei verbo. Huiuſmo- "
di argumentationem Vates noſter hoc loco ſuſcipit aduerſus eos, qui ſimpliciter Iacobi & Iſraelis nomen profiterentur, & eos qui horum ſequerentur parteis, hoc eſt, homines ceteros vel minore vel maiore diuinarũ rerum notione informatos. itaq́; quidquid cum alteris agitur, idem cum alteris agi tenendum: vnum enim eſt humanum genus, & Adami filij omnes vnus homo ſunt; vt rurſus filij Dei omnes vnum quoque ſunt in Chriſto (ſcientibus Chriſtum loquimur.) Igitur Iſraelitæ poſt tot ac toties repetita promiſſa diuina, & accepta de communi ſalute reſponſa, cùm ſe tamen patria exules ac diſperſos, & ſeruitute varia ac multiplici oppreſſos afflictosq́; ſentirent, in eam cogitationem prolapſi ſunt, vt opinarentur, vel res humanas hoc eſt, ſuas, Deo ignotas, vel, ſi maximè notas eſſe contingeret, non tamen curari & corrigi (quæ in diſputatione de prouidentia communis ac prima eſſe ſolet argumentationis materia.) Hoc eſt quod Petrus referebat, Vbi eſt "
promiſſio aut aduentus eius? ex quo enim patres dormierunt, omnia ſic perſeuerant ab initio creaturæ. Et quidem hæc eadem quæſtio & controuerſia Iſraeliticum populum apud Ægyptios laborantem exercuit, vt aliàs fuſiùs ediſſeremus. Nunc verò Iſaias Iacobum & Iſraelem hanc eandem rationem atq́; ſententiam tractanteis admiratur ac reprehendit, his nominibus appellans; quorum nominum ſignificatione & veritate, diuinæ in ſeſe cognitionis, tutelæ ac prouidentiæ perpetuò memores, certos, & perſuaſos eſſe

opor-

oportuit. Namq́; Iaacob is fuit, qui fratris iram fugiens inops & priuatus
Gen. 28. *huiuſmodi nuncupauerat votum. Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodie-*
» *rit me in via, per quam ego ambulo; & dederit mihi panem ad veſcendum,*
» *& veſtimentum ad induendum, reuerſusq́; fuero ad domum patris mei,*
» *erit mihi Dominus in Deum. hoc eſt, Dominus mihi vt verus mei guber-*
nator ac tutor agnitus perpetua fide & obſeruantia ſuſcipietur colendus.
atque huius voti qualem euentum idem ipſe Iaacob agnoſcens prædicauerit,
Gen. 32. *operæpretium fuerit commemorare. Dixitq́; Iaacob, Deus patris mei Abra-*
» *ham, & Deus patris mei Iſaac, Domine, qui dixiſti mihi: Reuertere in*
» *terram tuam, & in locum natiuitatis tuæ, & bene faciam tibi: minor ſum*
» *cunctis miſerationibus tuis, & veritate tua, quam expleuiſti ſeruo tuo: in*
» *baculo meo tranſiui Iordanem iſtum, & nunc cum duabus turmis regre-*
dior. Atqui idem homo his quæ fatetur beneficiis affectus, vlteriùs etiã pro-
motus & auctus, ab eodemq́; Domino ac Deo ſuo ornatus, illuſtre illud, non
ex merito ſuo, ſed ex Dei, cuius fidei ſeſe commiſerat, benignitate nomen ac
Indid. *decus retulit. Rogatus enim, Quod nomen eſt tibi? Reſpondit,* Iaacob. *at il-*
» *le, Nequaquam, inquit, Iaacob appellabitur nomen tuũ, ſed Iſrael: quoniam*
» *ſi contra Deum fortis fuiſti, quãto magis contra homines præualebis? Quæ*
cùm ita habeant, quare dicis Iaacob, & loqueris Iſrael? *eundem alloqui-*
tur hominem veluti beneficiorum in vtraque conditione acceptorũ, parum
memorem. Minus mirandum ſi quiſpiam alius aduerſus diuinam locutus
fuiſſet prouidentiam, de qua ambigeret, verùm tu Iaacob, quare animo de-
liberato dicis, & tu idem Iſrael, cúrnam loqueris aduerſus eũ, quem tam
ſæpè, totq́; modis Deum, hoc eſt, gubernatorem tuum ſingulariter expertus
es; & dum Iaacob tuebaris conditionem, & poſtquam Iſrael factus ac di-
ctus euaſiſti? quídnam cauſæ eſt cur huiuſmodi rem animo agites, nedum
voce & lingua proloquaris? Sunt autẽ quæ illi cogitata ac effata exprobrat,
illa videlicet.

Abſcondita eſt via mea à Dño, & à Deo meo iudiciũ meũ trãſiuit.

QVÆ *de prouidentia vulgus hominum in controuerſiam deducere ſo-*
let, vt ex antiquorum accepimus monumentis, bipertito ſunt argumento:
quidam enim prouidentiam prorſus abnuebant: quorum & ab aliis homi-
nibus humanæ rationis & artis meliùs compotibus exploſa ſententia, & à
ſacris auctoribus identidem confutata eſt. Alij verò non negantes Deum,
rebus proſpicere ſub cælo conſtitutis, tamen id in genere concedunt; in ſpe-
ciem verò deſcendere ambigunt, & aliquando inficias eunt: Aiunt enim
Deum genera omnia rerum cognoſcere, &, ne omnino pereant, curare; ſin-
gularia verò caſibus & mutationibus non attẽdentem permittere. Horum
ſententiam & orationem à Iacobo, eodemq́; Iſraele, quaſi vno quodam ſin-
gulari homine vſurpatam reprehendit Vates: cùm idem vnus quocumque
nomine ſe vocatum velit; ſiue vt priuatum Iacobum, ſiue vt inſignem &
illuſtrem Iſraelem, vtriuſque partis, quam accuſat, veritatem in ſe fuerit
ſingulariter & manifeſtè expertus. Eſt autem dubitationis pars duplex: al-
tera ambigit de notitia Dei erga ſingularia: altera verò de cura & proui-
dentia

dentia erga eadem ſingularia. vtrumque verò Iacob & Iſraël in ſe, tamquam ſingulare caput, transfert; qui vt ſeſe tam diu ſeruitutis & exilij laboribus & calamitatibus oppreſſum ſentiebat, planè Deo nec agnitum, neque curatum, imò prorſus neglectum aiebat, & querebatur. id quod oratio hæc ſignificat, Abſcondita eſt via mea à Domino. *Viæ nomen pro ratione vitæ, pro omniq; conſuetudine vſurpatur ſæpiſſimè. Ecce tu cognouiſti viam meam, & ſemitam meam inueſtigaſti. perinde valet atq; illud: Dominus ille miſericors, quemadmodum ego agam, quid feram, quid patiar, quo in loco & ſtatu res meæ ſint, non videt; neque in genere hominum aliquando ſecundis vti rebus, aliquando aduerſis affligi, non reſpicit, dum modò homines non deſint, num ego, num alij ſuperſint, & rectè agant, perinde fert: atq; ita quid mihi iniuriarum inferatur, & quemadmodum agatur mecum, non diſcernit, non curat, nec diiudicat: ita vt Deus, id eſt, gubernator ac iudex meus ritè dici poſſit. Prouidentia enim diuina tam erga genera quàm erga ſingularia inferiorum ſub cælo creaturarum duabus attendit partibus, cognitioni ac iudicio. Atqui Iaacob quondam, cùm apud Meſopotamiam eſſet, Deum ſuarũ cognitorem iudicemq; rerum expertus primùm, deinde verò non ſolùm fratre & hominibus, verùm etiam Deo potens & valens, vnde & Iſrael appellatus, euaſit; certiſſimam vtroque nomine, hoc eſt, cognitoris ac iudicis Dei, prouidẽtiam verè & piè laudauerat, dum Ioſephi filiis benedicens, aiebat: Deus, qui paſcit me ab adoleſcentia mea vſq; in præſentem diem: Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis. Quare nunc idem Iaacob, qui & Iſrael, iure ab admirato reprehenditur Vate; vt qui propter calamitatum præſentem ſenſum, Deo cognitionis ac iudicij vel facultatem, vel voluntatem eſſe neget. quæ etiam reprehenſio totum humanum genus, cuius res & ſalus hoc loco agitur, ſpectat. Et quidem, vt Iſraelitis ſecundùm carnem diſperſis & oppreſſis, Dei cognitionem & iudicium negari, Vates in imagine refert: ita hominum generi ſub grauiſſima inimicorum violentia, ac tyrannidis duriſſimo afflictis iugo, vim voluntatémve Deo tantùm cognoſcendi & vlciſcendi malum diſputando inficias iri, complura apud auctores teſtimonia declarant. pro ceteris autem omnibus D. Petri illud nobis paulò antè citatum ſufficit. Hæc ſententia illius dicti eſt:* Abſcondita eſt via mea à Domino: & à Deo meo iudicium meũ tranſiuit. *Mearum rerum priuata ac ſingularis ratio Dominum miſericordem & liberatorem aſſertoremq; latet, iam alias fouentem cauſas, & ad meam minimè attentum & iudicium in eos, à quibus vexor, quod quondam experiebar à Deo editum iniuriarum vindice mihi anteà laudato, iam tranſiuit à Deo, id eſt, iudice & gubernatore meo: vtpote qui vel non iudicat, vel ſuas iam iudicis partes aliò tranſtulit. quam opinionem & ſententiam ſic redarguit Vates:*

Gen. 48.

Nunquid neſcis, aut non audiſti? Deus ſempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ: non deficiet, neque laborabit, non eſt inueſtigatio ſapientiæ eius.

DVOBVS *modis mens humana ignotarum antea rerum notitiam ine-*

Plato Alcibiad. 1.

ire ſolet vel veſtigatione ac ratiocinatione, vel diſciplina & auditione: veſtigatio diſſerendo exercetur; diſciplina ex traditione proficiſcitur, cuius fundamentum eſt fides. Alter modus ab iis qui philoſophantur, ſuſcipitur; alter verò ab iis, qui meliùs quàm philoſophi erudiuntur, hoc eſt, per diuina reſponſa & oracula Vatum veracium officio edita. Vtrouis autem pacto ac modo Iaacobum, id eſt, genus humanum, diuinæ virtutis, efficacitatis, ac prouidentiæ veritatem edoctum oportere, Vates ait. de priori quidem, nunquid neſcis? *ex exemplari verbo,* Nunquid non cognouiſti? ſi non audiſti. *Nam facilior ac certior ex diuino oraculo de diuinis rebus diſciplina*

Pſal. *eſt, eademq́ longè vberrima ac pleniſſima. S. S. E. Non fecit taliter omni*

Pſal. 118. *nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. & iterum, Super omnes do-*

„ *centes me intellexi, quia teſtimonia tua exquiſiui. Qui autem non audierit (quod potiùs optandum) cognoſcere tamen inueſtigando ac diſſerendo potuit.*

Rom. 1. *Namque inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, in-*

„ *tellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas, ita vt*

„ *ſint inexcuſabiles. Cognitionis verò & auditionis, quam modò requirit, argumentum exponit.* Deus ſempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ, non deficiet, neque laborabit. *Deum gubernatorem mundi, eundem cauſam eſſe primam, ſolumq́ auctorem orbis. Vbi Latinè legimus*

העולם ſempiternus, *in exemplari legimus* HAGHOLAM, *in poſſeſſiui forma; quod mundum & ſeclum, & aliquando æternitatem ſignificat. Hoc ſenſu, Deus æternitatis, Deus mundi ac ſeculi: qui mundum creauit, qui ſecla ſuſtinet, voluit, prorogat, & pro iudicio mutat. Idem ergo Deus mundi ac ſeculorum gubernator, idem æternus Deus creauit terminos terræ, quam tametſi magnam atq́ vnicam ſic integram ac totã in genere in medio mundi poſuit, vt punctum aut centrum in orbis medio fixum. cuius tamen non modò totum globum, ſed ſingulos etiam terminos creauit, vt qui totius ac partium notitiam & rationem habet.* Terminos terræ. KETSOTH HAARETS. *Duo nomina ſunt ſingularis & adnotandæ ſignificationis vtrunque* KETSOTH *terminos, à quibus venti flant, ſignificat hoc loco. Sunt au-*

Mat. 24. *tem venti numerò quatuor, quos præcipuos vocant. iuxta illud: Congrega-*

„ *bunt electos eius à quatuor ventis, à ſummis cælorum vſque ad terminos eorum. Inter hos verò quatuor, complures obſeruantur alij, variis appellati nominibus, diuerſoq́ notabiles flandi & efficiendi miniſterio; quo non perpetuò funguntur omnes, verùm pro gubernatoris imperio alij aliàs flant,*

Pſal. *aliàs verò ceſſant. ad quam rationem illud quoque facit: Qui producit*

„ *ventos de theſauris ſuis: qui parat terræ pluuiam. Terræ autem nomen hoc loco eſt* ERETS, *quæ partem hanc mundi ſignificat ad animantum vitæ, & humanæ habitationis vſum variis inſtructam facultatibus & vſibus; quorum cauſa alij atq́ alij venti perflant, & variè afficiunt. Itaque venti ex variis terræ locis ac terminis profecti, ſingularem ac perpetuam auctoris Dei notitiam & prouidentiam docent. quamobrem verbum* creauit, *in exemplari præſentis temporis formam obtinet.* BORE creans. *namque ex ſimplicibus corporibus venti nõ ſemper eſſe, ſed quotidie quodãmodo creari viden-*

videntur. Neque hæc ratio cum illo pugnat documento: Et requieuit Deus "
die ſeptimo ab omni opere, quod patrauerat. Namque illic de generibus for- "
misq́ rerum, non de rebus ipſis agitur ſingularibus: hîc verò de opportuna
& renouanda ventorum creatione fit ſermo. Ac neſcio quidem quo in ge-
nere ſingularis Dei efficientia & prouidentia ſingularius quàm in ventis
declaretur: namq́ aquas, frigora, glacies, pluuias, & compoſita omnia, ſiue
mixta, vt lapides, plantas, animalia plurima, atq́ adeò homines frequentia
eodem tempore variis in terræ partibus gigni, compertum exploratumq́ eſt.
Ventos autem rarò complures pariter gigni videmus, ſed plerumque ſingu-
lari aliquo ex terminis terræ ſingulariter ortos emitti. S.S.E. Spiritus vbi Ioan. 3.
vult ſpirat, & audis vocē eius, & neſcis vnde veniat, aut quò vadat. Idem "
itaq́ qui varios terræ conſtituerat fines, varios quoque ventos pro volun-
tate ſua creat. ita vt veriſsimè illud conſtet: Pater meus vſque modò ope- "
ratur, & ego operor. &, quod hoc loco opportuniſsimum eſt, creare poteſt "
nouum in hominibus ſpiritum. Namque huc diſputatio omnis in his vati-
ciniis decantata ſpectat. (Qui habet aures audiendi audiat.) Itaq́ qui creat
terminos terræ ſingulos, quid, quomodo, & quando, & quamobrem creet,
apprimè & ſingulariter nouit. ita enim & Pſaltes argumentatur: Qui
plantauit aurem, non audiet? Neque verò Iaacob iſte, quem Vates alloqui-
tur, allegare poteſt, Deum iam ſemel conditas & creatas à ſe res pro deſer-
tis & ignotis habere: quippe qui, quod ad ventos, ventorumq́ naturā, vim,
efficientiam, & vſum facit, non in genere modò, ſed in ſpecie etiam quoti-
die creat, & producit ſingulos de theſauris ſuis, magno argumento virtutis
& efficacitatis ad nouas creaturas edendum: Namq́ diuinæ naturæ obli-
uio atq́ ignoratio, imò & laſsitudo omnis omnino negatur: quippe quæ non
deficiet neque laborabit. Futurum tempus hoc loco doctrinale miniſtrat
orationi, ac perpetuitatem ſignificat. Ait autem nullum defectum, nullumq́
laborem Deo tribui poſſe, nouum adhuc mundum, nouos cælos, & nouam
terram creare volenti; idq́ admirandis modis effecturo. quod ſi maximè
inter homines, imò & inter Angelos ambigatur, quemadmodum id, quod
dicimus, fieri præſtariq́ poſsit; eiuſmodi ambiguitas nihil ſapiētiæ ac ſcien-
tiæ diuinæ officit: cui nulla prorſus alia ſapientia conferri & comparari
poſsit, vtpote infinitæ; cùm ceteræ omnes notitiæ & cogitationes creatæ &
finitæ ſint. Hoc eſt quod ſubiungitur: neque eſt inueſtigatio ſapientiæ
eius. Duo nomina in exemplari lingua ſunt, HHEKER, quod inueſtiga-
tionem, eamq́ diligentem & abſolutam ſignificat: & THEBVNAH, quod
eam ſapientiæ rationem indicat, quæ prouidentiæ & conſilio, atq́ in poſte-
rum proſpicientiæ impenditur. Cui voci NABON affine valdè vocabulum
prudentem & proſpicientem cauentemq́ ſignificat. Id quemadmodū à Deo
præſtetur, nemo, niſi ab ipſo edoctus, indagare poſsit. Atq́ ita hoc eſſe, itaq́
fuiſſe in hoc eodem negotio, de quo agitur, admiratus Apoſtolus, aſſeuera-
uit: Myſterium, quod abſconditum fuit à ſeculis & generationibus; nunc Coloſſ. 1.
autem manifeſtatū eſt ſanctis eius, quibus voluit Deus notas facere diui- "
tias gloriæ ſacramenti huius in gentibus, quod eſt Chriſtus in vobis ſpes "

" *gloriæ: quem annunciamus corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni ſapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto* IESV. *Atq; hæc de altero prouidentiæ capite, in quo cum Iaacobo diſputatur de cognitione Dei erga ſingularia; cui alterum etiam è veſtigio ſubiũgitur de eiuſdẽ ſingulari cõſilio, iudicio & proſpicientia atq; cura. quod manifeſtis quoque ſignis aſſeuerat ac defendit, docetq; Vates.*

Qui dat laſſo virtutem: & iis qui non ſunt, fortitudinem & robur multiplicat.

DVOBVS *ſignis in eodem genere conſpicuis, tamen diſparibus, quotidianam Dei prouidentiam & efficientiam docet: non ad præteritum, aut ad futurum tantùm diſputationem referens, verùm præſentia ac frequentia exempla allegans. Quotidie enim conſpicimus, laßis ac defatigatis ex labore aut onere hominibus, imò & animãtibus aliis, vires reſtitui. quæ virtute quidem ipſius laborantis non reſtituuntur aut reficiuntur; ſed virtute ſpiritus vitæ à creatore præſente & ſuggerente producti ac donati. Namq; aliàs laßitudo atq; virtus opponuntur, & ſeſe mutuo pellunt, nec eſſe ſimul poſſunt. Laßitudo enim defectum arguit: ex defectu autem virtus & facultas non gignitur, ſed ex prouidente ac donante efficitur Deo, qui quando, & quoad vult, vires & facultatem reficit. itaq; virtus auctorẽ Deum laudat ſui. Atq; hoc in quotidianis & frequentibus laborũ ſpectatur exemplis: illud verò maius etiam eſt, & ab eodem efficitur Deo.* his qui non ſunt, fortitudinem & robur multiplicat. *Exemplaris orationis planior multo quàm verſionis conſtructio eſt.* VLE EINONIM, & [ei] cui non vires, *planè ſignificat id quod Latinum nomen* debilis. *Eſt autem debilis, vel qui naturæ infirmitudine, vel contracta ex morbo, virtutis penuria deiectus eſt; quod vitium ἀσθένεια Græcis dicitur. ex quo genere nonnullos penè iam deſperatos, tamen Dei benificio refici, reſtitui, imò, quod maius eſt, valentiore, quàm vmquam anteà fuerint, robore augeri, frequentibus conſpicimus exemplis. Ad quam doctrinam & illud Hannæ carmen facit:*

1.Reg.2. *Arcus fortium ſuperatus eſt, & infirmi accincti ſunt robore. Atque ita interpretamur,* & his qui non ſunt [fortes] fortitudinẽ & robur multiplicat. *Nam pro Latino* robur *hoc loco* GHETSEMAH *legimus: quod, ſi per linguam liceret, oſſalitatem diceremus. Eſt autem magna oppoſitio virium penuriæ ac roboris multiplicati & adaucti. Cuius auctorem etiam ſolùm laudat Deum. atq; hoc quod ad facultatem, efficacitatem, atq; adeò efficientiam. Reliquum verò eſt, vt hoc abſoluatur caput, de iudicio agere diuino; quod à Iacobo requirebatur dicente,* & à Deo meo iudiciũ meum tranſiuit. *Docet autem non minus declarari iudicium Dei erga pios, probos, & improbos atq; impios, quotidianis in vtramque partem editis exemplis, atque olim in Iaacobi & Iſraelis cauſa declaratum fuerit. vt enim in Pharaonis potentiam ac tyrannidem ac ſuperbiam, & in Iſraelis fidem &*

Exodi 15. *ſpem illa fuere edita exempla, de quibus cantatum eſt: Dominus regnabit in æternum & vltrà: Ingreſſus eſt enim eques Pharao cum curribus & equitibus eius in mare; & reduxit ſuper eos Dominus aquas maris. Filij au-*

tem

tem Iſrael ambulauerunt per ſiccum in medio eius. Vt, inquam, hæc olim edita fuerant: ita quoque illa ſtudioſè attendentibus atque obſeruantibus, frequenter conſtant, nempe:

Deficient pueri, & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent.

VERBA *futuro diſciplinali prolata frequentiam potiùs quàm reſtrictum in poſterum conſignificant tempus. Conſtat autem oratio antithetis nominum ac verborum. Nam* NEGHARIM, *non infantes, ſed creſcentes & validos pueros interpretamur; qui, quòd plurimũ innati caloris habent, plurimo vtuntur alimento: quod vt concoquant, aßiduis agitantur & exercentur ſponte motibus, ſaltibus, curſibus, & ſaltationibus, natiuo nimirum irritati calore. Vnde apud Athenienſes & Græcorum complures Gymnaſtica quondam reperta eſt diſciplina: cuius plurima in Platone mentio, ac frequens. Huic ætati, & huic agilitati defectus & laßitudo opponitur: quæ tamen pueris impotentioribus & nequioribus diuino ex iudicio euenit. atq; hoc ad ſuas, quas defendit, partes adnotandum commendat Vates.* Deficient pueri [*validiores*] & laborabunt. *In exemplari* VAIIGAGHVN, *debilitabuntur: ita, vt præ infirmitudine vix moueantur. Horum ætate maiores, ac virtute robuſtiores* BAHHVRIM *dicuntur. quos Latini delectos iuuenes vocant. quibus illud etiam opponitur, ac interdum euenire dicitur,* in infirmitate cadent. *In exemplari* CHASOL IICHASELV, cadere cadent. *Idem verbum infinitè priùs, deinde in futuro repetitũ, certam & vehementem grauemq; ſignificat offenſionem. Atque hæc, quæ cum ætatis ac facultatis natura pugnant, euenire tamen ſæpè intemperatioribus, & nequioribus atq; proteruis & indiſciplinatis pueris ac iuuenibus deprehenduntur: contrà verò modeſtis ac temperatis, probis ac piis, quamquam aliàs propter naturæ infirmitudinem non adeò valentibus, tamen ſpiritus, robur, vires & fortitudo vltrà communia exempla ad miraculum vſque ab auctore Deo ſufficiuntur & amplificantur. tantum pietas & fides impetrare ab auctore & gubernatore valent. Hoc eſt quod ſubiungitur.*

Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem: aſſument pennas ſicut aquilæ; current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient.

DOMINO *miſericordi & oppreſſorum atq; humilium modeſtorumq; curatori eidemq; promißi memori ſui vim, facultatem, atq; ſapientiam tribuit ad ea, quæ non ſunt, vocanda, efficienda, & amplificanda: quamquam hominibus ipſis, quibus hæc beneficia contingunt, nihil ex propriæ virtutis facultate valentibus, tamen id præſtantibus, quod ex diuina gratia, imò ex diuina etiam doctrina, præſtitum oportet, nempe fidem; cui virtuti ſpes & expectatio firmißima comes adiungitur. Cuiuſmodi animo ac mente qui fuerint,* mutabunt fortitudinem. *Duo vocabula ſingulari ſignificatione leguntur* IAHHALIPHV, *pro quo Latinus* mutabũt *reddit. Eſt autẽ hoc mutationis genus à deteriore & vetuſtiore habitu in meliorem & nobiliorem. Vſurpatur plerumque verbum in nouis & recentibus veſtibus, quæ ab iis qui ſordidiore vtebantur cultu, nouæ ac præſentis lætitiæ cauſa ſumun-*

muntur. quo vſurpando verbo Iaacob, aliquando familiæ præcipiebat ſuæ:
Gen. 35. *Mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra. vnde frequens vſurpatio eſt,* HHALIPHOTH BEGHADIM, *id eſt, mutationis veſtium. Cuius etiam*
Iob 14. *ſignificationis & vſurpationis illud: Cunctis diebus, quibus nunc milito,*
» *expecto donec veniat immutatio mea. in meliorem videlicet conditionem. Hoc pacto, inquit,* mutabunt COAHH, *ij* qui ſperant in Domino. *Eſt autem* COAHH, *quæ Latinis innata vel inſita vis & virtus dicitur. Hoc enim vocabulo mineralium, plantarum, atque omnis materiæ medicæ virtus, item animalium ingenia ſignificari obſeruamus. Magnum autem hoc loco latet arcanum de humanæ facultatis ac virtutis in meliorem & ſublimiorem efficacioremq́; habitum mutatione, per ſpiritum Chriſti verè piis donandum. Namque eadem virtus Deo, vti iam audiuimus, æternum permanet, vt in hominum animis id efficiat, quod in ſe ſperantium membris effeciſſe, & efficere ſæpiùs memoratur. Cuius rei vel vnicum illuſtriſſimum Calebi exemplum argumento fuerit manifeſtiſſimo; qui dum à Ioſua expugnandæ Hebronis munitiſſimæ omni ex parte vrbis copiam ſibi fieri*
Ioſ. 14. *ex diuino promiſſo poſceret, ita profatus teſtatur: Conceſſit ergo Dominus*
» *vitam mihi, ſic pollicitus eſt, vſque in præſentem diem. Quadraginta &*
» *quinque anni ſunt, ex quo locutus eſt Dominus verbum iſtud ad Moſen,*
» *quando ambulabat Iſrael per ſolitudinem; hodie octogintaquinque anno-*
» *rum ſum, ſic valens, vt eo valebam tempore, quando ad explorandum miſſus*
» *ſum: illius in me temporis fortitudo hodie perſeuerat, tam ad bellandum,*
» *quàm ad gradiendum. Id quod à corporalibus ad ſpiritales virtutes tranſlatum diuinorum donorum opus iis conſtiturum Vates ait, quos nec fides, nec ſpes, nec expectatio defecerit.* aſſument pennas. *Primæuum verbum eſt* IAGHALV, aſcendent penna, *ſiue* pennis. *altiſſimè & contentiſſimè euolaturos atq; profunda penetraturos diuinæ ſapientiæ arcana in ter-*
Saadias Gaon in aquilæ hiſtoria. *tium vſque cælum diuino ſublati ſpiritu.* ſicut aquilæ, *quarum altiſſimus eſt volatus, quarúmque renouari ſolet iuuenta: ita vt decimo quoque anno in meliùs mutari, nouosq́; annos induere narretur.* Aquilæ *autem plurali numero appellatæ, naturam vnam cunctis eſſe docent: atque ita diuinum hoc beneficium ad multos extendendum, ſimilitudo indicat, eóſque perpetuis viribus atque agendi facultatibus vſuros pollicetur; vtpote qui ſpiritu Dei agendi ſunt. Spiritus enim, quamlibet longiſſimè & contentiſſimè procedat, nec fatigatur vnquam, nec deficit; ſed in ſuos demùm redit the-*
Pſal. *ſauros, vnde rurſus, cùm opus fuerit, prodeat. S.S.E. Qui profert ventos de theſauris ſuis. Atque hoc exceptionis cauſa à Vate additum eſt. Namque aquilæ, quamquam volatu valeant & præſtent, tamen quia carne conſtant, laſſantur interdum, ac demùm longæua deficiunt ætate. Sicut de*
Sup. *equis hic idem auctor aiebat: Et Ægyptus homo eſt, & non Deus; & equi*
» *eorum caro, & non ſpiritus. At verò* ſperantes in Domino current, & non laborabunt; ambulabunt *perpetua actione & efficacitate: nec tamen* deficient, *vtpote ſemper ſpiritu diuino conſeruati & cuſtoditi: quo-*
Rom. 8. *rum illa oratio erit perpetua: Quis nos ſeparabit à caritate Chriſti? tribu-*
» *latio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum, &c.*

CAPVT XLI.

TACEANT ad me inſulæ, & Gentes mutent fortitudinem: accedant, & tunc loquamur, ſimul ad iudicium appropinquemus.

HACTENVS *cum Iſraele, & cum iis qui Iacobi & Iſraelis parteis agerent, diſputatum, iis præcipuè argumentis, quæ præcipuè perſonas, quas compellauimus, decebant. Nunc verò ad aliud forum cauſa delata, hoc eſt, ad profeſſores mundanæ ſapientiæ, ad gentium, inquam, doctores & magiſtros, quibus cum ratione & experimento diſputare conueniat. nam Iudæi ſigna quærunt, Græci verò ſapientiam. His itaque ſuo tantùm, hoc eſt, humano ingenio vſis, quæ de humani generis mutatione & amplificatione à Vatibus prædicta decantataq; fuerant, nullo pacto fieri, præſtariq; poſſe videri poterant; maximè quòd res non modò Iſraelitarum ſecundùm carnem, ſed mortalium omnium; non inſtaurandæ tantùm, ſed amplificandæ etiam prædicarētur vltrà communia, imò vltrà excellentiſſima, quæ anteà ſpectata fuerint, exempla. Hanc verò diſputationem bipertito exordio Vates occipit; ſilentij videlicet indictione vel poſtulatione.* Taceant ad me inſulæ. *hoc eſt, ſuſceptum argumentum diſputaturo mihi ſilentium præſtent.* Inſulæ, *in ſacro ſermone regiones omnes dicuntur, ad quas ex Aſiæ continente ſolo nauigiis deuenitur. in eoq; cenſu ponuntur Græcia, Italia, & omnes eæ orbis partes, quæ Iapheti poſteris habitandæ obtigere. S.S.E. Ab his diuiſæ ſunt inſulæ gentium in regionibus ſuis: vnuſquiſque ſecundùm linguam ſuam & familias ſuas in nationibus ſuis. Hos autem humanæ ſapientiæ præcipuè ſtudioſos laudari, in Magni operis Anima oſtendimus. Neque verò ſatis eſſe ait ad ſuam diſputationem, id quod poſtulat, ſilentium: niſi etiam noua & exacta attentio, ac mentis agitatio ſolertiaque adhibeatur. id quod ita exigit.* & gentes mutent fortitudinem. *Idem hoc loco verbum* IAHHALIPHV, *quod ſuperiùs explicuimus, vſurpatur. Fortitudinem autem, ingenij animiq; vim & ſolertiam hoc loco interpretamur. non vulgarem hoc loco admittimus cogitationem, ſed nouam & exactam atq; præſentem puramq; requiri, ad hanc, quæ nunc paratur, diſputationem. his verò duabus partibus inſtructos ad diſſerendum ſecum libenter admittit Vates.* ſimul ad iudicium propinquemus. *quoniam controuerſia hæc ex ratiocinatione ac temporum, perſonarum atq; rerum comparatione agitanda eſt. Iudicij nomen vſurpatur* MISPAT, *quod iudicationis opus à ratione profectum ſignificat. ad quod quidem in hac exercendū cauſa Gentium ſapientes prouocantur.* propinquemus, *verbum militare eſt, & forenſe etiam, in controuerſiis & certaminibus frequens. Seſe itaque diligenter audiri, & mox etiam apto reſponſo diligenter peti, atque ita de propoſita re agere ac iudicari poſtulat. Eſt autem diſputationis argumentum & ſumma, Poſſe Deum ex hominibus humillimis & afflictis, atque adeò ex iis, qui non eſſe videntur, magnam & præſtantem, atq; adeò cæleſtem excitare gentē. Cuius virtutis, facultatis, ac ſapientiæ ſpecimen in terris iam olim viſum ſpectatumq; fuerit: ſpecimen, inquam, multis ornatum amplificatumq; nominibus.*

Gen. 10.

Quis

Quis ſuſcitauit ab Oriente iuſtum, vocauit eum vt ſequêretur ſe?

VNICVM *Abrahami exemplum in magnæ virtutis Dei teſtimonium & argumentum profert: in cuius vnius perſona mirabiles ac variæ ſpectatæ fuerint partes. Hunc autem per excellentiam inter antiquos* iuſtum *appellat: quòd is fide & obſequio non modò iuſtitiæ à Deo obtinendæ modum tenuerit; verùm exemplar ac documentum poſteritati exhibuerit, atq; illius elogij prærogatiuam tulerit, Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Eundem autem à Deo ex Meſopotamia vocatum, & ſacris, & prophanis hiſtoriis quondam conſtitit, hodieq; conſtat. Chaldæam verò & Meſopotamiam regiones inter Orientales cælo ac ſolo cenſeri, ſacra Geographia docet. S.S.E. Profectus verò Iaacob, venit in terram Orientalem.* (Gen. 29.) *Idem etiam Abrahamus* TSEDEK, *id eſt* iuſtitia, *ſiue* iuſtus, *audit: eò quòd veram pietatis ac iuſtitiæ diſciplinam, quocumque vel appulerat, vel diuerterat, ſtudioſè docebat. S.S.E. Et inuocauit ibi Abraham in nomine* (Gen. 13.) *Domini.* & vocauit eum vt ſequeretur ſe. *S.S.E. Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quā monſtrauero tibi. Itaq; nihil Abrahamus in longa illa ac diuturna peregrinatione, niſi fidem, obſequium, pietatem, & iuſtitiam agitabat. Quanta verò Deus in illo, ac propter illum, quamq; admiranda ediderit, e veſtigio narrantur.*

Dabit in conſpectu eius Gentes, & Reges obtinebit.

OMNIS *ferè diſputatio hæc vel ſola hiſtoriæ citatione explicatur. Ecce vnus, qui euaſerat, nunciauit Abram Hebræo, qui habitabat in conualle* (Gen. 14.) *Mambre Amorrhæi, fratris Eſchol, & fratris Aner: hi enim pepigerant fœdus cum Abram. Quod cùm audiſſet Abram, captum videlicet Lot fratrem ſuum, numerauit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem & octo: & perſecutus eſt eos vſque Dan, & diuiſis ſociis, irruit ſuper eos nocte; percuſſitq; eos, & perſecutus eſt eos vſque hoba & Phœnicen: quæ eſt ad læuam Damaſci. Reduxitq; omnem ſubſtantiam, & Lot fratrem ſuum cum ſubſtantia illius, mulieres quoque & populum. Atqui illi, quos Abraham vicit, & fudit, ac expoliauit, quinque reges fuerant. Hoc autem admirabile exemplum vnius viri cum tam exigua manu tot hominum bellatorum fundentis exercitum, & expoliantis, diuinum opus prorſus fuiſſe ait, propter iuſti ducis fidem. atq; ita Deum victoriæ auctorem à Melchiſedecho rege agnitum & prædicatū legimus. Benedictus Abram Deo excelſo, qui creauit cælum & terram; & benedictus Deus excelſus, quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt. quod præconiū, quæ in verſu hoc ſubiungūtur ſpectant:* (Gen. 15.)

Dabit quaſi puluerem gladio eius.

IN *exemplari gladij nomen ad quartum Latinorum refertur caſum ex vi verbi, hac formula:* Dabit quaſi puluerem gladiū eius. GHAPHAR, *pro quo Latinè reddimus puluerem, in comparationibus multitudinem ſignificat innumerabilem. vt illud: Eritq; ſemen tuum quaſi puluis terræ.* (Gen. 28.) *dilataberis ad Orientem & occidentem, & Septentrionem, & Meridiem. Futurum autem hoc loco præteriti refert vicem, vt aliàs perſæpe. ait autem vnius ſingularis viri, Abrami, inquam, gladium vnicum tantum ſtragē*

dediſſe,

dediſſe, tantum confeciſſe, vt ſi innumerabiles oppugnantium eſſent copiæ: arcum etiam eorũ, qui pauci numero ab ipſo ducebantur, non tam re, quàm effectu ſagittis iaciendis perinde percrebuiſſe, atq; impulſæ vento ſtipulæ.

Sicut ſtipulam vento raptam arcui eius.

ARCVS *etiam nomen accuſandi indicat caſum. Si verò Latinum datiuum interpretemur, gentes victas gentiumq́; reges gladio & arcu Abrami vt puluerẽ protritos, & vt ſtipulam pulſos declarabimus. Atq; victorias illas victori ipſi tutiſſimas, & omni detrimento immunes cõſtitiſſe, ait:*

Perſequetur eos, tranſibit in pace, ſemita in pedibus eius non apparebit. HEMISTICHIVM *hoc claritatis cauſa ſic ex verbo ſonat.* in ſemita in pedibus eius non veniet. *quæ lectio quamquam minùs Latina, tamen antiquam callentibus linguam, ſentẽtiam præbet ſequacem: vt enim victorias illas vni Deo auctori acceptas retuliſſe Abramum doceat, duo allegat admiranda: alterum, quòd nihil prorſus offenſus ipſe, cum exigua illa manu hoſtes perſecutus, deprehenderit, vicerit, proſtrauerit, & fuderit; nullo prorſus ex ſuis, quos deduxerat, ſeruis vel ſociis deſiderato, ſed omnino* tranſibit in pace. *Alterum verò, quòd hoſpes, ignotus, atque regionis & ſoli ignarus; tamen directo tractu iter, idq́; celeri greſſu, confecerit inoffenſo pede; & hoſtem, perinde atque ſi in clara luce non procul diſſitum conſpiceret intempeſta & obſcura nocte; non per viam regiam, ſed per nouam, & ſibi nunquam anteà calcatam ſemitam aſſecutus, oppreſſerit ſubitò, ac celerrimè confecerit.* Semita in pedibus eius non apparebit: *vel quia nulla erat, vel quia noctu hoſtium longè à ſe remota caſtra petebat. Exemplaris lectio,* in ſemita pedibus eius non veniet, *hunc facit ſenſum: per ſemitam obſcuram & cæcam, vtpote exiguam, & quam nunquam anteà ſuis ingreſſus fuerat pedibus: ita vt non modò victoriæ auctorem, ſed itineris quoque ductorem & indicem fateri oporteat Deum. id quod adiuncto declaratur verſu.*

Quis hæc operatus eſt, & fecit, vocans generationes ab exordio? Ego Dominus, primus & nouiſſimus ego ſum.

NON *nouam hîc accipimus interrogationem, ſed reſponſum, quæſtionisq́; ſolutionem ab ipſo auctore Deo Vatis verbis pronunciatam. id quod in ſacra elocutione frequens ac ſolenne eſt: apud Iobum præſertim, dũ Deus ipſe interrogat, idemq́; interrogationi occurrit: Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi ſi habes intelligentiam. Quis poſuit menſuras eius ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam? &c. Sic hoc loco Deum non tam interrogantem, quàm exceptæ reſpondentem interrogationi audimus, in hunc ſenſum atque diſpunctionis modum:* Quiſnam hæc operatus eſt & fecit, *(ſi requiris) idem ipſe, qui ab initio quãdo diuidebat gentes, & ſeparabat filios Adam,* vocauit generationes, *vnamquamque quámnam terræ partem, quas regiones, quæ loca peteret, quaq́; iter ageret, edocens. S. S. E. Hæ familiæ Noë iuxta populos & nationes ſuas: Ab his diuiſæ ſunt gentes poſt diluuium. Indicat autem is qui loquitur, perſonam ſuam,* ego Dominus *ille miſericors, creator, inſtaurator, & amplificator*

Iob 38. Deut. 32.

 mundi,

mundi atq; hominum, qui primus omnia condidi, & nouiſsimus omnia ſum regeneraturus. Primus & nouiſſimus ego ſum. *Magni myſterÿ formulæ hæc in exemplari lingua pronunciatur.* VEETH AHHARONIM ANIHV. Et circa poſteriora, ego ipſe. *In priori membro ſeſe ſingulari numero primum eſſe declarauit, vtpote qui mundi conditor vnicus fuerit, idq; ſemel.*
Gen. 1. *S.S.E. Et requieuit Deus die ſeptimo ab omni opere quod patrauerat. &*
» *alio in loco: Qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul. Verùm enimuerò,* » *quæ ſemel creata fuerant, non ſemel ſunt reſtituta, inſtaurata & amplificata. Nam ſæpiùs perditas hominum res à Deo reſtitutas, accepimus. &,* » *vt priuatarum nationum ſtatus, & caſus, & inſtaurationes prætereamus, diluuÿ ſtragem quis non intelligit vnius Dei voluntate ac virtute reſarcitam? Iſraelitarum præterea apud Ægyptios ſeruitam ſeruitutem, quiſnam præter Dominum auctor & aſſertor diſſoluit? Babylonicam tranſmigrationem nemo alius reduxit. Denique publicam hominum illam ſalutem, promiſſam, nemo niſi Dominus præſtare potuit, & præſtat. Atque hæc omnia* poſteriora *ipſe Dominus vocat, duobusq; pronominibus ſibi adſcribit ſingulariſsimis,* ego, ipſe. *Atque hoc dicto arcanum illud quoque latet vocationis gentium ad fidem, cuius caput & pater Abrahamus fuit. S.S.E.*
Rom. *Quia patrem multarum gẽtium poſui te: ante Deum, cui credidit: qui vo-*
» *cat ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt. &, In ſemine tuo benedicentur*
» *omnes familiæ terræ. Idem igitur, qui omnia antea fecit, & ſæpe perdita reparauit, eadem nunc facultate, virtute & ſapientia pollet, eadem conſtat voluntate, vt Iaacobum ſuum, hoc eſt hominum genus in Iſraelem amplificet, hoc eſt, Dei efficiat natos ex Adami filiis.*

Viderunt inſulæ, & timuerunt; extrema terræ obſtupuerunt, appropinquauerunt, & acceſſerunt.

PERSTAT *in eadem Abrahami hiſtoria, eandemq; vrget argumentationem, ad id quod propoſitum fuerat, confirmandum. Eſt autem propoſiti argumentum, Poſſe & velle Deum ſingulari beneficio ea quæ non ſunt, hoc eſt, nihil illud, in quod humanum genus degenerauerat, in nouam ac diuinam regenerationem mutare: cuius rei ſignum illam ſingularem Abrahami vocationem & amplificationem, atq; adeò virtutis & fortitudinis præſtantiam, indicauit: cuius virtutis fama non in eo tantùm concluſa fuit loco, in quo de quatuor victoribus regibus victoria parta fuerat: neque enim res ita priuata erat, vt intra vnius regionis anguſtias occultaretur: ſed per totam continentem percrebuiſſe primùm, indeq; ad inſulas tranſuecta, famam gentibus omnibus, pauorem, atq; curam, ſibiq; mutuis auxiliis proſpiciendi cogitationem fuiſſe iniectam; ſtudium præterea poſitum in ſocietatibus ineundis ac firmandis; vt communis res & ſalus ab vnius illius viri virtute ac robore defenderetur: atq; hoc ſtudio & conſilio*

Vnuſquiſque proximo ſuo auxiliabitur, & fratri ſuo dicet, Confortare. VERBVM *futurum ad præteriti quoque rationem referendum: namq; id primùm Abrami ætate contigiſſe ſignificatur, quod etiam omnium gentium vires aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius*

con-

coniunctum iri portenderet, vt vnuſquiſque *alium hortatus compellaret, & ad communem incitaret defenſionem. Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum illorum. Formidatum verò fuiſſe Abrahamum regibus & principibus aliis, præter eos, quos victos legimus, diuina indicat hiſtoria. Eodem tempore dixit Abimelech & Phicol princeps exercitus eius ad Abraham, Deus tecum eſt in vniuerſis quæ agis. Iura ergo mihi per Deum ne noceas mihi, & poſteris meis, ſtirpique meæ. Et quoniam res ab Abrahamo geſtæ atq; confectæ, omnes eiuſmodi erant, vt diuinam prorſus probarent prouidentiam ac tutelam, ſicut ex Abimelechi etiam confeßione liquet; euenit, vt qui ſibi ab illo viro metuerent, vrbes, nationes, ac magni harum duces & reges, eorum quoque, quos prodiit, colebant, auxilium ſibi conciliandum curarent; idq; agerent ſignis & ſimulachris conficiendis, reficiendis, ſtatuendis ac dicandis. Quam quidem curam ac diligentiam ſubiunctis verſibus repræſentat Vates.* Pſal. 2. " " Gen 21. " " "

Confortauit faber ærarius, percutiens malleo eum qui cudebat tum temporis, dicens, Glutino bonum eſt: & confortauit eum clauis, vt non moueretur.

IAM *retulimus eos qui ſtatuis & ſimulachris conficiendis operam darent, conſueuiſſe primùm tempora & momenta quærere, quibus opus incipiendum, abſoluendum, ac demum dicandum eſſet; vtpote qui hoc pacto cæleſtes influxus excipi opportunè exiſtimarent. Eoſdem verò non poſtrema tenebat cogitatio, curandi, vt quamquam ſigna nec ex marmore, nec ex ære ſolido, ſed lignea, aut ex alia minùs diuturna materia compoſita, ac bracteis eſſent obducta, quàm firmißimè tamen concinnarentur: quòd hoc etiam ad felicitatis perpetuitatem bono tribuerent augurio atq; omini. Qua de re magnam inter fabros diſciplinam, curam, & concordiam eſſe oportet; vt qui clauos præberet quàm firmißimos, & ad opus committendum ac tenendum comparatos faceret, atq; ita laminarum cuſorem ſecurum redderet, dicens:* glutino bonum eſt. *Verbum* LADEBEK, *pro quo Latinè legimus* glutino, *actionem ipſam potiùs quàm rem ſignificat: ait enim laudaſſe fabrum ferrarium ſuos clauos, vtpote ad coniungendum affabrefactos, & apprimè vtiles: quales ſunt, non qui rotundi ac teretes, verùm qui angulares ex officina producuntur: his enim ſuperinductæ laminæ, incluſo ligno meliùs ac durabiliùs committuntur. hoc ſignificat* glutino, *ſiue hæſioni,* bonum eſt. *atq; ita ille alter,* confortauit eum clauis, vt non moueretur. *Namque hoc pacto firmam ſibi numinis illius, quod colerent, & perpetuam fore tutelam credebant. Ita verò ad oppugnandam Euangelij Chriſti virtutem & efficacitatem quanto conſilio, ſtudio, & conatu in ſuperſtitioſi cultus conſeruationem gentes incubuerint, cùm exteræ, tum noſtrates narrant ac teſtantur hiſtoriæ.*

Et tu Iſrael ſerue meus, Iaacob, quē elegi, ſemen Abraham amici mei, in quo apprehēdi te ab extremis terræ, & à longinquis eius vocaui te, & dixi tibi, Seruus meus es tu, elegi te, & nō abieci te.

Ex *figura, vti dici ſolet, figuratum declaratur: nam quemadmodum*

Abrahamum ſibi ex nationibus vnicum delectum inſtruxerat, fouerat, defenderat, & beauerat, atq; omnibus cumulauerat ornamentis Deus: ita Iacobum illum humilẽ, Iſraelis nomine ac dignitate ſibi decoratũ, ad ſummæ ac diuinæ felicitatis culmen vſque euehendum ſuſceptum, demum conſummandum ſibi eſſe promittit, & præſtiturum in ſeſe recipit. Ideoq; hunc Abrahami amici ſui ſemen appellat idem ipſe, qui non mortuorum, ſed viuorum Deus eſt: vt hoc amicitiæ nomine ac pignore ſibi illius poſteritatem, hoc eſt, fideles omnes, curæ atq; tutelæ eſſe confirmet. Habet enim non vulgarem affectum, animiq; impulſum parentum amicitia, ad conſeruandum etiam erga filios animi ſtudium: quem rectè poëta ille exprimebat:

Non ego te propter parco tibi, ſed tua mater
Me mouet, atq; iras aurea vincit anus. & poſt paulò,
Te ſemper, natamq; tuam, te propter amabo:
Quicquid agit, ſanguis eſt tamen illa tuus.
Sit modò caſta, doce, &c.

Eundem verò hæc exprimit compellatio, ſemen Abraham amici mei· *Namq; vt Abrahamum ex Oriente vocatum atq; eductum ex imperio illo tyrãnico, cuius caput ac princeps fuerat Nimrodus, in terram peregrinationis ſuæ deduxi, ibidemq; tutor ipſe paui & ornaui: ita etiam vos illius in fide filios propter promiſſum parenti veſtro à me factum, quamquam aliàs debilem, paruum, & puſillũ gregem, toto diſperſum orbe, tamen promiſſi mei compotes re ipſa efficiam. id quod* Ioan. 1. *factum Iohannes aſſeuerat: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis po-* " *teſtatem filios Dei fieri. hæc ſubiuncti verſus arcana ſententia.*

In quo apprehendi te ab extremis terræ, & à longinquis eius vocaui te, & dixi: Seruus meus es tu.

P RÆTERITO *tempore verba propter vaticinij certitudinem pronunciantur, quamuis, cùm à Vate canuntur, futurum ſignificẽt. Eſt autem* " *huiuſmodi enthuſiaſmos Vatibus familiariſſimus. Deo autem nihil futu-* " *rum eſſe poteſt, quippe qui attingit à fine vſque ad finem fortiſſimè, & vo-* " *cat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt; & primus atq; nouiſſimus idem* " *vnusq; ſemper æternus eſt. Cuius etiam Filius omnia virtutis ſuæ portat* " *verbo, qui heri, & hodie, & cras. Ab hoc Deo per hunc Filium Iaacobus iſte, hoc eſt, humanum genus, ab initio vſque delectum, quamquam propter primam fraudem, & poſteriores noxas pro tempore fuerit diſiunctum, atque, vti videbatur, expulſum: tamen nunquam fuit prorſus abiectum, vt propoſitum Dei maneret. Hoc eſt quod ait*, elegi te, & non abieci te. *His hactenus diuina confirmata promiſſio, & fides interpoſita atque repetita. Cuius quidem præſtandæ cauſa homines ipſos, ad quos fit ſermo, ſeſe quoque fide atq; obſequio idoneos comparare ac præbere, ex diuini pacti conditione oportuit. id quod iam deinceps agitur ſtudioſè, ab eodemq; exigitur Deo.*

Ne timeas, quia ego tecum ſum: ne declines, quia ego Deus tuus.

P ERSTAT *in ſimilitudine atq; exemplo Abrahami patris: cuius imaginem, imò & veritatem ipſam, filios expertũ iri pollicetur. vt enim Abraham, quamquam aduena & hoſpes, quamquam in medio gentium alienarum*

rum conſtitutus, nuncio de Loti captiuitate accepto, fide in Deum confirmatus, nihil quemquam timuit; non eos, inter quos hoſtis agebat. S.S.E. Et ecce vnus, qui euaſerat, nunciauit Abram [non indigenæ, ſed] Hebræo, qui habitabat in valle Mamre Emorrhæi fratris Eſcol, & fratris Aner. Non itaq; vicinos Amorrhæos timuit, non Reges, quos bello inſecutus fuit: ita autem animatum eſſe vult fidelem populum, hoc eſt, Abrahami filios; nec innumeris hoſtium & inimicorum viſibilium & inuiſibilium terreri catervis. Namque vt cum Abrahamo quondam Deus, ita cum fideli populo ſemper idem eſt & erit. Quia ego tecum ſum. Atqui Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Dum appropiant ſuper me nocentes, vt edant carnes meas? Ne declines. Verbum THISTHAH macerari, liquefieri, ac trepidare ſignificat, & id eſt, hoc loco declinare, à fortitudine videlicet. Et quidem prioris timoris ac pauoris abiiciendi, & in robur ac fortitudinem permutandi efficientiam, non humanæ, verùm ſui ipſius, hoc eſt, diuinæ virtuti Deus adſcribit. quia tecum ſum ego: ne declines, quia ego Deus tuus, Gubernator, curator, atq; tutor: hæc enim nomine ELOHIM ſignificantur. id quod ipſis indicatis prouidentiæ partibus declarando ſubiungit. Quũ enim Deus omnium gentium atque temporum rationibus præſit, ſingularem tamen prouidentiam erga hos vel illos certis ac manifeſtis exemplis vel miſericordiæ, vel etiam iuſtitiæ oſtendit & manifeſtat. Anteà quidem laboribus atq; ærumnis Iſrael exercitatus fuerat, idq; iuſtè, vt iam edocti ſumus; & eandem rationem ad vniuerſum hominum genus retulimus, quod Iaacobi ſignificatur & nomine, & imagine. quam conditionem Dei miſericordia ita mutatum iri per Vates pollicetur; vt qui Deum caſtigationis cauſa, pauoris, metus, atque conſternationis animi permiſſorem ſenſerant, iam deinceps oppoſitarum illis miſeriis virtutum auctorem agnoſcant & laudent.

Confortaui te, & auxiliatus ſum tibi, & ſuſcepit te dextera iuſti mei. PERSTAT in exemplo ſingularis quondam erga Abrahamum tutelæ ac prouidentiæ, longè illuſtriùs & magnificentiùs in ſuo poſtmodum Iſraele ponendo. Namque vt Abrahamum hoſpitem & aduenam atque in ſua familia vnicum & ferè priuatum hominem, tamen aduerſus potentes, ac victoria & præda ſuperbos hoſtes diuina virtute munitũ, auctum, & confirmatum victorem euaſiſſe cum admiratione gentium nouimus: ita Iſraelem ad inuiſibilium hoſtium ſuperanda prælia confortatũ, auxilio promotum iri ait. idq; præteritis pronunciat verbis; non minorem de futuris fidem & ſpem faciens, quàm de præteritis veritatem & euidentiam, vt ita loqui liceat, res ipſa probauerat. Namq; apud Deum nulla temporis in virtute atq; efficacitate diuerſitas eſt: perinde enim illi facile ac verum eſt dicere confortaui, confortabo, & conforto. Quare, quod cum Abrahamo factum legis, tecum factũ crede, atq; apud te firmato: illud enim vera hiſtoria quamuis fuerit, figura tamen & vmbra rei tecum perficiendæ eſſe volui. Illud per Angelos expeditum fuerat: quod verò tecũ deinceps

 factum

factum volo, dextera Iuſti mei *efficiendum eſt. In ſacra lingua ſic legimus*, THEMACHTHICHA BIIAMIN TSIDKI, fulciui te dextera Iuſti mei, *ſiue* iuſtitiæ meæ: *vtroque enim pacto interpretari licet* TSIDKI, *eademq́ conſtat ſententia: quippe Dei Filius idem Dei Iuſtus atque Dei iuſtitia verè dicitur. Idem autem hæc formula ſententiæ nobis reddit* dextera iuſti mei, *atque illa poëtis familiaris*, *Dextro iuſto meo, id eſt, qui tibi*
Horat.lib.2. Sat. 3. *dexter aderit. ſic apud Satyricum*, *Dexter ſtetit, & caue faxis Te quicquam indignum. & apud alium etiam Satyrarum ſcriptorem, Prætoribus*
Perſ. Pſal. *& Ioue dextro, legimus. Optimum autem illud exemplum eſt, Quoniam à*
» *dextris eſt mihi, ne commouear Suſtentatum autem & fulcitum ſuo Iuſto Iſraelem fore pollicetur, vt victoriam, & ſalutem, gloriamq́ omnem virtuti efficientiæq́ ſuæ, hoc eſt, diuinæ, acceptam relaturum ſignificet: ſicut in*
2.Cor. *illorum ad quos hoc beneficium ſpectat, confeſſione ſcriptum legimus. Non*
» *ſumus ſufficientes aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra*
Philip.2. *ex Deo eſt. &, Deus eſt qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona*
» *voluntate [Dei.] Verbum autem* THEMACHTHICHA, *pro quo interpres noſter reddit* ſuſcepi, *fulcire, ſuſtentare, recreare, & fouere ſignificat: eſt enim tranſlatum ab eius imagine, qui, valentior cùm ſit, alterum, ne ruat, ſuſtinet; aut labentem excipit, & corruere non ſinit. & propriè ſecundùm*
Prima corporis parte. *naturam vnumquodq́ corpus à ſuo ipſius fulcitur ſpiritu: vt in magni operis diſputationibus docebamus, plantarum, brutorum, atq́ hominũ virtuti, ſuos dum tribuimus aſſignamusq́ ſpiritus. Quòd ſi Iſraeli, ſiue Iaghacobo, hoc eſt humano generi, antea infirmo ac debili, vehementerq́ ab hoſtibus innumeris vexato & oppreſſo, Dei virtus atq́ Spiritus ipſe ſanctus vltrò ſe fultorem promiſſum præbuerit, qui ſolus id præſtare poteſt, nullius deinceps rei indigentia metuenda eſt: iiſdem rebus alendo & ſuſtentãdo, quibus ipſi aluntur ſuperi, hoc eſt, diuinæ efficacitatis & virtutis donis. id quod vti antè promiſſum, ita verè præſtitum, qui agnouerunt, fatentur, & prædicant.*
Rom.8, *Omnes enim peccauerũt, & egent gloria Dei, iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto* IESV: *quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtentionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum, in ſuſtentatione Dei [id eſt, vt ſuſtententur à Deo.] Qui legit intelligat, & præſtari ſibi exoptet, atque oret.* Dextera Iuſti mei; *ſexto Latinorum, ſiue ſeptimo caſu, quod exemplar* BIMIN *manifeſtè indicat*, in dextera Iuſti mei. *hoc eſt, in verbo Dei* IESV *Chriſto, qui & ipſe* Dextera Patris, *& ad Patris dexteram*
Heb.1. *diuinæ virtutis efficaciſſimus communicator conſtat. Qui, cùm ſit*
» *ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portansq́ omnia verbo virtutis*
» *ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram maieſtatis in ex-*
1 Ioan.2. *celſis. Hunc enim Aduocatum habemus apud Patrem* IESVM *Chriſtum*
1 Pet.2. *iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. &, Qui ſemel mortuus*
» *eſt pro peccatis noſtris, iuſtus pro iniuſtis, vt nos offerret Deo, mortificatos*
Rom.3. *quidem carne, viuificatos autem ſpiritu. Ad oſtenſionem iuſtitiæ eius in hoc*
» *tempore, vt ſit ipſe iuſtus & iuſtificans eum qui ex fide eſt* IESV *Chriſti.*

Cuius

Cuius diuini ſpiritus virtute & efficientia Iſraelem, de quo loquimur, fulciendum ſuſcipit apud hunc Vatem Deus: at verò hoſtes & inimicos aduerſarióſque omnes, quorum violentia ac multitudine ſubactum & oppreſſum anteà miſertus, idem Deus viſitabit, debilitandos, labefactandos, frangendos, atq; adeò perdendos denunciat.

Ecce confundentur & erubeſcent omnes qui pugnant aduerſum te: erunt quaſi non ſint, & peribunt viri qui contradicunt tibi.

OMNES qui pugnant aduerſum te. CHOL HANEHHERIM BACH, *à verbo* HAHHARAH, *quod iraſci, irritari, & furere ſignificat: animi enim vehementi impulſu hoſtes in Iſraelis oppreſſionẽ excitatos, & veluti furiis actos in hiſtoriis legimus: humani verò animi, hoc eſt, interioris hominis, hoſtes & aduerſarios internos & externos, maximo furore in miſeram debacchari naturam, qui apud ſeſe non ſenſerit (& quis tam ſtupidæ mentis qui non ſentiat?) Iohannis legito Apocalypſin, & agnoſcito: quæ ſi obſcurior videtur, quotidianam hominis apud Diuum Paulum querimoniam audito: Inuenio aliam legem in membris meis repugnãtem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati & mortis. Infelix ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius? [Nemo quidem hominum noſtratium, ſed] gratia Dei per* IESVM *Chriſtum. Hoſtium namq; humani generis inuiſibilium cateruas numero ferè carentes in magni operis corpore indicabamus: in his verò importuniſſimas internorum, de quibus illud in myſterio dictum: Nolite arbitrari, quia pacem veni mittere in terram; non veni pacem mittere, ſed gladium: veni enim ſeparare hominem aduerſus fratrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam: & inimici hominis domeſtici eius. Hos autem anteà potenter inſolentes inimicos, vbi debilitari & frangi diuino erga Iſraelem beneficio contigerit, pro robore & vigore antiquo confuſionem & perturbationem, atq; adeò infamiam & ignominiam conſecutũ ire, prædicit Vates.* Erunt quaſi non ſint. IIHIV CHE AIN, *erunt vt non. mali ac peruerſi illi affectus, qua parte Iſraelem infeſtare, & quo nomine vexare ſolebant. quod expoliendo declaratur.* Peribunt viri qui contradicunt tibi ANSEI RIBCHA, *ex verbo*, Singuli viri potentes contentionis tuæ. *Huius definitionis explicationem vel integrum non capiet volumen. quam diligentioribus reſeruamus. Horum autem hoſtium diſſipationem Iaghacobo diutiſſimè cupitam & expectatam, vlteriùs etiam & apertiùs deſcribendo qui poteſt præſtare, Deus confirmat.*

Rom. 7.

Mat 10.

Quæres eos, & non inuenies, viros rebelles tuos: erunt quaſi non ſint: & veluti conſumptio hominis bellantis aduerſum te.

HOSTIVM *partim interitu & nece, partim fuga diſſipandas cohortes, phalanges, & copias omnes, atque inde pacem, tranquillitatem, & ſecuritatem Iſraeli ſuo pariendam, auctor pollicetur Deus. Namque hi vel intra muros iam inducti, vt exactores, aſſiduis calamitatibus Iſraelem vexabant, vel exteriùs confluentes, frequentibus exercebãt prœliis ac pugnis. illos,* viros rebelles tuos *vocat.* ANSEI METSVTHECHA, viri rixæ tuæ.

hoſtium

hoſtium & aduerſariorum omnium potentem inſolentiam, & ad nocendum facultatem & tripertitam vim tribus orationis conformibus membris diſertiſſimè ſignificauit Vates. ANSEI RIBECHA, ANSEI METSVTHECHA, ANSEI MILHHAMATHECHA, viros contentionis tuæ, viros rebellionis tuæ, *ſiue*, rebelles tui, viri prœlij tui, *ſiue*, homines bellantes aduerſum te. *illos confundendos, rubore afficiendos, opprimendos, frangendos ac debilitandos, duarum videlicet partium illos: iſtos verò poſtremos, perinde ac ſi nulli ſint, cõtemptui ac deſpectioni damnandos.* CHEAIN V CHE EPHEZZ, ſicut nõ, & ſicut priuatio. *adeò impotes & mancos omnes admiraturo Iſraeli ex diuina virtute relictum iri ait, vt verè*
Ephes. 6. *dicere poſſit Paulus, Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduer-*
" *ſus inſidias diaboli: quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem &*
" *ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores*
" *tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Propterea ac-*
" *cipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus per-*
" *fecti ſtare. Omnia autem hæc non volentis aut currentis hominis, verùm ipſius miſerentis virtute certiſſima euentu ipſo fore Deus prædocet.*

Quia ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicenſque tibi, Ne timeas, ego adiuui te.

NOMINVM *ipſorum adnotanda appellatione efficacitatis & virtutis rationes indicantur.* ego *præſentem indicat.* ADONAI, *ſiue* IEHVEH, *miſericordem & ſalutarem.* ELOHEICHA *certam & conſtantem prouidentiam.* apprehendens manum tuam, *imputatione excluſa, rem certam & præſentem atq; experimento vſuq; ipſo comprobandam aſſeuerat.* dicenſq; tibi. *In exemplari certam adiunctam ſingularitatis ac præſentiæ notã habet*, HAOMERLECHA, *non qui per alium quempiam, ſed qui idem ipſe tibi reſponſum reddam certæ ac præſentis victoriæ.* ne timeas, ego adiuui
Rom. 8. te. *Atqui hanc vocẽ quòd audiret Paulus profiteri non dubitabat. Ipſe enim*
" *ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſimus filij Dei. Quid ergo*
" *dicemus ad hæc: Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio Fi-*
" *lio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non cum il-*
" *lo nobis omnia donauit? Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus, qui iu-*
" *ſtificat? Quis eſt qui condemnet? Chriſtus* IESVS, *qui mortuus eſt, imò qui*
" *& reſurrexit? qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.*
" *Quis ergo nos ſeparabit à caritate Chriſti? tribulatio, an anguſtia, an fa-*
" *mes, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gladius? (ſicut ſcriptũ eſt,*
" *Quia propter te mortificamur tota die; æſtimati ſumus ſicut oues occiſio-*
" *nis) ſed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini. Et quidem Iſraelitarum gens cùm ea, quam ad hiſtoriam, tum verò ea, quam ad ſpiritum intelligimus, ante publicam ſalutem non adeò magno numero frequentẽ Vates prævidebant, & Chriſtus agnoſcens puſillum vocabat gregem: eundémque in ſpeciem humilem & abiectum ad illam humanæ induſtriæ & potentiæ ſuperbiam comparatum: verùm id nihil diuinæ miſericordiæ atque efficien-*

tiæ

tiæ obſtare, quo minùs ad maximam euadat felicitatem, ſubiunctis declaratur verſibus.

Noli timere vermis Iaacob, qui mortui eſtis ex Iſrael: ego auxiliatus ſum tibi, dicit Dominus, & redemptor tuus ſanctus Iſraël.

E x *collatione duorum eiuſdem viri nominum, conditionum etiam diſcrimen indicatum cõfertur: Iacobum enim priuatum, humilem, & fraterna inuidia afflictum: Iſrael verò eundem diuino beneficio amplificatum & ornatum accepimus. Idem verò exempli in eo, de quo nunc agitur, homine, redintegratum iri docemur: quod etiam factum ac præſtitum eſſe, vera noui Teſtamenti lectione conſtat. Prior quidem conditio illa ſignificatur appellatione,* Vermis Iaacob, *cuius confeſſione & voto cuiuſmodi nam illa fuerit, exponitur. Dixitq́; Iaacob, Deus patris mei Abraham, & Deus* Gen.
patris mei Iſaac, Domine, qui dixiſti mihi, Reuertere in terram tuam, & "
in locum natiuitatis tuæ, & benefaciam tibi; minor ſum cunctis miſera- "
tionibus tuis, & veritate tua, quã expleuiſti ſeruo tuo: In baculo meo tranſ- "
iui Iordanem iſtum, & nunc cum duabus turmis regredior. Erue me de "
manu fratris mei Eſau: quia valdè eum timeo, ne fortè veniens percutiat "
matrem cum filiis. Tu locutus es, quòd bene faceres mihi, & dilatares ſe- "
men meum ſicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non poteſt. "
Huc alludit prior illa apud Vatem noſtrũ compellatio, Noli timere vermis Iaacob. *Atqui eundem virum iam ad Iſraelis nomen & amplitudinem traductum, circumuicinorum populorum inuidiam, & vim, atq; inſolentiam aliquãdo exhorrentem, ſibi atq; liberis timuiſſe ſuis legimus. Qui-* Gen. 34.
bus perpetratis, audacter Iaacob dixit ad Simeon & Leui: Turbaſtis me, & "
odioſum me feciſtis Chananæis & Phereſæis, habitatoribus terræ huius: "
nos pauci ſumus, illi congregati percutient nos, & delebor ego, & domus "
mea. Verùm enimuerò metu hoc, quo etiam iam Iſrael factus, tamen ſub Iaacobi nomine perculſus narratur, diuini auxilij ac præſidij promiſſo liberatus, paulo pòſt declaratur. Interea locutus eſt Deus ad Iaacob, Surge, & Gen. 35.
aſcende Bethel, & habita ibi, facq́; altare Deo, qui apparuit tibi quando fu- "
giebas Eſau fratrem tuum. Ex ipſo Bethelis nomine diuinũ ſibi præſtò fore "
intellexit auxilium. namque BETH-EL, fortis Dei domum *interpretamur. Quod verò ille in hoc ſecundo pauore de ſe, tenuitateq́; ſua pronuntiarat, idem per Vatem hoc in loco repetitur. Namq; vbi Latinè legimus,* NOS Gen. 34.
pauci ſumus; *in exemplari legimus* VEANOCHI METHEI MIZZPAR, *quod ex verbo interpreteris*, viri numeri, *hoc eſt, pauci, & qui omnibus vno aſpectu numerari poßimus. Qua quidem formula rerum vel perſonarum, de quibus agitur, paucitas perpetuò ſignificatur.* METHIM *multitudinis numero ſemper legimus, vel id abſolutum, vel cum adiuncto contingat. & quoniam affine valdè nomen eſt verbo* MVTH, *&* METHA *nomini, quæ mori ac mortem ſignificant; euenit vt idem vocabulum à Latinis interdum vertatur* in homines, *vt apud Iobum: Tibi ſoli tacebũt homi-* Iob 11.
nes. &, Ipſe nouit hominum vanitatem. interdum in paucos. *vt, Domi-* Indid. Pſal. 18.
ne à paucis de terra diuide eos. nonnunquam in concilium. *vt, Non ſedi* Pſal. 25.

cum concilio vanitatis. aliquãdo in viros. *vt, Viri gladio tuo cadent. Quod ſi pro omnibus his, & aliis interpretationibus* mortales *reponas, & ipſa primæuæ linguæ cum Lateno ſermone quadrabit ſententia. Hoc itaq; à Vate vſurpatum vocabulum idem eſt, quod in poſteriore illo apud Sichem horrore & metu pronunciarat Iſrael. Dixerat enim,* Ego, *ſiue,* Nos, METHEI MIZZPAR, viri numeri, *id eſt, pauci ſumus. Verùm huiuſmodi quoque metum hoc loco adimit Iſraeli Deus, in quo Latinus vertit,* qui mortui eſtis ex Iſrael. *quod non de mortuis, verùm de viuis hominibus, ſiue de mortalibus dictum, & ſententiæ docet ratio, & locorum comparatio alluſioq; comprobat. Itaque* mortui eſtis ex Iſrael, *cum eodem interprete aliàs exponimus,* qui pauci mortales Iſrael. *Nam quamquam pauci vobis & puſillus videamini grex, tamen, vt Chriſtus aiebat, Complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Ego auxiliatus ſum tibi, ait Dominus, & redemptor tuus ſanctus Iſrael. *Ne ſalutem, victoriam & felicitatem ſuam vlli humanæ, terrenæ, vel etiam vlli cæleſti virtuti & efficientiæ, præterquam voluntati, miſericordiæ, & ſingulari prouidentiæ diuinæ humanum arroget genus, nomen ſuum vnà cum ſingulari profitetur titulo Deus ipſe; qui, quamquam cæleſtia ac terreſtria moderetur, gubernetq; ſolus, tamen in quo ſalutis, miſericordiæ, veritatisq; ſuæ ſingularia edat exerceatq; exẽpla, atq; cetera omnia ſibi ſubiecta doceat, Iſraelem elegit. quem principem, fortem, & præſtantem valentis Dei interpretamur: nec hunc ſecundùm carnem definimus: verùm Iſraelem ſecundùm ſpiritum. Non enim omnes qui* Rom. 9.
» *ex Iſrael, ij ſunt Iſraelitæ: neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij; ſed*
» *in Iſaac vocabitur tibi ſemen: id eſt, non qui filij carnis, hi filij Dei; ſed qui*
» *filij ſunt promiſsionis, æſtimantur in ſemine. Fidei itaq; Abrahamicæ pro-*
» *feſſores, & qui promiſsis credentes diuinis, non ex ſanguinibus, nec ex vo-*
» *luntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt: hi verè Iſrael ſunt, & ſanctum re-*
» *demptoremq; ſui laudant Deum. Hos autem à timore & metu alienos diuinum verbum facit: vtpote quibus maior copia auxilij adſit, quàm inimicorum obſit multitudo.* quia ego auxiliatus ſum tibi, dicit Dominus. NEVM IEHVEH, effatum Domini. *Qua formula quidquid certitudinem & conſtantiam vendicat, firmari in ſacro ſolet eloquio.*

Ego poſui te quaſi plauſtrum triturans nouum, habens roſtra ſerrantia: triturabis montes, & comminues: & colles quaſi puluerem pones.

IN *ſuperiori verſu Iſraelitarum exceptæ paucitati diuinæ prouidentiæ opponebatur copia: in hoc etiam allegatæ imbecillitati ac virium naturalium inopiæ ex diuinæ virtutis communicandis donis & facultatibus conſultum ſuffectumq; iri declaratur. quoniam Iſraelitica fide nihil non vincere poſſe datur, vtpote quæ cum Deo fortis fuerit. Hæc autem promiſsio, tranſlata ex notis rebus imagine, nũciatur. Duo quidem ſunt nomina in ſancta lin-* נאם יהוה *gua* MORAG, & HHARVTS, *quæ vnico* tribulæ *vocabulo Latinis excipi poſſunt: nam ſi compoſitis vel coniunctis vti libeat,* plauſtrũ triturans *rectè dicitur; vt ab interprete noſtro vſurpatũ eſt. cùm tamen duo nomina*

ſubſtan-

ſubſtãtiua ſint, quæ tribulas quidem ſignificant; verùm non eodem cõſtructas pacto, ſed vel modo, vel figura nonnihil diſcretas; quales in aliis, aliisq́ regionibus conſtrui & vſurpari locorum atq; hominum ingenio conſentaneum eſt. Namq; quibuſdam agricolis culmos tantùm frangere, &, excuſſo frumento, paleas longiores, minusq́ comminutas relinquere placet, vt Bethicis in Hiſpania: aliis verò, vt iis qui loca vltra Tagum incolunt, longè comminutiores probantur paleæ. vtriſque ſua ad eam rem comparantur inſtrumenta: illis quidem MORAG, *iſtis* HHARVTS *vſui eſſe poteſt. Certè Iſraelitis & Syris, vt vtrumq; notum, & certo diſtinctum vocabulo, ita vtrumque vſui fuiſſe apparet. In his autem inſtrumentis ſiue tribulis cuſpides viſuntur, vel denſiùs, vel rariùs infixæ; quibus culmi ſubiecti corripi, frangi, & comminui ſolent: quæ vel ex ferro fiunt, vel ex duro aptantur ſilice. Et hæ hominum agricolarum tribulæ hoc præſtare, quod iam diximus, valent. Verùm enimuerò quæ à Deo comparantur his nominibus inſtrumenta, longè firmiſſima & robuſtiſſima, atq; ad opus efficaciſſima euadere oportet: neque enim Deo paleæ, aut ſegetum meſſisq́ culmi ad triturandum deſtinantur; ſed montes, ſed colles, ſed editiſſima & firmiſſima quæq; terrarum, hoc eſt, vis, potentia, ſapientia, prudentia, induſtria, ſuperſtitio, ſimulatio, fraus ac dolus, & cetera, quibus Dei atq; Iſraelis inimici viſibiles & inuiſibiles valent.* habens roſtra ſerrantia. *In primæua lingua* PIPIOTH, ora: *nam quod Latini aciem gladij, Chananæa lingua* PIHEREB, os gladij *vocat. atq; ita* PIPIOTH, ora *pluraliter, cuſpides illas & acies tribulis infixas interpretamur; quæ arcana ſignificatione Euangelij pluſquam Adamantinam ſubindicant vim. de qua ſcriptum & promiſſum Iſraelitæ veri obſeruant: Ego enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri. Atqui potentiam, violentiam, tyrannidem, & ſapientiam prudentiamq́ mundi, eaſdem hoc loco interpretamur, quæ apud Vatem noſtrum* montes & colles *dicũtur, vt in arcani ſermonis exemplis docebamus. Non erubeſco Euangeliũ (vnus ex Iſraelitis iſtis puſillis ait) virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæo primùm & Græco: iuſtitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidẽ: ſicut ſcriptum eſt: Iuſtus autem ex fide viuit. Reuelatur enim [quoque] ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent. Hanc Euangelij virtutem, hanc Dei efficientiam Iſraeli ſuo communicandam & præſtandam vlteriore expolitione declaratam confirmat Vates: quam tamen non humanis viribus, verùm diuinæ voluntati atq; efficacitati tributum iri ait.*

Lucæ 21. Lib. Ioſeph. Rom. 1.

Ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo diſperget eos: & tu exultabis in Domino, in ſancto Iſrael lætaberis.

LÆTITIAM *hanc ex ſanctificatione diuina profectam, quæ partam ex vtriſque hoſtibus victoriam conſecutura prænunciatur, vt Iſraelitæ, de quibus agitur, capiant & percipiant, audire operæpretium eſt. In quo exultatis. modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus, vt probatio veſtræ fidei multo pretioſior auro, quod per ignem probatur, inueniatur* 1. Pet. 1.

»in laudem & gloriam & honorem in reuelatione IESV Chriſti: quem cùm »non videritis, diligitis; in quem nunc quoque non videntes creditis [vt ve»ræ Iſraelitæ] credentes autem exultatis lætitia inenarrabili & glorificata, »reportantes finem fidei veſtræ ſalutem animarum: de qua ſalute exquiſie»runt atq; ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaue»runt; ſcrutantes in quod vel quale tempus ſignificaret in eis ſpiritus Chri»ſti, prænuncians eas, quæ in Chriſto ſunt, paßiones & poſteriores glorias: »quibus reuelatum eſt, quia non ſibimetipſis, vobis autem miniſtrabant ea, »quæ nunc ſunt nunciata vobis per eos qui euagelizauerunt vobis, ſpiritu »ſancto miſſo de cælo, in quem deſiderant Angeli proſpicere. & in ſancto Iſrael lætaberis. *in eo, qui Iacobum à communi & priuata conditione ſecretum ſanctificauit, & ſeipſum ſingularis prouidentiæ manifeſtis documentis ſanctificauit.* lætaberis, THITHHALAL, *gloriaberis, tibi ipſi plaudes, & gratulaberis; non in te, virtuteq́; tua, ſed in ſancto Deo, tuiq́; ſanctificatore. quod à diuo Paulo verè exponitur: Qui gloriatur, in Dño glorietur: non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat. Atque hactenus inopiæ & raritatis Iaacobææ in Iſraeliticam copiam frequentiamq́; mutandæ promißio. cui etiam tenuitatis indigentiæq́; in ſaturitatem adiungenda declaratur mutatio.*

Egeni & pauperes quærunt aquas, & non ſunt: lingua eorum ſiti

2. Pet. 1. aruit. DIVINA *dona illa maxima, & , vt Petrus appellat, pretioſißima, non quibuſlibet promiſcuè, ſed egentibus & optantibus, anxiéque auentibus, expetentibus, magnaq́; poſcentibus fide ſuffectum iri, cum Vate*

Mat. 8. *noſtro omnis doctrina prædicit ac proteſtatur ſacra: Beati qui eſuriunt & »ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. & Vates hic aliàs, Omnes ſi-*

Ioan. 7. *tientes venite ad aquas. & IESVS Chriſtus, Qui ſitit, veniat ad me: qui »credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Et quidem hæc illa aqua eſt, quam à ſe poſcentibus præbendam fore, idem auctor Samaritanæ ſubindicabat feminæ. Sitis autem nomen & imago, auiditatem ſignificat magnam, anxietatemq́; non niſi adhibito potu ſedabilem. aquæ verò ſignificationem D. Ioannes apertißimè docuit: Hoc autem dicebat de Spiritu ſancto, quem erant accepturi credentes in eum: nondum enim Spiritus ſanctus erat datus, quia nondum Chriſtus fuerat clarificatus. Atq; inter complura huius viuæ aquæ munera veritatis cognitio & bonitatis copia numerantur; quibus humanum genus, quamdiu Chriſtũ Dei non agnoſcit, carere deprehenditur, & egere arguitur: poſtquam verò acceptum diuinitùs agnouerit, immanè quantum ſe ſatiatum admiratur. Hoc autem ad illam tenuitatem alludit, qua fratrem ſuum fugitans Iaghacobus priuatus, peregrinus, ac pauper homo, dum diuinã appellat prouidentiam, confitetur. Vouit etiam votum Iaacob, dicens: Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in via, per quam ego ambulo; & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, reuerſusq́; fuero proſperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum. Huius voti alluſioni ſubiuncto promiſſo Deus etiam reſpondet.*

Ego

Ego Dominus exaudiam eos, Deus Iſrael non derelinquam eos.

EVNDEM *ſeſe Iaacobi imitatoribus paupertatem egeſtatemq́ agnoſcentibus propriam, & ſuam fidem ac prouidentiam conſtanter appellantibus præbiturum, quem Iaacobo quondam, eidemq́ poſteà Iſraeli præbuerat, nempe auxiliatorem, prouidentem, ſoſpitalem, atq́ etiam ornatorem. imò & amplificatorem, quod ad priores facit partes.* Ego Dominus exaudiã eos, *vt Iaghacobum quondam exaudiui vouentem, & ſeruaui, atq́ cum duabus etiam reduxi turmis, demumq́ Iſraelem feci: quem vt ſemel factũ ac præſidio meo fidentem, nunquam dereliqui, ſed etiam in Ægyptum migraturum tutor confirmaui: ita hos ad ſpiritualis Iſraelis ampliſſimam promotos conditionem*, non derelinquam eos: *imò verò hos continua prouidentia omnibus in locis omni tempore iuuandos, deducendos, & oportunis commodis vbique afficiendos pollicetur. id quod multis ex naturæ felicibus commoditatibus in imaginem productis, deſcribit per Vatem Deus.*

Aperiam in ſupinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam deſertum in ſtagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum.

NIHIL *vllo loco aut tempore, quod ad veræ animorum felicitatis copiam vſumq́ faciat, populo à ſe ſuſcepto ac ſanctificando defuturum pollicetur Deus, dum ea per allegoriam promittit, quæ in natura non niſi rariſſima, atq́ adeò ex miraculo viſuntur. Namq́* in ſupinis collibus flumina *erumpere, nullibi ferè terrarum viſuntur. ſiquidem commune fluuiorum exemplum eſt inter montes fluere, vel ex aquarum pluuiarum defluxu, vel ex fontium ſcaturigine, quæ à montibus ortum ſortitur. S. S. E. Qui emittis fontes in conuallibus, inter medium montium pertranſibunt aquæ. In* Pſal. 103.
campis *verò planiſſimis cùm plerumq́ deſiderẽtur fontes, putei in altum effodiuntur, aut ciſternæ fabricãtur. Tamen omnem aliàs defectum, quem naturæ communis non ſupplet virtus, diuina ac ſingulari erga ſuum Iſraelem prouidentia non ſupplendum modò, ſed abundè ſufficiendum recipit.* deſertum in ſtagna aquarum. MIDBAR, *pro quo* deſertum *Latinè reponimus, locum ſignificat, in quo nulla res eſſe, ne nominari quidem, vel in ſermonem venire ſolet. id quod plerunque ex penuria euenit aquarum. S. S. E. In terra deſerta, inuia, & inaquoſa. propterea enim deſerta & in-* Pſal.
uia, incultaq́ manet, quòd ſit inaquoſa: namque aquæ, ſiue potiùs MAIM, *rerum omnium, quæ gignuntur, quæq́ aluntur prima elementa ſunt; vt in magni operis corpore diſſerebamus. Et quidem, quæ aliàs deſertæ fuerant, regiones, atq́ ideo nullis iter acturis peruiæ propter aquarum penuriam & vmbrarum inopiam: namq́ vtriſque egent, qui iter faciunt, præcipuè ſerena & calida tempeſtate: eas, inquam, regiones aquarum, vti iam audiuimus, copia & ſalubriũ quoque vmbrarum hoſpitio inſtruendas prædicit; vt facilis & iucundus viæ faciendæ labor hoc pacto Iſraeli Dei fiat.*

Dabo in ſolitudine cedrum, & ſpinam, & myrtum, & lignum oliuæ: ponam in deſerto abietem, vlmum & buxum ſimul.

PLANTARVM *genera iſta omnia ſpecie, forma, & vmbra dum virent*

 præ-

præcipuè commendantur, & vias agrorum, in quibus naſcuntur, vario decorant ornamento. de his etiam in magno agebamus opere. Et quidem vtraque pars diuinæ doctrinæ ſufficientem abundantemq́ copiam ex tranſlatione ſignificat, cum iucunditate etiam contemplantium. opponiturq́ ratio hæc illi, quam miſeratus anteà Vates ediderat, querelam: Egeni & pauperes quærũt aquas, & non ſunt; lingua eorũ ſiti aruit. *Nunc verò magnam rerum in meliùs conuerſionem, & optandam etiam iter vitæ facienti Iſraeli felicitatem audimus. Doctrinæ cæleſtis varia dona, propheticos etiã ſpiritus, linguarũ facultatem, & multa maximaq́ diuinæ ſapientiæ momenta harum nominibus plantarum ſignificantur: quas omnes ad communis habitationis vſum valere, & non niſi fertili ſolo prouenire, iam aliàs edocti ſumus. id quod aliàs breui oratione dicitur: Et implebitur terra ſcientia Domini. Cauſam verò huius promiſſæ felicitatis manifeſto voluntatis ſuæ propoſito de genere hominum amplificando, aſsignat promiſſor Deus ipſis pauperibus quidem egenisq́ cognoſcendo & agnoſcendo, atq́ ſingulari gratulatione celebrando.*

Vt videant, & ſciant, & recogitent, & intelligant pariter: quia manus Domini fecit hoc, & ſanctus Iſrael creauit illud.

N E *naturæ ipſi communi, aut aliàs caſui vel cæli efficientiis hæc humanarum conuerſio rerum ac tam repentina felicitas hominum tribuatur, vni diuinæ efficitati atq́ ſingulari voluntati accepta referenda, omniumq́ confeſsione ac laudibus prædicanda prædicitur, & conferenda cum antiquæ imaginis exemplo: in quo expoliendo perſtat oratio.* & ſanctus Iſrael creauit illud, *qui Iſraeli ſecernendo ac ſacrando ſeſe ſacrum ſanctumq́ probauerat, atq́ ita demum, verùm ſublimiore probabit pacto ac modo. Vſurpatur verò* creationis *verbũ hoc loco in regeneratione prædicenda: quia idem qui generationis humanæ auctor primus ac ſolus fuerat, idem regenerationis quoque ſolus ac ſanctus laudandus erat auctor. Atque promiſſum hoc Iaghacobo & Iſraeli ſpiritali factum nullis hominum ſapientibus antè cognitum aut prædictum eſſe, nulla humana vi aut potentia impediendũ eſſe quo minùs oportunè præſtetur, iam deinceps declarat & proteſtatur Vates.*

Propè facite iudicium veſtrum, dicit Dominus: afferte ſi quid fortè habetis, dicit rex Iaacob.

M V N D I *potentiam, ſapientiam, induſtriam, & contentionem omnem aduerſus Dei populum diaboli opera excitatam quondam in veteri Teſtamento, ac longè contumaciùs poſteà Euangelij tempore excitãdam, ad examen & periculum vocat Vates. qui ſeſe miniſtrum Dei regis Iaghacobi quondam humilis, verùm regia ac diuina auctoritate & virtute cuſtoditi, freti, ac promoti profitetur: affirmat verò nihil tale humanam vel ſapientiam cogitare & cognoſcendum prænunciare: nihil etiam diabolicam ac tyrannicam aduerſariorum potentiam, quamuis viribus connixam, ſummis & coniunctis turbare vel impedire poſſe.* Iudicium veſtrum RIBCHEM, *contentionem, litem & impetum vnanimi conſenſu & coniurato conſilio initam, vocabulum* RIB *ſignificat: idem quod à Pſalte vſurpatum fuſiùs*

aliàs

aliàs depingitur: Iudica Domine iudicium meum, impugna impugnantes Pſal.
me: apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi. Horum itaq; potentiam irridens & contemnens, prouocat Vates, quam vanam demum euaſuram prænouit. Non loquimur nunc de internis ac domeſticis humani animi inimicis: namque ſignificatio hæc auribus non capitur communibus. Iam verò vbi quæ Iaacobum & Iſraelem ſuum ex diuina efficientia felicitas maneat, quis labor, & quæ laboris requies expectet, prædicens declarauit, quidnam de ſe futurum ſapientia & potentia mundi intellexerit, quidnam & quantum præſagire poßit, rogat.

Accedant, & nuncient nobis quæcunque ventura ſunt: priora quę fuerint nunciate: & ponemus cor noſtrum, & ſciemus nouiſſima eorum.

Cognitionis ac ſcientiæ ratio ex præteritis ac futuris petitur: namq; præſentium, & quæ oculis iam ſpectantur, ſenſus magis & euidentia quàm ſcientia eſſe dicitur. Præterita ad cauſarum rationem referuntur, futura effectum & euentum ſpectant. Ait verò Vates Gentium ſapientes non minùs præteritorum, quæ ad ſe pertinerent, cognitione, quàm futurorum præſagione deſtitutos eſſe: cùm tamen ipſe, principio altiùs, hoc eſt, à Iacobi vſque & Abrahami hiſtoria repetito, omnem populi ſancti rerum ſeriem declarauerit præteritam, & prædixerit futuram; cùm tamen gentium ipſos, vel doctiſsimos, magna præteritorum temporum laboraſſe inſcitia conſtet: vtpote qui non modò mundi ac rerum omnium principia, ortus, & cauſas, imò & auctorem vel ignorarint, vel multis falſis interiectis, confusè ac perturbatè cognouerint; ſed ſuas ipſorum origines, rerum ſuarum ſeries & vitia, & modos, atq; initia ipſa, velut ex ſuis ipſorum arguuntur hiſtoriis. Ex quo conſequitur eos nec prima ſua ſcire, & intrepidè niſi magna audacia, & multis mendaciis declarare poſſe: quare & longè minùs poterunt, quæ ventura ſibi ſint, prædicere; niſi vana tantùm augurentúr ac dubia, vel quæ nullo ſint demùm probanda euentu. Quiſquis cauſam nouit cōſequentem, idem nouerit ac diuinabit effectum: quæ maior ac nobilior ſciendi ratio putatur. Quiſquis престereà effectum nouerit certum, cauſam quoque vnde effectum ortum habebit, noſcet. quæ, quanquam non ita ingenua, tamen ſcientia quoque dicitur. Quod verò dicit, & ponemus cor noſtrum, & ſciemus nouiſſima eorum. *perſtat in argumentationis atq; demonſtrationum ratione.* ponere cor, *Latinis, mentem adhibere, & ratiocinari dicitur. Ait verò, ſi vos, vel præterita veſtra à principio rectè ſubducta habetis, cauſasq; veſtrarum cognoſcitis rerum, indicate nobis; vt inde ratiocinando futura etiam prædici poſſe intelligamus. hoc eſt,* & ſciemus nouiſſima eorum. *Ita Iſaias à Iaacobi vocatione initio ſumpto, quid futurum tandem Iſraelem ſuũ ſpectaret, prædixit: nec minùs certam de futuris prædictionem cecinit, quàm veram de præteritis texuerat hiſtoriam; vtpote qui Deum auctorem canendo, narrando, ac prædicendo referebat & ſequebatur. id quod nec gentium ſapientes ex ſe proferre, nec ab iis quos pro diis colebant, reſponſum referre verè poterant.*

Annun-

Annunciate quæ futura ſunt in futurum, & ſciemus quia dij eſtis vos. NAM *futura noſſe diuinæ tantùm tribuitur naturæ: quod cùm facere nequeant, dij non eſſe, vel ipſo arguuntur ſilentio.* quæ ventura ſunt in futurum. *Ex verbo*, ventura ad retro: *nam hoc loco ventura, pro poſterioribus, & ad retro pro præteritis exponere, ratio poſtulat. Si ventura dicitis, & cum iis quæ antè fuerant, cōponitis*, ſciemus quòd dij eſtis vos. *Qui verò ſuis cultoribus nec præterita, nec futura declarare queunt; iidem profectò nec nocere, nec prodeſſe iiſdem ipſis valebunt; nedum Iſraeli & populo ſancto quicquam vel boni inferre vel mali. Timorem eorum ne timueritis, dicebat ſuis eodem hoc argumento Apoſtolus.*

Bene quoque ac malè, ſi poteſtis, facite: & loquamur, & videamus ſimul. VTRIVSQVE *partis tum ſcientiam, tum virtutem ad comparationem vocat. Diuinæ naturæ duæ res neceſſariò tribuuntur: altera eſt cognitio ſapientiaq́ pleniſſima & abſolutiſſima: altera verò, virtus & efficacitas; qua vel prodeſſe cultoribus poſſit ſuis, vel obeſſe contemptoribus: propter vtramq́ autem amore, adoratione, & cultu, ac timore ſuſpicienda habetur. Vtrumque Deo ſuo, hoc eſt, Iaghacobi regi perpetuum propriumq́ eſſe dixerat atque oſtenderat Vates: contra verò vtrumq́ iis, quos deos gentes putabant, eſſe pernegat. atq́ ita humanam ſapientiam à notitia & cognitione Dei Iſraelitarū alienam, plerumq́ incertam, multis vanam, plurimis inutilem partibus, arguit & improbat Vates.*

En vos eſtis ex nihilo, & opus veſtrum ex eo, quod non eſt: abominatio eſt qui elegit vos.

VIDETVR *cum diis loqui: quos cùm eſſe neget, & antè conſtantiſſimè negauerit, fruſtrà nunc alloquetur. quare gentium ſapientes hoc loco interpellatos & redargutos intelligimus: quorum cùm omnis de præteritis cognitio incerta, de futuris verò non obſcuro modò, ſed vana etiam; tum verò augurandi ac diuinandi doctrina & ars omnis prorſus vaniſſima futilis, & irridenda: quamquam in hoc etiam genere Chaldæa numeretur diſciplina: quorum principia & fundamenta mera nituntur falſitate. Namque Aſtrologorum iſtorū ſcientia omnis humana fide tantùm ac traditionibus antiquiorum nititur: traditionū autem iſtiuſmodi vanitatē ſi nunc indicare vacaret, iuſti nobis opus eſſet voluminis. Verùm illud ſatis eſt, quod à Cicerone in libr. de diuinatione refertur, Chaldæos affirmare, ſe vltra quadraginta millia annorum in hominum horoſcopis obſeruandis poſuiſſe. Qua vanitate cùm nihil vanius dici poſſit, iure ſummo dicitur ab Iſaia, Ecce vos ipſi, qui vel veſtram rem, vel antiquitatem originemq́ veſtram ignoratis, quamquam ſapientiæ iactetis nomen & titulum, tamen* eſtis *hac in parte* ex nihilo, & opus veſtrum, *quod in iſtis diſciplinis inſumitis*, ex nihilo eſt: & qui vos *conſulturus* elegit, *non modò abominabilis & ſacer, ſed ipſa profectò* abominatio eſt. *Hoc in verſu vbi nos legimus*, ex eo, quod non eſt, *exemplar habet* MEEPHAGH, *ex* EPHAGH. *atq́ verbum* EPHAGH *aliquando ſignificat defectum, & id quod non eſt, vt rectè noſter vertit interpres: interdū ſignificat virus & venenū, quale ſerpen-*

ſerpentes noxij euomere ſolent. Vtrumque autem ſignificatum ad eandem apud hunc Vatem ſententiam apprimè facit: namque iſtorum ſapientum opus ex nihilo prorſus eſt, quod ad vtilitatem & veritatē attinet: quod verò ad nocumentum, ex veneno eſt ſuperſtitionis & vanitatis homines dementātis & interficientis. Vnde fit, vt qui illos optat, ſibiq́ magiſtros conſulit, abominatio *verè ſit, quales illi fuerint qui ſerpentis veneno delectantur. habet etiam affinitatem cum verbo* PAGH, *quod vociferari, clamare, ac tumultuari ſignificat. Atq; hac ſignificationis parte vana iſta ſapientia mera verba eſſe notatur; quæ iis dantur, quibus illa conſulitur. Iam verò cùm ex altera comparatorum parte nihil quod laudem mereatur, nihil quod veritatem atque virtutem probet, produci poſſe oſtenderit, quantum & notitiæ & efficacitatis ex parte ſua probauerit, ac probaturus demum ſit, ſubiungit:*

Suſcitaui ab Aquilone, & veniet ab Ortu ſolis: vocabit nomen meum, & adducet magiſtratus quaſi lutum, & velut plaſtes conculcans humum.

Scientiam & ſapientiam, atq; virtutem & efficacitatem ex præteritarum indicatis exemplis rerum, atq; ex futurarum prædictis & præſtandis rationum euentibus declarari aiebat Vates. id quod à ſe manifeſtè præſtitum ac præſtandum demùm profitetur Deus, hiſtoria ex præteritis temporibus allata, quam etiam anteà prædicendam curauerat, & re magna in poſterum promiſſa, quam non minus certam & conſtantem præteritis fore pollicetur. Quo tempore oracula hæc Vati noſtro dictabantur, decem Iſraelitarum tribus iam abductæ, & in varias terrarum partes diſiectæ erant. Idq́; factum opera regis Aſſyriorum, quem ab Aquilone excitatum, & ad illius gentis caſtigationem adductum, ac longè antè Iſraelitis prædictum conſtabat. Hoc pacto ſapientiam, virtutem, iuſtitiam & veritatem ſuam ex præteritis exemplis palàm ſpectatā Deus aſſeuerat. Suſcitaui ab Aquilone *Aſſyrium regem, diuinæ indignationis vindicem. Eadem ſapientia verò & eadem virtute & efficacitate Meßiam regemq́; ſuum illum multoties appellatum, ſibi vocatum & adductum iri promittit; qui, vt Aſſyrius rex ex diuino conſilio hoſtibus diſiectis imperium obtinuerat, regnū ſuum illud euangelicum ab initio mundi promiſſum, firmaturus eſſet, longè illuſtrius & præſtantius regnum, vtpote cæleſte, quàm Aſſyrium illud fuerat imperium; tantoq́; magis firmandum, quàm terrena imperia, quanto propriora magisq́; maieſtatem ac bonitatem diuinam decētia ſpiritualia quàm corporea ſunt. Vt itaque ego terreſtrem illum imperatorem* ſuſcitaui ab Aquilone, *atq; à conſilio arcano (vtrumque nomen* TSAPHON *ſignificat) ita* veniet *vltrò* ab ortu ſolis *ille magnus Rex, ille iuſtitiæ Sol, qui & idem* Oriens *dicitur. Magnum* IESV *Chriſti myſterium, antiqua lectio hoc in loco indicat. Namque nomen* SEMES, *pro quo ſolem Latini reddunt, ita in oratione collocatum eſt, vt ſine vlla mutatione in recto & in obliquo verti Latinè poßit, atq; ita ex vtroque caſu pulchram & veram ſignificationem præbeat: namq; Chriſtus apud Vatem alium, Iuſtitiæ ſol dicitur, in cuius*

aliis aſſeueratur ſanitas, idem Chriſtus à Zacharia Oriens ex alto *dictus eſt: tum propter illius generationem ex Patre Altiſsimo profectam; tum etiam propter antiquiſsimum & altiſsimum Dei conſilium, quo ipſe venturus decernebatur. Hunc autem à conſtitutione mundi ad publicam ſalutem deſtinatum, eundem ab ortu ſolis venturum intelligit Vates, eundémque Orientem atq; Solem vocandum; & quantum res ipſæ, atq; rerum vaticinia ſecum conuenire & cohærere ſolent, ad hunc eundem Vatis huius locum Zacharias, Iohannis pater, vaticinando videtur reſpexiſſe. Iam verò quale in vtriuſque aduentu diſcrimen expectari conueniat, e veſtigio declarat Vates. Et quidem Aſſyrius imperator, quanquam à Deo ad gentium correptionem excitatus fuerat; tamen potentiæ atq; imperij decus ac nomen ſibi arrogauit, quo de ingrati animi vitio à Vatibus iam aliàs eſt accuſatus: verùm enimuerò ille alter, qui porrò venturus hoc loco prædicitur, vltrò veniet, & volens aderit: vt qui eiuſdem cum Patre voluntatis conſiliíque eiuſdem compos fuerit. & quamquam idem ſit, per quem omnia, & in quo omnia; ſuam tamen gloriam priuato nomine ſibi non quæret, aut arrogabit: neque regnum ſibi humanum vel terrenum appellabit; imo nec in ſuo ipſius nomine quicquam facere ſeſe iactabit: ſed* vocabit nomen meũ. *id quod à principio, atq; adeò à primo ſuo, quem audire in Euangelio eſt ſermone,*
Lucæ. 2 *ſtatim profeſſus eſt: Quid eſt quod me quærebatis? neſciebatis, quòd in*
» *iis quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? & quamprimùm Euangelij ſui*
Mar. 1. *mandatum exponere cœpit: Poſtquam traditus eſt Iohannes, venit* IESVS
» *in Galilæam prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: quoniam imple-*
» *tum eſt tempus, & appropinquauit regnum Dei, pœnitemini, & credite*
» *Euangelio. Vt autem ille Aſſyrius imperij ſui hoſtes & æmulos diſſipauit & ſubegit; qui tamen falsò ſibi illam arrogabat felicitatem: Dei hoſtes & aduerſarios omnes longè potentiùs & efficaciùs diſiecturus ac ſubiecturus, imò & ſubacturus prædicitur.*
Pſal. 2. *Sicut de eodem ſcriptum eſt: Aſtiterũt*
» *reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, &*
» *aduerſus Chriſtum eius. & paulò inferiùs: Poſtula à me, & dabo tibi gen-*
» *tes, hæreditatem tuam & poſſeſsionem tuam terminos terræ, & reges eos*
» *in virga ferrea, & tanquam vas figuli cõfringes eos. Hoc idem Deus Iſaiæ dictans, hoc pronunciat loco:* Adducet magiſtratus quaſi lutum, & quaſi plauſtrum conculcans humum. *Qui per Dauidem* ROZZENIM *vocati ſunt, per hunc Vatem* ZZEGANIM *dicuntur. Quoniam verò vtrumq; vaticinium, & de caſtigatione gentis Iſraeliticæ, atq; nationum terræ, & de ſalute publica per Meſsiam ex Iudæis in omnes hominum gentes afferenda, nemo ex ſapientibus mundi vel per illa ſua cõficta & falſa oracula pronunciare potuit; vel per aſtrorum notitiam, vel alias diuinationis vanæ diſciplinas ediſſeruit; conſequens eſt, nec aliam religionem, præter eam quam veri Iſraelitæ colunt, nec aliam ſapientiam eſſe certam & conſtantem, præter eam quam Deus per Vates miniſtróſque ſuos terris communicatam voluit. Id quod ſubiuncta interrogatione, vel admiratione potiùs, docet Vates.*

Quis

Quis annunciauit ab exordio, vt ſciamus: & à principio, vt dicamus, Iuſtus es?

Exordium hoc loco pro præteritis vſurpatur, & principium, *pro conſequẽte ex præteritis: namq; priori loco nomen* ROS *legimus, quod rei caput eſt; poſteriore verò* PANIM, facies *Latinè dicuntur multitudinis numero: quando autem prædictioni euentus concordat, capiti facies adnecti, vel ſubiungi dicuntur. id quod Latini dicunt, pedem & caput vni reddi formæ, hoc loco caput & facies per tranſlationem ſubditur. Nam ſi caput hominis primum inſtituatur aut formetur, nec humana tamen adiungatur facies; mõſtrum potiùs quàm opus perfectum euadit. & in tempore, cùm à capite incipitur ſermo, præteritum ſignificatur, & faciebus futurum. nam priùs apparet caput quàm facies in animalium bene concinnato partu. Cùm verò* LEPANIM, *id eſt,* ad facies, *inchoatur narratio, nulla capitis facta mentione; antiquius indicatur tempus. & ſi abſolutè* LEPANIM *legimus, olim, vel quondam, vel antehac interpretamur. Si verò coniunctim, & in regimine, vt Grammatici loquuntur, vocabulum* LEPANIM, *ſiue* LIPNEI *ſit, tunc anteriora ſignificat. Eſt itaq; hic Vatis hoc loco ſenſus: Quis nam vel vanorum numinum, vel ſapientum & hariolorum ea prænunciauit, quæ in nomine Dei Iaghacob de præteritis iam rebus prænunciata ſunt? quis item de futuris cum præterito congruentibus? Si quiſquam hoc præſtitit, idem cauſam apud nos obtinebit, & dicemus ei:* Iuſtus es, *feremus, inquit, pro illo ſententiam veritatis & iuris. Verùm quòd nemo id ſibi aut alij regionis fidei, præterquam Iſraelitarum, qui verè Iſraelitæ ſunt, adſcribere poſſit: conſequitur hunc ſolùm eſſe verùm & vnicum Deum, & huius veram & ſolidam doctrinam; & ſolos eos veritatis compotes eſſe, à quibus idem colitur, & auditur: aliàs enim.*

Non eſt neque annuncians, [*Deus quiſpiam*] neque prædicens, [*Vates verax*] neque audiens. [*diſcipulus aut gens*, [ſermones veſtros. IMREICHEM, dicta veſtra, *quæ à vobis conſinguntur & pronunciantur: namq;* AMARIM *cogitata pariter atq; dicta ſignificat. In omni autem dicto tria examinantur: auctor primùm, deinde interpres, tertiò auditor. quòd ſi dicto nulla ſubſit veritas, conſequens eſt, nec auctorem, neque interpretem, neque etiam auditorem quicquam valere. Hæc omnia hoc hemiſtichio Vates complexus eſt.* neque annuncians, neque prædicens, neque audiens ſermones veſtros. *Vt autem nemo eſt qui annunciet; ita neque qui prædicat: quare neque qui audiat. id enim quod non eſt, profectò neque prædici, neque audiri cenſendum. Eſt autem argumentatio huiuſmodi breui formula contexenda. Quæ nec præterita rectè nouit, nec futura præteritis rectè componit, ſapientia nec eſt, nec dicitur. item quæ nec prodeſſe poteſt, nec nocere, virtus nulla eſt habenda. Contrà vero, quæ futura prædicit & firmat, ſapientia & virtus iure dicitur. Futurorum verò examen, cùm res euenerit, abſoluitur. Ex duorum futurorum prædictionibus Ieroſolymitano populo nunciatis alterum iam expeditum indicari poteſt: quare & alterum expectari conſentaneum eſt. Ex quo & veræ*

ſapientiæ & virtutis conſtat veritas. Hanc ſecundam argumentationis partem ita confirmat Vates. id quod primùm Sioni prædictum, vel digito commonſtratur. Secũdum verò, quod promiſſum eſt de ſalute publica, præſtabitur etiam; & antequam præſtetur publico nuncio, atq; boni nuncij legato prædicabitur. Hæc ſubiuncti verſus nobis plana ſententia fit.

Primus ad Sion dicet, Ecce adſum, & Ieruſalem Euangeliſtã dabo.

VERBA *ſingula ad primæuam linguam collata ſic habent.* RISON LE TSION HINEH HINAM. Primum ad Sion ecce ecce eos. *Ex linguæ idiotiſmo illud ſignificatur, Quod primùm Sioni denunciatum fuerat, non modò in communi, verùm ſigillatim indice mõſtratur iam digito, de decem tribubus abducendis: quod verò reſtat, id quoque Ieroſolymorum vrbi non oſtendetur modò, ſed præſtabitur.* Ieruſalem Euangeliſtam dabo. *Cuius Euangelij legationis quamplurima exempla ac teſtimonia iam conſtant. vt illud: Si ego in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum* Mat.
" *Dei. &* " *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad*
" *te miſſi ſunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodùm gallina*
" *congregat pullos ſuos ſub alis, & noluiſti? Alterum quidem ex prædictis oraculis, illo iam conſtabat ſeculo, quo hæc à Vate canebantur: alterum item opportunè conſtitit dato illo nuncio; qui & ſalutem nunciauit, & idẽ publicè apud Ieruſalem effecit ac præſtitit. Eſt enim ingens in verbo* ETHEN *ſignificatio: quæ non ſolùm Euangeliſtam præſentem ſiſtẽdum, ſed id, quod Euangelizatum fuerit, verè dandum indicat. Huiuſmodi verborum genuina energia, qui linguarum cognitionem contemnunt, ſæpiſſimè carere coguntur: quam alij vel magno labore ac ſtudio redimendã cenſent. Scimus alios Latinam hanc lectionem ad eandem perſonam & rem κατὰ ἑτέρωσιν referre. Igitur ex iis, quæ ſumpta & aſſumpta iam ſunt, complexio per Vatem abſoluitur, præpoſita primùm remotione aſſumpti in alteram partem probandi. Namque vt ea quæ Sion prædicta fuerant, partim iam ſpectata demonſtrabantur, partim expectanda prædicebantur: ita contrà nihil nec factum, nec demonſtratũ, nec verè de magnis huiuſmodi rebus prædictum à mundi ſapientibus probari poterat. Hoc eſt quod ſubiungit:*

Et vidi, & [*ecce*] non erat, neque ex iſtis quiſquam, qui iniret conſilium, & interrogatus reſponderet verbum.

DVOBVS, *quæ propoſita & oſtenſa iam fuerant in earum partium laudem & comprobationem, quas Iſrael colebat, confirmatis; videlicet ſapientia in promittendo, & virtute in præſtando, duo etiam opponuntur contrariæ negationes ad mundi & mundanarum partium arguendam vanitatem. incipit autem negatio à virtute & robore.* & vidi, & ecce non erat quiſpiã. *In ſacra lingua* VE EREVE AINIS. & videbo, *id eſt, quamquam diu attenteq; inſpiciam, tamen non* IS. *Vocabulum* IS, *virum ſignificat efficacem & ſingularem: quare interdum vertitur in Latinum* quiſquam, *vt hoc loco. nos omnem illius remotam & negatam ſignificationem intelligimus. Vidi, inquit, & nemo quiſquam, nec deus, nec vir fortis aut efficax apud iſtos erat, qui vel bene, vel malè facere poſſet: quod verò ad ſapien-*

pientiam attinet. VMEELEH, & ex iſtis, *id eſt, quod ad iſtorum partes attinet*, neque qui conſilium iniret, & interrogatus reſponderet verbum. *In exemplari lingua* VEESAELAM, & interrogabo eos. *quo tropo prudentiſſimè ſignificat Vates, humanæ ſapientiæ profeſſores imperitorum ac ſibi addictorum hominũ auribus & ſenſibus abuti fortaſſe: verùm prudenti & cordato atq; diuina doctrina imbuto animo minimè poſſe imponere. Nam ſpiritualis homo omnia iudicat, & ipſe à nemine iudicatur. & ,vt* 1.Cor. 2
ille alter Vates aiebat: Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt Pſal.
lex tua. Itaq; verbo & interrogatus *in lectione noſtra ſubaudiendum eſt,* per me. *ex quo manifeſtè illud conſequitur, iſtorum neque vllam veram ſapientiã, neq; vllam efficacem eſſe virtutem: ſed neq; operationem aliquam per ſiderum obſeruationes, aut alias actiones vanas prorſus ac futiles.*

Ecce omnes iniuſti, & vana opera eorum: ventus & inane ſimulachra eorum.

Iniuſti, *cauſa cadentes, quod ad ſapientiæ iactationem facit. antitheton eſt illius ſuperiùs propoſiti,* vt dicamus, Iuſtus es. *quod verò ad vires & efficacitatem,* ventus & inane. NEZZCHEIHEM, mixtiones, *temperationes, ſuffitus, & cetera huiuſmodi, quæ in illorum ſacris factitabantur. pro his omnibus noſter interpres* ſimulachra eorum *rectè vertit, vtpote verè ſimulacra, ſiue ſimulata potiùs & conficta.*

CAPVT XLII.

ECCE ſeruus meus, ſuſcipiam eum: electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea, dedi ſpiritum meum ſuper eum, iudicium Gentibus proferet.

VATICINII *ac ſermonis huius germanum ſenſum ad vnicum illum promiſſum Regem, orbiſq; totius, generis, inquam, humani, ſeruatorem, ex domo ac familia Dauid ſecundùm carnem, vt Euangeliſtæ veriſſimè retulerunt; ita & nos nemini alij præterea concedimus: Verùm intelligimus auctoritatem, partes, ingenium ac mores iam hoc loco à Deo indicari illius à ſe ſuperiùs promiſſi maximi procuratoris, atq; Iſraeliticarum rerum præſidis, qui ab ortu ſolis prædicebatur venturus. Vt enim ſecundùm carnem ab hominibus cognoſceretur, nec alius pro eo ſuſciperetur Antichriſtus, deſcriptione & animaduerſione prædicenda Deus auctor proſpexit. Nam quamquam aliqui aliàs & Reges & Vates fuerint, quibus mores atque animaduerſiones huiuſmodi ex parte adſcribi poſſent: omnes tamen ad plenum nulli, præterquam vni* IESV *Chriſto tribuuntur. quam rem à Matthæo, Euangelij ſcriptore, ſingulari verbo adnotatam obſeruare eſt in hanc formulam,* VT ADIMPLERETVR quod dictum eſt per Iſaiam Prophetam dicentem, Ecce puer meus, &c. *Et quidem in vtriuſque lectionis verſione apud hunc Vatem, & apud Matthæum verborum nonnulla, ſententiæ verò nulla adnotatur differentia. Nam* puer & ſeruus *nomina, ſæpè eandem rem rationemq; ſignificant. Tres illi celebratiſſimi apud Babylonium regem famuli, non ex ætate, ſed ex munere, & perſona pueri vocitan-*

tantur. Chriſtus autem IESVS *quamquam ex diuinitate Deus Deoq́; Patri æqualis verè dicatur; tamen idem ſemetipſum exinaniuiſſe laudatur, formam ſerui accipiens, & habitu inuentus vt homo, electus ac deſtinatus ad humani ſalutem generis à conſtitutione mundi: in quo Deus omnia virtutis atq; efficientiæ ſuæ munera & auctoramenta locauit. id quod vnico verbo ad efficacitatem referendo, apud hunc Vatem indicat Pater,* ſuſcipiā eum. *in exemplari lingua* ETMACHBO, tenebo eum. *Verbum* THAMACH *ſæpiſſimè in poteſtatis & auctoritatis ratione vſurpatur, & cum nomine* SEBET, *hoc eſt, ſceptro coniungitur. Itaque paternam poteſtatem omnem filio huic vnico, atq; voluntatis diuinæ efficientiſſimo miniſtro datum iri ſignificat.* Electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea. *Hoc idem de* IESV *ex Dauide ſecundùm carnem prognato ex virgine ſanctiſſima nato bis publicè teſtatus eſt poſtea Deus: apud Ioannem Baptiſtam ſemel, & iterum apud quinque alios teſtes; Moſem, Eliam ex iam vita defunctis terrena, Petrum, Iacobum, & Iohannem ex viuentibus adhuc in humanæ conditionis carne & ſenſu.* dedi ſpiritum meum ſuper eum. *Verbum præteritum certiſſimam & perpetuam diuini ſpiritus copiam* IESV *Chriſto à principio vſque conſtitiſſe indicat. Scimus autem Dei Spiritum diuinum, ac diuinitatem ipſam eſſe, eandemq́; efficaciſſimam: quam huic* IESV *Nazareno conſtare idem Pater Iohanni Baptiſtæ à ſe præmoni-*
Ioan. 3. *to probauit. Et teſtimonium perhibuit Ioannes, dicens: Quia vidi ſpiritum*
» *deſcendentem quaſi columbam de cælo, & manſit ſuper eum; & ego neſcie-*
» *bam eum: ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem*
» *videris ſpiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt qui bapti-*
» *zat in Spiritu ſancto. Et ego vidi, & teſtimoniū perhibui, quia hic eſt Fi-*
» *lius Dei. Verbis autem aliqua ex parte exponendis, & Vatis huius & Euangelicæ citationis explicabitur ſententia.* Suſcipiam eum. *diximus à ſceptri vſu & auctoritate verbum hoc vſurpatum: Sceptrum verò Principis, auctoritatem ſignificat, & iura dicenti, aut imperio aſſiſtenti fulcimenti*
Ioan. 14. *vſum præbet. ita de hac re ad Philippum* IESVS: *Non credis quia ego in Pa-*
» *tre, & Pater in me eſt? Verba quæ ego loquor vobis, à me ipſo non loquor:*
» *Pater autem in me manens ipſe facit opera.* Electus meus. *qui ad magnas conficiendas res optatur,* BEHHIR *in ſacra vocatur lingua. Hunc autem Deus optatum ſiue delectum ſibi nominat. quo vocabulo ad maximū ſuum opus de humana ſalute hunc ſolùm idoneum declarat, hunc ſolum prorſus gratiſſimum: quod nemo hominum ſibi arrogare potuerit. nam quiſquis gratus Deo verè dicitur, ex communicatione gratiæ huius illud obtinet. ſi-*
Ioan. 1. *cut & Iohannes profitetur, Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, &*
» *gratiam pro gratia. Atq; hoc elogio omnes homines huic audire & obtemperare monentur, quicunque Deo grati & cari euadere ſtudeant. id quod in teſtimonio altero per diuinam vocem edito, declaratum eſt. Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Ipſum audite. Verbum* RATSTHA, *pro quo Latinus vertit* complacuit, *gratiam, amicitiam cum iucunditate omni exceptione alienam ſignificat. vnde* RITSON *nomen, quod compla-*

cen

centiam & bonam voluntatem atque integram amicitiam Latinè dicere poſsimus. quod frequentiſsimum in ſacrificiorum litationibus eſt: idemq; ab Angelorum choro in illo lætiſsimo genethliaco cantu vſurpatum: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: ſiue, bona voluntas. ad quam illud D. Pauli dictum referimus, Reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona & beneplacens, & perfecta. Dedi ſpiritum meum ſuper eū. *Diuino ſpiritui ſapientiam, virtutem, & bonitatem omnem ſacra diſciplina tribuit. quas omnes partes & efficientias aliàs apud hunc Vatem ex ſimplici ſenſu explicuimus: nam ſpiritualem ſenſum, quando Deus ipſe volet, explicandū, ſiue indicandum commonſtrabit. Hunc autem ſuum Chriſtum, hoc eſt, Spiritu ſuo ſancto inunctum, non modò Iſraelitis ſecundùm carnem, ſed omnium nationum gentibus doctorem, ſeruatorem, ac regem & iudicem à ſe conſtitutum declarat hoc loco Deus,* Iudicium gentibus proferet. *Miſericordiæ diuinæ optionem omnibus gentibus propoſiturum pollicetur: neminem coactum, neminem nolentem & reluctantem violenter cogendum; neminem, niſi ſua culpa & contumacia, damnandū; credentes & obſequentes ad regni communionem transferendos, indicans. Namq;* MISPAT, *non violentiam, aut coactionem belluarum naturis conſentaneam, ſed iudicium hominis natura & ſimplici ingenio dignum ſignificat. Nolite fieri ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Cuiuſmodi autem iudicium iſtud futurū eſſet, idem de quo ſermo nunc fit, explicuit.* IESVS *autem clamauit, & dixit: Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum qui miſit me: & qui videt me, videt eum qui miſit me. Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Et ſi quis audierit verba mea, & non cuſtodierit, ego non iudico eum: non enim veni vt iudicem mundum, ſed vt ſaluificem mundum. Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum: ſermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſsimo die. Quia ego ex me ipſo non ſum locutus: ſed qui miſit me, Pater, ipſe mihi mandatum dedit quid dicam & quid loquar. & ſcio quia mandatum eius vita æterna eſt. quæ ego loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor. Idem etiam paulò antè dicebat: Nunc iudicium eſt mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Sunt autem duo nomina in ſacra lingua,* DIN *&* MISPAT, *pro quibus Latini promiſcuè reddere ſolent* iudicium: *ſed* MISPAT *in ipſo iure dicendo & excutiendo propriè vſurpatur, & non ſolùm iudicibus, verùm omnibus hominibus conuenit & aptatur in communi vitæ ac ſocietatis ratione.* DIN *verò iudicum tantùm eſt, & pro damnatione non rarò accipitur: Cum itaque* IESVS *iudicium ſe exercere negat, ad vocabulum* DIN *referendus eſt ſermo. vt ille: Quomodo effugietis à iudicio gehennæ? Cùm iudicium proferre & annunciare ait, ex iuſto & æquo ſe agere, & pacem ac miſericordiam curare profitetur: & ex ſignificatione* MISPAT *explicanda ratio eſt. A verbo* DANA, *ſiue* DVN *Latinorum* damnare *ortum arbitramur. Et de ornamentis, auctoritate & officio Euangeliſtæ illius à Deo promiſsi, hæc breuiter indicata ſint: de ingenio autem & moribus,*

Rom 12.

Sup 8.

Pſal.

Ioan 12.

bus, atque conſuetudine illa, quæ ſubiunguntur, animaduertenda & admiranda dictat Vati Deus. In tanta illius legati dignitate, in tanta auctoritate & facultate (quæ aliàs inter homines terrori & pauori futura eſſent) qualem ſe iſte præbebit, quàm facilem atq; æquum, quàmq; modeſtũ ac mitem, quàm tractabilem, imò & quàm amabilem, attendite.

Non clamabit, nec accipiet perſonam, non audietur vox eius foris. Calamum quaſſatum non confringet, & linum fumigans non extinguet: in veritate educet iudicium.

IN *Gentium regibus ac principibus, inq; iſtorum famulis, & magnis miniſtris potentiæ & auctoritati vicina vis eſſe ſolet: nam etiam cùm rogat princeps, imperare dicitur: neque omnia apud illos ex iudicio, ſed complura* Luc. 22. *ex voluntate & imperio geruntur. S. S. E. Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem exercent inter eos,* [NEDIBIM] *benefici & magnifici vocantur. Quod ſi quiſpiam, quamuis rariſsimus, reperiatur ab iniuria facienda, & ab inferenda vi alieniſsimus, tamen hic æmulus & aduerſarius rarò parcit; & ſi non rebus, tamen verbis, vocibus, & clamoribus timendum ac verendũ ſe præbere ſolet: id quod ex ipſorum diſciplina vnum caput eſt. & qui nolunt occidere quemquam, poſſe volunt. Hic tamen diuinus Euangeliſta, hic maximus diuinarum atque humanarum rerum curator, hic diuinus miniſter, Deo gratiſsimus & acceptiſsimus cùm ſit æqualis Deo, vtpote Dei Filius, munus tamen officiumq; ſuum ſumma comitate, manſuetudine, ac lenitate, ac nihilominus integra fide & auctoritate, peracturus declaratur: ita vt neque facto quemquam hominum lædat, nec peccatores etiam perdere velit; ſed reuocare & curare ſtudeat: nec etiam voce quemquam terreat, monendi potiùs quàm iurgandi, miſerandi quàm damnandi; ſanandi quàm perdendi ſtudioſiſsimus.* Lucæ 19. *Venit enim filius hominis „ quærere, & ſaluum facere quod perierat. Peccatores erant Zachæus publicanus, & mulier illa, quæ recumbentis* IESV *inunxit pedes, peccatores alij, quibus cum comedere & bibere arguebatur: quorum pars calamis quaſſatis, pars verò fumiganti lino perſimilis: verùm neque illos confringere, neque hos extinguere, ſed vtroſque ad vitam & ſanitatem quam afferebat, & ad* Mat. 9. *vitæ ac ſanitatis præuiam cũ fide pœnitentiam reuocare ſtuduit: Et factum „ eſt, diſcumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores diſcumbebãt „ cum* IESV *& diſcipulis eius. Et vidẽtes Phariſæi, dicebant diſcipulis eius: „ Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magiſter veſter? At „* IESVS *audiens, ait: Non eſt opus valentibus medicus, ſed malè habentibus. „ Euntes autem diſcite quid eſt, Miſericordiam volo, & non ſacrificiũ: Non „ enim veni vocare iuſtos, ſed peccatores. Et quidem ex hoc dicto conſequitur quaſſatum calamum & linum fumigans, quodcumque perierit, ſua perire culpa: non vi aut ſtudio eius, qui ſalutem potiùs & reuocationem curat. Cuius potiùs ſtudium eſt iudicium proponere, & miſericordiæ offerre conditionem, quam qui neglexerit, ipſe ſibi alterum iudicium* DIN, *hoc eſt, damnationem vltrò molitur. hoc eſt quod per Vatem Deus indicat,* in veritate educet iudicium. *veritatem hoc loco interpretamur, de qua teſtimonium*

monium perhibiturum ſe veniſſe IESVS *Chriſtus coram Pontio Pilato profeſſus eſt: hoc eſt, promiſſorum diuinorum de humana ſalute conſtantiam & præſentem copiam. Hæc diuini Euangeliſtæ in orbem terrarum delegati & miſſi in officio faciendo ratio obſeruanda prædicta eſt; cui etiam viri ipſius ingenium, mores, atq; conſuetudinis modus adiungitur.*

Non erit triſtis neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium: & legem eius inſulæ expectabunt.

Euangelici iudicij æquitatem, veritatem, & vtilitatem ſummam, ſumma quoque Euangeliſtæ huius, de quo agimus, æquitate, lenitate, & manſuetudine proponendam, atq; ſumma eiuſdem alacritate; facientis videlicet Patris voluntatem ſui. Meus cibus (inquit ille) eſt, vt faciam voluntatem eius qui miſit me. Ioan. *id quod ſedato animo, ac morum & conſuetudinis comitate maxima acturum, imò & peracturum, pollicetur Deus.* neque turbulentus. *Nihil in tota* IESV *Chriſti hiſtoria, quod cum hac deſcriptione pugnet, indicare poteſt quiſquam. idq; morum & ingenij, atq; conſuetudinis perpetuum exemplum tamdiu exhibuit* IESVS, *quamdiu ſuas, Euangeliſtæ, atq; etiam Seruatoris peregit partes. Vox* donec, *idē hoc loco ſignificat quod* quamdiu, *vel* quoad, *vel* interim dum: *neque tamen ex eo argui poteſt, poſtea triſtis vel turbulentus fuiſſe. Namq; huiuſmodi oratio ſigni coniuncti rationem & vim obtinet: quæ poſtea ſuperuacanea & præter rem habetur. vt, Non peperit Michol donec mortua eſt. quis dicat eam poſt mortem peperiſſe, cùm id in vita, non in morte expectari oporteat? Duo autem, imò tria, adnotanda breui carmine comprehenſa. Primum eſt, qua modeſtia, qua lenitate, & grauitate Chriſtus Dei Euangelij munus executurus eſſet. Secundum, vbinam, & quàm diu eſſet acturus. Tertium quatenus illius muneris ratio & vtilitas pertineret. Primum iam explicuimus. Secundum eſt, illum in Iſraelitarum terra & gente ſuum Euangelicum tractaturum & perfecturum iudicium. S.S.E. In viam gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne introieritis: ſed ite potiùs ad oues, quæ perierunt de domo Iſrael. Hoc autem Deus ita agendum, prædicturo dictauit Vati noſtro.* Donec ponat in terra iudicium. *Terram Iſraelis hoc loco intelligimus: in qua primùm Euangelici iudicij cōuentus per Chriſtum, & Chriſti Apoſtolos celebrandi erant. Et circuibat* IESVS *totam Galilæam docens in ſynagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & ſanans omnem languorem, & omnem infirmitatem in populo: Et abiit opinio eius in totam Syriam: & obtulerūt ei omnes malè habentes variis languoribus & tormentis comprehenſos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos: & curauit eos. Et ſecutæ ſunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & de Ieroſolymis, & de Iudæa, & de trans Iordanem.* Mat. 4. *His enim regionibus, quæ quondam ab Iſraelitarum tribubus habitabantur, Euangelici iudicij nunciator, & promulgator deſignatus fuerat Chriſtus. id quod ipſe tum præſens, tum per Apoſtolos præſtitit ſuos. Poſt hæc autem deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos; & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem & locum, quò erat ipſe venturus.* Lucæ 10.

Et quidem cùm Euangelij iudicium, quod ad omne genus humanum pertinebat, ita diuinitùs fuerat ordinatum, vt primus ipſe & maximus Euangeliſta terræ Iſraeliticæ, & ipſe præſens & per nuncios ac deſignatos prædicaret; inde verò ad omnes tranſmitteret orbis nationes: quarum primam ſcholam Hieroſolymis inſtitutam Deus voluit. S.S.E. Audi Iſrael, Dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. Atqui, quo die Spiritus Dei ſanctus in Chriſti diſcipulos deſcendit, nullam fuiſſe nationem, cuius incolarum aut hoſpitum bona pars rei miraculo non interfuerit, ſacra narrat hiſtoria. Ex omni, inquit, natione, quæ ſub cælo eſt. Iam verò aliàs docuimus, terrarum orbem tribus diuiſum partibus, medio intercipi mari: partium omnium Aſiam eſſe maximam, quæ tota pedite peragrari poßit; inde verò ceteras nauibus quàm pedibus commodiùs adiri: ea autem loca, quæ ex Aſia ac Syria nauigantibus petuntur, IIM *in ſacra lingua vocari, pro eoq́ nomine Latinos* Inſulas *reddere, adnotatum eſt. Ex hoc, aliisq́ vaticiniis conſtat, Chriſti doctrinam ab ipſo doctore præſente & agente apud Iſraelitas diſſeminandam, gentes verò non Chriſto peragrante, ſed vel per famã, vel per nuncios & Apoſtolos atq́ miniſtros ad doctrinæ ac ſalutis communionem vocandas. De priore itaq́ officio ita reſpondet Vates,* donec ponat [*ipſe*] in terra iudicium: *de altero verò munere & miſericordiæ erga gentes dono.* & legem eius inſulæ expectabunt. *Quem locum ita Paulus explicat: Deus autem patientiæ & ſolatij det vobis*
» *idipſum ſapere in alterutrum ſecundùm* IESVM *Chriſtum, vt vnanimes*
» *vno ore honorificetis Deum, & Patrem Domini noſtri* IESV *Chriſti. Pro-*
» *pter quod ſuſcipite inuicem, ſicut Chriſtus ſuſcepit vos in honorem Dei.*
» *Dico enim Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circuncisionis propter veri-*
» *tatem Dei ad confirmandas promißiones patrum. Gentes autem ſuper mi-*
» *ſericordia honorare Deum. ſicut ſcriptum eſt: Propterea confitebor tibi in*
» *gentibus Domine, & nomini tuo cãtabo. & iterum, Lætamini gentes cum*
» *plebe eius. & iterum, Laudate Dominum omnes gentes, magnificate eum*
omnes populi. & rurſus Iſaias ait, Erit radix Ieſſe, & qui exurget regere
» *gentes: in eum gentes ſperabunt. In hanc etiam ſententiam Iſaias anteà di-*
» *xerat: Et fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent:*
» *Venite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob: &*
» *docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius: quia de Sion exibit*
» *lex, & verbum Domini de Ieruſalem: & iudicabit gentes, & arguet popu-*
» *los multos. Legem autem quam hîc ab inſularum cultoribus, hoc eſt, à gentibus expectandam ait, Euangelicam illam interpretamur legem, quæ antiquæ legis abſoluta perfectio eſt: de qua Apoſtolus, Lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati & mortis. & alio in loco: Ego enim per*
» *legem legi mortuus ſum. Atque hanc Chriſti legem à Gentibus expectandam, prædici Deus iubet: quam quidem primam Gentes acceperunt, qui anteà diuinæ prioris legis, quam ſcriptam dicere ſolemus, communione carebant.*

Inf. — Act. 2. — Rom. 15. — Sup. 2. — Rom. 8. — Gal. 2.

Hæc dicit Dominus Deus creans cælos, & extendens eos: firmans

mãns terram, & quæ germinant ex ea: dans flatum populo qui eſt ſuper eam, & ſpiritum calcantibus eum.

Quæcunque in ſuperioribus verſibus de Chriſto prædicta ſunt, maxima, & non ex communi exemplo fore, audientibus omnibus videri meritò poſſent. vt electio illius vnici ac ſingularis ſerui, qui ſolus Dei animæ complaceret: qui præter omne manſuetudinis & modeſtiæ exemplum modeſtiſſimus & mitiſſimus humiliſq; corde cognoſceretur: qui diuinum iudicium in terra poneret, & Gentibus legem expectandam dictaret; legem, inquam, nouam ſpiritus vitæ. Quæ omnia non niſi diuina ac ſingulari virtute præſtari & confici poterant: quippe quandam præferebant in mundo nouitatem. id quod ita habere, Deus per Vatem nunc aſſeuerat, & opus tantùm ſibi adſcribit: cuius virtutem, ſapientiam, & efficacitatem pulcherrimi huius viſibilis mundi creatio, & admirabilis gubernatio docet: conſentaneum verò eſſe atque aſſenſione ac fide digniſſimum, eandem ſapientiam, eandem virtutem ad nouas res edendas valere, quæ ad antiquas efficiendas & conſeruandas valuit ac valet. Atque ad hanc rationem tractandam, ex diuinis nominibus illud ſingulariter appellatum eſt, quod ſacroſanctam & infinitam Dei virtutem & efficacitatem ſignificat, idq; cum ſingularitatis aduotatione pronunciatum: huic etiam illud adiunctum eſt, quod ad miſericordiam, ad promiſſi liberalitatem, & euentus veritatem referri ſemper commemorauimus. Sic dicit HAEL IEHVEH, *quæ nomina ſibi perpetua conſtare declarat: ex eorumq; præſtantia mundum factum ait, & cùm plenitudo temporis acceſſerit, reficiendum pollicetur. Quid autem hic* EL, *& hic* IEHVEH *fecerit, breuiter per ſummas & præcipuas rerum partes indicat.* creans cælos. *participium nominis locum ac vicem hic obtinet* cælorum creator *ex nihilo: nam qui vocat ea quæ non ſunt, vocataq; exiſtere facit,* BORE *dicitur. Quod verò non omnium cælorum eadem vis, eademq; animaduertatur efficientia, ſicut nec idem omnino motus aperit: ideò ſingularitatis quoque nota* HE *cælorum nomini præfixa eſt, hac ſignificatione,* ſingulorum cælorum creator. *Cælorum verò orbibus mundum omnẽ concludi, & ambiri illud ſignificat,* & extendens eos. *aliàs à Pſalte idem vſurpatum eſt in eadem re verbum. Extendens cælos ſicut pellem.* Pſal. 103.
In exemplari lingua vocabulum NOTEIHEM, *non abſque ſignificatione interiectam retinet Iod, pluralis numeri ſignum: quo cælorum extenſio non vno eodemq; modo facta eſſe indicatur. Verbum autem* NATAH, *pro quo* extendere *hoc loco vſurpauit interpres, non modò extenſionem vel expanſionem ſignificat, ſed motum cum reſpectu, & pertenſionem ad aliquid, vt ita dicamus* inclinationem *quoque ac* declinationem. *nec Latinis etiam huiuſmodi ſignificatio inaudita: nam famam, imperium, poteſtatẽ, & alicuius rei vel perſonæ virtutem, efficientiam, & ius ad multa vel ad pauca, aut longè, aut quadantenus dicimus extendi. Itaq; eodem verbo & variam extenſionem, & multiplices cælorum motus, inclinationes, reſpectiones, atque adeò efficientias, &, quod præterea in illius linguæ maieſtate miramur, ipſum participium* NOTEIHEM *inclinatores. & motores cælis à Deo*

 crea-

creatos, datos, & conſtitutos indicat. atq; ita vnum vocabulum omnia hæc attentè animaduertentibus conſignificat, extendens eos, extenſiones, extentores, motores, inclinatores eorum. *quæ omnia plenam ac cœleſtibus rationibus diſciplinam veritatemq; complectuntur; tantum abeſt vt pugnent.* Firmans terram. *Verbum* RAKAGH, *non ad ſtabilitatem præcipuè pertinet: de qua aliàs legimus, Qui fundauit terram ſuper ſtabilita-* [Pſal.103.]
,, *tem ſuam, non inclinabitur in ſeculum ſeculi. Sed ad ſitus ac ſoli varietatem, atq; adeò firmitudinem, montibus, collibus, vallibus, conuallibus, campis, cum vniuſcuiuſque harum partium certa ratione & opportunitate admirabili. namq; idem verbum hoc loco vſurpatur, à quo* RAKIAGH *deriuatur: quod interpres noſter in* firmamentum *vertit. quid verò & quale firmamentum dicatur, iam aliàs declarauimus.* [Magni operis corpore, part.1.] *Et quoniam ex cœlorum inclinationibus, ac terræ varia conformatione, magna & admiranda diuerſarum copia rerum oritur; atque omnia hæc diuinæ efficientiæ accepta referuntur: ſubiunctum eſt*, & quæ germinant ex ea. *Elegans & amplum vocabulum* TSEETSAEIHA *non modò quæcunque per generationem producũtur, vt plantas, & animalia; ſed omnia omnino quæ in terra fiunt, ex eademq; prodeunt aut effodiuntur, ſignificat. Quippe terra multiplici ſucco, quem ex diuina efficientia ſortitur, innumerabiles rerum formas & naturas parturit, intra ſe concipit, profert, alit; & ſeſe penetrantibus præbet. Horum omnium auctorem ſeſe Deus prædicat; atq; eorundem vſuram non ſibi capere, ſed hominibus vltrò dare ait: quos non modò ad animalem tot rerum facultatem, poteſtatem, & vſum; ſed etiam ad cognitionem, contemplationem, & ſpiritualem actionem ſibi creatos & aptatos conformatosq; declarat.* dans flatum populo qui eſt ſuper eam. *Duplici munere humana anima in corpore humano fungitur: altero vitæ animalis conſeruandæ: id quod perpetua aſpirationis ac reſpirationis viciſsitudo declarat: eademq; intellectum informat, ſuisq; in actionibus inſtruit & exercet. Qua priores præſtat partes* NESAMAH *vocatur; qua poſteriores*, RVAHH *dicitur. Vtrumque autem vni Deo acceptum natura humana refert. à quo vt facta fuit, ita etiam reficienda & perficienda ſuſcepta eſt. Atqui ſpiritus generali & communi nomine non ſolùm ipſum, quem Latini vocant animum intelligimus: ſed facultates etiam animi, cùm communes omnibus vt cognoſcendi, intelligendi, & eloquendi; tum etiam ſingulari Dei dono diſtributas & conceſſas, vt vaticinandi, miniſtrandi, imperandi, gubernandi, & alia plurima agendi & efficiendi; quæ apud Vates & Apoſtolos commemorata legimus. Hæc enim omnia efficit vnus idemq; ſpiritus Dei,* [1.Cor.] *dans ſingulis prout vult. Idem Vates hoc aſſeuerat loco.* Dans flatum [*animam*] populo, qui eſt ſuper eam, & ſpiritũ calcantibus eam. *In exemplari* LE HOLCHIM BAH, ambulantibus in ea. *quem ſpiritũ ipſorum terricolarum vtilitati ſermonis ratio adſcribit.* [1 Cor.12.] *Diuiſiones namq; gratia-*
,, *rum ſunt, idem autem Dominus: & diuiſiones operationum ſunt, idem ve-*
,, *rò Deus, qui operatur omnia in omnibus. vnicuique autem datur manife-*
,, *ſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Verbum* HALACH, *pro quo frequenter ire,*

ambulare & pergere *Latini reddunt, conſueſcere & conuerſari ſignificat ſæpiſſimè; & ad mores identidem transfertur. vt, Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum. &, Ambulans in via immaculata, hic mihi miniſtrabat. Atq; hoc pacto ſpiritum, de quo ſermo eſt, non omni populo, qui eſt ſuper terram, vti ſlatum, dari ſignificat; ſed* ambulantibus in ea, *intelligimus, ambulantibus & conſueſcentibus in terra; non otioſis & inutilibus, ac ſine delectu: ſed quibus ipſe dare vult ad vtilitatem ſuam & aliorum ſua miniſtraturis munera officiumq; facturis. Itaq; omnium creatorem factoremq; rerum ſapientiſſimum & efficaciſſimum, promiſſi ſui fidem liberaturum, & reapſe præſtiturum, hoc etiam vaticinio confirmat.* Pſal. 1. "

Ego Dominus vocaui te in iuſtitia, & apprehendi manum tuam, & ſeruaui te.

Ego Dominus. *nomen illud nunc profitetur, quod miſericordiam & veritatem ſpectat; cùm ſuperiùs virtutis & efficacitatis nomen pronũtiauerit. Ego, inquit, qui ea, quæ facta ſunt, vltrò non antè à me promiſſa edidi; ego ipſe nomen meum illud* IEHVEH *promiſſis vltrò etiam pronunciatis opportunè præſtabo. Huius autẽ nominis ratio duobus abſoluitur exemplis: promiſſionis altero, altero veritatis. de priori,* vocaui te in iuſtitia. *Nomen* TSEDEK *hoc loco iuſtitiam cum clementia, imò & cum miſericordia ſignificat: quæ iuſtitia hominibus Chriſtus eſt, ab Apoſtolo* Dei iuſtitia *vocatus. Qui factus eſt nobis ſapientia à Deo & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. vt, quemadmodum ſcriptum eſt, Qui gloriatur, in Domino glorietur. Hunc autem vnctum ſuum à ſe vocatum Deus ait: quippe quem ab vſque mundi conſtitutione promiſſum in lege, Prophetis, & Pſalmis conſtat. Atq; hoc verbum* vocaui, *præteriti formam & ſignificationẽ in exemplari, & in verſione Latina tenet: quia eo tempore, quo hæc pronunciabantur, iam vocatus erat Chriſtus ad hominum iuſtitiam. Quæ verò ſubiunguntur verba, futurum ſonant: quia verè tunc futurus prænunciabatur Chriſtus: & à Latino interprete propter veritatis conſtantiam præterito tempore ſunt reddita,* Et apprehendi manum tuam, & ſeruaui te, VEEHHEZEK BELADECHA. VEETSORCHA. Et apprehendam in manu tua, & cuſtodiam te. *Neque hîc litera Vau conuerſionis vocales aſciſcit, ſed ſuum ſeu propriam obtinet. Atq; ita Chriſti vocatio Vate & vaticinio hoc longè antiquior affirmatur, vtpote ab illo vſque promiſſo declarata: Ipſum conteret caput tuum. Præſentia verò in terris poſt vaticinium hoc certiſſimè expectanda firmatur ab eo, qui cælum & terram, & ea quæ non fuerant, ex nihilo; & qui lucem è tenebris vocauit, & qui homini animam, animum & ſpiritum dedit. Poteſtatem autem & virtutem, prouidentiam & præſtantiam diuinam Chriſto fore, ſignificante ſermone apud hunc Vatem intelligimus:* Apprehendi manum tuam & cuſtodiam te. *Id quod apud Pſaltem (Apoſtolo etiam interprete) Chriſtus ipſe Patri Deo gratulatus declarat: Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper; quoniam à dexteris eſt mihi ne commouear. Quem verò & qualem ſpiritum, quibus muneribus & officiis Deo probaturus, & hominum generi præſtiturus*

1. Cor. 1. — Gen. 3.

turus eſſet Chriſtus, diſerta enumeratione & nuncupatione audit. Namq; illud quod breuiter in iuſtitia *dictum fuerat, ſic fuſiùs explicatur.*

Et dedi te in fœdus populi, in lucem Gentium: vt aperires oculos cæcorum, & educeres de concluſione vinctum, de domo carceris ſedentes in tenebris.

FACTA *ad patres, atque ad Iſraeliticum populum promiſſa per Chriſtum præſtanda, deinde etiam diuinam gentibus miſericordiam per eundem communicandam, hic verſus declarat.* Fœdus populi *Iſraelitarum,*
Rom.9. *quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legiſlatio, &*
" *obſequium, & promiſſa: quorum patres, & ex quibus eſt Chriſtus ſecun-*
" *dùm carnem. Qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula.* Verbum & dedi, *eandem cum ceteris formam ſeruat.* in fœdus populi, *nõ antiquum, quod Vate Moſe, & Aharon miniſtro ſanctum iam fuerat: ſed nouum & æternum in ſanguine eiuſdem Chriſti, qui Interpres, Vates, Procurator, Auctor, Pontifex, atq; etiam Victima futurus erat, magno fidei myſterio in ſacroſancta illa cœna admirabili ſapientia per corpus ac ſanguinem ſuum declarato & exhibito.* vt aperires oculos cæcorum, *ignorantia veri laborantium, tam eorũ qui ex populo Iſraelitico eſſent à cæcis ducti, aliis, quàm eorum qui in gentium tenebris agerent. cuius internæ ſanitatis, & magni beneficij ſigna Chriſtus Ieſus præbebat, cæcorum, etiam qui nunquam ab vtero matris viderant, apertis oculis: nam duplici cæcitatis genere orbos curaſſe viſus & comprobatus eſt* IESVS*; eos, qui aliquando quippiam viderant, & eos qui cæci nati fuerant. Priori genere Iſraelitæ legis quidem ac doctrinæ aliquando compotes, verùm poſtea internæ ſignificationis ſpiritu destituti; poſteriore verò gentes, ad quas nec legis doctrina, nec Vatũ peruenerant vaticinia, ſignificabantur.* & educeres de concluſione vinctũ. *ad antiquam Iſraeliticæ libertatis hiſtoriam, & ad Iubilei anni ſolennem libertatem alludit omnis hæc deſcriptio. Verùm quem* victum *hîc appellari audimus, totum humanum genus intelligimus, tam Iſraelitis, quàm Gentibus definiendum: cùm omnes iræ filij, & ſub peccato concluſi, vnicã Dei miſericordiam expectarent: tam qui inter viuos agerent, quàm qui in futuræ ſpe ſalutis è viuis deceſſerant, atque in ſanctorum cuſtodiebantur ſinu cum Abrahamo, Iſaaco, & Iaghacobo, cohæredibus repromiſſionis eiuſdem.* De domo carceris ſedentes in tenebris. *perſtat in diſtinctione vtriuſque populi, Iſraelitici & gentium: quos communi humani generis debito &*
Rom. *iudicio obnoxios, diuina doctrina verè pronunciat. Omnes autem* IESV
" *Chriſti Euangelio vocandos ait, vt & vocatos accepimus. Et quidem in*
" *omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Atq; ex hoc diuino in terris explicato beneficio, illud magnum & commune ſalutis publicæ bonum oriturum præcinitur: illud etiam euenturum veræ, & vnicæ, ac ſolidæ doctrinæ, & cognitionis Dei exemplum, quo totus terrarum orbis à debito, cui obnoxius erat, vnius Dei voluntate, promiſſo, &*
1.Ioan.2. *efficientia liberum ſummis laudum gratulationibus agnoſceret. Chriſtus namq;, vt Ioannes ait, Propitiatio eſt pro peccatis noſtris, & nõ pro noſtris*
" *tantùm, ſed pro totius mundi.*

Ego Dominus, hoc eſt nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus.

ANTE Chriſti veritatem terrarum incolis hominibus præſtitam nomen quidem IEHVEH Iſraelitis, non plenè quidem, verùm ex parte notum erat & cultum, peculiariq́ ſanctitate obſeruatum: aliis verò gentibus, (niſi Iſraelitarum vicinis quadantenus auditum) verùm ceteris ignotum nationibus: quæ quanquam diuinam naturam prorſus non ignorarent, eam tamen communiore appellabant nomine, ſiue ELOHIM, ſiue ΘΕΟΥ, ſiue Dei, ſiue alio quopiam, pro linguæ vſu: quod tamen & rerum gubernatori omnium, & aliis naturis & perſonis etiam tribueretur. Verùm enimuerò illud per Chriſtum ſuũ effecturum ſeſe recipit Deus, vt nomen ſuum ſingulare illud ad miſericordiam & veritatem appellatum, omnibus reapſe & veritate innoteſceret, ac celebri laude obſeruaretur coleretur q́ nationibus. Ad hanc ſententiam permulta in ſacris noui Teſtamenti libris referuntur teſtimonia. vt illud: Nam etſi ſunt qui dicantur Dij, ſiue in cælo, ſiue in terra (ſiquidem ſunt dij multi & domini multi) nobis tamen vnus Deus Pater; ex quo omnia, & nos in illum: & vnus Dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum. & , Deus autem patientiæ & ſolatij det vobis idipſum ſapere in alterutrum ſecũdùm Ieſum Chriſtum, vt vnanimes vno ore honorificetis Deum & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti. 1 Cor. 8. Hoc itaque nomen ſuum publicè probandum, & ab omni alienæ naturæ communicatione diſtinctum aſſerendum ſibi eſſe prænunciat Deus, nullamq́ efficientiæ atq́ gloriæ ſuæ partem cuipiam conceſſum iri profitetur: quãdo non modò rerum omnium creatio & gubernatio, verùm etiam humana regeneratio ſibi vni auctori tribuenda fuerit. gloriam meam alteri non dabo. quæ Regi ſeculorum immortali & inuiſibili ſoli debetur Deo, & laudem meam ſculptilibus, LAPEZZILIM. quidquid quiſque ſibi pro Deo finxerit & ſacrarit PEZZIL hoc loco interpretamur: & quoniam non vnius formæ hoc fictionis genus apud omnes notatur, ad notationis particulã LA, nomini hoc loci præponitur. Itaq́ vniũ veritatis doctorem & magiſtrum omnibus gentibus non modò ſermone, & verbo, ſed re & efficientia præſtandum Chriſtum ad nominis gloriam, ſui vnicam & perpetuam pollicetur Deus. Id verò, quamquam futurum præcinatur, non minus certum atque conſtans fidelibus & credentibus obedientibusq́ ſibi euaſurum, quàm eorum quæ anteà dicta, promiſſa, & præſtita fuerant; imò quàm creati mundi conſtat veritas.

Quæ prima fuerunt, ecce venerunt: noua quoque ego annuncio: antequam oriantur, audita vobis faciam.

Quiſquis à ſe prædictæ rei veritatem firmarit, idem eadem conſtantia futura etiam porrò prædicere, & præcinenda dictare poteſt. Quod munus præterquam veri Dei nullius nec perſonæ, nec virtutis eſſe conſtat. Hæc huius argumentationis prima propoſitio eſt, quam ſecunda in ſe claudit, ex enthymematum vſu. eſt autem ſecunda hîc expreſſa: Quæ prima fuerũt, ecce venerunt. ſit verò prima, multitudinis numero, vt non modò id

quod

quod ſuperiore capite expoſueramus de Senacheribi inuaſione: ſed omnia quæ Noahho, Abrahamo, Iſaaco & Iaghacobo prænunciata, & euentu firmata conſtant. ſed illud etiam Ægyptienſis libertatis magnum & arcanum promiſſum, quod Patribus factum, Iſraelitis, Moſe miniſtro, præſtitum fuit. quod quidem promiſſæ publicæ ſalutis, de qua nunc agimus, argumentum, & typus fuit. id quod apertè denunciatum, & credentibus expectandum Deus voluit.

Cantate Domino canticum nouum, laus eius ab extremis terræ: qui deſcendunt in mare & plenitudo eius, inſulæ & habitatores earum. BENEFICII *certiſsimi prænuncius Vates gratulationis publicæ & communis auctorem ac monitorem ſe omnibus gentibus præbet, perinde ac iam accepti: quippe tanta fiducia dictati ſibi Vaticinij firmatus erat, vt iam ante de gratulatorio carmine cum gentibus omnibus, ad quas ipſa pertinebat ſalus, ageret. Alludit verò ad ſalutem & victoriam de Ægyptiis hoſtibus & inimicis infeſtiſsimis diuino beneficio partã: quam dictato per Moſem cantico, Maria ſoror cum feminis & filiis Iſraelis celebraſſe narratur. Et quidem canticum illud antiquum, non antè, ſed poſt ſalutem publicè cantatum fuit ab iis, qui non multo antè metu & pauore vexati, ex Moſe audierunt:* Exodi 14. *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. At verò nunc iam ita certam ſe prænunciare ſalutem, & fidelibus quaſi præſentem ſe ait Iſaias, vt iam nouum carmen meditari ſuadeat. Nouum verò appellat ad antiqui illius differentiam, & quod nunc recens eſſe, & meditatione celebrari velit, etiam ante acceptum beneficium: in fide tamen & ſpe quaſi præſens iam habeatur.* Heb. 11. *Eſt enim fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. Nouum etiam propter beneficij celebrandi nouitatem in ſpiritu & veritate cognoſcendam, eamq́; non priuatam, ſed publicam, atque omnibus gentibus credituris, & obtemperaturis communicandam. Ideoq́; laudem hanc non intra Iſraelitarum tantùm caſtra concludi, ſed ad omnes & apud omnes totius terrarum orbis gentes pertinere celebrandam ait.* Laus eius ab extremis terræ *ſanctæ, ſiue Iſraeliticæ; in qua primùm diuinum illud beneficium præſtandum & propagandum erat; vlteriùs quoque per nauigantes ad alias nationes perferendum.* Qui deſcendunt in mare & plenitudo eius. *Idem ſignificat hic tropus* plenitudo eius, *quod Latinus Poëta diceret, Qua mare pertinet, per littora omnia continentis terræ, nec ſolùm continentis, ſed* Inſulæ, & habitatores earum. *Diximus aliàs Græciam, Italiam, atque etiam Africæ maritimas regiones* IIM *dici: pro quo noſter interpres* Inſulas *perſæpè reddit. omnibus enim vt commune expectandum prædicebatur beneficium, vbi notum eſſet, communiter voluit celebratum. Atqui non maritimis tantùm hæc vt ſalus accipienda, ita quoque laus celebranda denunciatur: ſed iis etiam, qui interiora terrarum tenuerint, quocunque loco, ſiue ſiti habitauerint, ſiue vagi & hoſpites egerint.*

Subleuetur deſertũ & ciuitates eius: in domibus habitabit Cedar. SVBLEVETVR, IISEV, *tollant, eleuent vocem canentes, atque ita ſuble-*

ſubleuetur canticum. deſertum *metonymicῶs pro iis qui in agris, vicis, & pagis degũt; vtpote nec ſalutis, nec Euangelij expertibus futuris. S. S. E. Et circuibat Ieſus omnes ciuitates & caſtella, docens in ſynagogis eorum,* Mat. 9. *& prædicans Euangelium regni, curans omnem languorem, & omnem in-* " *firmitatem. Nec verò eos tantùm, qui certas, quas incolunt, habent ſedes,* " *verùm paſtorum & Nomadum atq; Arabum, Scytharúm ac Getarum familias, quorum mobilia tentoria paſcuorum opportunitatem ſequuntur. Quorum plauſtra vagas ritè trahunt domos, immetata quibus iugera læ-* Horat. *tas fruges ferunt. Harum nationum imaginem breui hemiſtichio exhibet Vates,* In domibus habitabit Cedar. *Kedar qui habitare ſolet* BEHAZZARIM. HHAZAR *ſemper ruſticiorem ſignificat habitationem & liberiorem, Latini mapalia & magalia vocant plurali numero, Hiſpani corral: atque ita dicunt Corral de Almaguer, Corral de dueñas. Verbum futurum* habitabit, *ex vulgata iam ſæpius adnotatione idem valet quod* habitare ſolet. *His etiam illi adduntur, qui munitiſſima & editiſſima loca tenent. atque ita omnis humanæ habitationis vniuerſitas deſcribitur: quam promiſſa à Deo ſalus ad communionem ſui inuitatura erat, ac certè inuitauit. S. S. E. Exi citò in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles,* Luc. 14. *& cæcos, & claudos introduc huc. Itaque omnes ad laudem incitantur,* " *qui ſalutem cunctis oblatam optauerint.*

Laudate habitatores petræ: de vertice montium clamabunt.

Editiora loca partim rupibus munita, partim carentia viſuntur. & hæc longè conſpicua ſuo ſitu tuta & ſalubriora putantur ad habitandum. Ex quibus voces & clamores longiùs auditi pertinent. clamoris verò & celebritatis argumentum ſubiunctis indicatur verſibus.

Ponent Domino gloriam; & laudem in inſulis annunciabunt.

V*T apud Latinos* ponere, *ita & in ſacra lingua* SVM, *poëticum verbum in loco eſſe adnotatur: quo cuiuſlibet argumenti recta ſignificatur collocatio. vt, ponere ſignum, ponere coloribus hominem, vel Deum, ponere laudem vel carmen. ita hîc* ponere Domino KABOD, amplitudinem, magnificentiam, gloriam & honorem. *Chaldæus paraphraſtes partem ſuperioris verſus* habitatores petræ, *ad reſurrectionem retulit; quam qui in ſepulchris iacent, expectabant. Nec verò partes illæ ex toto orbis terrarum ſitu appellatæ habitatores diſtinguunt & adnotant ſuos: ſed eorum quoque negotia, ſtudia, ac dogmata cuncta complectuntur, atq; adeò conceptas, vel acceptas de Diis, naturaq; diuina opiniones diuidunt; aliis terreſtria, aliis marina & inſulana, aliis montana, aliis ruſtica numina eſſe opinatis atq; celebrare ſolitis, omnibus tamen vnicum Deum agnituris, totius mundi auctorem, gubernatorem ac renouatorem, deinceps porrò continua laudatione prædicaturis. Laudis verò atq; celebritatis & carminis ponendi ſimilis ferè argumenti ſumma indicatur ei, quam Moſis canticũ continet: quippe cùm præter ſalutis magnum diſcrimen inter terrena, animalia, atq; inter ſpiritualia & cæleſtia ſtatuendum; reliqua omnis vtriuſque beneficij ratio, ita vt imago cum re conuenit.*

Dominus ſicut fortis egredietur, ſicut vir prœliator ſuſcitabit zelũ: vociferabitur, & clamabit: ſuper inimicos ſuos cõfortabitur.

Divinam virtutem & efficacitatem, & reapſe & effectu ac verbis atque vocibus manifeſtandam prædicit Vates, & manifeſtatam ſacra noui Teſtamenti teſtimonia & Euangelica prædicatio affirmat. Dei verò hoſtes peccatum, Diabolum, & cum mundo mortem interpretamur: atq; id quod in mundo eſt omne, concupiſcentiam oculorum, concupiſcentiam carnis, & ſuperbiam vitæ: quæ omnia diuini verbi voce terrenda, turbanda, frangenda, atq; efficaci operatione mortis ac reſurrectionis Chriſti comminuenda, diſſipanda, & perdenda Vates prænunciant. Euangelica promiſſa, vociferationes, & clamores Dei interpretamur, fidelibus & obtemperantibus in ſalutem: inimicis verò atq; incredulis & cõtumacibus in exitium.
2. Cor. 2. *Deo autem gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu, & odorem*
» *notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco: quia Chriſti bonus odor ſumus*
» *Deo in iis qui ſalui fiunt, & in iis qui pereunt: aliis quidem odor mortis in*
» *mortem, aliis autem odor vitæ in vitam. & ad hæc quis idoneus? Et quidem his laudibus, elogiis ac titulis frequenter apud Vates & Pſaltes laudatur celebraturq; Deus; vt qui & externas iſtas in mundo acies & principatus*
Epheſ. 5. *ac poteſtates rectoreſq; tenebrarum harum, cùm res ipſa fert, diſſipare ac*
Pſal. *perdere ſolet. S.S.E. Deus refugium noſtrum & virtus; adiutor in tribu-*
» *lationibus, quæ inuenerunt nos nimis; quare Dominus fortis & potens,*
» *vir pugnator, Omnipotens nomen eius audit. Quam virtutem, fortitudinem & victoriam ad illa, quorũ iſta externa & viſibilia vmbra quædam ſunt, ex principali ſignificatione transferendam accipimus. qua etiam de re*
Pſal. *illud, Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, &*
» *introibit Rex gloriæ. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dñs potens & fortis in præ-*
» *lio, Dñs virtutũ, ipſe eſt Rex gloriæ. Ad hãc fortitudinis & victoriæ manifeſtationẽ omnis harum gratulationũ refertur ſumma: quã auctoritate verbi ſui cõfirmaturus & promoturus Deus ipſe à Vate inducitur, eodem orationis tropo, quo apud Pſaltẽ in ſecũdo Pſalmo ipſius filij perſona induci-*
» *tur. Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos. Ego*
» *autem conſtitutus ſum Rex ab eo. ſiue, Ego autem conſtitui Regem meum,*
» *ſuper Sion montem Sanctum meum. In hunc itaq; modum victoriã ſuam ex inimicis ſpiritualibus aſſerturus Deus, ita loquens inducitur.*

Tacui ſemper, ſilui, patiens fui: ſicut parturiens loquar: diſſipabo, & abſorbebo ſimul.

Tacui *ſemper. in exemplari* HEHHESITHI MEGHOLAM, tacui à ſeculo. *diu multumq;, atq; adeò à conſtitutione mundi ſe tacuiſſe ait, ac tuliſſe inimicam ſtragem in hominis natura, ſibi quondam cara, & nunc non ſpreta, tam diu editã, cum tanta etiam inferni hoſtis inſolentia, nunc iam deinceps miſericordia motum, voces editurum: quibus conceptum de vindicando & aſſerendo humano genere, conſilium declaret. quales voces & clamores parturiens femina, quæ eatenus patienter egerat, proxima iam partui, edere ſolet: vt & pariter fremat & clamet, & fœtum edat; atq; hoc*

pacto non inanem declaret clamorem & queſtum. Et quidem certam vltionis hæc oratio declarat ſententiam. vt illud, Sic dicit Dominus exercituum, Sup. 1.
Heu vindicabor de hoſtibus meis, & vltionem ſumam de inimicis meis. "
Hactenus tacui: nunc verò iam poſthac diſſipabo & abſorbebo ſimul.
Inimicos ſuos generi humano infenſa peccata & vitia cum toto inferorum regno perdendos ſibi & abolendos ait. id quod IESVS *Chriſtus quo tẽpore fieret, indicauit: Nunc iudicium eſt mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foras: & ego, ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Ioan. 12. "
Omnem autem inimicorum principatum & poteſtatem ſibi ſubigendam, labefactandam, atque diſſipandam: omnem potentiam perdendam, omnem artem, induſtriam, & commoditatem abolendam, tranſlationibus perpetuis vſus declarat.

Deſertos faciam montes & colles, & omne gramen eorum exſiccabo, & ponam flumina in inſulas, & ſtagna arefaciam.

HÆC *omnia in minore mundo, hoc eſt, in humana natura duplici modo eſſe, in ſignificationibus Apocalypſis adnotauimus: vt enim ſuum mare, ſuam terram, ſuaq́ ſtagna, fontes, ſyluæ, & horti Deo in humano orbe conſtituta fuerant: ita rurſus Dei inimico, vbi mundi huius principatum occupare accidit, ſuæ quoque ſimilium nominum commoditates extiterunt. (Magnum myſterium) quas omnes ſublatum ſibi prorſus iri Deus recipit. quo reſtituendo, populo ſuo apta, & conſtans atque idonea creetur opportunitas. id quod ſtatim ſubiungitur:*

Educam cæcos in viam quam neſciunt; & in ſemitis quas ignorauerunt, ambulare eos faciam: ponam tenebras eorum eis in lucem, & praua in recta. hæc verba feci eis, & non dereliqui eos.

BONE *Deus, patiens, potens, & miſericors, vt iam fidem tuam liberaſti: quam cum Apoſtolis Eccleſia tua teſtata eſt, ita & hoc miſerrimo & calamitoſo cæcutienteq́ æuo idipſum, quod vis, apud nos inſtaura; & impertire ſcientiam ſalutis plebi tuæ, in remiſſionem peccatorum eorum: vt ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus tibi: in ſanctitate & iuſtitia coram te, omnibus diebus noſtris. Populo ſuo, id eſt, puſillo gregi, magnum, imò maximum ponendum beneficium pollicetur. vt qui videre antè ſibi videbantur, cæcos fuiſſe demùm ſe deprehendant; præ magnitudine & beatitate lucis, qua donandi ſunt ad cognoſcendum eum, & virtutem Chriſti eius. Scimus (ait vnus ex teſtibus) quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum vt cognoſcamus verũ Deum, & ſimus in vero Filio eius. Hic eſt verus Deus, & vita æterna. Filioli cuſtodite vos à ſimulachris, Amen. Atque cæcorum nomine vtrumque connotat populum: Iudæorum, qui, quanquam legem haberent, veritatem tamen legis minus percipiebant; & gẽtium, qui cùm exleges eſſent, id eſt, ſcriptæ diuinæ legis cognitione carerent, in mediis verſabantur tenebris. vtriſq́ autem ea promittuntur dona ac beneficia, quæ antea planè fuerant ignota. id quod vtriſque gratulatus Petrus, ait: Propter quod dicit Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem ſummum, angularem, electum, pretioſum: qui crediderit in eum,* 1 Pet. 2. "

 non

non confundetur. vobis igitur honos credentibus; non credentibus autem Lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, & lapis offenſionis, & petra ſcandali iis, qui offendunt verbo, nec credunt in quo & poſiti ſunt. vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutes enarretis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum. Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti. & cetera, quæ apud Paulum, Petrum, Iacobum, & Iohannem in hanc ſententiam paſſim legimus. Id autem beneficium diuinum, conſtans, perpetuum, & proprium fore iis, quibus datum fuerit, pollicetur Deus, & ex vaticinij certitudine & conſtantia, tanquam præſens confirmat. Hæc verba, DEBARIM, *verba & res. hæc, quæ locutus eis ſum reapſe præſtita*
Ioan. 10. *experturis.* feci eis, & non dereliqui eos. *Oues meæ vocē meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternū, & non rapiet eas quiſquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus eſt: & nemo poteſt rapere de manu Patris mei. Eſt autem magna & obſeruanda in exemplari lingua hoc loco verborum ſignificatio. Namq́ ita duo verba,* feci & non dereliqui, *collocata & pronunciata ſunt, vt præteriti ſignificationem pariter & futuri præſtent. quod Latinus non admittit ſermo, niſi per interpretationem.* ELE HADEBARIM GHASITHIM VELO GHAZABTHIM. *vtroque modo qui vertet, rectè verterit.* DEBARIM *verba ac res interpretamur. Maſculinum nomen in ſua lingua.* Hæc verba feci ea, & non dereliqui ea. *Ea, inquam, quæ in futurum promitto, iam anteà feci in Ægyptiaca victoria: nec tamen deſtiti, ſed inſtauranda apud me teneo, longeq́ illuſtriùs repetenda.* non dereliqui ea: *ſed facturus perpetuò, deinceps porrò ſum conſeruaturus. Pater meus vſque modò operatur, & ego operor, ait Filius, verbúmque Dei. Atq́ hoc demùm modo omnem vanam hominum doctrinam, induſtriam, & ſententiam, omnemq́ rerum, in quibus nulla ſalus vera eſt, admirationem, damnatum, & ſpretum iri concludit Vates: ſiue id ad ſimulachrorum antiquum apud Gentes cultum.*

Conuerſi ſunt retrorſum: confundantur confuſione qui cōfidunt in ſculptili; qui dicunt conflatili, Vos Dij noſtri.

Doctrinam omnem, quæ nec ex Dei conſilio proficiſcitur, nec promiſſo nititur, nec veritate comprobatur; vt vanā, irritam, & inutilem, demumq́ damnoſam & pernitioſam, & in eorum qui amplexati fuerint, probrum opprobriumq́ euaſuram docet Vates. Id autem quod vnuſquiſque non ex vero, aut ex naturæ diuinæ certa cognitione ſequitur, ſed ex proprio ſtudio fingit, ſibiq́ vtile fore autumat, ſculptile *hoc loco interpretamur: quo in genere auaritiam & ambitionem doctrina enumerat ſacra. Totum autem genus hoc in duas præcipuè partiri ſolet artis formas; vel ſculpturæ, vel fuſionis. Illius materies lutum, lignum, ebur, & lapis: iſtius verò metalla omnia. quæ cùm humano tantùm cōſtent ingenio & opere, nihil humana ſorte maius, imò neque humanis viribus par præſtare poſſunt. Quæcunq́ enim*

arte

arte conficiuntur, opifice ſuo minora ſunt: idq; quod ſunt, ſuo debent opifici. tantum abeſt vt ex propria virtute id præſtare poſſint, quod poſcuntur. In hanc ſententiam illud quoque à Iohanne reſponſum eſt, Filij cauete à ſimulachris. 1 Ioan. 5.

ARGVMENTVM VATICINII VIGESIMISEXTI.

SALVTIS *à ſe promiſſæ reapſe perficiendæ & præſtandæ cunctationem ac longi viſam temporis dilationem, non ex voluntatis ac propoſiti defectu Deus eſſe oſtendit; qui ſemper in beneficio hoc hominibus ponendo conſtans fuerit: verùm ipſorum hominum, quibus promiſſum fuerat, culpa; qui nunquam ita ſatis morbum agnouere ſuum, vt remediũ ſedulò quærerent, & poſtularent: quemquã per legẽ docti & moniti, & per ſubinde miſſos Vates admoniti eſſent. Quam ob rem ab inimicis viſibilibus & inuiſibilibus vexari permiſſi ſunt: tam Iſraeliticus populus, qui ſibi propter legis beneficium videbatur valere; quàm nationes aliæ filiorum Adami: qui, cùm religionibus varijs inſtructi eſſent, nihil tamen ſe ab illis adiutos experti ſunt: atq; ita omnes à Deo expectati, ac demũ ſub peccato concluſi, maximæ miſericordiæ, & omnibus communicandæ materiam ſeſe præbuerunt; ſine qua nihil omnino veræ ſalutis vel ſibi parare, vel aliunde expectare poſſent. Et quidem ipſam communem infirmitudinem, & ægrotationem, ſiue oppreſſionem: qua humanus animus, qui Iaghacobi nomine ſignificatur, vexabatur, compellaſſe & mouiſſe Deum, ad miſericordiæ & ſalutis opportuno ac maturo iam tempore præſtandum beneficium. Cuius rei hac ſerie expediendæ expreſſam imaginem antiqua Iſraelitarum ex Ægyptiaca ſeruitute libertas & aſſertio exhibuit. Atq; ita vaticinium hoc explicationem exhibet illius hemiſtichij in hoc eodem capite antea cantati.* HÆC VERBA FECI EIS, *ſiue* EA. ET NON DERELIQVI EOS. *vel* EA.

Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum.

NON *omnes qui aures habent, rectè & ritè audire; nec eos cunctos, quibus oculi ſunt, perſpicaci eſſe viſu, ſignificant & indicant non paucis in locis diuina oracula. quale illud eſt Chriſti: Qui habet aures audiendi, audiat. & illud: Cæci ſunt, & duces cæcorum. &: Dicit ei* IESVS, *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant. Et audierunt quidam ex Phariſæis, qui cum ipſo erant. & dixerunt ei: Numquid & nos cæci ſumus? Dixit eis* IESVS, *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum: nunc verò dicitis, Quia videmus, Peccatum veſtrum manet. Vniuerſum mortalium genus ex vno Adamo ortum in duas partes diuina atque antiqua diducunt oracula. S.S.E. Duæ gẽtes ſunt in vtero tuo, & duo populi de ventre tuo diuidentur: populusq; populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori. Vtramq; partem ſeruandam Deus ab initio receperat: conditionibus tamen geminis; fidei, & obſequij. Eas verò cõditiones vtrum-* Ioan. 9. Gen. 25.

 que

que populum præſtare debuiſſe & potuiſſe, ſæpiùs diuina reſponſa clamant. Siquidem gentes, quamquam in præteritis temporibus in ſuas vias abire
Actor. 14. *permiſſæ fuerint: non tamen, vt Apoſtoli docent, ſine ſui teſtimonio à Deo*
» *relictæ ſunt, benefaciente illis de cælo, dante pluuias & tempora fructifera,*
Rom. 1. *implente cibo & lætitia corda eorum. Namque inuiſibilia Dei à creatura*
» *mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque*
» *eius virtus & diuinitas, ita vt ſint inexcuſabiles. Et quidem diuinarum notitiam rerum vtrique hominum parti, modò animum aduertere volenti, conſtare potuiſſe, imò & conſtitiſſe, eleganti carmine Pſaltes aſſeuerat; hoc diſcrimine tantùm, quòd alteri, hoc eſt, gentium nationi omni, ante oculos propoſita, & perpetuis aßiduisq; ſpectaculis repetita doctrina fuerit; cælorum videlicet motibus, efficientiis ac ſignis continuis, & conſtantibus temporum viciſsitudinibus. Alteri verò, Iſraelitarum inquam, præter illam communem cum gentibus omnibus perpetuam enarrationem, diuinæ quoq; legis auditio contigerit clariſsima: quo ſingulari beneficio affecti, & ipſi inſtrui, & alios in eandem veri cognitionem vocare & inſtruere poſſent.*
Pſal. *Qui dat niuem ſicut lanam, nebulam ſicut cinerem ſpargit: mittit cryſtal-*
» *lum ſuam ſicut bucellas. ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit? Emittet*
» *verbum ſuum, & liquefaciet ea: flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ. Qui*
» *annunciat verbum ſuum Iaacob, iuſtitias & iudicia ſua Iſrael. Non fecit*
» *taliter omni nationi: & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Itaq; Dei diuinarumq; rerum notitiæ copiam vtrique hominum parti diuinitus factam ſacra oracula probant: hominum verò opportunam, ac ſuæ ſalutis cauſa debitam diligentiam requirunt. vt hoc etiam Vates noſter loco: qui eos, qui viderent, cæcitatis; eos etiam qui diuinam legem, atque Vatum monita audierint, affectatæ ſurditatis inſimulat: vtroſque autem ſua culpa tantùm in humani vitij miſeria detentos docet: vtpote qui nec ſæpius admoniti, accuſati, & compellati morbum ſuum, vti par erat, agnoſcere, & ad ſanitatē obtinendam, medicinæ verum & vnicum auctorem Deum intelligere & appellare ceſſarint: alteris itaq;, Iſraelitarum videlicet genti, ſurditas; alteris verò cæcitas exprobratur. Nec tamen ij qui ſurdi notantur, à cæcitatis excipiuntur crimine: quippe qui & naturæ cognitione rerum pleniùs ac meliùs quàm ceteræ gentes inſtructi, & legis diuinæ doctrina ſingulari beneficio fuerint aucti. id quod ſubiuncta expoſitione indicatur.*

Quis cæcus, niſi ſeruus meus? & ſurdus, niſi ad quem nuncios meos miſi?

Ignominiam & notam cæcitatis & ſurditatis cōmunem quidem vtriq; parti, verùm preßiùs ac profundiùs Iſraelitis inuſtam declarat: quos adeò diligenter à Deo doctos, inſtructos, & admonitos; non tamen ſeſe meliùs, prudentiùs, & cordatiùs geßiſſe conſtat ceteris, quibuſcum non tam ſingulariter ac familiariter actum fuerit. Itaque communem quidem omnibus culpam, grauiorem tamen Iſraelitis attribui ait: qui ſingulari vocatione à gentibus excepti, & aßidua inſtructi doctrina; nec ſibi tamen officio faciendo, nec alteris virtutis ac pietatis veræ exemplo edendo proſpexerint. ita

vt huius comparatione populi alter ille, qui cæcus eſt, non tamen ita grauiter accuſandus cenſeatur. Ad hanc verò cauſam & rationē illud D. Pauli iudicium pertinet. Propter quod inexcuſabilis es, ô homo omnis qui iudicas. Rom. 2. *in quo enim iudicas alterum, teipſum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas. Scimus enim quoniam iudicium Dei eſt ſecundùm veritatem in eos qui talia agunt. Exiſtimas autem, ô homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei. Et paulo inferiùs. Si autem tu Iudæus cognominaris, & requieſcis in lege, & gloriaris in Deo: & noſti voluntatem eius, & probas vtiliora, inſtructus per legem: confidis teipſum eſſe ducem cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium, habentem formam ſcientiæ & veritatis in lege. Qui ergo alium doces, te ipſum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, ſacrilegium facis: qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras. Hoc eſt quod apud hunc Vatem Deus huic populo præcipuum exprobrat crimen.* Quis cæcus, niſi ſeruus meus? *Cui & naturæ ſpectacula ex communi ſenſu, ac præſertim ex legis doctrina conſtant.* & ſurdus, niſi ad quem nuncios meos *Vates tot ac tantos* miſi? *Atque ita accuſatio in definitiuo ſtatu conſtituta, eos primùm comprehendere declaratur, quorum maior & proteruior arguitur culpa: quamobrem & nominis, & criminis, atq; cauſæ repetitione aſſeueratur.*

Quis cæcus, niſi qui venundatus eſt? & quis cęcus niſi ſeruus Dñi?

ELEGANS *& accurata repetitio eſt; cui in definitiuo ſtatu magnam ex comparatione rationum ad crimen inferendum ponderis vim auctores tribuunt. vt,* —*etenim fateor me, dixerit ille* Hor. lib. 2. Sat. Iam dudum.

Duci ventre leuem: naſum nidore ſupinor:
Imbecillus, iners, ſi quid vis, adde popino.
Tu cùm ſis quod ego, & fortaßis nequior, vltrò
Inſectere, velut melior, verbisq; decoris
Obuoluas vitium? *Et paulo pòſt:*
Adde ſuprà dictis, quod non leuius valeat. nam
Siue vicarius eſt, qui ſeruo paret, vti mos
Veſter ait, ſeu conſeruus: tibi quid ſum ego? nempe
Tu, mihi qui imperitas, aliis ſeruis miſer, atq;
Duceris, vt neruis alienis mobile lignum.

Huius etiam tropi ac figuræ illud eſt:

Dignus morte perit, cœnet licet oſtrea centum Iuuen. Sat. 8.
Gaurana, & toto Coſmi mergatur aheno.

Itaque præcipua quadam nota cæcitatis culpam Iſraelitis tribuendā aſtruit per Vatem Deus: vtpote quos pluribus modis, maioribusq; beneficiis affectos, & familiariùs habitos atque deductos; non magis tamen quæ ſe decuit oportuitq; agnoſcere, & agere curaſſe, quàm ceteros, quibus nec lex data, nec Vatum talis facta fuerat copia. Quis cæcus, niſi qui venundatus eſt? *Exemplare verbum* MESVLAM *miſſum, ſiue perfectum interpretari poſſumus.*

שלם *ſumus. namque verbum* SALAM *in retribuere, pacificare, perficere, conſummare aliàs interpres noſter vertit. Quiſnam pari iure dicēdus cæcus, ac is, qui omnibus diſciplinæ modis inſtructus, minimè tamen ſuas rectè ac diligenter edocti partes egit? Quod verò Latinè legimus* venundatus eſt, *ad crebras caſtigationes & correptiones Iſraelitis ex Deo adhibitas, fuerit referendum. Sæpiùs enim populus ille caſtigatus, cùm tamen minimè emendatus euaſerit; demum hoſtibus traditus atq; abductus diſperſusq; fuit. Hic nimirum cæcus eſt, qui ſeruus ac familiaris priùs factus; tamen ſeruitutis debitæ officium prodidit, & partes peruertit ſuas.* Quis cæcus, *inquit,* niſi ſeruus Domini? *miſericordis Dei benignitate & virtute redemptus, ac toties officiorum ac ſeruitutis atq; fidei monitus, admonitus, & poſtulatus. Nam quamquam gentes aliæ ſuo modo eruditæ atque ductæ arguantur; illi præcipuo iure doctrinæ tenentur, qui multifariam, multiſque modis per legem ac Vates inſtructi, memorantur. quamobrem iidem præcipuè in culpa & vitio eſſe arguuntur.*

Ergo, Qui vides multa, nónne cuſtodies? qui apertas habes aures, nónne audies?

Oportuiſſe ait illum pietatis ac virtutis officiis faciendis magis intētum, atq; attentum eſſe, qui pluribus & apertioribus modis, hoc eſt, legis diuinæ dono, vaticiniorum & oraculorum frequentia ſeſe magis inſtructū iactat; quiq; ſe auribus apertis Dei eloquiū audiſſe, & multorum Vatum reſponſa retuliſſe, gloriatur, huiuſmodi encomio: Qui annuntiat verbum ſuum Iacob: iuſtitias & iudicia ſua Iſrael. Itaq; ex accepti quidem amplioris beneficij conceſſione & iactatione admiſſa & comprobata, proditi tamen officij Iſraelitarum arguitur populus; tantoq; maiore in culpa eſſe dicitur, quanto magis familiari ac ſingulari prouidentiæ diuinæ prærogatiua auctus probatur. Ad hoc iuris illud: Seruus qui neſcit voluntatem Domini, & nō facit, vapulabit: qui autem ſcit voluntatem Domini & non facit, vapulabit pluribus. Atq; ſingularem curam & prouidentiā in Iſraele ornando atq; à communi ceterorum alea ſecernendo Deum probaſſe, ita cōmemorat Vates:

Et Dominus voluit vt ſanctificaret eum, & magnificaret legem, & extolleret.

Sup. 1. *Eiuſdem ferè argumenti oratio hæc & illa ſunt: Filios enutriui & ex-„altaui, ipſi autem ſpreuerunt me. Eſt autem argumentatio huiuſmodi: Qui plura accepit, plus grati animi atque officij fidelis debet. Iſrael verò plura quàm ceteræ gentes accepit, quare maiore pietatis atque virtutis officio & ſtudio intendere debuit: præcipuè cùm id quod acceperit, nullo proprio merito arrogare, ſed ſingulari Dei amori, propoſito, ac voluntati & conſilio „acceptum referre teneatur. S. S. E. Dilexi vos, dicit Dominus, & dixiſtis: „In quo dilexiſti nos? Nónne frater erat Eſau Iaacob, dicit Dominus, & „Iaacob dilexi, Eſau autem odio habui? itaq; non volentis, nec currentis, ſed miſerentis Dei electioni adſcribendum fuerit, Iaghacobum in terrena hæreditate, & in doctrinæ copia ac præſtantia Eſau fratri fuiſſe prælatum. Hoc eſt quod ait,* Dominus voluit vt ſanctificaret eum, & magnificaret

ret legem, & extolleret. Vt ſanctificaret eum. *ad ipſum referri Deum*
pronomen cum *exemplaris nos docet lectio* LEMAGHAN TSIDKO, *ex*
verbo, propter iuſtitiam ſuam, *id eſt, cauſa tota hæc non ab Iſraele, ſed à*
Deo ſtat: qui nullis virtutibus, aut æquis officiis promeritum Iſraelem ſua
vnius voluntate, ſuoq́; ſanctificationis propoſito gentem iſtam ex Iaghacobi
non communi modo, ſed humili etiam conditione ad populi ſui, ſibiq́; dicati
dignitatem, legibus auctum, & multis ornamẽtis amplificatum, promotum
voluit: ita vt, cùm ad ponendam vtrimq; rationem ventum fuerit, ius om-
ne ſibi vni Deus apud quoſcumq; iudices manifeſtum & perpetuum conce-
di debere probet; adeoq́; iuſtificetur in ſermonibus ſuis, & vincat cum iudi- Pſal. 51.
cetur. Id quod non ſolùm ex pari & æquo argumento, ſed ex longè impari
exceſſu Deus docet, enarratione & expoſitione ſtatus eius, quem Iſraeliticæ
res eo tempore tenebant: quo diuinitus non reſtitutæ modo, ſed ex maxima
calamitate, ad ſummam beatitatem conuerſæ fuerant. Nulla enim gentium
natio communiter deteriore loco quàm Iſraelitica fuiſſe narratur, qua tem-
peſtate vel ex Ægypti ergaſtulis liberata eſt, vel apud alias etiam Gentes,
propter impietatis culpam commemoratur oppreſſa.

Ipſe autem populus direptus & vaſtatus: laqueus iuuenũ omnes,
& in domibus carcerum abſconditi ſunt: facti ſunt in rapinam,
nec eſt qui eruat; in direptionem, nec eſt qui dicat, Redde.

QVALIS *Iſraeliticæ gentis rerum facies, quamdiu Deum vindicem*
non experti fuerint; qualis conditio extiterit, expoſitione oſtenditur: nimi-
rum turbatiſſima, calamitoſa, & miſerrima, planeq́; ſeruilis & abiecta,
atq; nullis vel ætatis, vel facultatis exceptionibus releuata, aut mitigata. Id
quod Exodi lectione manifeſtum conſtat; atque in aliis etiam populi iſtius
calamitatum hiſtoriis frequente commemoratione vulgatum eſt: ita vt il-
lud ab iſtis veriſſimè vſurpetur: Niſi quia Dominus erat in nobis: dicat Pſal. 123.
nunc Iſrael, Niſi quia Dominus erat in nobis. Cùm exurgerent homines “
in nos, fortè viuos deglutiſſent nos. Cùm iraſceretur furor eorum in nos, “
forſitan aqua abſorbuiſſet nos. Torrentem pertranſiuit anima noſtra; for- “
ſitan pertrãſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem. Laqueus iuuenum “
omnes. *In ſeruitiorum operis, ætatis atq; virium delectus eſſe ſolet: neque*
enim iuuenibus æquè atq; ſenibus; nec robuſtioribus & imbecillis, par im-
peratur opus, aut æqualis imponitur labor. id quod cum Iſraelitis minimè
ſeruatum in antiquis legimus narrationibus. Venerũtq́; præpoſiti filiorum Exodi.
Iſrael, & vociferati ſunt ad Pharaonem, dicentes: Cur ita agis contra ſer- “
uos tuos? paleæ non dantur nobis, & lateres ſimiliter imperantur: en fa- “
muli tui flagellis cædimur, & iniuſtè agitur contra populum tuum. Qui “
ait, Vacatis otio, & diſitis, Eamus, & ſacrificemus Domino: ite ergo, & “
operamini: paleæ non dabuntur vobis, & reddetis conſuetum numerum “
laterum. Videbantq́; ſe præpoſiti filiorum Iſrael in malum, eo quòd dicere- “
tur eis: Non minuetur quicquam de lateribus per ſingulos dies. Atq; ita “
cum præpoſitis, quos ex numero ſeniorum, & minùs validorum fuiſſe, res
ipſa docet, non mitiùs aut ſeciùs actum legimus, quàm cum iis, quos &

ætas & robur laborum tollerantiæ magis idoneos validioréſque præbebat. Hoc eſt quod ait, laqueus iuuenum omnes, *id eſt, non leuioribus, aut mitioribus modis alij aliis excepti, clementiúſve tractati: ſed præpoſiti, maiores, ac ſeniores paribus cum iuuenum ætate conſtricti funibus ac vinculis, pari ſeruitutis inclementia vexati. Seruitutis autem conditionem vincula, ergaſtula, & carcer ſignificant: namq; antiqua ac vetus huiuſmodi cuſtodiendorum & cohibendorum ſeruitiorum conſuetudo eſt. vt apud Poëtam:*

Tibul. lib. 1.

Spes etiam duro ſolatur compede vinctum.
Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus.

& Satyrarum præſtantiſſimus auctor:

Iuu. Sat. 10.

Quid ſuadet iuueni lætus ſtridore cathenæ,
Quem mirè afficiunt inſcripta ergaſtula carcer
Ruſticus?

Interdiu namq; agreſtes operæ cathenis, funibus, compedibúſque, prout vſus eſſet, ligati exercebantur; noctu in ergaſtulis concluſi, vix quieſcebant; ceſſationem flagello luebant, peccatorum etiam leuium vindicem experiebantur carcerem. Omnia hæc Iſraelitas apud Ægyptios quondam perpeſſos conſtat: quæ vnico nomine ſeruitutis domus *in lege ſignificantur.* ,, *Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti,* ,, *de domo ſeruitutis. Inclementiſſimam ſeruitij conditionem hoc modo commemoratam interpretamur, quam per partes Vates hîc indicat:* Laqueus iuuenum omnes. & in domibus carcerum abſconditi ſunt: facti ſunt in rapinam, & non eſt qui eruat; in direptionem, nec eſt qui dicat, Redde. *Non modò rem & ſupellectilem Iſraelitarum, dominantis populi cupiditati expoſitam, ſed capita etiam & vitam, & operas opprimentium libidini & iniuriæ obnoxiam addictamq; fuiſſe declarat. Namq;* rapina, *ad perſonas,* direptio, *ad rem, & ſpolia referenda eſt. Atq; ita miſerabilis populus ſeruitute vexatus, & rebus omnibus exutus atq; priuatus, duriſſimæ vitæ genus tranſegiſſe dicitur. Id quod & à Pſalte commemoratũ conſtat.* Pſal. 8. *Diuertit ab oneribus dorſum eius: manus eius in cophino ſeruierunt. Nec verò ceteros, qui alias apud nationes diſperſi fuerint, Iſraelitas leuiùs ac mitiùs habuiſſe, aut meliore, tutiore, ac minus egente vſos eſſe vita arbitramur. Cuius rei argumento ſatis aperto illa Iudæorum pars eſſe poteſt, quæ apud gentium omnium dominam, & totius orbis liberrimam vrbem agebat. quos non modò extrema & immunda pauperie laboraſſe, ſed neque domos vel tecta habuiſſe, tantúmque ſub arboribus, iiſque conductis, tuguriola habitaſſe legimus.*

Iuuenal.

Nunc ſacri fontis nemus & delubra locantur
Iudæis, quorum cophinus fænumq; ſupellex.
Omnis enim populo mercedem pendere iuſſa eſt
Arbor; & eiectis mendicat ſylua Camænis.

Maximam verò humanæ opis genti iſti penuriam fuiſſe, Deus per Vatem ait: adeóque ingentem apud ceteros homines inuidiam creatam, vt nullus neque oppreſſionis atque iniuriarum vindex, nullus direptionis & ſpoliationis defenſor contigiſſe affirmetur. Et quidem neque vni Moſi apud

Ægy-

Ægyptios, vel ad ſingularem iniuriam propulſandam & vindicandam, locus relictus eſt. Hoc eſt quod ait, in rapinam [perſonarum] & non eſt qui eruat: in direptionem [ſpoliorum & ſupellectilis, tenuiſſimaq́ rei] & non eſt qui dicat, Redde. Non tantùm qui reddere cogat, ſed vel qui verbo & ratione direptionem diſſuadeat: ita vt populi huius conditio, & communes ac priuatæ res deteriore, abiectiore, ac miſeriore loco eſſe non potuerint. Quæ verò hactenus commemorata ſunt, eò tendunt omnia, vt ſingularem, certam, & conſtantem Dei erga Iſraelem, hoc eſt, erga humanum genus varia conditione diſtinctum, prouidentiam declarent: neque enim illa antiqua apud Ægyptios ſeruitus præter diuinū accidit iudicium, nec eiuſdem ſeruitutis reiectio alteri quàm diuinæ virtuti ac voluntati adſcribi potuit. ita quidquid poſtea vel incommodorum & miſeriarum hominum generi ſubitum eſt, certo, iuſto Dei iudicio illatum: quidquid demum remedij, ſalutis, & felicitatis promiſſum euenit, vnico diuino beneficio acceptum, ſummo, & vnico iure fuerit referendum. Pronum enim & promptum fuit Iſraeli apud Ægyptios agenti eorum, quibus cum conflictabatur, inuidiam in ſe conflare; vtpote inſolentium ac ſuperborum hominum, eorumdemq́ fortiorum & nocendi occaſiones, vel falſas & ineptas quæritantium: quales ab ipſis narrantur inuentæ: Ecce populus filiorum Iſrael multus, & fortior nobis eſt: venite ſapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur, & ſi ingruerit in nos bellum, addatur inimicis noſtris, expugnatisq́ nobis, egrediatur de terra. Huiuſmodi autem excogitatæ ſuſpicionis prætextu quàm indignis modis, quàm diuq́ in miſerabilem gentem ſæuitum publicè fuerit, ignorat nemo. Vt verò rem ipſam ex imagine perſtringamus: quiſnam eſt qui perpetuas carnis ac ſanguinis, hoc eſt, Ægyptiorum, cum humano animo inimicitias non ſentiat, & agnoſcat, & non intelligat quibus nominibus, quot modis, quàm falſo induſtriæ prætextu, vera & ingenua virtus à vitiorum frequenti & inſolenti regno opprimatur: ex quo loco nec ſua vi emergere poteſt; nec niſi diuini efficientia beneficij liberari poſſe ſperat. cuius rei cognitionem ac documenta ex ipſis antiquis hiſtoriarum ſacrarum imaginibus peti oportere, Vates declarat. Non enim illarum notitia præter cauſam ad poſteros perlata; ſed eo conſilio per Spiritum ſanctum facta fuit, vt ex præteritarum attentione & comparatione rerum quid in præſentiarum animaduertendum, quidq́ in poſterum expectandum & agendum fuerit, conſtituatur. quippe cùm eadem perpetuò hominum, qua homines, hoc eſt, Adami filij ſunt, mens, vis, & conditio perſeueret; eadem imbecillitas & inopia ad ſeſe liberandum notetur: eadem rurſus diuina, vnica, & efficaciſſima diuinæ prouidentiæ, miſericordiæ ac virtutis copia & oportunitas conſtet.

Vide Philon. aduerſ. Flaccū & Caligulam libellos.

Exodi 1.

Quis eſt in vobis qui audiat hoc, attendat, & auſcultet futura?

Futurorum cognitionis & ſpei atq́ fidei inopiam & penuriā negligenti hominum oſcitantiæ adſcribit per Vatem Deus. Nam qui ita præteritorum temporum ſacras hiſtorias audit, vt ad ſe pertinere ſentiat; is profecto propriam ſui ipſius miſeriam, aduerſasq́ animi ærumnas aſſiduis deprecabi-

tur votis, & ſalutis diuinæ fide & ſpe ſuſtinens perferet; atq; ad hoc expectandum, id quod poſtulatur, hoc eſt, patientiam, obſequium, & pœnitentiam, ſedulò conabitur præſtare. Et auſcultet futura. *Ex præteritorũ cognitione percepta, futurorum cum notitia præcipiat ſpem. Ex verbo enim primæuo ita docemur interpretari*, VAIISMAGH LEAHHOR, & audiat in retro. *Audire enim in retro, idem ſignificat quod ea quæ anteceſſerint, diligenter attendere. S.S.E. Quæcunque ſcripta ſunt [à Spiritu ſancto] ad*

Rom. 15.

» *noſtram doctrinam ſcripta ſunt; vt per patientiam & conſolationem Scri-*
» *pturarum ſpem habeamus. Ex hac etiam præteritorum temporum imagine, ad præſentium indicandam rationẽ progreditur Vates: illudq; certiſſimum & veriſſimum docet, humanũ genus vltrò in miſerias lapſum, ſeſe ipſum minimè potuiſſe inſtaurare; imò ſemper in peius corruiſſe nouis aſſiduisq; in dies vitiorum contrahendis culpis. ex quo ruinæ caſu vnica Dei miſericordia & virtute liberatum iri prædicitur.*

Quis dedit in direptionem Iaacob, & Iſrael vaſtantibus? nónne Dominus ipſe, cui peccauimus? Et noluerunt in viis eius ambulare, & non audierunt legem eius.

Iaghacobi nomine humilem & priuatam atque propriam, vt ita loquamur, viri illius conditionem ſignificari, iam ſæpe ſæpiùs docuimus; vt contrà, Iſraelis appellatione, eundem virum ad magnã, Deo auctore, amplitudinem traductum. Cuius etiam poſteritatem pro vario publicæ & cõmunis rei ſtatu nunc Iaghacob, nunc verò Iſrael dictã obſeruamus: altero nomine ad ſuã ipſius priſtinam ſortẽ, altero ad electionẽ diuinã relato. Quidquid verò de viro illo, ſiue etiã de gẽte à viro illo deducta in ſacris libris verè narratur, idẽ de omni hominũ genere per veriſſimã & aptiſſimam declaratur imaginẽ: quam quiſquis rectè ſemel ac propiùs inſpectã contemplatus fuerit, facilè ex nominum appellatione atq; rerum obſeruatione, quod ſingulariter dictum fuerit, ad communem hominum cauſam pertinere intelliget. Iaghacob ille antiquus, humilis & ſimplex homo, ſanæ quidem & probæ mentis; verùm nihil de ſe præſumens, imò omnium quibus cum familiariter egerat, inuidiam veritus; fratris, inquam, ſoceri & cognatorum atq; affinium vnius Dei, cui ſeſe per fidem commiſerat, præſidio non modò immunis ac ſoſpes, verùm etiam Iſraelis nomine atq; ornamentis auctus euaſit. Idem etiam & conditionis, & beneficiorum diuinorum exemplum illius viri poſteritas vtroque, vti dicebamus, nomine ſignificata experta eſt, ex ſeruitio, cui apud Ægyptũ addicta fuerat, liberata. Verum enimuerò quoniam libertatis illo ingenti beneficio abuſa ab Iſraelis officio, vltrò ac proprio vitio degenerauit; identidem ad Iaacobi conditionem redacti arguuntur, virtutis ac pietatis cura multoties abiecta, legibus violatis, ac ſacris profanisq; ſubinde permixtis; morum quoque ſanctitate fœdiſſimè contaminata. Quam peruerſitatem, quoniam licet ſæpiùs admoniti, ac Vatibus diſſuadentibus reuocati, opportunè corrigere neglexerunt, diuini iudicij ſententiam veram, & correptionem animaduerſionemq; probarunt ſeueram, ex illo nobili & felici ſtatu conuulſi, dimoti, ac diſiecti, & ad priſtinam

Iagha-

Iaghacobi, vel priſtina deteriorem conditionem redacti. id quod vel decem tribuum, ac Samariæ regno calamitas, nõ multo antè hoc vaticinium accepta, manifeſtè docere potuit: quam Vates noſter hoc loco, vt aptiſſimum exemplum, allegare, & ſubindicare tendit. Quis dedit in direptionem Iaacob, & Iſrael vaſtantibus? nonne Dominus ipſe, cui peccauimus? *Nam quamuis humana induſtria proprium vitium, vel decoris verbis obuoluere, vel alio fuco celare; ac diſsimulare ſolet, ſibi tamen tantùm, vel ſui ſimillimis ingeniis & iudiciis imponere poteſt: Deo autem, qui rectiſſimam vitæ, morum, & conſiliorum viam perpetuò inſpicit & probat, quidquid à vero & recto deflectit, peccati notatur nomine. hinc illa confeſsi vox & agnitio: Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci: vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. & illud veriſsimum eiuſdem Vatis testimonium: Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum, & iter impiorum peribit. hoc eſt quod noſter Vates ait:,* Nónne Dñs ipſe, cui peccauimus? HHATANVLO, *auerſionem à diuinæ voluntatis norma, nomine & verbo* HHATA *ſignificat plerumque ſacer ſermo: eam videlicet, quæ animi cogitatione primùm ſuſcipitur, hoc eſt, deliberatam declinationem ab honeſto & recto; quam contemptio & neglectio virtutis, ac morum interior corruptio comitatur. Nam quiſquis rectè viuere feriò optat, is honeſti ſtudiũ ſibi ipſi imperat; tum verò iuſti atq; honeſti rationem edoctus, electam omni ſtudio præſtare conatur. Sunt ergo hi plerumque in hac doctrina gradus, electio, decretum, quod Latino ſermone* mos *vocatur, & ſtudioſus conatus. Hos gradus omnes Iaacobi genti, id eſt, hominibus, neglectos ac repudiatos Iſaias ait; ſeq; ipſum in eadem culpa, ex more aliorum Vatum, ponit; vtpote vnum ex illo egrotante corpore membrum, tametſi ſingulariter ſanum. De quo more aliàs iam plura diximus.* Cui peccauimus *animo atq; propoſito.* & noluerunt in viis eius ambulare. *Viam pro conſilio atq; certis moribus vſurpari ſæpiùs docuimus. Mutatur autem verbi perſona, prima ad tertiam tranſlata: quæ frequentiſſima in ſacris carminibus figura eſt. Significat autem, ſe ſe quidem cum omni populo in crimine eſſe; verùm voluntatis culpam à ſe, ad eos qui verè ſuſtinebant, cum exceptione transfert.* & noluerunt. *Hoc ad mores notandos facit, quos iam in malum atq; in ſcelus inclinatos, legis contemptio & violatio ſequitur.* & non audierunt legẽ eius. *Pluralis numeri verbum non Iacobum illum gentis patrem, ſed omnẽ gentem vitio alligatam inſimulat. Atqui legis contemptio & proditio, vbi mores defuerint, in præcipiti eſt. Quid leges ſine moribus vanæ proficiunt? ait ille. Huiuſmodi autem proditi officij exitum, qualem ex diuino iudicio expectari conueniat, & qualem Iaghacobus iſte nactus fuerit, e veſtigio indicat Vates.*

Pſal. 51. Pſal. 1. Horat. carm. lib. 2.

Et effudit ſuper eum indignationem furoris ſui, & forte bellum, & combuſſit eum in circuitu, & non cognouit: & ſuccendit eum, & non intellexit.

Diuinæ clementiæ homines ad reſipiſcendum omnibus modis monenti ac reuocanti ſolenne eſt: correptionis etiam pœnas non ſemel ſimulq; omnes

exigere, ſed paulatim caſtigando repetere; vt ex eorum qui primi luere iuſſi penderint, exemplo perterrefacti, ceteri ſibi maturè conſulant, & nūquam exhauſtam, atquè adhuc ſeſe vltrò offerentem, cæleſtis illius miſericordiæ largam copiam, opportuna procuratione ſolicitent, & concilient. Huius doctrinæ illud eſt: Lucæ 13. Aderant autem quidam ipſo tempore nunciantes illi de Galilæis, quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificiis eorum. Et reſpondens IESVS, dixit illis, Putatis quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt? non, dico vobis; ſed niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis. Sicut & illi decem & octo, ſupra quos cecidit turris in Siloë, & occîdit eos. Putatis quia & ipſi debitores fuerint, præter omnes homines habitantes in Ieruſalem? Non, dico vobis, ſed ſi pœnitentiam non habueritis, omnes ſimiliter peribitis. Et quidem quod ad Iacobi populum illum ita ſecundùm carnem vocitatum attinet, ita res habuit; nam poſt violatam religionis vnicæ ſanctitatem, poſt admiſſa varia ſcelera, poſt contemptos diuini moniti nuncios & interpretes Vates, Aſſyriorum hoſtium ſubita primùm vis & potentia fuit: non ſine magno multarum vrbium ac locorum detrimento; hominibus in captiuitatem abductis, regioneq́ue vaſtata penè tota: quæ prima diuinæ iræ exempla fuere, atq́ue exitialis incendij prima initia. quorum tamen ſpectaculo cùm nec Samariæ rex, nec vrbs reſipuerit, ſibiq́ue proſpexerit, totum demum regnum ita vaſtatum euaſit, vt igne conflagraſſe dici poſſit. De primis autem bellis & abductionibus illud ait: Forte bellum, & combuſſit eum in circuitu, & non cognouit. Hoc ait propter affectatam & pertinacem hominum ignorationem; qui, quas calamitates perferre coguntur, cuiuis potiùs vel cauſæ, Amos 4. vel caſui, quàm diuino aduerſum ſe iudicio adſcribere ſolent: cùm tamen nullum in ciuitate huiuſmodi malum ſit, quod non faciat Dominus. ita, vt ne extremo quidem exitio peruerſi iudicij contumaciam deponant: & ſuccendit eum, & non intellexit. Nec verò Ieroſolymitani ciues ab hoc excipiuntur crimine: quippe nec ipſi etiam ex proximi parietis incendio, hoc eſt, ex Iſraelitarum caſtigatione, imò & excidione, ſibi ſapientiùs & meliùs proſpexerunt. id quod non mirandum adeò apud alias terræ orbis nationes perpetuum ac ſolenne ignorantiæ & ſegnitiei exemplū; quibus non ita manifeſta diuinæ legis doctrina, non adeò frequens & aſſidua veracium Vatum conſtiterat copia. Atq́ue ita omnes homines peccati rei, & criminis communiter conuicti, niſi miſericordia diuinæ præſidium & propoſitum, quod in ſuam ſalutem appellent, quicquam firmi ac ſolidi allegare non poterunt.

CAPVT XLIII.

ET nunc hæc dicit Dominus creans te Iaghacob, & formans te Iſrael: Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo: meus es tu.

VTRAMQVE humanæ gentis partem, hoc eſt, eos, qui tantùm hominis tuentur nomen; gentes, inquam, Iaghacobi nomine priuato ſignificatas, & eos qui maiore doctrinæ prærogatiua gaudere poterant; Iſraelitas videlicet,

licet, diuinæ quondam legis beneficio auctos, à communis miſeriæ tædioſo ac deplorato ſtatu & loco, ad publicæ ſalutis fidē & ſpem hac in vaticinij parte Deus vocat, promiſsiq́, de hac re ſui expectationem, argumentis & exemplis aptiſsimis firmatam perſuadet. Primum autem argumentum à voluntate & virtute diuina in hūc producitur modum: Quæ virtus id quod non eſt, vt ſit, efficere poteſt; eadem, ſi illud penitùs extinguatur ac pereat, reficere ac recreare rurſum valet. item quæ vis id quod communis erat ſortis & aleæ amplificare & exornare poteſt; idem quoque ad humilem & abiectam conditionem prolapſum & redactum inſtaurare, & multis etiam ornamentis augere poterit. Atqui tu Iaghacob, cùm nondum eſſes, à me, vt eſſes, vocatus exſtitiſti. creans te Iaghacob. *Idem etiam, cùm humilis, atq́; vndique metu ſuſpicioneq́; afflictus ageres, à me in Iſraelem formatus es.* Et formaui te Iſrael. BARA *verbum, ad eorum quæ latuerant, atq́; minimè in rerum natura fuerant, creationem ſignificandam vſurpatur:* IATSAR *verò iis rebus tribuitur, quæ ex materiæ ruditate ad elegantem formā confecta fuerint: atq́; ita alterum Iaghacobo, alterum verò Iſraeli propriè aptatur. His verò duobus ex natura productis argumentis, duo altera ex hiſtoria vtrumque priorum ſpectantia adiunguntur. Namq́; populus hic, qui totius humani generis perſonam bipertitam ſuſtinet, in eum ærumnarum ac miſeriæ locum apud Ægyptios deuenerat, vt non modò Iſrael ampliùs audire non poſſe cenſeretur; ſed ne Iaghacob quidem, id eſt, priuatus & communis media de plebe homo; vtpote extremæ iam conditionis ac ſeruitutis, ac tantùm non prorſus ex vitæ vſura ſublatus: quem tot, tam multisq́; modis, etiam ab vtero vſque, perdere communis inimicus conſuluerat, decreuerat, conatusq́; fuerat: ex quo miſerrimo rerum loco ſola diuinæ miſericordiæ virtute non modò liber ac ſoſpes euaſit; ſed in magnam populi Dei dignitatem & amplitudinem prouectus enituit. hoc eſt quod ait,* redemi te [ex Ægypto] & vocaui te nomine tuo, *hoc eſt, certo ac proprio, tibi à me conceſſo: auxi præter ceteras gentes ornamento, vt meus peculiari iure diceveris populus.* Meus es tu *S.S.E. Quia eſt Dominus Deus noſter, nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius. Neque verò quicquam obſtare poſſe ait, quo minùs futura & promiſſa iam ſalus humano generi, cùm ipſe voluerit, effecta contingat: quandoquidem & ante & poſt illam ex Aegypto ſalutem, nulla nec humana potentia, nec naturæ vis, diuini de populo illo ornando propoſiti expeditionem retardare potuerit; immo elementa, naturaq́; rerum omnis parendo, cedendo, atq́; adeò miniſtrando ſubſecuta fuerint.* Pſal. 95

Cùm tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te.

Ex *præteritorum commodorum commemoratione, futurorum beneficiorum fidem facit, & expectationem perſuadet idem auctor Deus: cuius conſtans ac ſibi ſimilis æterna eſt poteſtas, & ad bene faciendum certiſsima voluntas. neque mare, inquit, neque flumina ſalutis tuæ commodis & opportunitatibus obſtare officeréque poſſe, fidem tibi faciunt rubri maris atq́;*

Iorda-

Iordanis tranſitus; quorum vtrumq; meo, de patribus tuis promouendis, ob-
ſecutum fuit conſilio. Afflictionem verò omnem atq; importunitatem dif-
ficultatemq; aquarum & ignis nomine & imagine ſignificare ſolent aucto-
,, *res. cuius illud rationis eſt: Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti*
,, *nos in refrigerium. Quid, quod verè etiam in antiquæ fidei monumentis,*
ignis etiam in nocentem commoditatem, & vtilitatem perpetuam Iſraelitis
fuiſſe accepimus? columnam videlicet flammeam, totis noctibus in via &
caſtrorum vſum deſtinatam; quæ lumine quidem prodeſſe perpetuo potuit,
calore verò aut æſtu nemini vſquam fuit moleſta. Cùm ambulaueris in
igne, non combureris: & flamma non ardebit in te. LOTHIBAGHER-
,, BACH, non incendetur in te. *Expandit nubem in protectionem eorum,*
,, *& ignem, vt luceret eis per noctem. Neque verò prætereundum, nec ta-*
cendum ducimus hoc loco prædicta toties à Vatibus ſalutis ac redemptionis
publicæ myſteriũ, in illa Ægyptiacæ ſeruitutis & conſecutæ libertatis ima-
gine adumbratum. quod non modò rubri maris atq; Iordanis fluminis hi-
ſtoria præſignabat; verùm columnæ etiam illius partim lucidæ & ignitæ,
partim obſcuræ, arcana ſignificabat ratio: quorum omniũ veritas in Chriſti
IESV efficaci & ſalutari morte abſoluta & præſtita, atq; fidelibus & piis
hominibus comparata conſtitit; dum inimicis hoſtibusq; turbatis & extin-
ctis demerſiſq; cũctis, IESV Chriſti corpus è mortuis reſurgens cum mem-
bris omnibus rediuiuis, liberum, ſaluum, atq; vitæ æternæ nomine ac iure
decoratum ornatumq; emicuit. Qua de re nos commodè, &, vti videmur,
abundè ſatis in Apoſtolicarum epiſtolarum elucidationibus egimus. Atq;
expeditionis illius à Ieſu Hieroſolymis complendæ diem, interdum rubri
maris, nonnunquam diluuij, aliquando ignis nominibus & commemoratio-
1. Cor. 10. *ne à Vatibus aliiſq; ſacris auctoribus arcanè ſignificari. Nolo vos ignora-*
,, *re, fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare*
,, *tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & mari, &c. &*
,, *paulo pòſt: Hæc autem in figura contingebant illis, ſcripta ſunt autẽ ad cor-*
,, *reptionem noſtram, in quos fines ſeculorum deuenerunt. Eiuſdem verò*
,, *Chriſti arcanam efficacitatem ad inimicorum extinguendam vim & ve-*
,, *rè diſcipulorum aſſerendam vitam atq; dignitatem filiorum Dei, ignis &*
,, *flammæ imagine adumbrari, non vno in loco obſeruare eſt. Ecce enim dies*
,, *venit ſuccenſa quaſi caminus, & erunt omnes ſuperbi, & omnes facientes*
,, *impietatem ſtipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exer-*
,, *cituum, quæ non derelinquet eis radicem & germen. Et orietur vobis ti-*
,, *mentibus nomen meum, Sol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius. Et egredie-*
,, *mini, & ſalietis ſicut vituli de armento: & calcabitis impios cum fuerint*
,, *cinis ſub planta pedum veſtrorũ in die qua ego facio, dicit Dominus exer-*
1. Cor. 3. *cituum. & apud Apoſtolum: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere,*
,, *præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus IESVS: ſi quis autem ſuper-*
,, *ædificat ſuper fundamẽtum hoc, aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna,*
,, *fœnum, ſtipulam: vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit. dies enim Domi-*
,, *ni declarabit; quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus, quale ſit,*
ignis

ignis probabit. Quiſquis purè legit, hæc purè intelligat, & componat, vel poſtulet potiùs à Deo arcanorũ horum edoceri veritatem. Certè piis & rectis, ac ſimplicibus populi ſui animis beatam in his periculis & examinum temporibus Deus pollicetur ſecuritatem, nouis beneficiorum ſuorum commemorandis exemplis.

Quia ego Dominus Deus tuus ſanctus Iſrael ſaluator tuus, dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthyopiam, & Saba pro te.

Antiquarum hiſtoriarum argumentis recentiora etiam faciendæ fidei cauſa accumulat per Vatem Deus. Senacheribo in expeditionem aduerſus Solymos profecto, primùm Ægyptios, Aethiopes, & Sabbæos, qui negotium facere moliebantur, victos & ſpoliatos legimus: deinde verò rurſus Ieroſolymorum perniciem obſtinatè pertendenti, cladem & exitium diuinitus perpeſſo atque fugato, vitæ & regni atq; ſuperbiæ finem factum nouimus. Hæc verò omnia Deus conſilio ac iudicio ſuo peracta declarat, horúmque cauſam ſuam vnicam erga Iaghacobum Iſraelemq; voluntatem & miſericordiam allegat. Pro te, *quem Senacheribus perdere moliebatur, atq; obſtinato tentabat impetu, Aegyptum, Aethiopiam, & Sabba certis de cauſis damnatas gentes dedi: te verò incolumitatem ex me habere volui. Cauſam verò antiquiſſimam illam repetit ac ſubiungit; propoſitum videlicet ſuum de populo ſuo ſeruando, ornando, & amplificando. quod vt in imagine præſtitum fuerat, ita etiam in veritate præſtandum confirmatur.*

Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, &glorioſus: ego dilexi te, & dabo homines pro te, & populos pro anima tua.

ISRAELIS *à Deo ſuſcepti ornamenta omnia ex diuinæ voluntatis gratia & liberalitate profecta fuiſſe & conſtitiſſe, ſacra carmina, & ſcripta cuncta prædicant. Atq; hanc ob cauſam non Aegyptios modò, ſed Amalechitas, Moabitas, Amonitas, Amorrhæos, ceteroſq; diuino propoſito obſtrepentes, caſtigatos; demumq; Cananæos omnes perditos, intelleximus. S. S. E. Qui percuſſit gentes multas, & occidit reges fortes; Seon regem* Pſal. 134.
Amorhæorũ, & Og regem Baſan, & omnia regna Chanaan; quoniam in "
ſeculum miſericordia eius: & dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem "
Iſrael ſeruo ſuo: quoniam in æternum miſericordia eius. Hanc verò "
imaginem cum ſuſcepta humani generis liberandi & amplificandi veritate conferre minimè difficile cuipiam fuerit, qui illius apud Paulum gratulationis argumentum fuerit vel mediocriter edoctus. Et vos cùm mortui Coloſſ. 2.
eſſetis in delictis & præputio carnis veſtræ, conuiuificauit cum illo, donans "
vobis omnia delicta, delens quod aduerſum nos erat chirographum decreti, "
quod erat contrarium nobis: & tulit ipſum de medio, affigens illud cruci; "
& expolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter palàm triumphans "
nos in ſemetipſo. Et quidem ornandi hominis propoſitum ab ipſo pri- "
mùm conditi orbis initio præſtari cœptum, ita celebrat Vates: Quid eſt ho- Pſal.
mo, quòd memor es eius: & filius hominis quoniam viſitas eum? minuiſti "
eum paulo minùs ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſti- "
tuiſti eum ſuper opera manuum tuarum: omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, "

» *oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi: volucres cæli & piſces*
» *maris, qui perambulant ſemitas maris. Hoc autem propoſitum ſuum ita declarat primùm Deus: quod etiam deinde perficiendum & conſummandum in ſe recipit.* Ex quo honorabilis factus es in oculis meis. *Prouidentiæ conſilium ac iudicium ſuos Deus nominat oculos.* Et glorioſus. *ad illud alluſio eſt: Gloria & honore coronaſti eum. Cauſam verò vnicam & certiſsimam*
» *exponit:* Ego dilexi te, *non quòd nos dilexerimus, verùm quòd ipſe prior*
» *dilexit nos, ait Ioannes. id quod cùm iam ſeriò ac verè cœptum fuerit, feliciſsimo exitu confirmandum in ſe idem recipit auctor Deus.* Et dabo homines pro te, & populos pro anima tua. *Maximum, adorandum, perpetuaq́; gratulatione accipiendum & prædicandum promiſſum vnius hominis, omne genus hominum in ſe amplexi, Chriſti Ieſu pro Iſraele iſto arcano, de quo ſermo eſt, ſufficiendi; cuius morte veteris hominis genus cũ actibus & concupiſcentiis ſuis extinguendum, Vates prædixerunt, & extin-*
» *ctum Apoſtoli teſtati prædicarunt. & Euangelia declarauere; Sic Deus di-*
» *lexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in*
» *eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Atq; myſterium hoc primæuæ linguæ nominibus, magis quàm aliorum ſimplicibus vocabulis indicatur.* Et dabo ADAM, pro te, ELEVMIM, pro anima tua. *Certè nobis hoc loco nouus ille Adam clareſcit; qui ſe ipſum hominis filium identidem nominauit. hic enim pro Iſraele Dei datus & mortuus, veteris Adam ſobolem illam femineo plus vitio, quàm virili virtute notabilem profligauit, occidit, ac deleuit. Nomen* LEOM, *cuius plurale eſt* LEVMIM, *arcana ſignificatione compoſitum ex* L, *poſſeſsiui indice litera, &* EM, *quod Latini in* MATREM *vertunt. Vocantur verò hoc nomine nationes omnes & populi; vtpote qui ex vetere Adamo oriundi, maternos potiùs quàm paternos referũt ac repræſentant mores, exteriore magis parte impulſi & acti, quàm interiori homini, ad imaginem Dei facto, parentes. Et quidem ſiue matrem iſtam communem* HEVAM, *ſiue terram, vnde nomen acceptum eſt, interpretemur, perinde ad rei veritatem, naturam, & rationem faciet. Hos populos omnes, qui non modò in terrarum orbe complures, ſed in vnoquoque capite multi ſunt, pro ſui Iſraelis eripienda, ſeruanda, & ſibi adoptanda anima, dandos prædicit ac pollicetur Deus. Hoc verò myſterium in Apocalypſis lectione magna ex parte agitur. Atque ita totum humanum genus Iſraelis nomine & imagine ſignificatum, publicæ ac perpetuæ ſalutis cauſa ſibi ſuſceptum, vocandum & liberandum, ornandum, amplificandumq́; ſuſcipit, ac pollicetur Deus.*

Noli timere, quia ego tecum ſum: ab Oriente adducam ſemen tuum, & ab Occidente congregabo te.

TOTIVS *humani generis variis terrarum orbis locis & regionibus, agentis, hoc eſt, ſui Iſraelis diſperſi ſalutem, ex diuino beneficio communem futuram Vates omnes, Deo dictante, aſſeuerarunt, & Apoſtoli agnoſcentes*
» *declarauerunt. Et aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum Iu-*
» *ſtum: ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm,*

(*Iſra-*

(Iſraelitarum ſecundùm carnem) ſed etiam pro totius mundi. Habitatur autem terra ab Ortu ad Occaſum, continuatis in longitudinem ſedibus: atq; ideo hæc ferè prima vſurpari ſolet in ſitu orbis deſcriptio. at verò ab Aquilone Auſtrum verſus, non ita frequens obſeruatur habitatio, vt in ſacro deſcribebamus Apparatu. Verùm Borealis plaga, & populis, & gentibus, quã Auſtralis celebrior eſt. multo enim plus ad Meridiem inſularum apparet, quàm in Septentrione: quæ regio ferè omnis continens ac perpetua viſitur. Huiuſmodi autem habitationis diſcrimina, orationis quoque diuinæ varietate adnotantur.

Dicam Aquiloni, Da: & Auſtro, noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.

PERSTAT *in deſcribenda terrarum ſitus imagine. Aquilo enim cùm continentes Ortui & Occaſui iungat regiones, commodiùs & opportuniùs ad Euangelij miniſterium & gentium vocationem iter inſtruere poteſt. Auſter verò, quia mari flat, & interdum vaſtas & importunas in Lybia regiones oſtentat, non ita facilem ex natura ac peruiam hominum præbet communicationem. Verùm enimuerò nullum ita remotum, ita difficilẽ eſſe locum ait, aut interiecto mari ſeiunctum, qui Euangelij vocationi & communicationi demum fuerit obſtiturus: id quod quondam Apoſtolorũ tempore præſtitum, legimus omnium gentium & nationũ, quæ ſub cælo ſunt, apud Hieroſolymam agentibus hoſpitibus, ac diuinæ virtutis & veritatis teſtibus: ita vt in omnem terram exierit ſonus Apoſtolorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Aquiloni, Da: & Auſtro, noli prohibere. *Atqui iam huius inſtaurãdi beneficij theatrum noſtro tempore inſtrui cœptum, ex Dei beneficio videmus: nullus enim nunc in omnibus orbis regionibus, inſulis, & prouinciis locus eſt, ad quem Chriſtiani nominis notitia & fama non peruenerit; & virtutem atq; gratiam diuinam, ſancti Spiritus communicatione peruenturam non ſperemus. Neque enim hæc quæ nunc frequentatur orbis totius peragratio, fruſtra contingit: quamquam hoc tempore nondum ad maturam peruenerit frugem.* Filios *autem* ſuos, *ex eo tempore quo vocauerit & poſtulauerit, appellandos eſſe Deus ait: eoq; nomine diuinæ gratiæ iure deinceps poſthac appellandos, & vbique locorum cognoſcẽdos. Namq; Iſraelitas antiquos, quamquam ſeſe vti Dei filios gerere in lege iuſſos, S. S. E. Filij eſtote Domini Dei veſtri: tamen id non ritè præſtitiſſe per hunc Vatem accuſatos accepimus. Filios enutriui & exaltaui,* Deut. 14.
Sup. 1.
& ipſi ſpreuerunt me. Hos verò, quos diuinitùs vocandos, liberandos, & "
congregandos audimus, Filios Dei agnitum iri accipimus. id quod iam eueniſſe conſtat. In propria venit, & ſui eum non receperunt: quotquot autem Ioan. 1.
receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in no- "
mine eius, qui non ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex volunta- "
te viri: ſed ex Deo nati ſunt. Hos autem non vnius tantùm gentis, aut na- "
tionis terminis definitum iri ait; ſed ex omnibus terrarum locis admittendos & colligendos declarat: non autem vel inuitos, vel promiſcuè ac temerè coactos; verùm cum delectu cõſcriptos. Delectus autem rationem ex diuini

nominis legitima & ſeria inuocatione habendam. Dicit enim Scriptura:
Rom. *Omnis qui credit in illum, non confundetur: Non enim eſt diſtinctio Iu-*
„ *dæi & Græci. nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant*
„ *illum. Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Hoc*
eſt quod expoſitione declaratur adiuncta:

Et omnem qui iurat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum.

Verbum HANIKRA *paſſiuæ vocis, actiuam & paſſiuam ſignificationem*
admittit: namq; hæc relatorum nominum vis & natura eſt, vt paſſiuè &
actiuè ſeſe declarari ſinat. Filius Dei quiſpiam eſt: idem Patrem ſibi Deum
iure allegat: alter alterius vel Pater, vel Filius ritè dicitur. Iohannes Dei
nomine vt Filius gaudet, nempe Dei dictus filius: idem Dei nomen vt Pa-
tris appellat: namque Deus ritè Iohannis pater vocatur, eodem modo quo
Pſal.88. *ſcriptum legimus: Ipſe inuocabit me, Pater meus es tu, Deus meus & ſuſ-*
„ *ceptor ſalutis meæ. Et ego primogenitum ponam illum, excelſum præ Regi-*
„ *bus terræ. Huius inuocationis communione homines donatos pios, D. Ioan-*
1 Ioan 3. *nes gratulatur: Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, vt filij Dei no-*
„ *minemur, & ſimus. Propter hoc mundus non nouit nos: quia non nouit eũ.*
„ *Cariſſimi, nunc filij Dei ſumus, & nondum apparuit quod erimus. Scimus*
„ *quia cùm apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt.*
„ *Et omnis qui habet hanc ſpem, in eo ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt.*
Hunc verò populum ſanctum, & non ex ſanguinibus: nec ex voluntate
carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex virtute efficientiaq; ſua creandum, or-
nandum, & conſtituendum, atq; amplificandum Deus declarat; vt qui ge-
nerationis prioris, idem poſterioris regenerationis vnicus laudetur auctor.
Heb.2. *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos fi-*
„ *lios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſum-*
„ *mare [perfectos facere] qui enim ſanctificat, & qui ſanctificãtur, ex vno*
„ *omnes: propter quam cauſam non confunditur, fratres eos vocans, dicens:*
„ *Nunciabo nomen tuum fratribus meis, & in medio Eccleſiæ laudabo te.*
O admirandum, & maximè expectãdum myſterium! In gloriam meam
creaui eum. *Quem primùm in lucem ex humo eduxi, & ſpiritu illo natu-*
ræ conueniente dotaui: deinde verò in Chriſto IESV *membrorum iure ap-*
Heb.2. *tatum,* formaui eum. *S.S.E. Corpus autem aptaſti mihi,* & feci eum. *ipſe*
ſolus poteſtate auctum filios Dei fieri. id quod in ſuam gloriam & laudem
conſultum, decretum, atq; præſtitum Deus ait; atq; ipſi myſterij huius teſtes
Iacobi 2. *& præcones, factum aſſeuerant. Omne datum optimum, & omne donum*
„ *perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. Voluntariè genuit*
Epheſ.1. *nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius. Benedictus*
„ *Deus & Pater Domini noſtri* IESV *Chriſti, qui benedixit nos in omni*
„ *benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto: ſicut elegit nos in ipſo ante*
„ *mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius*
„ *in caritate. Qui prædeſtinauit nos in adoptionẽ filiorum per Ieſum Chri-*
„ *ſtum in ipſum ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gra-*

tiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto Filio ſuo. Quod hic Apoſtolus dicit gratificauit, hoc eſt, gratos filios fecit in filio ſuo. Deus per Vatem noſtrũ dixerat, APH GHASITHIV, refeci eum, de integro feci eum. *Qui priùs creatus fuerat Adam, rurſus factus eſt nouus Adam. Huc illa nominis diuini ſpectat ſanctificatio, quam perpetuo aptandam voto, atq; aſſiduo poſcendam prece, Præceptor docuit: Pater noſter qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum.* Mat.

Educ foras populum cæcum, & oculos habentem: ſurdum, & aures ei ſunt.

Digniſſima myſterij ac loci huius tractatio, quamuis magnum ingenium, quamuis multum otium, & facundiæ plurimum nacta fuerit, pro dignitate & magnitudine tamen ſemper breuior & anguſtior quàm res poſtulet, cenſebitur: continet enim ſapientiæ ac ſcientiæ Dei cum omni alia creata ſapientia & intellectione collationis, nulli, niſi Deo ipſi, concedendum ac tribuendum iudicium. quod aliquando cogitare, & contemplari aggreſſi Apoſtoli, rerum maieſtate apud ipſum primum arcani limen victi, in admirationemq; arrepti, ſinunt. De quo myſterio non pauca nos in Magni operis anima tetigiſſe videmur: plura etiam, Deo docente, dicere vouemus; atq; ab aliis etiam audire optamus. Interim verò dum hoc contingat, & noſtræ exiguæ opis conſcij & commentationis legibus obſecuti, ex ingenti hoc & immenſo campo, in exiguum ſanè, tamen expeditum, rationis ac doctrinæ gyrum, orationis curſum compellemus. Eſt autem digniſſimæ tractationis huius illa ſumma narratio. Mundi conditarumq; rerũ plena & exacta ratio nulli hominum, quamlibet ingenio ac doctrina pollentium; imò nulli ſuperiorũ ſpirituum, niſi Deo, vt auctore, ita magiſtro, conſtitit. Illud verò Angelis teſtibus planè cognitum fuit: quemadmodum prima omnium terreſtrium natura, id eſt, homo, ſua ipſius culpa labẽ acceperit, vitiumq; fecerit. Verùm enimuero, quamquam hiſtoria hæc primis parentibus, & ex horum traditione nonnullis fortaſſe ex primis, & antiquiſſimis horum filiis nota fuerit; iſtorum tamen poſteritati adeò incognita euaſit, vt apud attentioris mentis atque iudicij homines humanæ peruerſitatis morbus quidem ſentiretur agnoſcereturq;. Morbi verò initia, occaſio, & magnitudo, atque inſita interna vis, vnà cum primo auctore, & cauſis inter ignotiſſima haberentur. Quamobrem vbi de adhibẽda curatione agebatur, magnificis quidem verbis, & vario atq; excogitato orationum & carminum genere promiſſa & commendata ſanitatis ſpes tandem ita cluſa deprehendebatur, vt vera virtus, & integra valetudo in iiſdem ipſis, à quibus promittebatur, medicis prima demùm requireretur. qui tandem, cùm ſibi præſtare & prodeſſe non valuiſſent, ſanitate deſperata, morbo potiùs indulgere, & vitioſæ vitæ præſente vſura frui, quàm nimis anxiè in remedij inquiſitione ſeſe macerare decreuerunt. Id quod, vbi publico & communi experimento ac ſenſu cunctis certum exploratumq; conſtitit, bonitatis ac miſericordiæ diuinæ propoſito & conſilio corrigi primùm cœptum, atq; tandem oportuno tempore perfectè & exactè curatum, & multis partibus atque modis promotum

 motum

motum amplificatúmque fuit. Correctionis autem initia in vera & certa morbi doctrina & cognitione poſita fuere. atq; hanc partem diuinarum legum præcepta atq; diſciplina vendicant: quibus nulla humanæ ſapientiæ elementa, momenta, ac documenta, quamuis celeberrima, comparari poſſe, aſſeuerat Vates. Psal. 118. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua. Eandem verò hanc diligens & accurata adhibendæ præparationis admonitio & ſuaſio, Vatum ac Sacerdotum doctorumq́; opera & ſedulitate ſubſecuta eſt: demumq́; vero & vnico Medico, Dei Filio, in terras miſſo, & homine facto, non modò grauis ille & mortiferus morbus, iis qui medico obtemperauere, depulſus & ſalus reddita fuit; verùm hæc tot modis ac partibus aucta & amplificata, tantisq́; ornamentis inſtructa, vt non homines tantùm, verùm Angelos ipſos, in maximam admirationem traduxerit.* Coloſſ. *Myſterium, quod abſconditum fuit à ſeculis & generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis eius: quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ ſacramenti huius in gentibus, quod eſt Chriſtus in vobis ſpes gloriæ: quem nos annunciamus, corripientes omnem hominem, & docẽtes omnem hominem in omni ſapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Ieſu, Quod verò de vano hominum labore & ſtudio erga communis morbi cognitionem atque medicinam dicimus, idem quoque nos docet* Epheſ. 4. *Apoſtolus: Hoc igitur dico, & teſtificor vobis in Domino; vt iam non ambuletis ſicut gentes ambulant, in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum; alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis propter cæcitatem cordis eorum: qui deſperantes, ſemetipſos tradiderũt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis in auaritiam. Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum. Si tamen illum audiſtis, & in ipſo edocti eſtis, ſicut eſt veritas in Ieſu, deponere vos ſecundùm priſtinam conuerſationem, veterem hominem, qui corrumpitur ſecũdùm deſideria erroris: renouari autem ſpiritu mentis veſtræ, & induere nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis. Ex hac verò ſummæ conſiderationis ac doctrinæ ratione illud deducimus; humanæ naturæ morbum Gentium ſapientibus non rectè cognitum, quanquam conditarum rerum peritiam iactantibus, Iſraelitis verò per legis diſciplinam indicatum: remedij verò & curationis perfectæ modum, vtriſque ignotum; nihilominus tamen diuinæ miſericordiæ, ſapientiæ, & virtutis beneficio publicè & communiter allatum, & firmatum vtriuſque populi fidentibus & obedientibus hominibus. Atque in eius, quam indicauimus, ignorationis confeſſionem vterque à Vate noſtro adducitur populus.* Educ foras populum cæcum, & oculos habentem. *Gentes hac circuitione appellantur: quarum ſapientes, quamquam diuinarum humanarumq́; rerum peritiam ex contemplatione earum, quæ videntur, profeſſos & iactantes; tamen multis in partibus, imò ferè in omnibus, hallucinatos, diuina doctrina euincit: nec tamen eos qui ſacræ legis diſciplina imbuti, & Vatum oraculis inſtructi fuerant, ignorationis inſigni nota exemptos eſſe ait: vtpote quos, quãquam creationis veritatem, & culpæ humanæ initia & cauſam edoctos, tamen*

regene-

regenerationis ratio quàm longiſſimè fugerit, & Euangelij admirabilis & exoptanda virtus multis modis commendata, volentes tamen latuerit. S. S. E. Quod ſi opertum eſt Euangelium noſtrum, in iis qui pereunt eſt 2. Cor. 4.
opertum: in quibus Deus huius ſeculi excæcauit mentes infidelium, vt non “
fulgeat eis illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei. “ *Atque hos, & horum ſapientes ita per Vatem noſtrum Deus compellat* populum ſurdum, & aures ſunt ei. *Non enim omnes, quibus aurium facultas eſſe videbatur, audire purè, & vt oportuerat dicti: quippe quorum pars magna Euangelicæ doctrinæ momenta non intellexerit. quorum vni obiectum legimus: Tu es Magiſter in Iſrael, & hæc ignoras? ſi terrena dixi vobis, &* Ioan. 3.
non creditis: quomodo ſi dixero vobis cæleſtia, credetis? Huiuſmodi etiam “
ob cauſas illud à IESV *clamatum & requiſitum:* ***Qui habet aures audiendi, audiat.***

Omnes gentes congregentur ſimul, & collectæ ſunt tribus.

N E *quid vſquam, quod ſibi arroget, humanæ ſapientiæ induſtria habeat; vtriuſque partis homines, tam Iſraelitæ quàm gentes ad myſterij huius conferendas & examinandas rationes vocantur, ſine exceptione vllius vel conditionis, vel capitis, vel nominis. Alteram partem admonendam & appellandam illa oratio ſignificat:* Omnes gentes congregentur ſimul; *alteram verò illa:* & collectæ ſunt tribus. *Ex antiquæ lectionis & primæui carminis veritate, coniecturam facimus à Latino interprete noſtro fuiſſe ſcriptum,* & collectæ ſint tribus: *namq; poſterius verbum in exemplari eiuſdem cum priori temporis, hoc eſt, futuri formam obtinet. & quod hic interpres noſter ſententiam atq; rem attingens vertit in* TRIBVS, *in exemplari* LEVMIM *eſt; pro quo idem ſæpè reddere ſolet* populos. *huius autem vocabuli ex etymo ſignificationem paulò antehac exhibuimus. Et quidem gentes ad hoc appellantur, vt videlicet, ſi veram & certam eandemq; primam humanarum rerum cùm conditarum & perditarum, tum verò inſtaurandarum aut corrigendarum atq; adeò promouendarum rationem tenuerint, palàm doceant, & certis documentis confirment. Iſraelitæ verò ſecundùm carnem rogantur: quanquam priorem huius controuerſiæ partem de rerum principiis & hominum labe & ærumna edocti per legem tenuerint: num poſtremam & præcipuam de ſalute publica cognitionem, vel mente & electione perceperint, vel beneficio & efficientia legis fuerint aſſecuti? Quod non ſatis fuerit iactare & affirmare, niſi productis in medium teſtibus idoneis & locupletibus comprobauerint, S. S. E. In ore duo-* Deut. 18.
rum vel trium teſtium ſtabit omne verbum.

Quis ex vobis annũciet iſtud, & quæ prima ſunt audire nos faciet? dent teſtes eorum, & iuſtificentur, & audiant, & dicant, Verè.

D I V I N A M *virtutem in hominum genere creando non verbis tantùm, ſed reapſe oſtendi oportere, ius æquitasq; docet & poſtulat: neq; enim homo verbum, & vox inanis eſt; ſed rerum omnium terreſtrium naturæ præſtantiſſimæ. cuius condendi vis & auctoritas nulli quàm Deo tribui vllis hominum argumentationibus, aut rationibus poteſt; non ſublimibus,*

&

& ſeparatis animis & ſpiritibus, non cælo, cæliue aſtris, non caſui aut fortunæ, non deniq; vllo nomine vel pacto appellandæ naturæ, niſi diuinæ ſoli. Eiuſdem autem labefactati, & in vitium delapſi, cauſas & modos, & culpam, præter hominem ipſum, atq; inſtigatorem inſidiatoremq; diabolum, quiſquis alicui alij rei allegauerit, nullo vero documento monſtrabit. longè verò minus corrigendi, ſanandi, reficiendi, atque regenerandi hominis facultatem & vim vel aſſequi quiſpiam valebit, vel alicui creatæ naturæ adſcribere iure poterit. In rebus verò ſeriis, ac quarum certa definitio eſt, non orationis & verborum, ſed veritatis & conſtantiæ examinanda atque habenda ratio eſt. Veritas autem præſenti teſtimonio comprobatur, eorum qui rem ita ſe habere; non quòd ex aliis audierint, ſed quòd ipſi viderint, ſenſerint, atq; pro certo compererint, conteſtantur, & affirmant. Huiuſmodi teſtimonia ſi produci iſtis poſſint, firma & certa, & manifeſta; nihil obſtabit, quo minus illud conceſſum audiatur, Verè. *non autē vnquā producta, ſed ne indicata quidem, Deus per Vatem ſignificat: non gentibus, quibus, vt anteà oſtendebamus, veræ virtutis, quanquam calor nonnullus fumarit, in moribus atq; in verbis præcipuè; verùm ne ſcintilla quidem effulſerat. Veram autem virtutem appellamus eam, cuius facultate & habitu vetus ille homo corruptus, in nouum hominem tranſierit mutatus. Rurſus verò iis, quibus diuina doctrina oratione & ſcripto contigerat, ſalutis & ſanitatis externam quandam vmbram & imaginem oſtenſam quidem, facultatem verò & copiam iuſtam, non antè factā quàm per promiſſum verbū Deo perficere fuerit placitum; quod vbi euenerit, certiſſimis & manifeſtis ex Deo datis teſtimoniis oſtenſum & confirmatū iri, per Vatem prædicitur.*

Vos teſtes mei, dicit Dominus, & ſeruus meus quē elegi: vt ſciatis, & credatis mihi, & intelligatis quia ego ipſe ſum.

VIRTVTIS *veritatiſq; diuinæ teſtimonium à Deo promiſſum, hoc pacto expectandum accepimus, vt primùm per ſingularem ac præcipuum*
Philip.2. *Dei ſeruum diceretur, id eſt, ipſum Dei verbum & Filium: qui formam*
" *ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt*
" *homo, humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortē au-*
" *tem crucis: propter quod Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod*
" *eſt ſuper omne nomen. Deinde verò eiuſdē verbi opera & efficientia, complures alij producti, pro eiuſdem veritatis ac virtutis teſtimonio dicerent. Teſtimonium autem illud, quo de agimus, duplici conſtare debuit parte; vt planè diuinum ex reſponſorum ac vaticiniorum ratione & definitione probaretur, videlicet exemplo ac dicto. Dicti illa ſumma, Humanam regenerationem diuinitus factam & præſtitam. Exemplum verò eorum ipſorū, qui dicerent, vita, moribus, & cōſuetudine præbendum, quibus diuina illa hominum renouatio per Spiritum ſanctum facta, agnoſceretur, verumq; il-*
Ibid. *lud euaderet, Omnes qui viderint eos, cognoſcent illos, quod iſti ſunt ſemen*
" *cui benedixit Dominus. Namq; teſtimonium illud, in quo alterutra harum partium requireretur, non diuinum, ſed humanum habendum fuerat. Iam verò verbi teſtimonium, hoc eſt, Chriſti Filij Dei, eiuſdemq; ſerui dicti, indi-*

iudicare facile eſt, quam ſerui formã accepiſſe D. Paulus narrat, & ipſum
ſeſe interdũ in parabolis aliàs etiam nudè & apertè profeſſum accepimus.
Cùm ſerò autem factum eſſet, dixit dominus vineæ procuratori ſuo: Voca Mat. 20.
operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouiſſimis vſque ad primos. “
&, Filius hominis non venit vt miniſtretur ei, ſed vt miniſtraret, & da- Mar. 10.
ret animam ſuam redemptionem pro multis. Cuius teſtimonium & publi “
cè ac palàm coram principibus ac populo, & legitimè etiam coram iudice
tributum legimus. illis videlicet exemplis, Ego autem, qui veritatem dico, Ioan. 8.
non creditis mihi. Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, “
quare vos non creditis mihi? & paulo antè hæc: Dixerant illi Pharisæi, Tu In ibid.
de te ipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum. Reſpon- “
dit eis Ieſus, Et ſi ego teſtimonium perhibeo de me ipſo, verum eſt teſtimo- “
nium meum: quia ſcio vnde venio, & quò vado. Vos autem neſcitis vnde “
venio, aut quò vado. Vos ſecundùm carnem iudicatis, ego non iudico quem- “
quam: & ſi iudico ego, iudicium meum verum eſt: quia ſolus non ſum, ſed “
ego, & qui miſit me, Pater. Et in lege veſtra ſcriptum eſt, quia duorum ho- “
minum teſtimonium verum eſt. Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de me- “
ipſo, & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me, Pater. Dicebant ergo ei, “
Vbi eſt pater tuus? Reſpondit Ieſus, Neque me ſcitis, neque Patrem meum. “
ſi me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis. Hæc verba locutus eſt Ieſus “
in gazophylacio docẽs in templo. Coram iudice verò, Ego in hoc natus ſum, Ioan. 18.
& ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati: Omnis qui “
eſt ex veritate, audit vocem meam. De hac autem re ita Paulus: Præcipio ti- 1. Tim. 6.
bi coram Deo, qui viuificat omnia, & Chriſto Ieſu, qui teſtimonium red- “
didit ſub Pontio Pilato bonam confeſſionem, vt ſerues mandatum ſine ma- “
cula irreprehenſibile vſque in aduentũ Domini noſtri Ieſu Chriſti: quem “
ſuis temporibus oſtendet beatus, & ſolus potens Rex regum, & Dominus “
dominantium: qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſ “
ſibilem; quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt. Cui honor & “
imperium ſempiternum, Amen. Veritatis autem eiuſdem communicatione “
per ſanctificationis ſpiritum accepta, teſtimonium etiam ab vtriuſque par-
tis, hoc eſt, Iſraelitarum ſecundùm carnem, & gentium hominibus, dicen-
dum, idem verbum pollicitum eſt: quod non longè poſt factã pollicitationem
præſtitit. Accipietis virtutẽ ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos, & eri- Act. 1.
tis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vſque ad “
vltimum terræ. Id quod paulo pòſt verè præſtitum, Apoſtoli teſtati ſunt, “
adiecta, & planè explicata re, cuius cauſa teſtimonium dicebatur. Hunc Ie- Actor. 2.
ſum reſuſcitauit Deus, cuius omnes nos teſtes ſumus. Teſtimonij verò di- “
ctum illud eſt, DEXTERA DEI EXALTATVS, & promiſſione Spiritus ſan- “
cti accepta à Patre, effudit hoc donum, quod vos videtis & auditis. In hoc 1. Ioan. 4.
cognoſcimus, quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis: quoniam de ſpiritu “
ſuo dedit nobis: & nos vidimus, & teſtificamur, quoniam Pater miſit Fi- 1 Ioan. 5.
lium ſaluatorem mundi. Et Spiritus eſt qui teſtificatur, quoniam Chriſtus “
eſt veritas. Si teſtimonium hominũ accepimus, teſtimonium Dei maius eſt: “

» quoniam hoc eſt teſtimonium Dei, quod maius eſt, quoniam teſtificatus eſt
Indid. de Filio ſuo. Qui credit in Filium Dei [ſecundùm potentiã virtutis illius]
Act.18. habet teſtimonium Dei in ſe. Et cùm veniſſent de Macedonia Silas &
» Timotheus, inſtabat verbo Paulus; teſtificans Iudæis eſſe Chriſtum Ieſum.
1.Pet.1. & : Seniores ergo qui in vobis ſunt, obſecro conſenior, & teſtis Chriſti paſ-
» ſionum, qui & eius, quæ in futuro reuelanda eſt, gloriæ cõmunicator. Com-
pluraq́ alia tum dicta, tum relata extant in ſacris chartis teſtimonia. quo-
Act.4. rum bona pars à nobis in magni operis anima recitata eſt. Virtute ergo ma-
» gna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domi-
» ni noſtri: & gratia magna erat in omnibus illis. Cuius quidem gratiæ ac
virtutis conſtantia, & vero exemplo diuina virtus & efficientia palàm
apud ipſos declarabatur: qui, quod in Chriſto eſſent non ſecundùm carnem
Gal. 2. ambulantes dicebant: Ego enim per legem legi mortuus ſum, vt Deo viuã:
» Chriſto confixus ſum cruci, viuo ego iam, non ego: viuit verò in me Chri-
» ſtus. quòd autem nunc viuo in carne, in fide viuo Filij Dei, qui dilexit me,
» & tradidit ſemetipſum pro me. Non abiicio gratiã Dei: Si enim per legem
» iuſtitia, ergo gratis Chriſtus mortuus eſt. Huiuſmodi itaq́ teſtes vnà cum
ſeruo ſuo, ſibi electo, producturum ſe Deus pollicetur: qui teſtimonium Dei
in ſe habentes ante promiſſorum veritatem & conſtantiam teſtarentur, &
firmarent. vt ſciatis, & credatis mihi [per fidem, quæ reuelanda erat] &
intelligatis quia ego [qui promiſeram] ipſe ſum [qui præſtem.] id quod
nulli alij virtuti, efficacitati, efficientiæ, aut naturæ tribuendum adſcriben-
dumq́ fuerit, præterquam mihi: qui, vt primus, omnia creaui, condidi, &
Ephes.1. formaui; ita poſtremus, omnia inſtauraui, & amplificaui. Vt notum face-
» ret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ ſecundùm beneplacitum eius, quod
» propoſuit in eo [Chriſto] in diſpenſatione plenitudinis temporum inſtaura-
» re omnia in Chriſto, quæ in cælis, & quæ in terra ſunt, in ipſo: in quo etiam
» nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius, qui opera-
» tur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, vt ſimus in laudem gloriæ
eius. Atq́ omnium huiuſmodi teſtimoniorum ac teſtium gloriã & laudem
ſibi vni ac ſoli ſeculorum omniũ auctori, principi, & inſtauratori tribuen-
dam, legitimeq́ concedendam Deus prædicit.

Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit.

Virtutis, efficacitatis, poteſtatis, & efficientiæ æternum, immenſum, & inexhauſtum fontem vnicum & ſingularem ſe eſſe, neque parem aut ſimilem, neque primum aut ſecundum habere Deus ait: idq́ effectu & re oſtenſurum pollicetur. quod etiam ſingulari & arcanæ dictionis modo pronunciandum Vati hoc loco dictat. Cuius nos myſterij particulam aliquam indicare non pigebit: totam autem rationem illis relinquentes, quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ ſacramenti huius in gentibus. Habent autem admirationem duæ voces, ante & poſt, nomini ſiue pronomini diuino coniunctæ: à quo ſermonis veri natura ac iure cenſentur quam remotiſsimæ: nã cùm Deus A & Ω, idemq́ primus & nouiſſimus, vel principium & finis verè dicatur, quánam ratione ante & poſt, cùm de ſe loquitur,

Apoc. (margin note beside the line beginning "tiſsimæ")

quitur, in ſermonem admittit? Namq́ id quod æternum, immenſum, infinitumq́ ſua natura eſt, nullum vocibus & ſignificationibus huiuſmodi relinquit aut concedit locum. Et tamen illud perſuaſum haberi oportet, nihil à Dei Vatibus otioſè aut nequicquam pronunciatum: quamobrem & accipiendum, & aliqua ex parte pro contemplantis, aut explicantis animi modulo ex diuina ope inueſtigandum iis rationibus, quæ ex verborum & pronunciationis obſeruatione & vſu peti poſſunt; donec ea contingat ſapientia, quam inter perfectos communicare ſolere Paulus ait. 1 Cor. ...

PRINCIPIO *animaduerſione dignum eſt, dicti huius auctorem & perſonam Deum eſſe, nomine illo arcano quatuor literis conſtante ſeſe hoc loco appellantem. Namq́ verſus hic ſuperiori adiungitur,* Vos teſtes mei, dicit DOMINVS; *deinde ipſi aliud attribui, id eſt,* EL. *quod ex multis ſingularem & efficacem virtutem, fortitudinem, potētiamq́ ſignificat. de quo ſæpe nobis aliàs dictum. Ait autem hoc loco Deus, ex huius à ſe facti promiſſi veritate illud euenturum, vt ſui teſtes eundem verbo ac promiſſo ſuo ſtare ſciant & credant, & præterea intelligant ipſum eſſe, ante quem non ſit* formatus EL, & poſt *quem* non erit. *Hoc verò dictum ita in exemplari lingua habet,* LEPHANAI LO NOTSAR EL VEAHHARAI LO IIHIEH. *quod ex verbo ſic reddi poteſt,* Ad facies meas non fictus eſt EL, & POST ME NON ERIT. *Cuius verſionis, quem perceperat ſenſum, ita reddidit interpres noſter.* Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit. *Primùm illud animaduertendum eſt, dictionē* LO *in exemplari lingua, ſiue* NON *in Latina hoc loco non modò ea, quæ ſubſequuntur, ſed ea etiam, quæ præierant, remouere & negare; etiamſi nullum interſit verbum: quod ſæpiſſimè ex linguæ vſu reticetur. Ita autem negatur Deo* ante & poſt, *& negatur etiam* fuiſſe formatus EL. *atq́ hoc ad præteritum attinet. ad futurum verò quod facit, non modò negatur* futurus EL, *ſed futurum etiam tempus, atq́ adeo particula ipſa* Poſt, *hoc ſenſu: A me, natura, veritate, ac diuinitate mea omnia hæc ſunt alieniſſima.* ante, formatio paſſiua abſoluta fictio alterius EL, *ſiue fortis & efficacis Dei,* & poſt & erit. *Ita fit, vt Deo non ſit ante nec formatio, nec figmentum paris potēſtatis, nec futurum: ſed quidquid eſt, Deus ipſe eſt in æternitate: in qua nullus præterito, futuro nullus, nec præſenti mutabili locus. itaque non propriè & germanè dicitur,* Deus fuit, Deus eſt, Deus erit, *temporum terminis ac rationibus manentibus: ſed vel Latinè dicitur* DEVS EST, *verbo æternitatem ſignificante, nullamq́ rationem ad præteritum vel præſens admittente: vel magis propriè in ſancta lingua dicitur,* DEVS HV. *quod Latinè ſonat* IPSE, *& integritatem cum æternitate & ſingularitate, veritate, infinitudineq́ ſignificat. Namq́ vox* HV *omnem finem, alteritatem, ac mutabilitatem, varietatem, atq́ adeò tempus omne excludit. Iam verò hemiſtichij ac dicti huius abditam rationem aliquantulo penitiùs rimemur, illud cumprimis repetentes, Deum diuinamq́ naturam dupliciter à nobis conſiderari: vno modo vt in ſe ipſa, altero vt in rebus habet. Vt quidem in ſe ipſa habet, nec vlli linguæ aut voci dicitur, nec vlla cogitatione & intellectione*

יהוה

לא

הוא

 per-

יהוה pernoſcitur: tantumq́; in ſacris arcaniſq́; narrationibus vocatur IEHVEH; quatuor conſonantibus literis conſtante nomine, IOD, HE, VAV, HE; quod Græcis τετραγράμματον dicitur; & à verbo HAIAH deriuatur; quod veritatem, eſſentiam, certitudinem, & conſtantiam, & quidquid ad hæc Latina in lingua referri poteſt, ſignificat. Atque ipſa nominis figura omnia tempora in vnam ſimplicem formam coacta continentur; præteritum, præſens, & futurum. Namq; iiſdem ipſis literis ſcribitur, היה, הוה, יהיה, HAIAH, HOVEH, IEHIEH, & propter conſtantem vim literæ Iod, perpetuitatem æternitatemq́; ſibi vendicat. Atq; ita nomen ipſum vni Deo eſſentiam ac veritatem propriam, ſingularem, immenſam, & infinitam, eandemq́; æternam atq; immutabilem, & nulli alij pari lege ac iure communicabilem adſcribit. quod quidem nomen ininterpretabile, vel admirabile, & immenſæ dicitur ſignificationis, quondam in ſancto loco, & ſacrorum ritibus pronunciatū, vulgo & extra ſacra vicaria voce ADONAI indicatum, potiùs quàm prolatum.

Verùm Deus in rebus conſideratur vt creator, conditor, & conſeruator omnium, quæ extra ipſum, intra vel extra cælum aut mundum eſſe videntur, aut aliàs intelliguntur, veræq́; naturæ communionem ſortita fuerint. Atq; hoc etiam iure nomen illud quatuor literarū ſibi vendicat: quod cum aliis lectum vocalibus IEHOVI, ſiue IEHVI ſonat. cum quibus, & ſine quibus etiam idem ſignificat quod Latinis oratio hæc FACIENS ESSE, ſiue FACTVRVS ESSE. Namq; futuri forma proprietatem cum veritate & perpetuitate adrogat. Atq; ex hac vtraque ratione tum naturæ & habitudinis Dei in ſeipſo, tum etiam eiuſdem erga res omnes, quòd vna eademq́; ſubſtantia ſit, nomen hoc vnum, vnicum, atque ſubſtantiuum ſibi vendicat, vt idem in ſe יהוה, idem ad res appellatū יהוה dicatur. Idem namq; ipſe æternus & verus eſt; idem ipſe eorum, quæ ſunt, omnium effector, & vt ſint, cauſa eſt. At verò duplex à nobis huiuſmodi indicata nominis ratio ita in ſacris diſtinguenda obſeruatur ſermonibus, vt cùm naturā abſolutè ſignificat, ſine vllo adiuncto pronunciatum audiatur. atq; huc illud referimus: Si
Exodi 3. dixerint mihi, quod eſt nomen eius? quid dicam eis? Dixit Dominus ad
" Moyſen: EGO SVM QVI SVM, EHIEH ASER EHIEH: Sic dices filiis Iſrael, QVI EST miſit me ad vos. & aliàs etiam cùm de natura, ſingularitate, ac præſtantia Dei ſermo ſit, vel EHIEH, vel IIHIEH abſolutum reperimus nomen. nulli enim alij rei diuina coniungitur aut connectitur natura. Verùm enimuerò cùm diuinæ naturæ ad res alias tanquam conditoris ad conditas, & ſeruatoris ad ſeruatas, aut aliàs alio modo habentis ad habitas refertur; idem ipſum Tetragrammaton vocatū nomen adiunctionem coniunctionemq́; aſciſcit & admittit: atq; ita dicitur IEHVEH TSEBAOTH, IEHVEH ELOHEI TSEBAOTH, IEHVEH ELOHEI IISRAEL. quod interpretari poſſumus, Eſſe faciens & gubernans exercitus ſuperiores & inferiores, effector & gubernator Iſrael. Sic etiam dicitur, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iaghacob. auctor, gubernator, & amplificator perpetuus Abrahami, Iſaaci, & Iaghacobi. Ex qua ratione probatur

Deus

Deus viuorum, non mortuorum. Quod argumentum ſapientiſſimè Ieſus Chriſtus aduerſum Saducæos vſurpauit. atq; ex eadem illud apud Heſeam elucidamus: Et IEHVEH *Deus exercituum, & IEHVEH memoriale eius.* Oſee 12. *Ex eo (inquit) quòd ſublimibus ac infimis exercitibus vt ſint, vtiq; exerceantur, dat & conſtituit; hoc nomine* IEHVEH *monumentum ſibi ponit.*

Igitur ex hac altera diuini nominis ratione & veritate Deus iis, quos regeneraturus ſuſcipit, ait, vt ſciatis [*veritatem rerum à me effectarum, & efficiendarum, quæ in ſacris libris traduntur*] & credatis [*ſecundùm potentiam virtutis meæ ex fide in fidem*] & intelligatis [*prudenter, ſapienter, atq; certis rationibus*] quòd ego ipſe ſum, *qui omnia fecerim, quiq; regenerauerim vos ac refecerim; atque idem qui nunc loquor, & locutus iam ſum: & qui ſolus & vnicus præſtare poſſim, & præſtiti ac præſtitero: atq; adeò vnicus & ſolus, & efficaciſſimus; vt nihil eorũ, quæ ſunt, eſſent, niſi ipſe feciſſem; nihil ſimiliter eorum, quæ futura prædicuntur, extare poſſint, niſi ipſe voluerim, promiſerim, & præſtiterim. Namq; omne quod factum eſt, quódve fiet, auctorem habere & nominare oportet* EL, *id eſt,* EFFICACEM *antè verò quàm ego me efficacem creando mundum oſtenderem, nullus* EFFICAX formatus eſt: *ideoq; nihil ab vllo præter me effectum. Præterea* EL, *id eſt,* EFFICACI, *ex natura rei fictum vel formatum eſſe repugnat. nec ſolùm hoc negatur: verùm & ipſa hæc vocabula,* ante, fuit, formatus. *vnde quidquid præter me eſt, poſtquam ego memoriale hoc meũ* IEHVEH *conſtitui, eſt, & vt ſit à me habet. Neque poſtea etiam quàm ego mundum feci, quiſquam* EL *formatus eſt, per quem noua aliqua fieret res. Nec poſtquam ipſe, quod pollicitus ſum, præſtitero,* EL *quiſpiam alter extabit, qui vel facere quicquam, vel reficere ac regenerare poſſit. Atq; ita hanc alteram memorialis ac nominis mei rationem vtrimque firmam, ſanctam, & ſingularem conſtare mihi intelligetis; teſtati deinceps atq; profeſſi doctrinam hanc, me ſolum vnicum eſſe* EL, *qui omnia per meum fecerim* Heb 1. *verbum, quiq; omnia per idem verbum auctorem ſalutis refecerim & conſummauerim. ita vt tum naturæ, tum ſalutis publicæ auctoritas, gloria, & laus vni mihi, nemini præterea ſit ex vero atque ex iure tribuenda. hoc eſt quod aliàs ipſe ait, Et gloriam meam alteri non dabo. Verbum* THABINV, *pro quo redditum* intelligatis, *non modò intelligere, ſed intelligentiam & mentem ſuam aliis communicare & impertiri, ex germana coniugationis vi ſignificat. quod quidem opus teſtium proprium eſt, non ſibi ſolis rerum notitiam vſurpantium, verùm aliis indicantium & probantium. id quod Apoſtolis de verbo Dei factitatum accepimus. Non eſt in alio aliquo ſalus:* Act. 4. *neque enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Atque hanc diuinæ atque vnicæ virtutis, efficacitatis, & efficientiæ doctrinam veram, conſtantem, & incommutabilem eſſe ac fore, Deus ipſe è veſtigio aſſeuerat, ac ſibi vnicè prædicando vendicat & repetit. Atq; facultatem rei huius, & rerũ promittendi & prædicendi nunciandiq; auctoritatem ſibi vni adſcribendam aſſerit.*

Ego ſum, ego ſum IEHVEH Dominus, & non eſt abſque me ſal-

uator Ego annunciaui, & ſaluaui: auditum feci, & non fuit in vobis alienus. Vos teſtes mei, dicit Dominus, & ego Deus.

Auctoritatem, facultatem, & laudem IL nulli præterquam vni naturæ Dei tribuendam eſſe, diuinæ ſimplicitatis conſtantis & æternæ infinitæq́; virtutis eſſe; omnium hominum, qui iudicij, imò & ſenſus communis, expertes non fuerint, ſententiis confirmatū ſua ſponte apparet. Nemo enim ſanæ mentis creationem edoctus fuerit mundi, quin vnum creatorem, & Patrem agnoſcat & confiteatur omnium. Quandoquidem & gentiū poëtæ, qui numinibus numeros natura negatos fecerunt; vnum tamen ἀνδρῶν τε θεῶν τε, hominum atq; deorum patrem & principem perpetuò celebrarunt: penes quem vnum ceterorum creatio gubernationisq́; ſummum ac ſolidum ius, perpetuaq́; & conſtans eſſet auctoritas,

Hor. lib. 1. carm.

Qui res hominum atq; Deorum,
Qui mare & terras variisq́; mundum
Temperat horis.
Vnde nil maius generatur ipſo,
Nec viget quicquam ſimile aut ſecundum.

Hoc verò ipſum cùm omnibus certum, definitum, ratumq́; ſit; vnum tãtùm eſſe rerum auctorem, inſtauratorem, hoc eſt, vnam ſupremam efficaciſſimamq́; virtutem & naturam (quod in argumentatorum foro Hypotheſis dicitur.) Hæc reliqua pars eſt, hic reſtat actus cognoſcendi, videlicet eius, cui hæc virtus, gloria, atq; laus recto ac ſapiente tribuenda debeatur iudicio. Atq; huiuſmodi cauſa ad coniecturalem pertinet ſtatum. Eſt autem coniecturarum duplex genus: alterum artificiale, inartificiale alterum. Artificiale in argumentorū inuentione, ac ferè in diuinatione verſatur, & orantis acutum atq; ſagax poſtulat ingenium: vt ſi non veris & manifeſtis, vero ſaltem ſimilibus perſuadeat, ac iudiciū ex induſtria impetret, vel extorqueat. Inartificiale verò genus minus laboris ac periculi habet: vtpote quod nihil ingenio egeat; ſed tantùm in certis ac manifeſtis documentis comparandis & producendis operam ponat. Documenta verò hoc loco vocamus dicta, pronunciata, ſcripta, tabulas, ceteraq́; monumenta; cumprimis verò teſtimonia: quorum certa & legitima copia maximam in omni ſincero iudicio vim, auctoritatem, & efficacitatem habet. S. S. E. In ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum. Et quidem cui huius poſterioris cõprobationis certa conſtat facultas, illius alterius apud incorruptum iudicem ſuperuacaneus eſt vſus. id quod à Iuda apud Ioſephum quondam intrepidè fuit allegatum: nempe explorationis inſimulatæ ſuſpicionē producendo fratrum numero, tanquam ſimplicitatis & innocentiæ ſuæ manifeſto teſtimonio dimouere & propulſare confidente. Cuiuſmodi etiam partem à ſimplice milite, & cauſæ ſuæ veritati nixo, Aiace vſurpatam legimus.

Vide Iſocratis orationem, quæ ἀμάρτυρος inſcribitur.

Gen.

Ouid. Metamorph.

Agimus cum nauibus, inquit,
Et coram Græcis, mecum confertur Vlyſſes?

Atqui hunc ipſum locum apud Vatem noſtrum, his, quos modò commentamur,

*mur, tractat verſibus Deus. non qui coniecturis & ratiociniis nunc diſ-
putet: ſed qui manifeſtis & firmiſſimis omnium documentis, teſtimoniis,
inquam, ſibi uni & creatarum antea rerum, & ſalutis omnis atq; inſtau-
rationis conſummationisq; auctoritatem certã & propriam defendat. con-
ceſſo enim, & pro certiſſimo habito, omnibusq; ſententiis confirmato, non
plures aut varios, ſed unicũ credendũ, ſtatuendũ, àccendumq; creatorẽ, ubi
de creatione conſtiterit; unũ inſtauratorem & aſſertorem, ubi de ſalute &
regeneratione agatur. Reliquũ eſt, iudicare ac decernere eidem perpetuum
huius auctoritatis præconium tribuendum, qui ſemel ſeſe creatorem & ſer-
uatorem præbuerit. Hanc verò utriuſque laudis prærogatiuam non ſorti-
tione, ſed proprietate ſibi tribuendã oraculi huius auctor ac dictator Deus,
IEHVEH inquam, tuetur; utriuſque facultatis exemplis iam pridẽ ſpecta-
tis, atq; teſtibus idoneis, iiſdemq; compluribus appellatis ac datis, maximarũ
mirabiliumq; rerum à ſe in cælo, in terra, in mari, & in omnibus Abyſſis,
publicè ac palàm factarum, & cauſa quamobrem illa fierent, obtenta, pro-
tecta, firmata, atque conſtabilita. Quæ omnia in Ægyptiaca libertate præ-
ſtita, & perpetuo uſu celebrata conſtant. Nam præter miracula & prodigia
publicè tam ab impiis, quàm à piis viſa & ſpectata, publica communisq; li-
bertas & ſalus eodem qui ſeſe rerum conditorem declarauerat, redemptore
& aſſertore Deo Iſraelitis facta & confirmata conſtitit: eaq; non uſitatis
bellorum ac præliorum, telorũ, apparatusq; modis, verùm in manu potenti,
& brachio excelſo validiſſimis, & maximè induſtriis contumaciſſimisq;
hoſtibus victis, perditis, ac prorſus deletis, & re omni celeberrimis decan-
tata carminibus, & ad æternam poſteritatis memoriam repetendæ cõme-
morationi mandata. Dominus regnabit in æternum & ultrà. Ingreſſus eſt* Exodi 15.
enim Pharao cum curribus & equitibus eius in mare, & reduxit ſuper eos “
Dominus aquas maris. Filij autem Iſrael ambulauerunt per ſiccũ in medio “
eius. Liberauitq; Dominus in die illa Iſrael de manu Ægyptiorum, & vi- Exodi 14.
derunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris, & manum magnam quam “
exercuerat Dominus contra eos. Timuitq; populus Dominum: & credide- “
runt Domino & Moyſi ſeruo eius. Id quod ut non caſu, aut quapiam alia “
*efficientia, niſi ſola virtute diuina factũ: ita quoque eiuſdem auctoris ora-
culo multo antè quàm fieret, prædictum & expectatum conſtat. Namque
Abrahamo Iſraelitarũ progenitori ita reſponſum legimus: Scito præno ſcẽs,* Gen. 15.
quòd peregrinum erit ſemen tuũ in terra non ſua, & ſubiicient eos ſerui- “
tuti, & affligent quadringentis annis. Veruntamen gentem cui ſeruituri “
ſunt, ego iudicabo; & poſt hæc egredientur cum magna ſubſtantia. Idem “
etiam ſalutis & reſtitutionis promiſſum Iſraeli quoque renouatũ & con- “
firmatũ ſic habuit. Profectusq; Iſrael cũ omnibus quæ habebat, venit ad pu- Gen. 46.
teum iuramenti, & mactatis ibi victimis Deo patris ſui Iſaac, audiuit eum “
per viſionẽ noctè vocantem ſe, & dicentẽ ſibi, Iaacob, Iaacob, cui reſpondit, “
Ecce adſum, ait illi Deus: Ego ſum Fortiſſimus Deus [EL] patris tui, noli “
timere: deſcende in Ægyptũ; quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego “
deſcendam tecum illuc, & ego inde abducam te reuertentem. Hoc autem uti “
pri-

primùm promiſſum, ita, cùm res poſtulabat, præſtitum, auctor Deus commemorat, & oſtendit. Atq; eodem pacto ac iure creationis & regenerationis auctoritatem & facultatem vni ſibi tribuendam aſſerit. quod cauſæ huius argumentum ſolidum ac ſummum eſt.

Ego ſum, ego ſum Dominus, & non eſt alius abſque me ſaluator.

QVOD *ad creationis virtutem, efficacitatem, atq; adeò rem ipſam attinet, ſe* IEHVEH *eſſe ait; eodemq; nomine quoque ſalutem, regenerationem inſtaurationemq; hominum vni ſibi acceptam referri debere.* & non eſt abſque me ſaluator. *Quod verò ad voluntatem, & conſilium, prouidentiamq; facit, prædictionum teſtimonia & monumenta allegat; deinde verò euentum documento firmiſsimo probat & indicat, appellandis videlicet & examinandis teſtibus.*

Ego annunciaui, & ſaluaui: auditum feci, & non fuit in vobis alienus. Vos teſtes mei, dicit Dominus, & ego Deus.

VNVM *eundemq; promiſſorum apud patres auctorem, atq; rei & euentus expeditorem ſe eſſe declarat & profitetur. Quidquid verò ab hac ſingularitate diſcrepauerit, cui diuinitatis ac numinis nomen falsò impoſitũ fuerit, id in ſacro ſermone* ZAR, *quod Latini vertunt in* alienus. *dicitur autem* ZAR, *quiſquis à legitima nota, ac familiari iuris & conſuetudinis communione diuerſus, vel recens admittitur, vel nonduũ admiſſus petitur. Atqui in tota Iſraelitarum hiſtoria, etiã ab vſque primis patribus Abrahamo & Iſaaco repetita, nullũ aliud nomen præter* IEHVEH *cõmemoratum & celebratum auditur: idemq; paulò ante ſalutis expeditionem, & in ipſa*
Exodi 3. *expeditione, & poſt partã ſalutem, appellatum eſt. Dixitq; iterum Deus ad*
" *Moyſen, Hæc dices filiis Iſrael: Dominus Deus patrum veſtrorum, Deus*
" *Abraham, Deus Iſaac & Deus Iacob miſit me ad vos. hoc nomen mihi*
" *eſt in æternum, & hoc memoriale in generatione & generationẽ. Vtramq; generationẽ intelligimus, eorum qui ex Adamo orti, & eorum qui ex Deo ſunt nati. quas aliàs apertiùs diſtinguere dabit idem, qui ſeſe eodẽ nomi-*
Exodi 14. *ne in præſtanda ſalute appellari voluit Dominus pugnabit pro vobis, &*
" *vos tacebitis. Allatæ verò & conſtantis iam ſalutis gratulatione & carmi-*
" *ne idem nomen identidem vſurpatum. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem: Iſte Deus meus, & glorificabo eum,*
Exodi 15. *Deus patris mei, & exaltabo eum. Dominus quaſi vir pugnator, omnipotens nomen eius. Quo loco idem ineffabile nomen repetitum celebratur,* IEHVEH, vir prœlij, IEHVEH *nomen eius. Hoc eſt quod apud Vatem noſtrum ait.* & non fuit in vobis alienus. *& quod etiam ſubiungit:* Vos teſtes mei, dicit Dominus, & ego Deus. *Coniunctio* &, *hoc loco ad argumentationis propoſitionem atque ad illationem ſiue collectionem vſurpatur, ex natura litteræ* VAV, *quæ omnibus connexionis formis idonea eſt. idem autem valet formula hæc,* Vos teſtes mei, dicit Dominus, & ego EL Deus fortis; *quod Latinior oratio,* Vos teſtes mei, dicit Dominus, quòd ego fuerim ſimque EL. *Cuius teſtimonij dictum iam recitauimus, Dominus vir pugnator, omnipotens nomen eius, ſiuè* IEHVE *nomen eius.*

eius. Namq; IS MILHHAMAH, vir prœlij, *nominis* EL *interpretatio, ſiue periphraſis eſt. Ait autem Deus Iſraelitarum teſtimonio declarari, ſe eſſe* EL, *fortiſſimum, & cum nullius alterius virtute & fortitudine comparandum: id quod præterquam quod ipſi quotidie viuentes ac ſentientes confiterentur, vtpote qui extra Ægyptum agerent, & ſuũ nomen atq; ius, vt liberi tuerentur, idq; Ieroſolymis, ſuorũ etiam patrum publicè decantato & monumenti nomine poſteris tradito carmine, ſubinde cõmemorare conſueuiſſent. vbi enim Latinè legimus, Iſte Deus meus, & glorificabo eum;* “ *in exemplari eſt,* ZEELIVE ANVEHV. *atq; ad hoc teſtimoniũ alludit lectio noſtra,* Vos teſtes mei, dicit Dominus, & ego EL. *illud verò quod proximè dixerat,* & non fuit in vobis alienus, *cum illa etiam teſtimonij concordat parte, Quis ſimilis tui in* ELIM, *fortibus, Domine? quis ſimilis tui,* “ *magnificus in ſanctitate, terribilis, atque laudabilis, & faciens mirabilia?* “ *Omnia verò hæc iam cõmemorata, antè, vti dictum eſt, annunciata quàm fierent, ſuo tempore verè præſtita euenere. atq; ita diuini promiſſi veritas & conſtantia declarata fuit. Namque hoc diuinæ bonitatis & auctoritatis proprium & perpetuum cenſetur, promiſſis ac pactis ſtare ſuis, in beneficentia ac miſericordia præcipuè (quæ celebratiſſima in Deo laus eſt.) Adeò vt non ſolùm quæ promiſſa fuerint ab illo, præſtita demùm probentur: verùm ea quæ nunquã antea prædicta aut promiſſa fuerant, ipſe vltrò, vt natura bonus & beneficentiſſimus ac liberaliſſimus, effecerit; vtpote ſapiens, benignus idem, & efficaciſſimus idem ipſe; atq; idem ad publicam hominũ ſalutẽ & libertatem miſericors ac fortis pariter. cui, vti nullum ad mundi creationem & opificium fuit, aut eſſe potuit impedimentũ, (Nam ipſe dixit* “ *& facta ſunt; ipſe mandauit, & creata ſunt) ita nulla ad afferendã homi-* “ *nibus promiſſam libertatem & ſalutẽ, vis, aut pugnantia vlla obſiſtere valet. hoc eſt quod ſubiungitur:*

Et ab initio ego ipſe, & non eſt qui de manu mea eruat: operabor, & quis auertet illud?

QVID *pronomen* IPSE, *in ſermonibus de Deo ſignificet, paulò antè indicabamus; nempe æternã ſapientiam, bonitatem, & virtutem, atq; immutabilẽ naturam, eandemq; infinitam, denique Deum. id autẽ, quod ſemper hactenus, ex quo mundus conditus eſt, planè oſtẽdit, multisq; documentis probauit, vt ſibi propriũ, antè etiam quàm tempus extaret, affirmat obtentũ.* Et ab initio ego ipſe. *in exemplari legimus,* GAM MIIOM ANIHV. Etiam à die ego ipſe. *Mundi atq; temporis principiũ pariter fuiſſe ex diuina doctrina accepimus: nam tempus ſine menſura non rectè intelligi poteſt. Certiſſima autẽ & maximè notabilis in tempore menſura per dies dierumq; partes obſeruatur. quare quæ prima dies fuit, eadem tempori primum aſſignauit initiũ. S. S. E. Et factum eſt veſpere & mane dies vnus.* Gen. 1. *Quanquam autẽ tempus ac dies pariter extiterint, naturæ tamen prærogatiuam dies refert. antè enim quàm vllus audiretur dierũ numerus, diei nomen & natura conſtitit. S. S. E. Fiat lux, & facta eſt lux. & diuiſit Deus* Gen. 1. *lucẽ à tenebris; & appellauit lucem diem, & tenebras vocauit noctẽ. Itaq;* “

Deus ante mundum conditum, atq; adeò ante vllam temporis menſuram. Quod verò ante tempus fuit, id æternũ, immenſum, nec genitũ, nec interiturum vnquã, humana omnis ratio euincit. Atq; Deus hic IEHVEH, *non ſolùm ante tempus, verùm à tẽporis initio ſibi conſtare ait, & ab omni menſura temporis liberũ, atq; adeò à verbis* fuit, *vel huiuſmodi: quippe cui vni propriũ & perpetuum tribuatur* HV. ANIHV. Ego ipſe. *Præpoſitio* AB,
„ *hoc loco non ſignificat id quod Latinè ſolet. vt, Ab adoleſcentia virtutis præbuit ſpecimen. quæ formula illius laudis initiũ in adoleſcentia factum indicat. Verùm in hoc verſu primæuæ linguæ particulã* MIN *repræſentat. cuius, inter alia officia vnũ eſt, comparatorum parti alteri præſtantiam, & exceſſum arrogare. vt, Deſcendit hic in domũ ſuam iuſtificatus* AB *illo. id*
Prou. *eſt, illo valde iuſtificatior. vel, Hic iuſtificatus deſcendit, ille non. Dentes*
„ *tui candidi à lacte. hoc eſt, lacte longè candidiores. Itaq; hoc loco Deus, cùm nondũ fuiſſet dies, ſe tamen ipſum eundem conſtitiſſe, immò tempori præterito aut futuro omni immunem ſe affirmat huiuſmodi locutionis formula,* Ego ipſe, ANIHV, *quam nobis indicatam obſeruare, ac recolere operæpretium fuerit. Eadem orationis figura & illud interpretamur apud Pſal-*
Pſal. *tem celebre, In ſplendoribus ſanctorum ex vtero ante Luciferum genui te. Significat enim Verbum ab æterno genitum, antequã ſanctorum ſplendores omnes conciperentur, & antequam vlla lux eſſet in mundo: hoc eſt, omni temporis etiam initio priorẽ. Namq; his dicendi tropis æternitas indicari ſolet. Atq; hoc pacto Deus rerum omniũ creationem, atq; temporũ etiam principia, ſibi auctori adſcribit; ſine vlla ſui ipſius mutatione: vtpote cui ſemper illud propriũ ſit* ANIHV, ego ipſe. *Eodem quoque iure liberationis ac ſalutis efficacitatem ſuam ipſius eſſe aſſerit, abſque vllo cuiuſquã vel naturæ, vel facultatis impedimento.* Et non eſt qui de manu mea eruat. *quod ad ſalutem attinet. In ſalutis verò publicæ promiſſo duæ expediendæ cõmemorantur partes: altera ſeruitutis depulſio, altera autem renouatio & regeneratio hominis à veteris Adami conditione ad ſortem ſanctorũ, & gloriam filiorum Dei traducendi. de priori dixit,* & non eſt qui de manu mea eruat: *de poſteriori verò:* Operabor, & quis auertet illud? *Inficiationis vicem hoc in loco præbet interrogatio* & quis, *idem valens quod* & nemo. *Vtrumque beneficium ille ipſe libertatis ac ſalutis pontifex* IESVS
Ioan. 10. *Christus. Ego ſum oſtium: per me ſi quis introierit, ſaluabitur; & ingre-*
„ *dietur, & egredietur, & paſcua inueniet. Fur non venit niſi vt furetur,*
„ *& mactet, & perdat. Ego veni vt vitam habeant, & abundãtiùs habeant.*
Ibid. *& paulo pòſt: Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas; & ſe-*
„ *quuntur me: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternũ; &*
„ *non rapiet eas quiſquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, maius*
„ *omnibus eſt; & nemo poteſt rapere de manu Patris mei. Ego & Pater vnũ ſumus. Quis non intelligit quantũ ſibi conſonent formulæ iſtæ,* Ego ipſe,
Ibid. *&, Ego & Pater vnum ſumus. Intellexere nimirum illi, qui vbi hæc au-*
„ *dierant, extemplò ſuſtulerunt lapides, vt lapidarent eum. Reſpondit eis Ie-*
„ *ſus: Multa bona oſtendi vobis, propter quod eorũ opus me lapidatis? Reſpon-*

derunt

derunt ei Iudæi, De bono opere non te lapidamus, ſed de blaſphemia, & quia "
tu, homo cùm ſis, facis te ipſum Deum. Deus per Iſaiam dixerat, Ego ipſe. "
atq; hac formula diuinam æternamq; naturã ſibi aſſeruerat. Eadem ratione diuinitatis vſurpatio obiicitur Ieſu, Te ipſum Deum. *nempe quòd dixiſſet, Ego & Pater vnũ. qui aliàs etiam idem, quod nunc apud hunc Vatem legimus verbum* EPHGHAL, operabor, *vſurpauit. Pater meus vſque mo-* Ioan. 5.
do operatur, & ego operor. Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi in- "
terficere: quia non ſolùm ſoluebat ſabbathum, ſed & Patrem ſuum dicebat "
Deum, æqualem ſe faciens Deo. Pergit autem Deus in expectatæ redẽptio- "
nis & publicæ ſalutis magnitudi ne ac præſtantia indicanda, vtpote quam plurima & admirãda ſigna, eademq; beneficiorum nomine definienda, non modò præterint, ſed ita retulerint, vt rem quampiam natura maximã opportunæ imagines referre ſolent. Namq; Ægyptiacæ expeditionis hiſtoria tota hanc ſalutem portendebat. de qua plurimus apud hunc Vatem (ob hanc rem Euangelicum dictitatum) ſermo eſt.

Hæc dicit Dominus redemptor veſter, ſanctus Iſrael.

A nomine, conſilio, ſtudio, & officio orationis initium facit, dicendisq; auctoritatem conciliat. Dominus, *miſericors, benignus, idemq; ſapiens atque efficax pariter; hoc quod ad facultatem facit. ad voluntatem verò,* redemptor veſter. *ad cauſam demùm,* ſanctus Iſrael. *In omni autẽ actione tria hæc animaduertenda, facultas, voluntas, &, quod primum omnium, cauſa, quamobrem. Facultatem, vti diximus, nomen* IEHVEH *docet: voluntatem,* redemptor veſter; *vtpote qui redemptionis veſtræ negotium & curam vltrò ſuſceperit. Cauſam verò, quòd prouidentiam, virtutem, & efficientiam, atq; maieſtatem præſtantiſſimam, & prorſus diuinam, nullique alij naturæ tribuendam in Iſraele à communi hominum ſorte ſecernendo, & amplificando declarare inſtituerit; idémque hactenus monſtrauerit, ex Iaacobi humilis & pauidi hominis conditione, ad Iſraelis nomen & ornamentum euecta, & nouis indies beneficiis augendo, quale, quod mox prædicitur, probabitur. quæ omnia, magna cùm ſint, maximum aliquod portendere credenda. Quantum id erit, quod paulo pòſt indicabitur, cuiuſq; cauſa totus hic inſtituitur ſermo.*

Propter vos emiſi in Babylonem, & detraxi vectes vniuerſos, & Chaldæos in nauibus ſuis gloriantes.

DEO *ſuum de Iſraele amplificando propoſitum promouenti nec vllam obſiſtere poſſe vim, nec vllam opportunæ curæ & prouidentiæ partem prætermitti, quo minùs abſolutum & perfectum ſuo tempore euadat. Omnem actionem ſuã eò contendere, vt Iſraelis demum res ad ſupremũ felicitatis perueniant gradum; quamquam interdum nonnunquã videantur afflictæ. Iſraelem autem, eum nos interpretamur, quem* Dei Iſraelem *Apoſtolus nominat. (qui legit intelligat.) Hunc verò Iſrael ſecundùm carnẽ, qui tunc Ieroſolymis ſupererat, prioribus referebat ſeculis (ceteris nimirum tribubus iam abductis atque diſperſis.) Hunc, inquam, prædictæ aliàs in Babylonem tranſmigrationis admonet, & reſtitutionis certiſſima conſolatur ſpe. quam*

reſtitutionem vnà cum aliis beneficiis leuem & exiguam habendam comparatione illius maximæ & publicæ ſalutis, quæ Iſraeli demùm diuinitùs promittebatur afferenda.

Quanquam verò Babylonij reges & proceres ac populi diuinam caſtigationē ob ſuperbiæ, impietatis, & irreligioſæ inſolentiæ furias cōmeriti fuerint; tamen vt prorſus euerterentur, diuino iudicio decretū eſt, propter iniuriam Ieroſolymitanis apud ſe detentis factam, indiesq́; auctam, atque lamentis & carminibus deploratam: Filia Babylonis miſera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis. Beatus qui tenebit & allidet paruulos ſuos ad petram. id quod per miſſum Perſarum Regem Cyrum, peragendum receperat Deus; vt Ieroſolymitanos à captiuitate redemptos & ſolutos, in ſuam vrbem & libertatem hoc pacto reſtitueret. atque idem ita euenturum præſenti reſponſo nunciandū dictat. Propter vos emiſi in Babylonem *Cyrum regem cum Perſarum atq; Medorum valida manu*, & detraxi vectes vniuerſos. *Ex metonymia Babylonis munimentum & propugnaculum omne diſruptum ac diſiectū ſignificat, & vrbem captam atq; direptam, ciuibus & propugnatoribus partim occiſis, pleriſque tamen fuga ſalutem ſibi conſulentibus nauigiorū ope; vtpote quibus nulla peditibus euadendi copia relicta fuerit. Atq; ita capiendæ vrbis rationem prædicens, declarat: nam muris obſeſſis, portisq́; per hoſtem occupatis, vnica effugiendi via reliqua fuit per Euphratem fluuium, qui mediam vrbem interluiſſe, & aliàs etiam ambiiſſe narratur.* & Chaldæos in nauibus ſuis gloriantes. Gloriantes *interpretamur, id eſt, qui nihil ad ſalutē ſuam ſibi, præter naues tantùm, vel præſidij, vel virtutis, vel auxilij memorare potuerint: non enim gloriatio hæc laudem aut lætitiam, ſed mæſtitiam ac ignominiam atq; metū ſpectat, ex primæuæ linguæ verbo* BA ANIOTHRINATHAM, in nauibus vociferationis ſuæ. *Significat enim* RANAN, *altiùs & vehementiùs contentiusq́; vociferari, ſiue id ex lætitia & gaudio, ſiue ex flêtu & mæſtitia fiat. Hiſpano ſermone alaridar, & alarido dicitur; Italico gridar, & grido. Eſt autē huiuſmodi vociferatio animi affectionis index, cuius diſcrimen vel ex cauſa ipſa, vel ex rerum opportunitate cōparatur. apud Zachariam* RINI VSIMHHI BATH TSION, *lauda & lætare filia Sion. In Ieremia verò* KVMI VRINI BALAILA, *conſurge lauda in nocte. Laudationem clamore mæſto atq; eiulatione ſociandam, poſtulat Vates, indicemq́; eſſe vult oppreſſi animi ac dolentis. Id quod idē continuò exponit: Effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectū Domini: leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorū: qui defecerunt in fame in capite omnium compitorum. &, ni fallor, ab hac voce Latinum verbum* RINGO *deducitur, & Hiſpanicum reñir. Itaq; tumultuarium & mæſtum atque flebilem cum eiulatione clamorem hoc loco intelligimus in nauibus: quas ad huiuſmodi neceſſitatem paratas eſſe oportuit apud regiam, & omni ex parte inſtructam vrbem. Hæc omnia, & plura alia, quæ ſubiungentur admiranda Iſraelis conſtituendi, ornandi, & amplificandi cauſa ab vnico auctore & Rege Deo, profecta memorantur. Atq; huic, quem Deus curare propoſuit,*

Pſal.

Babylon quomodo capta.

רנן

Zachar. 2.
Thren. 2.
Ierem. locus.

RINGO Latini verbi origo.

fuit, viro vti duæ conditiones, vna humilis & afflictior, altera illuſtris, ita duo tributa nomina, ſæpè retulimus, Iaghacob & Iſrael. Quamobrem vtrumque in loco opportunè commemoratur. vt, In exitu Iſrael de Ægypto, domus Iaghacob de populo barbaro, facta eſt Iudæa ſanctificatio eius, Iſrael poteſtas eius. Quippe diuinã ſanctificationem non antè populus ille confeſſus atque expertus celebrauit, quàm ex Ægyptiaca prodiit ſeruitute, atq; Dei ductus imperio, lege etiam accepta, ad regni redactus formam, regem gubernatoremq; laudauit Deum. S. S. E. Qui regis Iſrael intende, qui deducis ſicut ouem Ioſeph. Qui ſedes ſuper Cherubim, manifeſtare coràm Ephraim, Biniamin, & Manaſſe. Tot itaq; ac tam præclara virtutis, prouidentiæ, & beneficentiæ ſuæ documenta edita eò ſpectaſſe Deus ait, vt ſingulare ſuum propoſitum & conſilium de Iſraele amplificando, ſibiq; in regnum deligendo, manifeſtis declararetur vſibus. quibus etiam alia adduntur eodem quoque pertinentia & beneficia, & ſigna.

Iaghacob humilis & Iſraelis illuſtris conditio. Pſal. [illegible] locus illuſtratus.

Pſal. Propoſitum Dei de Iſraele amplificando.

Hæc dicit Dominus, qui dedit in mari viam, & in aquis torrentibus ſemitam.

Post *fracta Ægyptiaca vincula, poſt ergaſtula relicta, quæ liberationem ac redemptionem probarunt Iſraeli diuinitus allatam, admiranda præterea acceſſerunt commoda ad deducendæ & beandæ gentis opportunitatem comparata: in quibus rubri maris tranſitus & Iordanis fluuij tranſmiſſio eò præſertim tempore, cùm Iordanis ripas aluei ſui tempore meſſis, impleuerat. Hoc ſignificat* in aquis torrentibus ſemitam. *Atq; antiquiorum temporum commoda & beneficia hæc opportunè commemorantur, ad curam erga Iſraelis gubernationem, ſanctificationem & ornamentum declarandam: quibus & alia recentioris & nuperrimæ adiiciuntur memoriæ, non minùs admiranda.*

Ioſ. 3.

Qui eduxit & equum, agmen & robuſtum: ſimul obdormierunt, contriti ſunt quaſi linum, & extincti ſunt.

Senacheribi recentẽ allegat hiſtoriam: cuius & concepta aduerſus Deum impietas, & ſuſceptum de Ieroſolymis funditus perdendis propoſitũ, eouſq; vrgeri Deus permiſerat, quoad intentatis minis, & inſolente oratione, atq; iam ferè conſtituta obſidione, palam fieret. Hoc ſignificat prior huius verſus pars, Qui eduxit equum, & agmen, & robuſtum, *è terra ſua eductum declarat, ſiue productum eo, quo damnati capitis producuntur, iure; quoq; modo contumax ille quondam Pharao ſuæ temeritati indulgere permiſſus eſt, illudq; audiuit: Quia in hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam. Quem verò exitũ inſolens illa Senecharibi impietas habuerit, eueſtigio ſubiungit,* ſimul obdormierunt. *Sani quippe ac valentes illi omnes, quieti ſeſe dediderant, Ieroſolymitanæ expugnationis poſtridie incipiendæ conſilio. Factum eſt nocte illa, venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octogintaquinque millia. Cumq; diluculo ſurrexiſſent, vidit omnia corpora mortuorum. Quam ſtragem vna nocte factam, appoſitiſſima ſimilitudine deſcribit Iſaias lini, cuius quamplurimæ haſtæ, vbi ſatis aruerint, in vnũ faſcem colligatæ, paloq; percuſſæ,*

Senacherib & Pharao furere permiſſi.

Exod. 9.

Rom. 9.

4. Reg. 19.

paucis

paucis plagis ac breui tempore ſimul omnes flaceſcũt, & rigorem amittunt
Extinguere. *natiuum.* Contriti ſunt quaſi linum, & extincti ſunt. CHABV, *non ad*
ignem ſiue lucernam tantummodo, ſed ad omnis vigoris & roboris, aut ri-
Cant. 8. *goris defectionem ſignificandam vſurpatur. ſic in Canticis: Multæ aquæ*
Ezech. 32. *non extinguent caritatem. & apud Ezechielem: Et operiam, cùm extinctus*
CHABVI *fueris, cælos. Itaq; quod nullius efficaciæ atq; vigoris euadit* CHABVI, *ſiue*
MECHVBA. MECHVBA *dicitur. Atq; horum omnium & compiurium, quæ in antiquis*
recenſentur hiſtoriis, efficiendorum & monſtrandorũ auctorem ſeſe Deus
Iſraelis ſanctificandi cauſa. *affirmat. Cauſam autem ſanctificandi Iſraelis propoſitum declarat: quæ*
tamen adeò longè adhuc à perfecta Iſraelis ſanctificatione abeſſe ſignificat;
Iſraelis perfecta ſanctificatio. *vt præ illius conditionis amplitudine iſta, quamuis videantur maxima, ne*
memoranda quidem, nedum comparanda cenſeri debeant.

Ne memineris priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio noua, & nunc orientur, vtique cognoſcetis ea: ponam in deſerto viam, & in inuio flumina.

Iſrael. ISRAEL *nomen ex vocabuli etymologia, & appellantis Angeli inter-*
pretatione perpetuò Dei potentem, ſiue fortiſſimi potentem ſignificat. Vi-
Iſraelis victoria. *cerat quidem quondam Iaghacobus Angelum Dei luctationis pertinacia, &*
animo per fidem roborato: idem quoque hominum inſidias, inuidiã, & frau-
des ex Dei beneficio ſuperauerat. Cuius etiam victoriæ exempla quãpluri-
ma antiquus Iſraelis probauit populus: ita vt his de cauſis meritò Iſrael au-
Iſrael perfectus, ſiue Dei. *dierit. verùm nondum ad ſublimem Iſraelis perfecti, ſiue, vt Paulus nomi-*
nat, Iſraelis Dei præſtantiam fuerat prouectus. quod poſthac ſibi conſum-
mandum abſoluendumq; eſſe Deus ait, eo, quem ad hanc rem tot modis ad-
ornauerat, denuò regenerando & renouando, atq; diuinis augendo mune-
ribus: quæ tantùm ſuperioribus anteeant beneficiis, quanto cæleſtia terre-
Iſraelis Dei ſanctificatio nõ imputata *nis, & ſpiritalia carnalibus antecellunt. Neque verò hæc per figuram aut*
imaginem nec exhibenda, nec oratione & ſermone commendanda, vel ſua-
denda, aut imputationis rationibus conciliãda; ſed verè atque reapſe præ-
ſtanda, & manifeſtis comprobanda exemplis ac documentis, promittũtur.
" *vt, Omnes qui viderint eos, cognoſcant illos: quia iſti ſunt ſemen, cui bene-*
" *dixit Dominus. &, quod Pſaltes expectandum cõmendat, & celebrat. Ete-*
" *nim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.*
Teſtium Dei cognitio. Nunc orientur, voſque cognoſcetis ea. *Eoſdem pollicetur cognituros,*
quos teſtes futuros paulo antè prædixerat. Quã cognitionis rationẽ Chri-
ſtus ipſe indicans, promittit: Dicebat Ieſus ad eos, qui crediderant ei, Iu-
Ioan. 8. *dæos: Si vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis; & cog-*
" *noſcetis veritatem, & veritas liberabit vos. Huiuſmodi cognoſcentium, à*
Fideles. 1. Tim. 4. *Paulo mentio fit: eorum videlicet, qui præſtantia à fidelibus vocatis, diſtin-*
1. Ioan. 2. *guuntur. de quibus & Iohannes: Scribo vobis patres, quoniam cognouiſtis*
Ibid. 5. *eum, qui ab initio eſt. &, Scimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis*
" *ſenſum vt cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio eius. Hic eſt*
" *verus Deus & vita æterna. Hanc verò, quam promittit, humanarum re-*
nouationem rerum, & Iſraelis amplificationem abſolutam, variis tranſla-
tionibus

tionibus & imaginibus deſcribit, ſublime vaticiniorum dicendi genere, vti ſolet, vſus. Ponam in deſerto viam, & in inuio flumina. *Omnium autem harum auctoritatem & efficientiam rerum, non ex vlla naturæ aut cælorum vi vel conuerſione, ſed ex ſeipſo expectandam declarauit ſemper Deus. vt in hoc eodem verſu:* Ecce ego noua facio: *vtpote qui ſe ſolũ cæli ac terræ, eorúmque omnium quæ condita, creatáve fuere, opificem omnibus argumentis ac documentis confirmarit, ſe Iſraelis redemptorem oſtenderit, magnis admirandisq; mutationibus factis in cælo, in terra, in mari, in fluminibus, & in ſolitudine; eorũ, quæ edenda propoſuerat, expediendorum cauſa: eandem autem ſe obtenturum in hac renouatione & regeneratione formam; longè tamen illuſtriorem & admirabiliorem: nempe difficultatibus & impedimentis ad vitæ Euangelij proſperum curſum prorſus auferendis. Ad quam quidem rationem illud Baptiſtæ pertinet: Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt praua in directa, & aſpera in vias planas: & videbit omnis caro pariter ſalutare Dei noſtri. Euangelij curſus, proſperitas, & ſecũdi exitus his allegoriis, quas etiam Poëtæ vſurpare & imitari ſolent, ſignificantur: ita tamen vt non craſſè, & in elementari terrarum & aquarum natura, ſed purè, & in ſpiritu; atq; adeò in humana terra præſtandum, id, quod promittitur, omne expectemus. Namq; altera interpretatio Iudæorum & Iſraelitarum ſecundùm carnem conijcitur: qui omnia ad terreſtrẽ felicitatem referunt; tametſi non omnes idem pariter ſentiant. Sunt enim, quanquam rari, qui melius aptiusq; ſapiunt. in eo tamen vehemẽter cæcutiunt, quòd Ieſum Chriſtum, atq; ex conſequenti, Deum verum. non, vti debuerant, nouerunt. Non modò autem Euangelij via in deſerto humani generis corde munitum iri prænunciatur, ſed ſitis omnis, quæ viatoribus infeſtiſſima eſt, arcenda promittitur.* & in inuio flumina. *Et profectè quiſnam propheticum ſermonem hoc loco Euangelicam dictionem planè olere non ſentiat? Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui dicit tibi, Da mihi bibere, tu forſitan petiſſes ab eo; & dediſſet tibi aquam viuam. &, Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.*

Hominum renouatio à Deo vnico.

Regeneratio hominum ad typum liberationis ex Ægypto.

Matt. locus.

Mat. 3.

Iudaica interpretatio Scripturarũ.

Deſertum.

Sitis.

Ioan. 4.

Glorificabit beſtia agri, dracones & ſtruthiones: quia dedi in deſerto aquas, flumina in inuio, vt darem potum populo meo, electo meo.

HÆC *omnia reapſe & verè quondam Iſraelitis ad promiſſam regionem deducendis præſtita atq; viſa, ſpectata, & percepta, qui ſacras hiſtorias legerit, ignorat nemo. Interrupit petram in heremo, & adaquauit eos velut in abyſſo multa: & eduxit aquam de petra, & deduxit tanquam flumina aquas. Verùm enimuerò eadem hæc ad publicæ ſalutis expeditionem, vt alio ſublimiori, id eſt, ſpirituali, modò expectanda atq; efficienda; ita quoque intelligenda eſſe, Deus ipſe hoc eodem reſponſo docuit. prædixerat enim:* Ecce ego facio noua, & nunc orientur. *quæ nimirùm ante à nunquam fuerũt orta. Namq; in myſteriis & reconditis rationibus nouitatem ſignificantia verba ſi interpretamur. vt, Non bibam ampliùs ex hoc genimine vitis, vſ-*

Pſal. 77.

Nouũ quid dicatur.

Matt. locus.

que

» *que in diem illum, cùm illud bibam vobiſcum nouum [nouo modo] in regnò*
» *Patris mei. Quòd verò ait*, Glorificabit me beſtia agri, dracones &
ſtruthiones. *gratulationem ſignificat, & ſupplicationem ſibi decernēdam*
à gentibus, gentiumq́ primoribus, veræ doctrinæ & ſpiritalis aquæ, qua
antè egebant, potu refectis & exatiatis. Namq́ in ſolitudine & aridis locis
hæc præcipuè animantum genera, quæ ex tranſlationis figura nominantur,
aquarum commoditate priuantur; quas propter naturæ tarditatem, & ha-
bitabilis terræ odium, longiùs petere minimè ſolent: quòd ſi in ipſis, vbi ha-
bitant locis, vltrò obiatas nanciſci poſſent, immanè quantum læta & gau-
dentia frequentarent, quamq́ tanti beneficij auctori ſuo eadem gratularen-
tur modo: immo & illam peregrinam ruſticitatem ac feritatem vel depo-
nerent prorſus, vel mitigarent. Id quod Euangelicæ virtutis ac diſciplinæ
copia in gentium populis & principibus experiri licuit. Hanc eandem feli-
citatem aliis tranſlationibus ex animantum ferarum naturæ mutatione pe-
titis hic & alij non ſemel celebrant Vates. quia dedi in deſerto aquas,
flumina, &c. *Demùm omnia hæc promiſſam humani generis mutationem,*
ſalutem, ac regenerationem ſpectare, idem ipſe auctor indicat.

Populum iſtum formaui mihi, laudem meam narrabit.

Vtinam, vtinam, ac ſepties vtinam, formationis huius crebra nunc ex-
ſtarent exempla; & illius laudationis frequentior celebraretur lætitia pub-
lica: cuius qui compotes fuerint, ita ſeſe mutuò ad gratulationem inuitant.
Coloſſ. 3. *Verbum Chriſti [aqua viua] habitet in vobis abundanter in omni ſapien-*
» *tia, docentes & cōmonentes voſmetipſos pſalmis, hymnis, & canticis ſpi-*
» *ritualibus, in gratia canētes in cordibus veſtris Deo.* laudem meam nar-
Laudum diuinarū ſancti narratores. rabunt, *alio modo, ac ſublimiore, quàm antea, id eſt, diuino: ita vt non ſeipſi*
laudis illius auctores aut conditores, verùm narratores profiteātur. IIZZA-
PERV, numerabunt, narrabunt, referent, *& toti in hoc ſtudio erunt, il-*
2. Cor. 3. *lud confeſſi, Fiduciam talem habemus per Chriſtum ad Deum: nòn quòd*
» *ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia*
» *noſtra ex Deo eſt: qui idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, non li-*
» *tera, ſed ſpiritu. Litera enim occidit, Spiritus autem viuificat. vt verò quid*
Ioan. 1. *illud ſit*, Populum iſtum formaui mihi, *hoc eſt, dedi illi poteſtatem filios*
Dei fieri (vera & ſolida virtute diuinitus accepta) cognoſcamus, perpetuis
ac ſummis Deum orare oportet votis ac precibus: interim autem beneficij
huius monitores ac teſtes attentè, ſtudiosè, atque efficaciter conſulendi &
Iacobi 1. *audiendi. Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt,*
» *deſcendens à Patre luminum; apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſi-*
» *tudinis obumbratio. Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt ſimus ini-*
» *tium aliquod creaturæ eius.*

Non me inuocaſti Iaghacob, nec laboraſti in me Iſrael.

Hominis à paterna labe eximendi vnius Dei opus. *Humani generis humilem, ſeruilem, & ſordidam conditionem ex primi*
parentis Adami labe paterno, & hæreditario iure poſteritati omni ſtatutam
abiicere ac mutare, in melioremq́ traducere ſortem, nullius hominum fa-
cultatis, induſtriæ, aut virtutis, verùm ſolius Dei opus eſſe, res ipſa docet:

atque diuina confirmant ſcripta. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius: qui non ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Hanc autem exceptionem vni ſibi adſcribendam, ſæpè aliàs Deus, atque hoc etiam loco repetit; ne vlla mortalium cuiquam ad propriæ gloriæ inſolentiam haberi vſquam anſa, vel temerè arrepta poſſit retineri. Hanc verò ad cauſam perorandã, ipſum hominum genus in iudicium vocatum, inducitur. Cuius perſonam Iaghacobus iubetur ſubire. qui (vt iam ſæpè repetimus) antequam ex diuino dono Iſraelis obtinuiſſet ſplendorem, priuatum agebat hominem, vel intra paterna tentoria ſeſe continentem (non ſine fratris Eſau inuidia) vel peregrinus & aduena, aut itineri ſeſe committebat, metus non expers; aut eorum, apud quos degebat & ſeruiebat, dolos, fraudes, & experiebatur inſidias. Idem verò poſtea Iſrael iam factus, nominis dignitatẽ, qua caruerat priùs, multis mœroribus & incommoditatibus turbauit. Quam imaginem & ſortem is etiam, qui à Iacobo ortus eſt populus, multis ac frequentibus expreſſiſſe narratur exemplis: quæ recenſere nunc non minùs longum, quàm foret ſuperuacaneum. Idem autem populus, qua parte Iaghacob appellatur, & ſuam & ceterorum perſonam ſuſtinet hominum: qua verò Iſrael dicitur, ad electionis traducitur forum. Nunc verò priores tenere iuſſus partes, ad ſuam agnoſcendam conditionem compellatur: quippe qui nihil egregium, præter ceteros mortales, iactare aut allegare poſſit, quo minùs Adami filium, atque ex conſequenti peccatorem, & iræ diuinæ obnoxium ſeſe agnoſcere debeat: non quidem legem acceptam, quandoquidem cultam & præſtitã, ſicut oportuit, iudici & examinatori Deo non probauerit. Hoc primum exceptionis, vel potiùs criminationis, caput. Non me inuocaſti Iaghacob, *inuocatione illa ſolida & ſpirituali, qua veri adoratores Deum in ſpiritu & veritate adorant & inuocant. Illud quidem à Patre tuo ſuſceptum conſtat votũ: Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in via per quam ego ambulo; & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum: reuerſusq́; fuero proſperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei: cunctorumq́; quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. Duæ quidem res vnico illo conceptæ ſunt voto, pura & ſancta diuini nominis inuocatio; eiuſdemq́; inuocationis cultu adhibito, & ſacris frequentandis profeſſio. neutram verò ab illius gente purè ac ritè præſtitam Deus ait:* Non me inuocaſti, *vt tibi me eſſe in Deum, vti par fuerat, oſtenderes. Nihil enim ad perfectum adduxit lex.* nec laboraſti in me Iſrael. *Ita omnia fortiter & ſtrenuè agẽs, vt impoſitum Iſraelis nomen iure ſeruares. Ex exemplari lingua loci huius apertior explicatio eſt.* CHI IAGHATHA BISRAEL. namque laboraſti in me Iſrael. *Illius conflictus & luctationis celelebrem refert hiſtoriam. Namque Iaghacob ex eo Iſraelis duxit nomen, quòd per totam tentatus atque exercitus noctem, nec fidem animo, nec luctandi contentionem remiſit. Dixit enim [colluctator] ad eum: Dimitte me, iam enim aſcendit aurora. Reſpondit, Non dimittam te, niſi benedixeris mihi. Ait ergo, Quod nomen*

Ioan. 1. — Iaghacob genus humanũ — Iſrael. — Inuocatio Dei in ſpiritu & veritate. Ioan 6. — Iaghacobi votum. Gen. 28. — Iſraelis nomen Iaghacobo quare conceſſum. Gen. 32.

„ eſt tibi? Reſpondit, Iaghacob. At ille, Nequaquam, inquit, Iaghacob appellabitur nomen tuum; ſed Iſrael: quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines præualebis? Ab hac fortitudinis laude, quam per fidem à Deo retulerat, Iaghacob degeneraſſe nunc accuſatur. idq́; audit verbo IAGAGHTHA, quod iiſdem modo ac tempore pronunciatur, atque illud quondam dictum SARITHA, contraria omnino ſignificatione. Namq; tunc audierat, fortis fuiſti, nunc verò laboraſti, ſiue, debilitatus es: illic GHIM ELOHIM, contra Deum, ſiue, cum Deo, hîc BI, in me. Cùm in me, ac in meam curam receptus eſſes, tamen infirmatus es fide. Latinæ verò lectionis particulam NEC εἰρωνικῶς accipiendam, & res ipſa, & exemplaris lectio indicant. vel explicandū verbum laboraſti; id eſt, laborem fortiter ſubiiſti. quanquam IAGAGHTHA eo, quem diximus modo laborare ſignificat. Atq; eodem verbo multiplex in Iſraelis illius fide infirmitas & labor: cuius notæ atq; exprobrationis illud eſt: Et ſuſcitauit teſtimonium in Iaghacob, & legem poſuit in Iſrael. Quanta mādauit patribus noſtris facere ea filiis ſuis, vt cognoſcat generatio altera. Filij qui naſcentur, & exurgent, & narrabunt filiis ſuis: vt ponant in Deo ſpem ſuam, & non obliuiſcantur operum Dei, & mandata eius exquirant. Ne fiant ſicut patres eorū, generatio praua & exaſperans. Generatio, quæ non direxit cor ſuum, & non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius. Filij Ephrem intendentes & mittentes arcum, conuerſi ſunt in die belli. Non cuſtodierunt teſtamentum Dei, & in lege eius noluerunt ambulare, &c. quæ toto illo Pſalmo ad Iſraeliticam generationē exprobrandam commemorantur, atque hîc vnico verbo laboraſti in me, perſtringuntur. Quod verò ad alteram voti per Iaghacobum concepti partem attinet, nihil magis egregium, atq; vouentis laude & diuina gratia dignius, quàm in altera præſtitum allegari poſſe ait.

Iſraelitici populi degeneratio.

Pſal. 77.

Non obtuliſti mihi arietem holocauſti tui, & victimis tuis non glorificaſti me: non te ſeruire feci in oblatione, nec laborem præbui tibi in thure.

Multa quidem & crebra ſacra celebrata & frequentata apud illum populum, dum melior mens valuit, legimus; eadem verò aliquando intermiſſa & ad vanorum deorum traducta cultum, vel ipſis confeſſis nouimus. Peccauerunt patres noſtri, & fecerunt malum in conſpectu Domini Dei noſtri, derelinquentes eum: auerterunt facies ſuas à tabernaculo Domini, & præbuerunt dorſum. Clauſerunt oſtia quæ erant in porticu, & extinxerūt lucernas: incenſumq́; non adoleuerunt, & holocauſta non obtulerunt in ſanctuario Deo Iſrael. Concitatus eſt itaq; furor Domini ſuper Iudam & Ieruſalem, tradiditq́; eum in commotionem, & interitum, & in ſibilum, ſicut ipſi cernitis oculis veſtris. Quid quòd nec ipſa, quo tempore frequentabantur ſacrificia, quamquam aſſidua, quamquam crebra, vel ipſorū, qui factitarent, moribus ac vitiis cōtaminata, deprehenſa, & accuſata legimus; ſaltem nunquam ita pura, ita grata & efficacia extitere, vt pro conſtituendo & amplificando Iſraele illo, quem Deus adornabat, litarint. quamobrem nec à Deo poſtulata, imò neque requiſita fuere. Non in ſacrificiis tuis arguam

2. Paral. 29.

Sacrificiorū veterum infirmitas.

Pſal.

guam

quam te: [quamquam] holocauſta tua in conſpectu meo ſunt ſemper. Non accipiam de domo tua vitulos, nec de gregibus tuis hircos. Quia meæ ſunt omnes feræ ſiluarum, iumenta in montibus, & boues. Cognoui omnia volatilia cæli, & pulchritudo agri mecum eſt. Si eſuriero, non dicam tibi: meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo eius. Numquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? Quamobrem Dei Filius (vti Paulus docet) ingrediens mundum, dicit, Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi. Holocautomata & pro peccato non tibi placuerunt. id quod & in huius libri initio Deus per noſtrum quoque Iſaiam obteſtatus eſt. Quoniam iſta (vti dicimus) nec purè ac ſincerè factitabantur; &, ſi maximè fierent, tamen vnà cum lege infirmitudinis inſimulata ſæpè fuere. atq; ex conſequenti, nec à Deo exacta; ſed ſub conditione tamen, & in futuri Chriſtiani efficaciſſimi ſacrificij figura. Hoc eſt, quod ſibi oblatum, ac prorſus acceptum inficiatur Deus. Non obtuliſti mihi arietem holocauſti tui. *Hoſtiarum legitima ratio bipartita obſeruatur: vnum genus earum fuit, quæ quotidie bis, hoc eſt, manè & veſperi ſacrificabantur. hæc holocauſta dicta. alterum earum, quæ vltrò, aut ex voto, aut expiationis fiebant cauſa, nominibus diſtinctarum, peccati, & pacificorum; quæ hîc* victimæ *dicuntur.* & victimis tuis non glorificaſti me. LO KEBADTHANI, non magnificaſti, non ſaturaſti me. *eiuſdem ferè ſenſus cum illo apud Malachiam reſponſo: Filius honorat patrem, & ſeruus dominũ: quòd ſi Pater ego, vbi eſt honor meus? ſi Dominus, vbi timor meus? &c. quæ in hanc eandem cauſam Deus illic perſequitur, quæq; ibidem commentati ſumus. vbi tandem ſacrificiorum faſtidium repudiatione manifeſtat. Quis eſt in vobis, qui claudat oſtia; & non incendat altare meum gratuito [id eſt fruſtra?] Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. & apud hunc eundem Vatem: Cùm veneritis ante conſpectum meum, quis quæſiuit hæc de manibus veſtris, vt ambularetis in atriis meis? ne afferatis vltrà ſacrificium fruſtrà, incenſum abominatio eſt mihi. idem quod hoc repetitur loco: nam nec magna & ſumptuoſa ſacra, nec minora etiam & minùs damnoſa ſibi ita facta fuiſſe, vt ſatisfacerent; imò nec poſtulata quidem fuiſſe ait.*

Heb. 10. Pſal. 39.

Sacrificiorũ legalium duplex genus. Holocauſta. Hoſtia pro peccato. Pacifica.

Malach. 1.

Sup. 1.

Non te ſeruire feci in oblatione, nec laborem ibi præbui in thure.

IN *ſcholaſticæ diſciplinæ antiquo ſermone, Sancta, quæ vocantur, omnia in grauia & leuia diuiduntur. vtrumque verò genus in certas diſtribuitur formas, Grauium in holocauſta & peccatum ſingulare, atque pacifica: quæ hîc victimarum nomine concluduntur. Leuium verò genus, duas recipit ſpecies, oblationem ſiue munus, ſancta lingua* MINHHAH *dictum, & in ſuffitum. Munus farina, aqua, & ſale, parabiliſſima conficiebatur materia. Suffimentum verò thure plerumque fiebat, illis in regionibus emptu facilè; vtpote Arabiæ & Sabææ finitimis, ac propè vicinis. Interdũ etiam calamus adhibebatur odoratus, omnium regionis illius odoramentorum viliſſimum, vtpote cuius tanta copia natiua fuiſſe memoretur, vt capreis & capellis ad paſtum ſufficeret. Ait verò Deus, Iachacobum, aduerſus quem*

Sancta, grauia, & leuia.

Holocauſta pro peccato Pacifica.

Oblatio. Munus. MINHHAH. Suffitus. Thus.

Calamus odoratus. In Midras lib.

עין בצוחר

agit modò, nulli ſeruitutis generi, ne leuißimo quidem, per ſe addictum obligatumq́ fuiſſe. vtiturq́ verborũ inopinatis oppoſitionibus: qui tropus ad exaggerationem vehemens habetur. Nam ſi dicat Iaghacob, ſeſe Deo ſeruitutem ſeruiſſe: ita ſeruitutis nomen Deus refellit, vt ne in oblatione quidem ſibi docere poßint imperatam: ſi etiam laboraſſe, operam, curam, & fatigationem in ſacris factitandis poſuiſſe. vt apud Malachiam dixiſſe arguuntur: Et dixiſtis, Ecce de labore, & exſufflaſtis illud, dicit Dominus exercituum. Malach. 1. *neque hoc verbum* IAGAGH *laborare, vel in leuißima re illis denunciatum allegari poſſe defendit. quid enim magis impropriè coniungi poßit, quàm labor & fatigatio atque onus in paruo ſuffiendo thure? nec tamen huius etiam imperij inepta definitio re ipſa quoties modo oſtendi poßit. Vnũ reliquum fortaßis fuerat: vt, ſi non laborem ſuſcipere & operam ponere, tamen ſumptum ſaltem facere iuberentur. Atqui ne iſtud ipſum quidem vel in exigui, aut nullius pretij re imperatum indicari ait, in* KANA, *inquam, odorato vel calamo vulgari, ac ſilueſtri ferè & pecoribus expoſito apud illos arbuſto.* Non emiſti mihi argento calamum. *Falſa ac diſparata allegatio eſſet, ſiue exceptio inepta calami argento comparati: cuius copia vel omni legere volenti communis & peruia, vel ad ſummum ære parabilis minuto conſtaret. Nihilominus vel hunc non emiſti, vel ſi emeris,* non mihi. & adipe victimarum tuarũ non inebriaſti me. Pſal. *Perſimilis oratio illi, Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altißimo vota tua; & inuoca me, in die tribulationis, eruam te, & glorificabis me. Atque omnia hæc ad illam verißimam Samuelis doctrinam referuntur: Nunquid vult Dominus holocauſta & victimas, & non potiùs vt obediatur voci Domini?* 1. Reg. 15. MELIOR EST ENIM OBEDIENTIA QVAM VICTIMÆ; *& auſcultare, magis quàm offerre adipem arietum. Atqui nihil iſtorum ſibi exactum aut poſtulatum, nihil demum gratum & probatum obtigiſſe ex Iaghacobo iſto Deus ait, imò contrà eueniſſe: vt qui nullum illis laborem, nullos imperauerit ſumptus, fatigatione ac tædio ob Iaghacobi peccata & ſcelera affectus fuerit.*

Veruntamen ſeruire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.

Diuini cum humano ſermone conformatio.

DE *ſermonis diuini cum humano in ſacris chartis conformatione multa iam & ſæpè nobis dicta, & aliis fuere diſputata. ſatis verò hoc loco fuerit, ad ſummam dicere, ſi laborem, tædia, moleſtiam, huiuſmodiq́ affectiones diuina ſentiret natura; vt vehementer ſæpè atq́ identidem pateretur hominum inſolentia, malitia, proteruitate, & contumacia affectum iri: qui nihilominus tam in culpa ſunt, quàm ſi idipſum accidere Deo poſſet: quamobrem in huiuſmodi argumentis Dei offenſiones, labores, inimicitiæ, oppreßiones, læſiones, & horum generum odioſa verba concinnè & ſignificanter, & à Vatibus vſurpantur, & nobis imitari non cenſetur nefas. Ex his verò, quæ iam expoſuimus, argumentis illud conficitur, Salutẽ videlicet publicã toties promiſſam, nullo ex humano merito, ſed mera Dei liberalitate, miſericordia, & bonitate, paternoq́ amore proficiſci, ac præſtitũ demũ iri.*

Salus publica non ex humano merito.

Ego

Ego ſum, ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me: & peccatorum tuorum non recordabor.

C V M *autem benignitas & humanitas apparuit ſaluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti; quem effudit ſuper nos abundè: vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ. Et quidem criminis culpa duabus ex partibus oritur; animi impulſione, quæ voluntas dicitur; in qua prima & præcipua turpitudinis fœditas & criminationis vis; & conatu, quem effectus perſæpè, niſi aliàs impediatur, comitari ſolet. Qua de re ita Iacobus: Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus; deinde concupiſcentia, cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò, cùm conſummatum fuerit, generat mortem. Priorem itaque ſceleris partem, animi inquam impulſionem,* P E S A G H, *ſacra lectio vocat. quæ vel vnica tantùm in genere eſt, id eſt, peruerſa voluntas diſcedendi à Deo. vel, ſi in partes diducatur, decem conſtituit: quot videlicet legitima ſunt præcepta, à quibus diſceditur. Verùm ſi ad actus deinde procedendum ſit, nullus ferè certus definiri poteſt numerus: quandoquidē præcepta ſingula multis & variis violantur ſubinde modis: quæ violationes vel dicto, vel facto notatæ nomine* HHATAH, *peccati, indicantur. Ait verò Deus, Iaghacobo à ſe compellato, nullum* PESSAGH, *hoc eſt, turpitudinis & mali conſilij genus aduerſus honeſtatem ac legis ſanctitatem non ſuſcepiſſe; idemq; manifeſtè exprobrantem, commemorare ſe, nec velle tamen innumera peccata & malefacta ex malo conſilio orta commemorare, ac ne recordari quidem: adeò vel numerum excedunt, & commemoratu faſtidioſa ſunt. atq; ſe hactenus criminationem tantùm produxiſſe: quam, cùm poſſit, extēdere tamen & dilatare parcit. Nihilominus ſua ipſius cauſa, hoc eſt, vt ſuum de amplificando Iaghacobo propoſitum promoueat & perficiat, notas compertasq; ſibi hominis* PESAGHIM *(quas* iniquitates *Latinus interpres noſter hîc interpretatur) ſe delere inſtituiſſe (Papæ maximum & admirandum verbum* DELEO, *& quidem verè dictum ac præſtitum.) Peccata verò ex illis iniquitatibus orta, nec nunc numerare, nec deinde poſtea velle recordari. Namque hæc ingenuæ & puræ candidæq; reconciliationis conditio eſt, vt reductos ad concordiam & amicitiam ex fœdere animos offenſionum comitetur obliteratio* & peccatorum tuorum non recordabor. *In exemplari verbū legitur medium, cum accuſandi caſu* VE HHATATHECHA LO EZ CHOR, & peccata tua non memorabo, *nec nunc exprobrando, nec deinceps repetendo memorare conſtituit. Atq; ita ſuam Deus vnicam miſericordiam & bonitatem volutatémque in hac ſalutis publicæ cauſa aſſeuerat; nullamq; præter propoſitum & beneficium ſuum Iaghacobo ad parteis vocato, quod pro ſe faciat ius fauere ait. nihilominùs tamen, vt manifeſtiùs iuſtitiæ ſuæ rationem, & clementiæ magnitudinem vel eidem ipſi probet, atque iudicandam etiam demùm relinquat reo, quæ velit allegare ac dicere impunè permittit: idq; tanta patientia &*

Tit. 3.

Peccati culpa vnde.

Iacobi 1.

PESAGH.

HHATAH.

Reconciliatio ingenua.

indulgẽtia agit, vt vel priori cauſam orare, & exceptionẽ dare nõ ambigat.

Reduc me in memoriam, & iudicemur ſimul: narra, ſi quid habes, vt iuſtificeris.

Prius dicentis melior cauſa.

V V L G O *dici ſolet, meliorem videri cauſam eius, qui primus dicit; rarique exempli eſt, reum priorem pro ſe dicentem audire. Nullam iuſtitiam, nullum ſuum meritum Iaghacobo eſſe quamobrem ſalus afferretur, & maxima illa promiſſa concederetur felicitas, dixerat Deus; idq́ generaliter definierat. nihilominus tamen exceptionem eidem, ſiquid excipiendum aut allegandum putetur, in medium proferendi libertatem & copiam dat: perinde ac ſi fortè oblitus fuerit, quo libenter in memoriam reductum poſtulet; nec ante liberam aduerſarij exceptionem præiudicium vllum factum velit, nulla repudiaturus nomina, quæ ex bona fide vel iure quo vis cenſeantur idonea. Namq́ huiuſmodi optimæ & æquiſſimæ partes habentur probi & ingenui domini, vel creditoris, cum ſeruis vel debitoribus accepti ac dati rationes tractantis. Verùm enimuerò nihil demùm proferri poſſe huic ſeruo demùm apparet, quod vel proprij iuris prodeſſe, vel alieni allegari; quod ſuppetias afferre, & commodare opitularíve quoquo pacto iudicandum ſit. Neque id mirandum: quippe quod non nouum aut inuſitatum, verùm à paterna vitij contagione conceptũ, & exemplis veluti domeſticis monſtratum ac traditum. nimirum à primo vſque humani generis progenitore, & ſatore Adamo cœptum, & continente labis corruptela ex illius liberis ad ſupremas demum ætates longè lateq́ illatum & profuſum.*

Domini vel creditoris partes.

Pater tuus primus peccauit, & interpretes tui præuaricati ſunt in me.

De humani generis vitioſitate hominum ſententiæ.

H V M A N I generis vitioſitas ab Adamo primo diuinæ legis violatore ad poſteritatem totam pertinens, cùm nullis hominum artibus aut ingeniis curari & corrigi omnino poſſet, primùm diſſimulari cœpta: demùm defenſores, aut etiam commendatores homines, profeſſione quidem magiſtros, reapſe verò cæcos, vſu autem cæcorum duces nacta eſt. vnde euenit, vt mundi ſapientia, vel acutiſſima & acerrima, diuino iudicio ſtultitiæ & inſaniæ damnaretur crimine. Legantur philoſophi magni, legantur & antiquiores ac recentiores in hoc argumento Scribæ: ac vtinam nulli ad hanc rem conſulendi petantur ex iis, quos hîc à Deo interpretes tui *vocari audimus. atque hanc ob cauſam non modo ceteras orbis nationes à ſe abalienatas, verùm eos etiam, qui ſancti & pij audiebant, hoc eſt, Iſraelitas, cum omni magiſtratus ac ſacerdotij collegio à ſe ſpretum ac repudiatum iri denunciat; eamq́ ſignificat reprobationem, eam inſignem notam & ignominiam, qua Iudæi ob repulſum Euangelium damnati ſunt.*

Et contaminaui principes ſanctos, & dedi ad internitionem Iaghacob, & Iſrael in blaſphemiam.

Preterita pro futuris.

Quanquam vaticiniorum veritatem & conſtantiam præteriti temporis vſurpatio cum futuri ſignificatione ſæpeſæpius affirmare obſeruetur, tamen futurum ſuam retinere atque indicare vim certo ſigno animaduertimus coniunctionis VAV, *propriam vocalem, id eſt,* SEVA, *vt hoc loco, obtinentis.* VEETHENAH, & dabo *Iaghacobum, hoc eſt, gentem illam, cui*

VAV inuerſiuum.

propter

propter diuinum beneficium Iſraelis acceſſerat nomen: non ſecus atq; alios Iudæi in reprobum ſenſum dati.
homines ex eodem primo patre Adamo oriundos peccato ſordidum & im-
purum atq; ideo damnationi obnoxium fuiſſe docuerat, eundemq́; maiori in
crimine quàm ceteros poſuerat; vtpote ſingulari legis beneficio auctum: cu-
ius tamen doctrinam malis modis contaminatam arguit, eiusq́; vitij præci-
puam culpam in magiſtris & interpretibus hærere dixerat: qui, cùm ſan-
ctiores ipſi eſſe, & alios ad ſanctitatē inſtruere debuiſſent; vtramq; tamen
officij partem prodidiſſe deprehenſi & coarguti ſunt. quamobrem ſimul re-
iectum iri obnunciat; nec reiectum tantùm, ſed in eam conditionem tradu-
ctum, qua miſerior inter mortales nulla notetur, hoc eſt, in reprobum ſen-
ſum: deinde in anathema atque in extremam ignominiam: quod, ſi vnquam
aliàs, præſertim tamen poſt Ieroſolymam vrbē à Tito dirutam ad hæc vſ-
que tempora perſenſerunt. Contaminaui principes ſanctos. *Sacerdo-* Iudæorum ſacra polluta
tum turbam cum pontificibus ſuis, quorum, quæ quondam in pretio fue-
rant, ſacra polluta iam cenſentur, propter ſummi ſacerdotis Chriſti perfe- Chriſti ſacerdotium.
ctum & æternum ſacerdotium: cuius lumen & ſplendor vetera omnia,
quæ ſub legis vmbra factitabantur, ſacra obſoluere. & dedi ad internitio-
nem Iaghacob. LEHHEREM, anathema. *ſic idem nomen Latinus inter-* Anathema.
pres aliàs frequenter exponit. Eò quòd caritatem veritatis non receperunt 2. Theſ. 2.
vt ſalui fierent; ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant men- "
dacio, vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt "
iniquitati. Populum ipſum ad ſuam priſtinam conditionem redactum Ia- "
ghacob *nominat; quem ab Eccleſiæ communione arcendum denunciat.*
Atque huc pertinet illa de oliuæ ramis exciſis apud Paulum doctrina, & Rom. 11.
quam plurima alia in ſacris antiquis ac nouis chartis documenta, teſtimo-
nia, & monumenta. ex quibus illud, Reliqui domum meam, dimiſi heredi- Ierem 12.
tatem meam, dedi dilectam animam meam in manum inimicorum eius. "
Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi leo in ſilua, dedit contra me vocem: ideo "
odiui eam. & apud hunc noſtrum Vatem: Ecce in iniquitatibus veſtris Iſa. 50.
venditi eſtis, & in ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram: quia veni, & "
non erat vir; vocaui, & non erat qui audiret. Atque in hunc deterrimum "
& calamitoſum locum humanas res apud Iaghacobum deuenturas hîc
Deus declarat. &, quod pronum eſt, idemq́; miſerrimum cenſendum, decus
illud Iſraelis in extremam conuerſum iri ignominiam & infamiam. LE-
GEDVPHIM, inexprobratos, *contumeliæ & conuitio expoſitos. id quod*
nuſquam terrarum Iſraelitæ non perpetiuntur.

CAPVT XLIV.

ET nunc audi Iaghacob ſerue meus, & Iſrael, quem elegi.
CALAMITOSAM *& formidabilem Iudæorum reprobatio-*
nem propter Euangelium repulſum ex diuino iudicio decretam, proximis
verſibus per vatem denunciatam, diuinæ miſericordiæ ac voluntatis conſo-
latio e veſtigio ſecuta eſt. idq́; apud Vates omnes actum; ſed apud hunc no-
ſtrum pleniſſimè & apertiſſimè. Nanq; voluntatis Dei non eſt vt impius Ezech.
pereat,

pereat, ſed magis vt conuertatur, & viuat. Vitæ, quæ in Dei verbo erat, munus & officium proprium ſeſe omnibus ad vitam præbere eſt. quòd ſi quis moritur, ipſe ſibi mortis & cauſam, & periculum, ac venenum præbet: nec vllo pacto aliàs vitam inſtaurare valet, niſi à verbo ſuum diligente pecus, & perditas oues requirente, reſtitutus fuerit. Ego lux in mundū veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Et ſi quis audierit verba mea, & non cuſtodierit, ego non iudico eum: non enim veni vt iudicem mundum, ſed vt ſaluificem mundum. Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum: ſermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſsimo die. Quia ego ex me ipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam & quid loquar. Et ſcio quia mandatum eius vita æterna eſt. Quæ ergo ego loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor. &, Ego ſum reſurrectio & vita: qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit, & credit in me, nō morietur in æternum. Hoc itaq; Dei verbo proprium libenter hominibus omnibus præſtandum, atque vltrò offerendum, Iaghacobi inductam perſonam allocutus Deus ipſe docet: eundemq́; quamquam ob propriam noxam reiectū, tamen ad tanti beneficij hortatur ſpem; vtpote qui pacis cogitationes, & non afflictionis cogitare ſeſe aliàs obteſtatus fuerit. & Filius ipſe Dei: Ignem veni mittere in terram; & quid volo, niſi vt ardeat? Et quidem Iaghacobus in hac allocutione appellatus ſuam, hoc eſt, gentis illius ex Iaghacobo ſecundùm carnem oriundæ, & etiam totius hominum generis, vti ſuperiùs explicuimus, repræſentat perſonam. Namq; Iaghacob quàm diu ſuū tantùm à matre, vel ab obſtetrice impoſitū nomen tuetur, humana conditione nihil agere cenſetur ſublimius: atq; ita quidquid hoc nomine audit, ad omnes homines pertinere exiſtimatur. Idem verò cùm ad Iſraelis appellationem promouetur, ſingulare Dei in ſe beneficium iubetur agnoſcere, atq; cogitare docetur; poſſe & velle Deum idem exempli toti hominum generi eadem cauſa cōmunicare, qua ſibi largitus fuerit, hoc eſt, gloriæ ſuæ & propoſiti, de humani generis amplitudine ſtatuendi & confirmandi cauſa: quamquam ipſi illud prærogatiuæ datum ſit, vt primò ex gentibus cunctis huius diuini beneficij myſterium indicaretur & conſtaret; primusq́; eſſet, qui ex Iaghacobi humilitate ad Iſraelis decus & amplitudinem traductus enituiſſet. nihilominus tamen aliis etiam totius orbis nationibus idem beneficij contingeret. id quod inferiùs demum declarabitur. Dedi te in lucem gentium, vt ſit ſalus mea vſque ad extremum terræ. Verùm enimuerò, quamquam tanti beneficij vſura magna Iſraelitarum ſecundùm carnem pars ob incredulitatem priuanda eſſet, id quod paulo antè fuerat obnunciatū: tamen diuinæ benignitatis dono atq; ſapientiſsimi propoſiti conſtantia futurum eſſe prædicitur; vt, qui reiectus fuerat, populus, rurſus in gratiam reuocatus ad promiſsi regni cæleſtis admittatur conſortium. interim verò dum hoc differtur, nihilominus cum Iaghacobo agatur, hoc eſt, cum ceterorum hominum nationibus, & cum communi humani generis conditione ad Iſraelis dignitatem & ſplendorem promouenda; & quod in primo Iaghacobo per figuram, & in

Margin notes: Ioan. 12. — Ioan. 11. — Iaghacob genus humanū — Iſrael. — Iſraelis ſecundùm carnem prærogatiua. — Inf. 49.

in huius poſteris per figuram quoque primùm, deinde primitiarum nomine verè actum eſt, in vtroque populo conciliato & coniuncto perficiatur. Atq; hæc allocutionis huius explicatio ſumma eſt. Et nunc audi Iaghacob ſerue meus, & Iſrael quem elegi. Ad Iſraelem ſecundùm carnem appellatio nunc pertinet; quem in primo parente Iaghacobo peculiarem ſibi ſeruum deſtinatum ait. S.S.E. Nónne frater fuit Iaghacob Eſau? ſed Iaghacob dilexi, Eſau autem odio habui: quandiu verò Iaghacob conditionem illam tenuit, præter ſeruum Domini nihil præſtantius vel audiit, vel de ſe profiteri iure potuit. Minor (inquit) cunctis miſerationibus tuis, & veritate tua, quam expleuiſti ſeruo tuo. Iſraeliticus etiam populus, tametſi lege diuina inſtructus, tamen ſerui nomen ac titulum nunquam verè exceſſit. Quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius, & diligas eum, & ſeruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua? Dominum Deum tuum timebis, & ei SERVIES; ipſi adhærebis, iurabisq; nomen illius. Ipſe eſt laus tua, & Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia & terribilia, quæ viderunt oculi tui. In ſeptuaginta animabus deſcenderunt patres tui in Ægyptum; & ecce nunc multiplicauit te Dominus Deus tuus ſicut ſtellas cæli. Hunc verò Iaghacobum Iſraelis nomen ex diuina electione, non ex merito ſuo ſortitum ait. Iſrael quem elegi. & eundem à Deo audire iuſſum, magnum aliquod reſponſum relaturum expectare eſt, præcipuè nominibus pronunciatis, quæ voluntatem planè indicant diuinam à ſe non alienatam, immo à ſe adhuc ſtantem, Serue meus, & Iſrael, quem elegi. id quod amplificatione ſtatim ſubiuncta, expolitur & explicatur.

Iaghacob ſeruus Domini. Malach.

Iſraelitæ ſecundùm carnem ſerui.

Gen. 32

Deut. 10.

Ibid.

Iſrael.

Hæc dicit Dominus faciens & formans te, ab vtero auxiliator tuus: noli timere ſerue meus Iaghacob, & rectiſſime quem elegi.

Certiſſimam inſinuaturus fidem Deus, atque ſpem facturus promiſſæ quondam ſalutis Iſraelitico populo, quamuis à ſe reiecto, demum præſtandæ propoſitum ſuum fixum, immotumq; ſibi, vtpote immutabili Deo conſtare ait: quare & abſolutum iri pollicetur. ac de facultate virtuteq; ſua ad omnia, vel maxima & admirabiliſſima, faciendum, abundè in præcedenti admonuerat capite, de incœpta & adornata ſalute luculētiſſimè egerat, eamq; quo minùs plenè efficeret, non per ipſum, ſed per eoſdem fuiſſe interpellatum, idq; ad tempus: non ideo tamen voluntatem ſuam vel mutatam, vel remiſſam hic aſſeuerat, ſed intermiſſum opus, vti durum adhuc & importunum tractatu, donec caſtigatione aliqua & correptione emendata & correcta materia idonea tandem reddatur; cui ipſe præterita condonare faueat & conſulat, & tantum conciliet ac ſtatuat beneficium. Itaq; nunc ad reſtitutionis exhortatur ſpem, voluntatisq; de ea re ſuæ conſtantiam declaraturus, à propoſito & incepto argumentatur. Dixerat autem Iaghacobum nihil egregium quondam commeritum, tamen à ſe fuiſſe in ſeruum receptum, & Eſau fratri maiori natu prælatum: quare & ſingulari amore exceptum declarauerat. nunc verò ait, non ideo quòd Iaghacobum ex parte repulerit atq; domo eiecerit, odiſſe tamen: vtpote qui nihil oderit eorum, quæ fecerit.

Iaghacobi promotio.

Atqui Iaghacobum non ſui ipſius fuiſſe auctorem, ſed à Deo factum extitiſſe; & vt Iaghacob quamprimum natus vocaretur, accepiſſe non quòd ea induſtria foret, ea virtute valeret, vt fratris è matris aluo educti calcem fortiter tenens ac premens continuò ſequeretur, atque eo pacto penè viciſſe cenſeretur; non naturæ, ſed diuinæ ſingularis prouidentiæ atq; voluntatis exemplum fuerat. Hoc eſt quod ait, faciens & formans te, ab vtero auxiliator tuus; noli timere ſerue meus Iaghacob. *Quòd etiam poſtea benedictionem fratri præripuerit, atq; patri vt largiretur, fuerit dictatum, ſui ipſius quoque fuiſſe conſilium ac donum; ſed Deo diſponente ac dirigente obtentum, atq; omnibus adornatum modis: immiſſa priùs Rebecæ matri mente, vt illam commentaretur alterum pro altero ſupponendi rationē. S. S. E.*

Gen. 27.

In me ſit, ait [mater] iſta maledictio, fili mi: tantùm audi vocem meam, &
„ *pergens, affer quæ dixi. & paulo pòſt: Rurſum Iſaac ad filium ſuum, Quo-*
„ *modo, inquit, potuiſti tam citò inuenire, fili mi? Qui reſpondit, Voluntas*
„ *Dei fuit, vt occurreret mihi quod volebam. Cùm tamen Eſau nec in venatione inuenienda ceſſaſſet; nec inuenta, ignauè aut negligenter egiſſet. Nam*

Ibid.

vix Iſaac ſermonem impleuerat: & egreſſo Iaghacob foris, venit Eſau, co-
„ *ctosq; de venatione intulit cibos, patri dicens: Surge pater mi, & comede de*
„ *venatione filij tui, vt benedicat mihi anima tua. Hanc electionis & voluntatis diuinæ rationem ſpectat appellatio illa,* & rectiſſimè, quem elegi. *quem miris modis ad id, quod parabam, deſtinaui ac direxi: ita vt planè meum eſſe, ac mihi delectum probarem. Hoc ſignificat vox* IESVRVN, mi

Heri benigniſſimi in Iaghacobum indulgentia.

directe. *Sumitur autem hoc loco tranſlatio à ſeruo, quem herus quiſpiam bonus & ſapiens emptum, vel donatum præcipuè fouerat: deinde propter inſolentem offenſam domo eiecit: demum verò, quia ipſe vltrò amat, quanquam non meritum; tamen aliquantulum correctum, & in familiam reuocatum recipit, atq; certis conditionibus obſecutum non reſtituit modò, ſed longè maioribus quàm antea ornamentis promouet. Huiuſmodi heri frequens in hoc beneficio oratio eſt. Educaui, elegi, amo: ideoq; mei amoris ac*

Iaghacob alter, & Iſrael nouus.

propoſiti parteis perſequor. Verùm enimuerò, interim dum Iaghacob in gratiam recipitur, alter etiam Iaghacob creandus, imò alter Iſrael apparandus Deo recipitur: qui, poſtquam inſtructus fuerit, & cum illo altero priore

Iſrael vnus ſpiritualis.

coniunctus, in vnum magnum Iſraelem, vterque ſimul coaleſcant, & euadant: atq; ex Iaghacob priore, ſecundùm carnem & gentium populo ad eandem admiſſo communionem, ſpiritualis ille fiat Iſrael; qui verè cum Deo potens exiſtat, & audiat. vterq; quidem hominis nomen communiter & ex æquo (ſi naturam ſpectes) tuetur; vterque Adami filius ex æquo dicitur,

ADAMAH id eſt, terra, genus humanum.

atq; ex conſequenti ADAMAH, *hoc eſt, vterque terra verè & pariter dicitur. Verùm hoc diſcrimine, quòd alter, id eſt, Iudæorum populus, diuinæ*

Iudaici populi præcipuum.

doctrinæ elementis imbutus fuerit, legibus eruditus, & Vatum oraculis inſtructus, atq; ita cæleſtibus aquis irrigatus: alter verò, gentium videlicet populus, magna huiuſmodi irrigationis penuria anteà laborauerat. S. S. E.

Pſal.

Qui annunciat verbum ſuum Iaacob, iuſtitias & iudicia ſua Iſrael. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. His autem

ita

ita laborantibus, atque ſitientibus, quemadmodum conſulere & fauere ſtatuerit, è veſtigio declarat.

Effundam enim aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam.

Euangelij doctrinam aquas *arcano ſermone vocari, in ſacro admonebamus Apparatu. Hanc autem omni terræ communiter prouiſam collatum iri pollicetur Deus: ita vt vtrique parti commodo, & opportuno vſus præſtet. Atq; terræ aquam requirentis, duplex eſſe notatur habitus. aut enim nulla vnquam humoris & aquæ copia quibuſdam contigit locis, vt deſertis tractibus, vbi nunquam pluit; quod genus terræ* ſitiens *vocatur. aut quãquam imbribus certis aliàs terræ pars aliqua non caruerit, tamen parum, aut nihil bonæ fruges fudit, propter ſolo ipſi innatam vel aſcitam ſterilitatis malitiam & importunitatem. cuiuſmodi ſolo nomen* IABASAH *primæuum, Latinum verò* ARIDA *competit. Tale autem ingenium terra omnis mundi initio, antè quàm à Deo corrigeretur, obtinuiſſe narratur. Congregẽtur aquæ in locum vnum, & appareat arida. & factum eſt ita. Et vocauit Deus aridam Terram, & congregationes aquarum appellauit Maria. Illius communis quondam ſterilitatis veſtigia cum ipſo etiam nomine in marinis & arenoſis tractibus adhuc hærent: atque ex hoc ſenſu Ionam ex ceti aluo in aridam legimus euomitum. Vtriuſque terræ imaginem à natura ad humanam transferendo conditionem, ita accommodari decet; vt gentiũ populum* ſitientem *interpretemur terram: Iſraeliticum verò* IABASSA *nominemus. Siquidem* IABASAH *dicitur, quæ ſalſuginẽ vel priſcam, primæuámque retinuit, vel vitio quouis aliquando contraxit. Vtriuſuis verò terræ labori ſua ſingulariter aptanda fuerit medicina; ei nimirum, quæ præter ſiccitatem & ſitim nihil præterea falſi habet vitij tempeſtiuæ pluuiæ cæleſte beneficium ſatis efficax accedit. Cui verò ſterilitatem ſalſugo intulit, maior, quæ vitium eluat, dulcis aquæ copia & accuratiùs fuerit ſufficienda. Vtriuſque humanæ terræ parti ad ſalutis veræ frugem Euangelij doctrina diuinitùs proſpecta & communicata narratur; verùm diuerſo modo atque exitu. ſiquidem vt vinũ in vtres nouos infuſum faciliùs recipitur, & fideliùs conſeruatur, quàm ſi in veteres, & veteri liquore imbutos, committatur: ita diuinæ doctrinæ Euangelicum munus propitiùs & faciliùs à gentibus admiſſum, & commodiùs retentum, minoreq; pugnantia ad pœnitentiæ virtutem conbibitum fuit, quàm à Iudæis: quos præceptæ veteris diſciplinæ turbata, & minimum ſincera conſuetudo veri ſteriles, & fœni ac palearum fæcundos reddiderat. His namq; non ſine multa diſcuſſione, diſceptatione, ſolicitudine, & vaticiniorum inculcatione examinationeq; perſuadendum fuerat Euangelium. Vtriuſque autem rationis exempla quamplurima, tum in Euangelicis, tum in Apoſtolicis hiſtoriis atq; epiſtolis paſſim reperire fuerit iis, quibus argumẽti huius conſtiterit percepta ſumma. Quoniam ſecundùm reuelationem notum mihi factum eſt ſacramentum: ſicut ſuprà ſcripſi in breui, prout poteſtis, legentes, intelligere prudentiam meam in myſterio Chriſti: quod aliis generationibus non eſt agnitum filiis hominum, ſicut nunc reuelatum eſt ſanctis Apoſtolis eius & Prophetis*

Marginalia: Aqua Euangelij. Lib. Ioſeph. — IABASAH. Arida. — Gen. 1. — Ionæ 2. — Gentiũ conuerſio. Iſraelitarum conuerſio. — Epheſ. 3.

„ *in ſpiritu. Gentes eſſe cohæredes & concorporales & conparticipes promiſ-*
„ *ſionis eius in Chriſto Ieſu per Euangelium. Euangelij verò doctrinam fidei & obſequij conditionibus acceptam, diuinæ virtutis à Spiritu ſancto allatæ & communicatæ virtute probatum & firmatum iri. Ex qua virtute maximi & pulcherrimi proferendi eſſent fructus, à Vatibus prænunciatum ceteris, & à noſtro præcipuè & frequenter audiuimus. Namq; hæc Euangelij ſignificatio eſt, boni videlicet nuncij, promiſſæ quondam, & iam nunc allatæ & præſtandæ ſalutis. Hanc itaque virtutem fideles, Euangelioq; ritè & purè credentes & obtemperantes conſecuturã, proximo pollicetur verſu Deus. Atq; hunc ordinem expectandũ præmonet, vt priùs Euangelium doctrinæ veræ ſitientibus nationibus, imbris inſtar diffuſum, communicetur: iis verò, qui veteri diſciplina imbuti, ſalſuginem cõceperant infelicem, abundantior doctrinæ ſuppeditaretur copia. Hæc illius partitionis ac diſtinctionis ratio eſt.* Effundam aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam IABASAH. *Atq; hæc de Euangelij doctrina, cui ſuperuentura etiam diuini ſpiritus prædicitur virtus, bipertito etiam decantata promiſſo.*

Euangelicæ doctrinæ ſumma.

Euangelij ſignificatio.

Euangelij virtus.

Effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam.

Duplex in omni plantarum genere obſeruatur proueniendi ratio. altera ſeminibus poſitis, altera verò inſitione paratur. illa naturæ, hæc arti & induſtriæ tribuitur. vtraque, ſi opportunam nacta fuerit culturam, fructuoſa & felix euadit. Atq; in publicæ hominum ſalutis negotio ita ex diuino conſilio comparata fuit res, vt poſt Euangelij enunciationem, vtraq; hominum pars, Iudæi inquã & Græci, ſiue Iaghacob & Eſau (quibus nominibus terrarum orbis definitur vniuerſus) in gratiam, atq; in Dei regnum recepta, diuini ſpiritus virtute animata, ad bonam, immo ad optimam frugem proficeret, & fructus Deo ferret gratiſſimos. Qua in ratione Iſrael ſecũdùm carnem, qui prior doctrinæ ſalubribus irrigari cœptus eſt aquis; plantæ referret ſtipitem; gentium verò populus illi adiunctus, inſitorum repræſentaret ſurculorum imaginem. Ita, quæ ex iacto ſemine ortæ, ad frugis vſque opportunitatem creuiſſent plantæ, ſuũ, quæ verò ex inſitione adultæ eſſent, ſuum etiam ferrent fructum, vtrumq; bonum, vtrumque vtilem, vtrumq; demùm agricolæ probandum ſuo. Sed quoniam in vtrius culturæ naturali exitu magnum deprehenditur diſcrimen: namque ex oleaſtro oliua inſerto oliuæ, generoſus expectari ſolet fructus: contrà verò, ex oleaſtri in oliua inſito ſurculo infelicior, & ſilueſtri perſimilis excipi ſolet bacca. Id verò diſcrimen à ſe ita compoſitum iri Deus ait, vt par itidemq; gratus & probandus vtriusq; euadat fructus, quod ad bonitatis ac generoſitatis attinet laudem. Namque ſpiritu diuino illud efficiendum delaratur, vt quæ generoſa planta fuerat, expectotione ſua dignos edat fructus: quæ verò minoris fuerat laudis, diuina benedictione, hoc eſt, feracitatis bonæ facultate inſtruatur. Effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum. *Hoc generoſiorem ſpectat plantam, qua cum ſermo habetur.* & benedictionem meam ſuper ſtirpem tuã. *Ad inſitam hoc pertinet: namq; ſtirpis nomine adnatas,*

Arborũ propagandarum ratio duplex. Plantatio. Inſitio.

Iudæi, & Græci. Iaghacob, & Eſau.

Pauli locus illuſtratus. Iſrael, ſtips plantæ. Gentes, rami inſiti.

ſiue adiunctas natiuæ plantæ proles, vt interpretari conueniat. primæuum ipſum docet vocabulum. TSEETSAEICHA *à verbo* IATSA, *per literarũ geminationem deductum, eos plantæ ſignificat ramos, qui primitiuo & felici ſtipiti vel ad radices adnaſcuntur, vel ad latera circunfundũtur: qui, quòd minùs ſint feraces, à cultoribus præſcindi arte ſolent. In hoc etiam ſenſu ac nomine admoti exteriùs rami ponuntur: vtpote qui minimè omnium ad primæuum referantur ſemen, ex quo primùm enata fuerat planta. Igitur ſpiritu diuino vtrique parti infuſo, & benedictione, hoc eſt, felicitate, adiunctis præſtita, quid expectandum fuerit, è veſtigio declaratur.*

Et germinabunt inter herbas, quaſi ſalices iuxta præterfluentes
aquas. QVANTVM *Euangelica veritas iis, quibus ex diuini* Euangelicæ
ſpiritus dono conſtiterit, virtute, fœcunditate, & vſu ſapientiæ, pruden- veritatis præ-
tiæ, & induſtriæ mundanæ, atq; adeò doctrinis omnibus alienis præſtitura ſtantia.
fuerit, duorum generum comparanda ſimilitudine indicatur; herbarũ ſpon-
te naſcentium, ſiue fœni (namq; hoc nomen HHATSIR *ſignificat) & ſali-* HHATSIR
cum ſecundùm fluuios vel riuos creſcentium. Namq; fœni quamquam vi-
ror & ſpecies nonnihil commendabilis & placens interdum appareat: ta-
men & præter naturalem debilitatẽ, & breuiorem modũ, breuiſſima etiam
duratio eſt, & nullus ferè areſcenti niſi ad clibanũ vſus. S.S.E. Quoniam Mat. Pſal. 36.
tanquam fœnum velociter areſcent, & quemadmodum olera herbarũ citò "
decident. Salicum verò, quas dulcis aquæ iuges præterlabuntur fluuij, vltra Salices.
creſcendi felicem & ſpecioſam vim foliis dulcis adhærens, ac melle efficacior commendat ſuccus: cui manna *medicorum officinæ arrogauere no-* Manna.
men. Atq; ita felicitatis incrementum præſtantiſſimum Euangelij cultoribus veris Deus per Vatem adiudicat, ad illud etiam altàs prædictum alludens: Omnes qui viderint eos, cognoſcent illos: quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus. Atq; huc reſpexiſſe arbitramur Paulum ita ſcribentẽ:
Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona volũta- Philip. 2.
te [Dei] Omnia autem facite ſine murmurationibus & hæſitationibus, vt "
ſitis ſine querela, & ſimplices filij Dei, ſine reprehenſione in medio nationis "
prauæ & peruerſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo verbũ vitæ "
continentes ad gloriam meam in die Chriſti. Atq; huius eiuſdem argumẽti "
celebris illa oliua eſt, à D. Paulo facundè pariter atq; aptè deſcripta: apud
quem huc & illa quoque ſpectant. In quo etiam nos ſorte vocati ſumus, præ- Epheſ. 1.
deſtinati ſecundùm propoſitũ eius, qui operatur omnia ſecundùm conſilium "
voluntatis ſuæ, vt ſimus in laudem gloriæ eius nos [Iudæi] qui antea ſpera- "
uimus in Chriſto: in quo & vos, cùm audiſſetis verbum veritatis, Euan- "
gelium ſalutis veſtræ: in quo & credentes, ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis "
ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ: in redemptionem acquiſitionis, in "
laudem gloriæ ipſius. Magnum verò atq; ingentem ramorum & planta- "
rumpropaginumq; prouentum ex hac Iſraelis plantatione & inſitione, ma- Eccleſiæ numeroſa ſoboles.
gnam & copioſam expectandam ſobolem prænunciat Deus: id eſt, Eccleſiã,
ex vtroque populo in vno Chriſto coniunctam & coagmentatam per lauacrum regenerationis & renouationis ſpiritus ſancti frequentem valde atq;

 cele-

celebrem fore, variis quidem ordinum conditionibus diſtinctam, & cognominibus diſcernendam, verùm ad vnius ſanctorum communionis nomen & ſignum referendam. Atq; ab hac ratione & obſeruatione, ab hac fide &
Rom. 11. *ſpe ſtat illud. Si enim amiſſio eorum [Iudæorum quorundam] reconciliatio*
» *eſt mundi, quæ aſſumptio, niſi vita ex mortuis? quòd ſi delibatio ſancta eſt,*
» *& maſſa; & ſi radix ſancta, & rami. Quòd ſi aliqui ex ramis fracti ſunt,*
» *tu autem cùm oleaſter eſſes, inſertus es in illis, & ſocius radicis & pingue-*
» *dinis factus es [propter benedictionem diuinam] noli gloriari aduerſus ra-*
» *mos. Quòd ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te. Dicis ergo, fra-*
» *cti ſunt rami, vt ego inſerar. Benè, propter incredulitatem fracti ſunt: tu*
» *autem fide ſtas. Noli altum ſapere, ſed time. Si enim Deus naturalibus ra-*
» *mis non pepercit; ne fortè nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & ſeuerita-*
» *tem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, ſeueritatem; in te autem bonitatem,*
» *ſi permanſeris in bonitate; alioquin & tu excideris: ſed & illi, ſi non per-*
» *manſerint in incredulitate, inſerentur: Potens eſt enim Deus iterum inſe-*
» *rere illos. Nam ſi tu ex naturali exciſus es oleaſtro, & contra naturam in-*
» *ſertus es in bonam oliuam, quanto magis, qui ſecundùm naturam inſeren-*
» *tur ſuæ oliuæ? Nolo enim vos ignorare, fratres, myſterium hoc: vt non ſitis*
» *vobis ipſis ſapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael; donec plenitu-*
» *do gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret. ſicut ſcriptum eſt: Ve-*
» *niet ex Sion qui eripiat & auertat impietatem à Iacob, &c. Hanc eandem poſtea longiùs & apertiùs tractandam rem per Vatem hunc, in præſentiarum præmonitam adornatamq; Deus voluit; conſolabundus, videlicet Iaghacobum ſecundùm carnem promiſſo numeroſæ ſobolis ex inſitione illa & vtriuſque populi coniunctione expectandæ.*

Iſte dicet. Domini ego ſum: & ille vocabit in nomine Iaghacob: & hic ſcribet manu ſua, Dño: & in nomine Iſrael aſſimilabitur.

Fideliũ conditio duplex.

EORVM *qui ſalutis cauſa ad veræ pietatis cultũ ſeſe recipiunt, duplex generatim atq; vniuersè conditio eſt. Namque alij ex priſca veri atq; boni ignoratione, atq; adeo ex gentium vanitate ad veri Dei cognitionem & cultum traducuntur; vocatiq; numinis obſecuti voluntati ſeſe dedunt, atque tutelæ & præſidio committunt, credentiumq; primùm vel aduenarum appellari ſolent nomine.*

Credentes aduenæ.

Horum inſigne & illuſtre exemplum, ſiue exemplar potiùs, Abrahamus ponitur: qui patria, cognatione, & omnibus notis opportunisq; relictis commodis, diuinam ſecutus vocationem, omnibusq; fidei periculis ac teſtimoniis comprobatus, circumciſionis demùm accepto ſigno, credentium pater perpetuò appellatus eſt.

Abrahamus pater credentium.

cuius inſtar habent omnes omnium tum nationum, tum verò ætatum, quicunque ad fidem primùm aſciti, ad ſacræ familiæ numerum, ac diuinæ tutelæ beneficium ſingulare admittũtur. Non enim ſine magnæ doctrinæ ſignificatione circuncisionis arcanum ſignum non antè accepit, quàm nonageſimum ſuperaſſet annum. Cùm tamen eiuſdem cura, ſtudio, & opera familiam omnem tum filij, adhuc pueri, tum ceterorum cuiuſque ætatis marium eiuſdem ſigni communicatione, atque prærogatiua inſtructam & ornatam acceperimus. Quòd ſi is ante ſenectam

vel

vel vir, vel iuuenis, aut puer circunciſus fuiſſet, quiſquis poſtea ad fidem vocatus, illud ipſum ætatis exceſſiſſet: vel ſe iam intempeſtiuè vocatū, cauſari, atq; ideo dubitare forſitan poſſet, vel ſuum ſibi exemplum priuatim arrogaret; vtpote qui, vt annis maior, ita conſilio prior, & prudentior deliberatiorq; veniſſet. Quàm verò qui nonageſimum & nonum annum integri, conſtantes, & ſui prorſus compotes attingere ſoleant, rariſſimi vel indicari, vel reperiri poſſint; non eſt vt nunc docendo moremur. ſed illud vt veriſſimum recolamus: Dicimus enim quia reputata eſt fides Abrahæ ad Rom.4.
iuſtitiam: quomodo ergo reputata eſt, in circunciſione, an in præputio? Non "
in circunciſione, ſed in præputio. Et ſignum accepit circunciſionis, ſignacu- "
lum iuſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio: vt ſit pater omnium credentium per "
præputium; vt reputetur & illis ad iuſtitiam; & ſit pater circūciſionis, non "
iis tantùm qui ſunt ex circunciſione, ſed & iis qui ſectantur veſtigia fidei "
quæ eſt in præputio patris noſtri Abrahæ. Atq; huiuſmodi breuiter eorum "
qui credentes & aduenæ, fidelesq; appellantur, conditio & ratio eſt. Altera verò eorum qui fidem, pietatem, religionemq; ſemel profeſſi, vel etiam in eadem nati, tamen vitiis aut ſceleribus aliiſue criminibus infecti, violant: tum verò à Deo reuocati, reſipiſcenteſq;, pœnitentiæ ſedulò ac ſerio ſtudio in gratiam reduci cupiunt: idq; diligenter attenteq; agentes, à diuina impetrant miſericordia. His autem ſpectatiſſimum & celeberrimum in Dauide propoſitum conſtat exemplum. Complura autem Abrahami obſeruantur ornamenta; quæ etiam ad filios & imitatores pertinere cenſentur: vt ſacerdotii: quippe & ſacra feciſſe idem narratur: boni etiam & probati ſerui, qui pietatem Noachi præceptis obſeruandis ac ſingularibus quoque iuſſis ritè expeditis, diligenter coluerit. vnde & amici cognomentum duxit. Primi etiam ad pacti ſignum optati prærogatiuam tulerit. Præterea viri omnibus officiis ac muneribus Deo grati & laudati. ac demùm ſingularis tutelæ præſidio & cura accepti: ab omniq; tum apud vicinos, tum apud exteros inuidia, odio, inſidiarumq;, ſuſpicione & impetu ac vi liberati & immunis, perpetuæq; compotis victoriæ. Quæ omnia viri illius filiis, hoc eſt, imitatoribus veris opportuno loco ac tempore expectanda, nunquam abnuit Deus.

Dauid pœnitentiæ exemplum.

Abraham ſacerdos, & eiuſdem ornaměta alia, quæ & ad filios pertinēt.

S. S. E. Scio enim quòd præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt Gen.18.
cuſtodiant viam Domini, & faciant iudicium & iuſtitiam vt adducat "
Dominus propter Abraham omnia quæ locutus eſt ad eum. "
Et quidem hæc prior eorum, qui aduenæ dicuntur, forma, conditio, & ratio eſt. ad quam etiam poſterior altera quodammodo accedit, eorum, quos à pietatis integritate, & certo iam religionis definito commodo, & inculpato vſu mali cuiuſpiam criminis & commeriti culpa, tanquam degeneres excluſerat: qui tamen per pœnitentiam recepti, GERIM, *id eſt, aduenæ quoque dicuntur. quo nomine apud clementiam bonitatemq; diuinam cauſæ conditionem ſuæ ille de quo modò egimus, Dauid profeſſus eſt. Verùm enimuerò, quamquam vnum idemq; nomen* GER, *pro quo Latinis* ADVENA *redditur, vtramque hanc nobis diſtinctam conditionem complectatur: tamen aſcitis plerumque notis dignoſcēdam prodit. Nam qui religionis veræ primùm rudis, ad fide-*

litum

גר צדק *lium venit collegium ſic recens admiſſus* GER TSEDEK, *id eſt, iuſtitiæ ac* Aduena iuſtitiæ. *benignitatis aduena dicitur. Cuius, quænam ſint partes, aliàs exponentur. Qui verò non ipſe primus ac recens hoſpes, verùm ab hoſpitibus, antea parentibus aut maioribus, beneficio & vſu hæreditario hoſpitalitatis fungitur iure,* Aduena incola. IS GER THOSAB, *id eſt, aduena incola vocatur. Quam quidem rationem cum nomine pariter ſubitam, ſibi agnoſcens, confitetur Dauid,* Pſalmi locus explicatus. Pſal. 38. *Ne ſileas, quoniam aduena ego ſum apud te, &* THOSAB, *ſicut omnes patres mei. Sum (inquit) aduena non recens, ſed aduena incola, vt patres mei incolæ fuere omnes, vtpote Iſraelitæ ab vſque Iſraelitarum prima origine, in Chananæa regione hoſpitum, ita coniunctionẽ* ſicut, *poſteriori & proximo nomini* THOSAB *inſeruire interpretamur. His igitur ita generatim indicatis & obſeruatis, ad propoſiti verſus percipiendum ſenſum opportunior patebit aditus: dum eos, qui ad vtramque referuntur partem, homines* Fideles quadrifariam diuiſi. *omnes quadrifariam diduci animaduertamus. Quidam enim ſunt, qui,* Innocentes. *quamprimùm iniere, ſimplicem ac probã viuendi agendiq́ viam perpetuam obtinentes, nũquam deſerunt, vt Abrahamus, Iſaacus, & qui hos imitantur, cuncti. Atq; hi, quod ſemel dederunt, nomen perpetuò profitentur: atq; ita aiunt:* Domini ego ſum. Peccatores. Iaghacob. *Alij verò qui, quamquam Deo ſeſe dedentes, commendarint; tamen in moribus & vitæ conſuetudine atque animi integritate nonnunquam fefelliſſe deprehẽduntur: præſertim ij, qui inter ſpem metumq́ agunt, & interdum pauent, ſæpè etiam confidunt, & quodammodo in vitæ progreſſu claudicare, aut arte & induſtria vti notantur. Cuiuſmodi imaginem Iaghacob ille antiquus ab vſque iuuenta, ad luctæ noctem illam celebrem expreſſit; iam fratrem iterum arte circumueniens, iam metuens ac fugiens: iam ſocerum latens & fallens, ac rurſus fratris veritus iram, diuerſum longè ab Abrahamo exemplum: qui ad omnẽ vitæ occurſum integer, conſtans, ac ſui ſemper narratur ſimillimus. Atqui ipſum* IAGHACOB *nomen claudicationem, ſimulationem ac diſſimulationem, calcis occupationem, denique artem à ſimplicitate differentem ſignificat. His moribus qui fuerint, non à religionis tamen veritate & Eccleſiæ profeſſione & communione alieni, Iacobi nomen vſurpaturi indicantur.* Ille vocabit Lapſi. in nomine Iaghacob. *Tertio autem cenſu y ponuntur, quos à veræ virtutis & pietatis legitimæ cultu propter peccata & crimina delapſos, tamen probanda pænitentiæ ſtudio emendatos, inſtaurato officij & obſeruantiæ promiſſo, ſeſe rurſus ad bonam referentes frugem, Eccleſia de integro recipit & fouet. quorum illa profeſſionis prædicitur formula.* Hic ſcribet ma- Reconciliationis formula. nu ſua, Domino. *Formula hæc antiqua fuit, iis imperata & pronunciata, qui aliquando ad gentium ſuperſtitionis inſaniam ab Iſraelitica religione deſciuerant; rurſus verò per pænitentiam recepti, nomen animumq́ ſuum & cultum omnem Domino deberi, atq; eidem ſeſe reſtitui, proteſtari, &* Deut. 6. *ſcribere iubentur. Quæ formula ex illo deducta fuit præcepto: Dominum » Deum tuum timebis, & illi ſoli ſeruies: ac per nomen illius iurabis. Quanquam verò proteſtatio verbotenus concepta & pronũciata, legitima habeatur: tamen non adeò certam & perpetuam nanciſcitur fidem, atq; ea, quæ*

vltra

vltrà verbum, ſcripto etiam firmatur. Nam verbo in poſterum inficias iri poteſt: propriæ autem certæq́; manus notis & ſcripto non poteſt. Hic igitur ad meliorem reductus mentem, ſententiam & confeſſionem ſcribet manu ſua, DOMINO. *Atque hoc inter ſimplicem fidelem, conſtantemq́; virum, & inter eum, qui ſemel mendax deprehenſus fuerit, intereſt; quod illi ſimpliciter elocuto, fides habetur; huic, quia non adeò creditur, ſcripto fidē ſuam adſtringente ſit opus. Cuius auctoritate in poſterum cauere ac prouidere ſibi, vel renouati erroris cēſuram ſubire conueniat. Quarto in indice is conſcribitur, qui in diuinæ virtutis atq; efficientiæ teſtimonium vltra cetero-* Teſtes.
rum hominum communem conditionem optimo dato, ac perfecto per Spiritum ſanctum à Patre luminis miſſum, dono amplificatus, perpetuoq́; cōſeruatus antiqui illius Iſraelis imaginem ſingularem, non repræſentatione Iſrael.
aut imputatione ſed reapſe præſtat, atq; verè Iſraelem, hoc eſt, cum Deo potentem agit, ſeq́; & ſua omnia vni Deo auctori refert accepta: atq; hoc pacto, In nomine Iſrael aſſimilabitur. *Cananæum verbum* IICHANEH, *quod Latinus in* aſſimilabitur *vertit; nouum, illuſtrius & anguſtius nomen, quàm anteà fuerit, alicui imponere ſignificat. vt qui Abram* Nominis anguſtioris impoſitio.
priùs vocabatur, Abraham; quæ Sarai, Sara deinceps poſtea dicatur. Itaq; non mutationem tantùm nominis, ſed amplificationem ac dignitatem celebrandam indicat. atq; ita Iaghacobo dictum: Non vocaberis vltrà Iaghacob, ſed Iſrael erit nomen tuum. Hoc verbum apud Iobum ab Elia aptiſſimè vſurpatum obſeruamus, Non accipiam perſonam viri, & EL ADAM LO ECHANEH, *pro quo interpres noſter,* & Deum homini non æquabo.
id eſt, FORTIS DEI *nomen homini minimè imponam. Deus etiam apud* Gen. Ic bi locus. Iob 32
hunc vatem Cyro nomen inſigne à ſe datum commemorat: Aſſimilaui te, & non cognouiſti me. ECHANECHA, *pronominabo te: quippe quem non* Iſaiæ locus. Inf 45.
tantùm ſuum tueri nomen, ſed illuſtribus nominibus Chriſti, & Regis appellari Deus fecerat. Ex hoc vocabulum CHENVI *grammaticis factum* כנוי
intelligimus, quod Latinorum reſpondet pronomini, tametſi ampliùs quàm pronomen ſit. Nam Sapiens pro Salomone, Pſaltes pro Dauide vſurpatum CHENVI *dicitur. Atqui vt Iſraelis nomen ei qui Iaghacob antea dictitabatur, impoſitum nouimus: ita illos, quos ad Iſraelis veram appellationem euehendos conſtituit ſuſcepitq́; Deus, ex Iacobi, hoc eſt, ex hominum communi cōditione ſignificat etiam aſſumendos. Nec enim Abrahami tantùm imitatores, & Iſaaci conſimiles; verùm etiam & eos qui non adeò atque illi laudatum nomen habuere, modò Deo ſeſe committentes, etſi nonnunquam palare deprehenſos; tamen in veram reuerſos viam, & Deo nomen dantes, Iſraelis demùm cognomentum ex Dei dono adepturos accepimus. huc enim illa de oue ac drachma amiſſis, de filio nepote & ad patrem reuerſo ſalutaria pertinent exempla. Atque horum quatuor ordinum frequentem ſobolem Iaghacobi ſiue Iſraelis genti à Deo demum recipiendæ, & cum gentibus coniungendæ prouenturam, ipſe, qui promiſit, gratulatur Deus. qui vt voluntatem atque ſtudium & propoſitum, inceptúmq́; ſuum erga humani generis amplificandam conditionem, hactenus declarauerit:*

 itá

ita ſapientiam & virtutem ad perficiendum perpetuam, æternam, incomparabilem, atque immenſam allegat.

Hæc dicit Dñs rex Iſrael, & redemptor eius Dñs exercituum.

Diuinorum nominum ratio.

Diuini nominis appellatio, & ſecundùm idem nomen attenta numinis conſideratio ad duas temporis differentias, in hoc repræſentatur verſu. quo dictorum antehac, & mox dicendorum indicatur auctoritas. Id quod apud ſcriptores probatiſſimos, maximè verò apud ſacros, obſeruandum tenendumq́ perpetuò fuerit iis, quibus à germana & ſequaci ſententiarum atq; rerum ſimplicitate diſcedere, aberraréve religio erit. Nam cùm Regem ſeſe Deus nominat, ad regni: cùm fortem, ad virtutis & efficacitatis: cùm Deum, ſiue ELOHIM, *ad gubernationem & iudicium: cùm* IEHVEH, *ad miſericordiæ propoſitum. atq; ita aliàs alio appellationis referenda ratio eſt. id quod à noſtris logicis appellatio formalis dici ſolet. Tria hoc loco iunguntur nominis vice vocabula:* Dominus, rex, redemptor, *& vnum cognomenti loco,* exercituum. *Regis nomen ad præteritum præcipuè tempus pertinet. Namque Iſraelis ſecundùm carnem rectorem, regem, ductorem ſeſe Deus præbuerat, ab eo tempore, quo libertatem apud Ægyptum præſtiterat. qua in re ſuam cum voluntate virtutem & facultatem declarauerat, exercituum copiis in cælo, in terra, in mari, in flumine explicatis: quorum operam & efficientiam declarauit euentus. Idem autem ſe in futurum tẽpus Iſraelis redemptorem profitetur, eodem quoque miſericordiæ indice nomine* IEHVEH *præmiſſo; atq; iterum etiam ſubiuncto cum commemoratione conſtantiæ tum ex parte ipſius, tum etiam ex parte facultatis & potentiæ, quam ſibi perpetuam eſſe declarat exercitibus appellandis; vtpote ſibi ſemper ad nutum paratis & promptis, nihilq́ præter Domini voluntatem & imperium experturis vnquam.* Sic dicit Dominus [*miſericors & propoſiti tenax*] rex Iſrael, [*quem conſilio, legibus, & publicis beneficiis hactenus perſecutus eſt*] redemptor [*futurus*] eius, Dominus exercituum [*ſuperorum & inferorum omnium potentiſſimus.*] *Quid verò his nominibus appellandis expectandum ſit, ſtatim declarat.*

Appellatio formalis.

Ego primus, & ego nouiſſimus: & abſque me non eſt Deus.

H ÆC *omnia ad redemptionis à ſe præſtandæ fidem hominibus firmandam pronunciantur: habentq́ efficacem perſuaſionis vim, ex voluntatis, facultatis, atq; ſapientiæ comprobatione vni Deo non modò perpetuò, verùm ſingulariter adſcribenda, atq; (vt logicorum verbis vtamur) propria: vſque adeò, vt nulli alij naturæ horum communio cum ratione nominum concedi iure poſſit; nedũ, cùm nulla alia extet, aut extare potuerit natura, cui* ELOHIM *nomen vel ex virtute & proprietate, vel ex alia ratione legitimè tribuatur, ſiue in cælo, ſiue in terris, ſiue extra mundum illa petẽda fuerit: certè præter hanc ſuam vnicam, nulla reperietur. Ait itaq; ſe eundẽ illum eſſe, qui regem apud Iſraelem primus præſtiterit.* Ego primus; *eundem verò vnicum quoque eſſe, qui poſtea redemptorem præſtiturus, atq; regem perpetuò ſit acturus: quamdiu hoc nomen* AHHARON *ſuam obtinuerit ſignificationem, hoc eſt, in æternum, & vltrà. Atque ita vocabula* primus & nouiſſi-

nouiſſimus; quæ non tam ampla ſunt in Latina, quàm in primaua lingua,
RISON & AHHARON; non ad ipſam Dei durationem, & æternam na- ראשון
turam, ſed ad efficientias hoc loco referimus. Ego, qui anteriorum auctor אחרון
ſum, & eorum quæ conſequentur, idem dicendus auctor. Ego, ego. identi-
tatem & ſingularitatem nulli ex æqua ratione communem, pronomen re-
petitum ſignificat. Namq; hæc pronominis, ego, vis eſt, vt nulli niſi vni, ei- Ego.
demq; certiſſimo ac præſentiſſimo competat. Tu, præſenti quidem, verùm Tu.
non præſentiſſimo, nec adeò certo: Ille, nec præſenti, nec certo conuenire Ille.
poteſt. vt verò quiſpiam vnus dicebat: Heus tu, proximus ſum ego met mi- Teren. And.
hi: ita nihil æquè præſens, certum, atque ſingulare & vnicum ſignificari
poteſt, quàm id, quod Ego, ego repetitum ſignificat cum ſummæ conſtantiæ
adnotatione, quæ vni ſeſe ipſum appellanti, Deo adſcribenda venit; hac ſi-
gnificatione: Tam quondã ego fui & ſum quàm olim ego, qui ſum, ero. quod
quà naturam ſpectat, æternitatem; quà verò efficientiam & actionem, au-
ctoris indicat ſingularitatem. Quod verò pluribus rerum naturis volun- Exercitus Dei.
tatis cauſa ſuæ exercendis præſit & imperet idem Deus, id quoque ſuo age-
re ſe iure ait: vtpote quibus hoc ipſum, quod ſingulæ ſunt, quodq; habent,
& faceſſere poſſunt, idẽ omne, ſe auctore & præſtitore, habent; ſiue illi ſu-
periores dicantur, ſiue inferiores vocentur exercitus: vtroſque enim Deo
ad nutum ſecundare & inſeruire Vates, vtpote diuini ſpectatores, teſtati
ſunt. vt Micheas ille: Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium ſuum, & Mich.
omnem exercitum cæli aſſiſtentem ei à dextris & à ſiniſtris. & dixit Do- 3. Reg. 22.
minus: Quis decipiet Achab regem Iſrael, &c. De cælorum verò orbibus, ‟
aſtris, & ſignis ita à magnæ ſynagogæ viris pronunciatum. Tu ipſe Domi- Neem. 9.
ne ſolus, tu feciſti cælum & cælum cælorum, & omnem exercitum eorum. ‟
Hominũ verò copias in Dei exercitibus cenſeri, illud indicat: Immittamq; Exodi 7.
manum meam ſuper Ægyptum, & educam exercitum & populum meum ‟
filios Iſrael de terra Ægypti. At verò nullum ex exercitibus iſtis propriæ
vel naturæ vel facultatis iure ELOHIM appellari: nec etiam id nominis, ELOHIM. i. Dij naturæ quædam impropriè dictę
quo aliquando nuncupãtur, ex ſeſe habere ait: ſed quidquid ſint, quidquid-
ve valeant, quacũque virtute & efficacitate ſint præditi: id omne ex vnius
ac ſingularis huius, qui ſeſe hîc Ego ego appellat, voluntate & efficientia
profectum, cui acceptum relatum debeatur, ait idem ipſe. ſiue naturam ſpe-
ctes, Ego ego ſum; ſiue facultatem & virtutẽ auctoritatemq; ELOHIM
nomine ſignificatam. abſque me, MIBALGHADAI compoſita particula, MIBALGHADAI.
magnam exceptionis repræſentat vim: cuius partes, MI, BAL, GHADAI,
vt ſi Latinè ſigillatim reddamus EX NON VSQVE AD ME, interpreta-
tione tamen indigemus huiuſmodi: Ex quocunque genere non ad me relato,
vel pertinente. Atque ita omnem diuinitatis naturam, facultatem, efficaci- Diuinũ omne in ſolo, vel ex ſolo Deo.
tatem, vel eidem vni, qui ſe Ego hîc nominat, propriè ſingulariter conce-
dendam, vel in omni alio repertam genere, tamen huic acceptam referen-
dam, aliàs nullam prorſus eſſe poſſe. Non enim inficias iri poteſt, ELOHIM
nomen, aliis etiam naturis, præter quàm huic vni Deo in ſacra diſciplina
conceſſum: vt cæleſtibus animis, quos ſpiritus vocamus, & iudicibus, &

principibus: verùm id naturæ tribuendum abnuimus; quippe quod ex benigna voluntate vnà cum muneribus & magiſtratibus ipſis (quam ob rem ita vocantur) ab vnico Deo liberaliter acceperint: ſicut de magiſtratibus teſtatum legimus: Ego dixi Dij eſtis, & filij Excelſi omnes. Ego dixi, *inquit,* omnes. *Hinc D. Paulus poteſtatem omnem ex Deo eſſe defendit. atq; hoc loco nullũ abſque ſe vel eſſe, vel dici verè,* ELOHIM *idem ipſe ait* IEHVEH.

Pſalmi locus. Pſal.

D. Pauli locus.

1 Cor. 8.

Id quod Apoſtolus explicans, ait: Nam etſi ſunt qui dicantur Dij, ſiue
» *in cælo, ſiue in terra (ſiquidem ſunt Dij multi, & Domini multi) nobis ta-*
» *men vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum. Atq; ita ſe vnicum* IEHVEH, *vnicum etiam primum rerum omnium, atq; adeò eorũ, qui Dij vocantur, auctorem primum; & eorum etiam quæ in poſterum promiſſa ſunt, maximorum donorum efficacem inſtitutorem, & verum vnicumq́; Pontificem ait aſſeueratq́;: id quod etiam ex præſtantiſſimæ, atq; cum rebus ipſis conuenientiſſimæ ſapientiæ argumentis & exemplis confirmat. Quòd ſi ad ipſam quoque diuinæ naturæ veritatem nomina* primus & nouiſſimus *referre placeat: nihilominus id ſummo iure licebit, faſq́; fuerit. quandò vocabula hæc non tam tempus (à quo Deus immunis eſt) quàm ordinem ſignificant. Nam ſi roger, vter nã primus dicatur, mundus an Deus? Deum primum eſſe reſpondebo; vtpote qui ante mundum creatũ erat: rurſus cùm roger, vtri vocabulum* AHHARON *conueniat; mundo, ac mundi partibus? Deo veriſſimè adſcribam. qui, tametſi ſolutus pereat mundus, ipſe tamen æternus idemq́; ſupererit. S.S.E. Principio tu Domine terram fundaſti,*

Pſal.

» *& opera manuum tuarum ſunt cæli: ipſi peribunt, tu autem permanes; &*
» *omnes ſicut veſtimentum veteraſcent. Tu autem idem ipſe es, & anni tui*
» *non deficient. Atq; ita cum veritate æterna omnem quoque integritatis ordinem proprio iure ſibi Deus vendicat.*

Quis ſimilis mei? vocet & annunciet: & ordinem exponat mihi, ex quo conſtitui populum antiquum: ventura & quæ futura ſunt annuncient eis.

Efficaciſſimo ſapientiæ vnicæ ac ſingularis argumento, ſuam veræ & vnicæ diuinitatis laudem defendit ac tuetur Deus, productis in omnem rerum ac temporum partem, rationumq́; exemplis, tum factorum, tum à ſe dictorum, nulli alij naturæ allegandis. Namque, vt ab antiquo & primo exordiamur opere, conſtat ipſum, nemine alio conſulto, mundi fabricam omnem, cum iis quæ intra extraq́; ſunt, ſapientiſſimè effeciſſe: cuius verã naturam, partes ac modos etiam iam facti & conſtantis nemo quiſquam, niſi ab eodem ipſo edoctus, vel exactè cognouit, vel certa oratione tradidit. nam profectò, niſi idem ſuum illum ſummum inſtruxiſſet Vatem Moſem, mera ſomnia & figmenta hominum, etiam philoſophantium, pro veris narrationibus humanum habebat genus: neque verò veriora & certiora de futuris rebus, etiam poſt mundum conditum, nanciſci potuit; quamdiu monitore ac denunciatore hoc eodem caruerit numine, qui ſeſe in præſentiarum Ego *appellat.* Quis ſimilis mei? *In examen & comparationem ſeſe ſiſtit cum quolibet, nullum excipiens eorum qui Dei vſurpare velint nomen, ſiue in*

Humana ignorantia.

cælis,

cælis, ſiue in terra. idq́; non modò efficacitatis ac virtutis exemplis; quæ nulla quiſpiam alius allegare poſſit; verùm etiam cognitionis & ſapientiæ, ac præſcientiæ rerum, vel quæ facta ſunt, vel quæ in poſterum faciendæ reſeruantur. Atqui in omni rectè inſtituenda ac probanda prænotione tria ex ordine examinantur: nomen, ſiue genus eius, quæ prænoſcitur, actionis vel rei; ratio, ordo ſeriesq́; edendæ; & horum index interpresq́; aperta prædictio atq; explicatio. Prędictiones diuinæ quales.

Quæcumq; enim conditionem huiuſmodi non plenè ac planè præſtant, ſed obſcuris & incertis coniecturis petita, dubiis etiã & ambiguis aut ancipitibus dictantur ſermonibus, quales augurũ, Chaldæorum, & hariolorum notantur; ea nec prædictionis, nec prænotionis, immò nec ſcientiæ vllo pacto merentur nomen. Prędictiones hariolorum.

Hanc itaque triplicem conditionem à nominis diuini æmulatoribus, eorúmve cultoribus & fautoribus Deus poſtulat: idem poſtulatus non repudiaturus, immò & vltrò ſuſceptas præſtiturus. quarum arbitrum neminem non admittit hominem, hoc eſt, earum, quas ipſe præſtabit: earum verò quæ ab aliis exiguntur, non vulgare hominum arbitrium recipit, ſed ſuum ipſius tantùm conſtare vult. Namque vt quæ ipſe pronunciabit, clara, aperta, nulliſq; requirendis partibus excepta attendentibus probabuntur omnibus: ita, quæ alij protulerint, fucum facere & imponere hominibus poterunt; ſibi autẽ illudere nunquam poterũt. Prima conditio illo exigitur verbo, VOCET, *quod ad naturam rei nondum editæ, ſed olim edendæ vſurpatur ſignificandam. vt, Ego vocaui te nomine tuo.* " Vocare.
& , Dominus vocauit ex vtero matris meæ, recordatus eſt nominis mei, & "
qui vocat ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt. "
Quiſquis itaq; contendere de ELOHIM *nomine mecum parat, futuræ cuiuſpiam rei nomen prior indicet, & appellet: deinde conficiendæ ſeriem ſtatuat, quidnam primum, quid medium, quid poſtremũ fieri extareq́; conueniat, diſcernens: demum idem ipſum cum nomine cauſis, initiis, ac mediis effatus declaret: idq́; mihi ipſe prebeat, vocet,* & annunciet, & ordinem exponat mihi. *Hæc verò quonam ex argumento fuerit, integrum ipſi, qui dicturus fuerit, relinquã; nec vllum præſcribam, excipiamq́; tempus; non quo, quæ iam conſtant, extiterint, nec quo, quæ nondum edita ſunt, extabunt.* Sed ex quo conſtitui populum antiquum *filiorum Adami, quorum ætates ac ſecula adhuc aguntur, nondum finem obtinent ſuum.* & quæ ventura, & quæ futura ſunt. OTHIOTH *ea dicuntur: quæ iam cœpta, nõdum verò peracta geruntur.* VEASER THABONAH, *quorum ne principium quidem ſpectatur. Latinè dixerimus,* & quorum expectatio eſt, & quorum ſpes eſſe poſſit. *vt hoc inter expectare & ſperare differat,* annuncient eis, *ſibi ipſis in ſuã rem & cauſam, vel iiſdem, quibus hæc demùm euenient. Nam vtrumque pariter* LAMO *ſignificat.* לְמוֹ *Igitur ſi quiſpiam eorum qui pro diis coluntur, atq; hoc vſurpant nomen, vſurpandi prætendunt ius, vel quæ prima ipſis, à quibus coluntur, effecerint aut prædixerint, mihi oſtendunt (Noſter noſter Deus ait) vel quæ ipſi iam moliantur & parent, quæve in poſterum patranda cogitarint, iiſdem ipſis in ſuam laudem prænuncient. Et quidem nihil horum præſtare poterunt: vtpote qui nec facto, neq; conſilio aut proſpectione,* Vanorum deorum inutilitas.

 ne,

ne, neque etiam prædictione iuuare ſuos poßint. quorum partem ambiguis auguriis & auſpiciis incertis deluſos conſtat; partim aliter perſuaſos, perpetuò dubios, immo futurorum prænotionem omni ex parte deſperatam, ita profeſſos audire eſt:

Gentes futurorum prænotionem deſperarunt.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus,
Ridetq́, ſi mortalis vltrà
Fas trepidat. Quod adeſt memento
Componere æquus. Cetera fluminis
Ritu labuntur, nunc medio alueo,
Cum pace labentis Hetruſcum
In mare, nunc lapides adeſos
Stirpesq́; raptas & pecus, & domos
Voluentis vnà, &c. Ille potens ſui
Lætusq́; deget, cui licet, In diem,
Dixiſſe, vixi, cras vel atra
Nube diem Pater occupato
Vel ſole puro. Rurſus & ille alter:
Anxia mens hominum, nimiumq́; incerta futuri.

Hæc itaq́; eorum qui à diuina diſciplina diſcrepant, pars perpetuò eſt eorum quæ futura ſunt, vel deſperata ac deliberata ignoratio, vel perpetua cum ſuſpicione anxietas aßiduusq́; metus. contrà verò diuinæ doctrinæ cum fide profeſſorum ac diſcipulorum illa exhortante Deo & ſpes & fides.

Nolite timere, neque conturbemini: ex tunc audire te feci, & annunciaui.

Extra omnem dubitationem ac metum afferendæ ac perficiendæ à ſe publicæ ſalutis ſuos eſſe iubet fideles Deus: quippe qui conſilij propoſitiq́; ſui argumentum & rationem certa iam ſerie docuerit; atque eodem, quo pollicitus eſt, pacto præſtiturũ ſe profeſſus, demum dictis conſtabit ſuis: id quod ipſis non modò per fidem tenendum, ſed certis iam exemplis probatum conſtante in poſterum ſperandum. Namq́; idem qui quæ ventura ſunt, prædicenda dictauit: idem, inquã, ipſe quæ anteà maxima præſtitit beneficia, ſalutis ac libertatis ex Ægyptiaca ſeruitute Abrahamo quondam obnunciauerat, obnunciataq́; ex eodem tempore adornauerat: idq́; miris & arcanis modis initio à Ioſephi venditi, & in Ægyptum deducti facto. Cuius quam deinde inſtruxerit ſeriem, ante factum nemo vnquam; poſt factum verò atque euentum, ſapientes & cordati obſeruatores agnouerunt, atque identidem celebrarunt. Cuius laudis exemplum ad veritatis diuinæ memorandam ſeriem, hoc loco referri commodum arbitramur.

Propoſiti diuini conſtãtia.

Pſal. 104.

Quærite Dominum, & confirmamini; quærite faciem eius SEMPER.
» *Memẽtote mirabiliũ eius, quæ fecit: prodigia eius, &* IVDICIA ORIS EIVS.
» *Semen Abraham ſerui eius, filij Iaghacob electi eius. Ipſe Dominus Deus*
» *noſter, in vniuerſa terra iudicia eius. Memor fuit in ſeculum teſta-*
» *menti ſui, verbi quod mandauit in mille generationes.*

Quod

Quod diſpoſuit ad Abraham, & iuramenti ſui ad Iſaac: & ſtatuit illud "
Iaghacob in præceptum, & Iſrael in teſtamentum æternum. "
Dicens, Tibi dabo terram Chanaan funiculum hæreditatis veſtræ. "
Cùm eſſent numero breui, pauciſſimi & incolæ eius. *Hæc vocatio bene-* "
ficij ſiue nomen à Deo datum: deinceps verò adornatio ſiue ſeries.
Et pertranſierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. "
Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis Reges. "
Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. "
Et vocauit famem ſuper terram, & omne firmamentum panis contriuit. "
Miſit ante eos virum, in ſeruum venundatus eſt Ioſeph. "
Humiliauerunt in compedibus pedes eius: ferrum pertranſiit animã eius, "
donec veniret verbum eius. Eloquium Domini inflammauit eum: miſit "
rex & ſoluit eum: princeps populorum, & dimiſit eum. "
Conſtituit eum dominum domus ſuæ, principem omnis poſſeſſionis ſuæ. "
Vt erudiret principes eius ſicut ſemetipſum, & ſemẽ eius prudẽtiã doceret. "
Et intrauit Iſrael in Ægyptum, & Iaghacob accola fuit in terra Cham. "
Et auxit populum ſuum vehementer, & firmauit eum ſuper inimicos eius. "
Et quæ ſequuntur omnia, ad arcanum rei promiſſæ apparatum pertinentia.
quibus demum promiſſorum ſubiungitur euentus. *Quoniam memor* "
fuit verbi ſancti ſui, quod habuit ad Abraham puerum ſuum. "
Et eduxit populum ſuum in exultatione, & electos ſuos in lætitia. "
Et dedit illis regiones gentium: & labores populorum poſſederunt. "

Atque omnis illa citati modò Pſalmi argumentatio exactam verſus atq; loci huius interpretationem continet. videlicet: Ex tunc audire te feci, & annunciaui. *Memineris, inquit, eorum promiſſorum, quæ quondam facta atq; iam pridem tibi per me præſtita conſtant, recordatione altiùs repetita ab eo tempore, non ex quo propoſueram (namq; hoc cognoſcere non tuarũ eſt modò partium) ſed ex quo ipſe declarata* audire te feci, & annunciaui. *quæ reapſe, & certo ac felici euentu ex me præſtita,* Vos teſtes mei, *veritatis meæ manifeſto ac diuturno edocti vſu: quos ideo rogatos volo, num alium intelligi aut cognoſci rerum auctorem & conditorem; num aliũ ſeruatorẽ ab auctoritate mea diuerſũ indicari aut nominari exhibere oporteat.*

Nunquid eſt Deus abſq; me? & formator, quẽ ego non nouerim?

NOMEN ELOHA *hoc appellatum loco creationis, gubernationis, principatus, ac iudicij rationes vendicat: quale nulli vſquam naturæ præter auctoritatem voluntatemq; ſuam vllo pacto adſcribi poſſe ait. de qua re iam in hoc, & ſuperiore egimus capite. Si quid enim vel cælis, vel aſtris, vel intelligentiis (quas vocant) virium facultatisq; eſt, ſibi vni non modò acceptum referendum, ſed ad nutus etiam vel exercitum, vel impeditum aſſeuerat. nec hoc ſolùm omnibus aliis naturis derogat ex iure nomen, ſed illud etiam* Formator *ſibi vni vendicat. Eſt autem nomen* Formator *hoc loco ex vocabulo* TSVR, *cuius non vnicam tantùm; verùm ſextuplicem in ſacro ſermone obſeruare eſt ſignificationem. Namque ex verbo* TSVR *deriuatur, quod pro argumenti, & adiunctorum obſeruatione variis modis Latinus inter-*

Eloha.

Prouidentia.

Formator.

Tsvr.

interpres noſter vertit; nunc obſidere & munire, indeq; TSOR munitionem: nunc premere, & (vt ille vertit) anguſtiare: interdum dolere, ſiue dolorem inferre: nonnunquam ligare: aliquando ſaxum, vel petrã:

Petra.

non ſemel fortiſſimum Deum, & præſidium ipſum diuinum petram etiam dictum: præterea aciem haud rarò exemplar, formam, & imaginem: atque adeò ceruicem ſignificans vocabulum Latinum huius verbi deriuatiuo ſubſtituitur. Quorum omnium exempla quoniam pro commentarij lege perſequi ac recenſere nimis nunc duximus longum, facilè diſcernet, quiſquis cum primæuæ linguæ lectione Latinas interpretis noſtri verſiones contulerit; vel minore etiam negotio probatiſſima linguæ illius gloſſaria ſiue lexica conſuluerit. Quidquid igitur huius vocabuli ſignificatur amplitudine, id omne nulla ex parte naturæ cuiquam præter voluntatẽ auctoritatemq; ſuam contingere inficiatur Deus: nullum inquiens eſſe munimen, nullum prementem, nullum affligentem, ligantem nullum; neque præſidium, nec ſcopulum, nec forte præſidium, nec aciem, nec exemplar, aut formam: denique nullum TSVR; cuius vis & facultas auctoritatem & efficacitatem lateat aut fugiat ſuam. quem ego non nouerim. Verbum no-

Noſcere. Cognoſcere.

ſcere & cognoſcere pro IADAGH redditum, deligere & probare, atq; auctoritate inſtruere. vt, Antè quàm exires de vulua, noui te &, Quo-

Ierem. Pſal.

niam nouit Dominus viam iuſtorum. Itaque nullam vel ad publicè nocendum, vel ad benefaciendum cuiuſquam naturæ facultatẽ extare poſſe, quæ

Pſal 137.

prouidentiæ diuinæ auctoritatem poſſit excipere. S. S. E. Quoniam excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & alta a longè cognoſcit. Id quod Chaldæus interpres optimè explicuit. Et non eſt valens, niſi cui ex me valor

Aſtrorum vis commentitia.

datur. Fuerat verò quondam vanis hominum opinionibus conceptũ, aſtrorum ac ſiderum concurſu & influxu, magna vel commoda vel incommoda

Statuæ & ſigna malis auertendis.

hominibus euenire. Cuius rei cauendæ cauſa, ſtatuas & alia ſigna certis temporibus atq; horis fingi, ſculpi, aut conflari vel fundi, pro auſpicato habebatur: quòd eiuſmodi figmenta & imagines vel prodeſſe, vel nocere poſſe putarentur. In cuius vanitatis deteſtationem opportunè hoc loco deuentum eſt, poſt confirmatam doctrinam facultatis rerum omnium, quæ in terra, quæq; in cælo vim quampiam ſortitæ dicuntur; vti ex diuinæ prouidentiæ arbitrio pendentis aliàs vanæ & irritæ euaſuræ. Et quoniam opinio ac traditio erat, iſtiuſmodi ſignis & ſtatuis vim ac numen ineſſe; iis verò auguſtius & efficacius, quibus illa cæleſtium imaginum accederet obſeruatio: quam, cùm nihil præter volũtatis arbitriũ ſuæ efficere poſſe Deus docuerit, poſteriorem etiam doctrinæ illius partem vanitatis & impoſturæ damnat.

Plaſtæ idoli omnes, nihil ſunt: & amantiſſima eorum non proderunt eis.

Signorũ confingendorũ artes nõ malæ.

Varias eſſe nouimus confingendorum ſignorum artes: figulinam, ſculpturam, conflatricem, & fuſoriam: ad quas ceteræ, quæcunque ſimulachra ponunt, referuntur omnes. quas quidem arteis natura ſua nec malas, nec bonas, nec damnandas eſſe conſtat: vtpote ex humano ingenio profectas, & naturalium imitatrices rerum, atque ad memoriæ vſum non incommodas:

deniq;

denique quæ ex parte menſuras & commenſurationes atque figuras tra-ctant, & ab otio ad induſtriam declinant, cōmendabiles habentur quidem, verùm ab ipſa inſtitutorum & artificum prauitate, malignitate, & culpa laborant adeò, vt in ſacris præceptis & inſtitutis antiquis non propter ſe-ſe, ſed propter abuſum reiiciantur, & repudientur. Namque huiuſmodi ſi-gnorum cultum ex artificum auaritia, ex inſtitutorumq́; ambitione, & glo-riæ cupiditate ac ſtudio vtilitatis opinionem apud imperitos primùm; dein-de apud vulgus omne aucupatum nouimus (Nullum verò hominum ſiue ſummum ſiue infimum ordinem à vulgi nomine excipimus, præter eos, qui vel ex diuina doctrina, vel ex recta viuunt ratione.) Quamobrem non ar-tes ipſæ, ſed auctores, curatoresq́; artium ad notam hoc loco producti nomi-nantur; vtpote mendacij perſuadendi & erroris publici auctores. Fictores idoli omnes, nihil ſunt. IOTSER PEZZEL CVLAM THOHV. Formato-res ſculptilis. *Species pro genere vſurpatur. Genus autem ipſum è veſtigio indicatur.* Omnes illi, *cuiuſcunque artis, cuiuſcunq; doctrinæ atq; indu-ſtriæ ſint, tam ipſi, quàm doctores horum.* Nihil, THOHV, *inanitas, inuti-litas ipſa, nullius frugis atq; vſus idem vocabulum, quod ante orbis ſtructu-ram terræ adiunctum eſt. Namq; fictor ipſe nec naturam figmento præbet, nec vſum: naturam quippe ex materia accipit: vſum vero nullum præſtat, vel ad beneficium, vel ad nocumentum: vtpote qui præter figuram nihil ipſe materiæ adiungat: figuræ autem nulla propriè facultas eſt ad motū actúm-ve aliquem. quandoquidem motus omnis non à figura, ſed à ſpiritu gigni-tur: quòd ſi nullus adſit ſpiritus, nullus omnino ſpectabitur motus. Itaque è ſtiuſmodi ſimulachris nihil numinis ex parte opificum auctorúmve acce-dit: nec verò ex parte ſiderum, quorum vel naturæ, vel influxus nullum de-prehenditur aut obſeruatur adiumentum aut commodum. id quod certiſſi-mis firmatur documentis, ex ipſa experientia rerum petitis. Nihil enim vl-lius rei naturæ, aut efficacitatis, aut virium tribuitur in genere, cuius non aliquod in ſpecie vel ſingulare, vel frequens, vel rarum fuerit obſeruatum exemplum. Exemplorum namq; certa, & ad ſenſum tactumq́; probata do-cumenta prima ad virtutis & facultatis cognitionem ac definitionem di-cuntur & ſtatuuntur apud Philoſophos principia: quæ, ſi ab hominibus pe-tantur, teſtimonia appellari ſolent, omniumq́; documentorum ad cauſarum iudicia primas habent. Hæc eadem nunc à Deo per Vatem proferuntur ſta-tuunturq́; documenta. quæ refragari minimè vel ipſi poſſunt, qui ad par-tes in hoc appellantur iudicio.*

Signorū confingendorū artes irriſæ.

THOHV. Geneſ. locus. Gen. 1.

Simulacrorū inutilitas.

Figura nihil operatur. Motus ab ſpiritu.

Cognitio à ſenſibus.

Teſtimonia.

Ipſi ſunt teſtes eorum, quia non vident nec intelligunt, vt con-fundantur.

A D *vanitatem eorum qui ſignis numen, & adiumenti vim eſſe vel do-cerent, vel crederent, redarguendam; eadem ſimulacra & ſigna teſtimonij cauſa appellantur. quæ ſi cultores iuuare poſſent ſuos, ex eo fieret quòd ſe coli viderent, aut cognoſcerent. Verùm vt videant aut cognoſcant, nec ex materia habent, nec ex arte acceperunt; nec etiam ex aſtris & ſuperioribus efficientiis obtinuerunt. Cuius rei experimentum vel illud ipſum eſt, quòd*

nullum vſquam exſtet experimentum, BAL IIREV VBAL IADGHV.
בל BAL BAL *geminata negatio, cuius vis eſt omnia tempora, omneq́ negare, aut prohibere vetaréve exemplum, alia vox ab illis*, LO AIN. *Quòd ſi illa nec ſuos vident, nec norunt cultores, quonam pacto iuuare poßint? Id quod quidam etiam ex illorum doctrina ſimulacris exprobrabat ſuis.*

Iuuenal.

Tu miſer exclamas, vt Stentora vincere poßis,
Vel potiùs quantum Gradiuus Homericus, Audis
Iupiter hæc, nec labra moues? Cùm mittere vocem
Debueras vel marmoreus, vel aheneus, aut cur
In carbone tuo charta piatura ſoluta
Ponimus? Vt video, nullum diſcrimen habendum eſt
Effigies inter veſtras ſtatuamq́ Batilli.

Ex quo illud rectè conſequens fuerit, vt iidem ipſi pudefacti ac redarguti confundantur. *Ad ſignorum quoque conciliandum numen horoſcopi rationem expectatam & obſeruatam valere iſtorum doctrina tradidit. quod, præterquam quòd periculo facto, vanum deprehenſum perpetuò fuerit, ratione etiam conuincitur. Eſt autem cuiuſlibet facultatis atq́ vis & efficacitatis genericum in ſacra lingua nomen* EL, *quod iam ſæpè aliàs etiam in proximo capite ſumus interpretati. Et quoniam illud cumprimis in diſciplina iſta petitur, vt videlicet aſtrorum coniunctiones & concurſus, aſpectus ac reſpectus ad amußim obſeruentur, atq́ hæc propter continuum cæli motum breuißimo admodum tempore, vel potiùs momento fiunt exiguo, iudicata communiter fuere vtiliora ſigna fore, quæ vel ex creta breuiter fingerentur, vel potiùs ex ære funderentur: vtpote quæ in ipſo concurſus puncto vnica fuſione conflabantur. Hanc etiam doctrinæ & opinionis partem irridet per Vatem Deus.*

EL

Signa efficacora quæ habita.

Quis formauit Deum, & ſculptile conflauit ad nihil vtile?

MIIATSAR EL. Quis finxit Fortem? *Antithesis pulcherrima ad opinionis irriſionem ac ludificationem. Verbum* IATSAR *figulorũ artis propriũ eſt, cuius materia initiò mollißima argilla paratur, deinde vbi iam perfectum fuerit opus, fragilißimum, imò friabilißimum euadit. Ex hac autem ſimulachra antiquis fingi ſolita legimus.*

IATSAR

Simulacra antiqua fictilia.

Hanc rebus Latiis curam præſtare ſolebat
Fictilis & nullo violatus Iupiter auro.

Verùm quídnam auditu magis abſonum, magisq́ abſurdum, quàm ſi dicatur EL fictus, *vel* Deus fortis fictilis. *Nam fictili naturæ fortitudo firmitudoq́ repugnat.* & ſculptile conflauit ad nihil vtile? PESSEL Sculptile *ſignificat, præcipuè ligneum. verbũ verò* NAZZACH *conflare & fundere Latinis eſt. ſed vtraque materia arte coniungebatur, vt ſimulachrum pararetur; idq́ auſpicato. Namq́ ligno paulatim & arte ſculpto, ligneo, inquam, aut eburneo, æs, aurum, aut argentum fuſum, quàm celerrimè inducebatur, ne horæ præteruolare ſineretur momentum: ipſum verò ſubiectum vel lignum, vel ebur, vel bitumen, aut quidquid materiæ ad eam rem comparatæ ſubeſſet, animam vocabant, hodieq́ artifices vocant. Et quidem neque*

PEZZEL.

NAZZACH.

Anima ſimulacrorum.

que ſubiecto & incluſo ſculptili opportunitas vlla (quippe paulatim & per moras comparato) neque infuſi æris vlla probatur vtilitas, præter materiæ atq́ fuſionis diſpendium; &, quod dici ſolet, olei & operæ iacturam. Nam præter quàm quòd nihil influere aut præbere virtutis præter Dei voluntatem aſtra poſſunt, neq́ id quod efficiunt, ex propria natura, ſed ex ELOHIM arbitrio habent: nulla tam celeris fuſio aut inductio eſſe poſſet, quam cæleſtium motuũ velocitas non longè vinceret ac fruſtraretur. ita veriſsimum illud euadit, Sculptile conflauit ad nihil vtile. *Ex primæua lingua* LEBILTHI HOGHIL. ad minimè prodeſſe. *Nam nec ſibi ipſi vel lignum, vel æs illud vllo prodeſt nomine, nec iis, à quibus impenſum fuit, opitulatur: vtiliùs futurum ſi in monetæ cuderetur vſus. neque ex fuſionis hora, vti diximus, vtilitatis quicquam nanciſcitur. quamobrem*

Ecce omnes participes eius confundentur: fabri enim ſunt, ex hominibus conuenient omnes. ſtabunt, & pauebunt, & confundentur. SOLET *etiam vel ex artifice vel ex dedicatore opinio ſimulacri religionibus accedere: vt ſi Phidiæ celebretur opus, idq́ ab Alexandro dicatum, vel à ſummo aliquo conſecratum flamine. Cuius etiam opinionis vanitas iam initio argui cœpta* (Plaſtæ idoli omnes nihil ſunt) *nunc deinceps vlteriùs generatim atque ſingillatim improbatur. generatim quidem:* Ecce omnes participes eius [*quocunq́ modo, pacto, colore, prætextu, tam inutili ſtudeant opitulentúrve rei,*] *tamen* confundentur *demum. S. S. E. Confundantur omnes qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulacris ſuis. Iam verò eandem rem nominatim per artium varietatem notari & labefactari audiemus.* Pſal.

Faber ferrarius lima operatus eſt: in prunis, & in malleis formauit illud, & operatus eſt in brachio fortitudinis ſuæ: eſuriet, & deficiet, & non bibet aquam, & laſſeſcet.

Magnam ſimulacris opinionem ab arte atq́ artifice accedere diximus: ita vt, quæ à celebriore confecta fuerint ſculptore vel fuſore, maiori ſint admirationi, ipſis etiam earundem profeſſoribus artium minùs peritis, & non ſecius atque à reliquo celebrentur & colantur vulgo. Cuius mentionem rei opportunè aliquando poëta faciebat.

Donarem tripodas præmia fortium Horat. carm.
Graiorum, diuite me ſcilicet artium,
Quas aut Parrhaſius protulit, aut Scopas,
Hic ſaxo, liquidis ille coloribus,
Solers nunc hominem ponere, nunc Deum.

Huiuſmodi opinionem admirationi ac reuerentiæ ipſis etiam aliis artificibus fuiſſe, notabat per Vatem proximo verſu Deus. Fabri enim ſunt ex hominibus. *Ex verbo,* & fabri ipſi præ homine. *Significat non rarò fieri, vt qui alterius opus propter legum vel religionis, vel principum auctoritatem venerantur, artifices quoque ſint, ipſi longè in arte prudentiores & meliores quàm ille, qui vel gratia, vel alio principum aut vulgi errore auctoritatem occupauerit, & famæ prærogatiuam abſtulerit. ita interpretamur*

mur. Fabri ex hominibus, *non vulgares homines, nec triuiales artifices, verùm plus illo celebrato in arte periti. & tamen* conuenient omnes *in ſpectaculum, & laudem operis: & vel ob metum principum, vel ob præceptam religionem,* ſtabunt & pauebunt. *atq; ita* omnes confundentur ſimul. *Et quidem hæc de celebribus atq; obſcuris artificibus generatim dicta, de induſtriis verò & famatiſſimis deinceps exponitur diſputatio, & vanitatis quoque redarguuntur, in ſumma omnes, quod ad ſignorum efficacitatem vtilitatemq́; attinet. Vſque adeò autem vanis opinionibus deluſa eſt antiquitas, vt non ſolùm ſignis, verùm ipſis etiam ſignorum fabris diuinitatem quandam arrogaret: iis præſertim, quos in arte præſtantes putabat. Sic ille:*

Virg Eclog.

Verùm id quod multo tute ipſe fatebere maius,
Inſanire libet quoniam tibi, pocula ponam
Fagina, cælatum diuini opus Alcimedontis.

Cuius opinionis meram ſtultitiam ſingillatim redargutam voluit Deus, poſtquam generatim ſuperiori damnarat verſu. Cum primis, inquit, faber ferrarius admirabilis vulgò euadit, quòd ex duriſſima ferri materia deum quempiam ponere nouerit, nempe ex ferro aut calybe ignis vi emollito, & firmiſſimi brachij robore formam accipere coacto. Cuius roboris præſtantiã diuinitus contingere interpretatur vulgus, vel ab ipſius quem format, numine; vel aliàs cælitus conceſſam & infuſam: & quòd per artis peritiam, cùm manu ferrum ac digitis fingere non poſſit; malleo, forcipe, & lima pro digitis vſus perficiat: nónne hoc mirabile & planè diuinum, vulgus ait. Verùm enimuerò vulgare argumentum manifeſta exceptione eluditur & irridetur. Cuius in redargutionibus magna vis & energia eſt. qualia illa aduerſum Stoicos apud Satyricum exempla.

Horat. 2. Serm. 1.

Ad ſummam, Sapiens vno minor eſt Ioue, diues,
Liber, honoratus, pulcher, rex denique regum,
Præcipuè ſanus: niſi cum pituita moleſta eſt. *& illud:*
Vt quamuis tacet, Hermogenes cantor tamen atq;
Optimus eſt modulator, vt Alphenus vafer omni
Abiecto inſtrumento artis clauſaq́; taberna
Sutor erat, Sapiens operis ſic optimus omnis
Eſt opifex, ſic rex ſolus. Vellunt tibi barbam
Laſciui pueri: quos tu niſi fuſte coërces,
Vrgeris turba te circunſtante, miſerq́;
Rumperis & latras magnorum maxime regum.

Huiuſmodi argumentationes dialecticis ex abſurdo, Rhetoribus verò ex inopinato, poëtis antitheta dicuntur. Ad quam rationem & poſtrema huius verſus refertur pars. Tamen ſummus iſte & ſacer vobis habitus artifex dum operam ſigno faciendo impendit: non modo nullum in ſe numen experitur, quo laborem ſentiat nullum; verùm, quod amplius eſt, præ labore eſurit, & præ fame viribus deſtituitur; & ſiti infeſtatus, niſi aquam biberit, nimio plus laſſeſcit. mirum id à tanta diuinitate non præſtari, quod viliſſima & parabiliſſima rerum aqua minimeq́; omnium liquidorum efficax,

&

& alens valet ſuppetere. debuerat autē nec edere, nec bibere, vel ſua illa diuinitatis gratia roboratus, ſuo illo robore fultus ſaltem Dei, quem format, numine & præſidio auctus & munitus. Eſuriet & deficiet. *Exemplaris lectio à coniunctione cœpta, oppoſitionem ſiue exceptionē prodit,* GAM RAACHEB VEAIN COAHH, etiam præſurit & non robur. *hic vocē etiam idem quod nihilominus valet. Atque de robuſtiſſimo artifice hæc ſatis; tam de aliis cenſendum: in quo ſecūdas ferre videtur ſculptor, ac maximè ſolers is, qui ligneam tractat materiam, quippe qui non tam brachiorum robore & virtute, quàm varia ac multiplice commendatur cura.*

Artifex lignarius extendit normam, formauit illud in runcina: fecit illud in angularibus, & in circino tornauit illud: & fecit imaginem viri quaſi ſpecioſum hominem habitantem in domo. — Artium ſummis ratio ex ſacris libris petenda.

Vniuſcuiuſque artis rationem ſummam quiſquis tenere ſtuduerit, nullis meliùs & breuiùs quàm ſacris ex lectionibus rectè intellectis adipiſcetur, vt arbitror. qua in re ad multorum vtilitatem docenda, vtinam peritiſſimi cuiuſpiam in artibus viri labor impenderetur: benè profectò, & cum non vulgari vſu ponendus. Id quod hoc loco apud Vatem Deus indicat noſtrum, dum omne hoc ſignorum genus ex artificum ratione & induſtria, atque ex materia conueniente diſtinguit: non qui artium peritiam damnet, ſed qui abuſum notet & improbet. Igitur lignarius faber, quamquam tractabiliore in materia verſetur: tamen pluribus indiget curarum partibus. Prima omnium delineatione: quæ non modò certis cohibeatur finibus: ſed coloribus inductis, quid demptum, quid relictum oporteat, in ligno ſignet. Extendit normā. *Ex primæua lectione linearum ductus interpretamur, quibus qua parte caput, qua membra parteſq́ cæteræ excalpenda fuerint, ſignantur; deinde lineæ ipſæ colore addito quopiam, vti rubrica, notātur. Quod hîc* runcina *legimus, in exemplari* SERED *eſt, quod funiculum infectum ſignificat. Hic itaque primus labor eſt, circumſcriptionis & commenſurationis, atq; notationis. Huic ille quamprimùm ſuccedit, erudiendi videlicet ligni, inq; primam & impolitam effigiem formandi.* Fecit illud in angularibus, & in circino tornauit illud. *In ſingularum artium inſtrumentis ſua apud artifices in vnaquaque lingua conſtant vocabula. quæ non facilè ad amuſſim cuncta in alias verti ſolent linguas, niſi ab artium ipſarum non ignaris, vel ex rerum vſu monitis, vel aliàs etymologiæ rationem & ſignificationem callentibus. Atq; hac in parte illud minimè exactum requiritur, qua quodq; inſtrumentum forma ſit, depingi, cùm idem opus variis inſtrumentorum confici poſſit formis; non in aliis atq; aliis regionibus modò, ſed in eadem & prouincia & vrbe. Certè apud paſtores, qui induſtriores, minimeq; ſegnes habentur, duplici cultello vulgato & incuruo ea præſtantur, quæ multiplici inſtrumento fabri facere ſolent. Et barbari illi, quos non ita pridem à noſtratibus apud occiduam Aſiam repertos cognouimus, igne & ſilice materiam omnem ſubegiſſe, & in quaſlibet formas & figuras vſui habiles paraſſe deprehenſi. Quod hîc legimus* in angularibus, MAKISVGHOTH *in exemplari eſt, à verbo* KATSAGH, *quod radere, abradere, ac dolare*

Runcina. SERED.

Artificū vocabula propria.

Paſtorum inſtrumenta fabrilia.

Occiduæ Indiæ inſtrumenta.

Angularia. MAKISVGHOTH. KATSAGH.

 dolare

Dolabra. *dolare, detrahereq́; ſignificat.* dolabram *genus hoc inſtrumentorum omne* Iuuen. Sat. 8. *Latini vocant. vt, Nodoſam poſthac frangebat vertice vitem, Si lentus pigra muniret caſtra dolabra. Hoc nomen Latinus interpres à coniugatis ducto argumento vertit in* angularibus: *eò quòd* MIKTSOGHOTH *angulos Latinè dici intellexerit. Poſuit itaq; pro* MAKTSVGHOTH angularibus, *videlicet inſtrumentis, quibus anguli dolantur. Ex quo perſpicuum fit* En ſimulacris & ipſorum fabris nihil diuini. *iſtum non egregio aliquo motum & edoctum atque inſtructum ſpiritu, vel numine plenum: quippe qui iiſdem indigeat inſtrumentis & curis quibus vulgaris quiſpiam faber, & communi atque vſitato inſtructus modo, ſui operis cauſa indigere & vti ſolet. Atque hæc ex parte inſtrumentorum animaduerſio nihil egregium, extraq́; communem ſortem, nihil quod planè diuinum dici poßit, probat; niſi ſi forſitan diuinitatis iſta laus ex inducta ligno commendetur forma, exemplar quodpiam ſupernum & cælitus communicatam animoq́; præceptam ideam probante. Atqui nihil tale ab iſtorum laudatißimis ac Deorum ſolertißimis poſitoribus expectari poſſe Deus ait. quippe cùm vel celeberrimus quiſque iſtorum eatenus ad ſummũ valeat: nimirum vt,* in circino tornet illud, & faciat imaginem viri, quaſi ſpecioſum hominem habitantem in domo. *Nihil ab hominibus iſtis, quos artifices fama celeberrimos dedit, vel nouæ & non vſitatæ operæ datum, vel operis factum, quod humanam vincat ſortem, & diuinã aliquam ſingularem declaret virtutem. id quod non modò inſtrumentorum indigentia & communi vſurpatione, ſed efficiendi etiam ratione, atq; ipſo operis exitu & exemplo, hoc eſt, forma inducta euincitur. Quippe quorum vel peritißimus, quam animo conceperit, ideam nec repentè & minimè interrupta opera, nihilq́; interim meditatus & expertus, faciendo ſigno exprimere valeat; ſed circino identidem, ac ſæpiùs admoto & variè aptato ad membrorum & partium cohærentem & concinnam ſymmetriam, quam niſi exactè ſubductam præſtiterit, artis inſcitiam frequentibus prodet vitiis. Circino itaque opus illi eſt ſæpiùs ad formam componendam, & variè vſurpato. Hoc ſignificat verbũ* IITHAAREHV, decenter formauit illud. *qualem verò formam, num diuini & cæleſtis cuiuſpiam ſpiritus? num naturæ cuiuſpiam corporis minimè indigæ? quippe horum ſapientibus qui vo-* Homer. Od. *α*. *cantur dij, iidem cæleſtes aliàs dicuntur animi,* καὶ ὀλύμπια δώματα ἔχοντες, *id eſt, Olympi habitatores, audiunt. Nihil prorſus horum: ſed humanam tantùm imitati effigiem, quàm optimè egiſſe putantur, ſi decoram, concinnam, & ad habitus atq; geſtus, quam pro re idoneam ſibi finxerant, ſignificationem expreſſerint. Atque ita nulla melior effigies præſtatur ſum-* Iob 4. *mo deorum opifici, nulla ſublimior, quàm ſua ipſius eſt, hoc eſt, hominis terreni ac mortalis, & luteas domos habitantis. Atque ita ſuos, quos dicunt deos, non ſolùm non diuinos, nec olympios, aut immortales, & purè cæleſtes: ſed hominum forma quidem externa ſimiles, virtute tamen, vt mox diſcutiemus, immanè quantum diſcrepantes & minores; nec minùs etiam quàm hominum fragilis & caduca natura, luteis egentes domibus, hoc eſt, templis, ædibus, ædiculis, delubris, & vt minimum, tectis, aliàs citißimè defor-*

deformandos & collapſuros. Quippe nullum ab illis deorum quondam ſignum extra tectum, & ſub dio dicatum reperire eſt; præter vnicum Priapum: quem his verbis adiurare & obteſtari ſui conſueuerunt poëtæ:

Sic vmbroſa tibi contingant tecta Priape, Tibull.
Ne capiti ſoles, ne noceantq́; niues.
Cetera conſtructis dicantur numina templis:
Solus nulla vſquam tecta Priapus habet.

Et quidem ſimulacra alia, quacunque ex materia conſecrarentur, ſingulari aut communi ponebantur templo; ab hominum tamen ædibus vel domibus diſiuncto, laribus exceptis: quos vt familiares, & magis propitios ac priuato numine fauſtos, intra proprias ædes collocare ſolet illa deluſa antiquitas.

Sed patrij ſeruate Lares, aluiſtis & iidem, Tibull. lib. 1.
Curſarem veſtros cùm puer ante pedes.
Neu pudeat priſco vos eſſe è ſtipite factos,
Sic veteres ædes incoluiſtis aui.

Hactenus ergo ſumma & maxima illa celeberrimi ſculptoris ſolertia valuiſſe dicitur: ſcilicet, vti ſtatuam humano corpori perſimili figura faceret, factamq́; alicubi locaret; idq́; in domo, hoc eſt, ſub tecto aliquo, locaret, inquam, ibidem hæſuram; aliàs niſi illo ipſo, vel quopiam alio ponente homine, nec ſua ſponte eò ſeſe collaturam; ſed neque inde niſi alio demolito & auferente moturam ac diſceſſuram. Et tamen diuinum opus, vel diuini opificis laborem dictitare non pudet, id quod tanto ſtudio & molimine comparatum, nihil humana natura præſtantius dedit, idq́; prorſus natura immobile, atq́; ex conſequenti inutile: cùm contrà, quæ verè diuinitus ita facta fuerint, & citra hominis laborem extiterint, ea ſua ſponte moueri, ſpectata fuerint: etiam ſi ex lignea materia in aliam fuerint mutata formã. Id quod vel vnico illo celeberrimo monſtratur exemplo: Dixitq́; Dominus ad eum Exodi 4.
[Moſen.] Quid eſt quod tenes in manu tua? Reſpondit, Virga. Dixítque "
Dominus, Proiicito eam in terram. Proiecit, & verſa eſt in colubrum, ita "
vt fugeret Moyſes. Longè aliud & efficacius multo diuinitus effecti ope- "
ris hoc argumentum fuerit, ab iſto ſcilicet: quaſi ſpecioſum hominẽ habitantem in domo. *ſiue, vt in exemplari eſt,* LA SEBETH BAITH, ad ſedendum domi. *Egregiam verò virtutem & laudem tanto molimine facti ſimulacri, nulli alij præterea vſui: idq́; ad imaginem hominis, qui tali numini ſe ſimilem eſſe infeliciſſimum duceret; nimirum ex eodem loco nunquam ſeſe mouere vel diſcedere, quamquam aliàs terreno indigentem domicilio. Atque iſtud ipſum, quod facto conceditur ſigno, nempe,* ad ſedendum domi, *niſi ab artifice etiam proſpectum curatumq́; fuerit, obtineri non poteſt; baſi nimirum comparata, & ſocco ſiue plintho, in quo ſtari poſſit, admoto; aut puluinari vel alio quouis, cui innitendum ſit, applicito, aliàs enim ruituro; & vbi cadere contigerit, manſuro. S. S. E. Vbi ceciderit li-* "
gnũ, ibi erit. Cuius rei illuſtri & manifeſto exemplo illud fuit: Tulerúntq́; "
Philiſthiim arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & ſtatue- "
runt eam iuxta Dagon. Cumq́; ſurrexiſſent diluculo Azotij altera die, "

ecce

" *ecce Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini. Et tulerant Da-*
" *gon, & reſtituerunt eum in locum ſuum. Rurſumq́, manè, die altera, con-*
" *ſurgentes inuenerunt Dagon iacentem ſuper faciem ſuam in terra coram*
" *arca Domini, caput autẽ Dagon & duæ palmæ manuũ eius abſciſſæ erant*
" *ſuper limen. Ad præſtantiæ porrò ac diuinitatis opinionem non omittenda ligni ac materiæ natura putabatur & ratio. Nam primùm, quid ex quo ligno faciendum eſſet inter curas & ſeria ducebatur habendum. Atq; ſimulacrorum diuturnitati, quarundam arborum ligna magis cenſebantur opportunam præbere materiam: vt cedrina atq; cupreſſina, & quæcunq; pinguiori prædita ſunt ſucco, minusq́; ideo cariem ſentiunt. atq; adeò quæ nodoſa minùs faciliùs artificis manus ariem admittunt: quod etiam inter primas commendatur laudes. Quamobrem nonnulla etiam, quamquam non ita pinguia atq; odorata, ſoliditate tamen, & conſimili corporis habitu, ac fibrarum, quas vocant, perpetuo ac recto ductu. In quo ſenſu fagus & vlmus ponuntur; quæ præcipuè ad eam rem conſultò plantatæ, opportuna ac diligente curantur cultura. Omnia quæ à Deo per Vatem noſtrum commemorata eò tendunt, vt ſtultam antiquarum gentium de diis opinionem doctrinamq́; refellant; quibus nec ex natura propria numen ineſſe conuincitur: multo autem minùs illorum ſimulacris, quamlibet inauguratis, & varia atq; multiplici ingenij induſtria commendatis. quibus tamen præter propriam & natiuam facultatem, aut communem cum cæteris vim, nihil diuinitatis arrogari iure, nedum ſalutis publicæ per vnicum Deum efficiendæ ſocietas & communio adſcribi poſſit. Namque huc diſputatio hæc omnis hoc in loco inducta ſpectat.*

Simulacris fabricandis apta ligna.

Succidit cedros, tulit ilicem, & quercum quæ ſteterat inter ligna ſaltus; plantauit pinum, quam pluuia nutriuit.

Hæc omnia id agunt vt materiæ facilitatem ac durabilitatem non ſingularis diuinæ efficientiæ opus, verùm commune, & ex naturæ conſuetudine declaretur. ſiue illa virtus ex arboris præſtantia ſit, vt cedri, vel THIRZAH *&* ELON. *pro quibus interpres noſter reddit* ilicem & quercum quæ ſteterat inter ligna ſaltus, *ſiue, ex iis quæ ex induſtria ad eam rem curatæ ſunt arbores, & opportunis irrigatæ atq; altæ imbribus* plantauit pinum, quam pluuia nutriuit. *In exemplari lingua additum* LO *notanter ſignificans pronomen, id quod laudis defertur materiæ, ipſius artificis delectui & obſeruationi tribuendum.* Succidit ſibi cedros, tulit ilicem, &c. *De multiplici plantarũ genere & vſu in alio diſputamus opere. Quod hîc* pinum *legimus, in exemplari eſt* OREN, *Latino* ornus *maximè affine vocabulum.* quæ ſteterat inter ligna ſaltus VAIAMETSLO & roborabit ſibi. *materiam ſibi firmam & durabilem quæſiuit. Ac de materia ſic; quam etiam ab vtilitate examinat. Oſtendit autẽ ſucciſi ligni vſum eſſe poſſe non vnicum tantùm, ſed multiplicem: minimam verò vtilitatem ex eo percipi, quod in Deorum iſtorum faciendis deligitur ac ſeruitur ſimulacris.*

THIRZAH ELON Ilex. Quercus.

Magni operis part. I. OREN. Pinus. Ornus.

Et facta eſt hominibus in focum; ſumpſit ex eis, & calefactus eſt: & ſuccendit, & coxit panes. De reliquo autem operatus eſt deum,

deum, & adorauit, fecit ſculptile, & incuruatus eſt ante illud.

INTER *antiquorum ſuperſtitioſas opiniones gentilium, quas hoc loco euellendas curat per Vatem Deus, etiam materiæ felicitas admittebatur: hoc pacto, vt arbores aliæ eiuſdem etiam generis aliis feliciores haberentur, quæ videlicet in potiores deligerentur & aptarentur vſus: contrà verò infelices & funeſtæ; quarum exitus vel inutiles, vel hominum generi pernicioſi deprehenderentur. vtraque autem ad fatum referebatur plerumque ratio. Sic ille de pinu cuius periclitauerat caſu:*

Ille & nefaſto te poſuit die
Quicunque primus & ſacrilega manu
Produxit arbos in nepotum
Perniciem opprobriumq́ pagi.
Illum & parentis crediderim ſui
Fregiſſe ceruicem, & penetralia
Sparſiſſe nocturno cruore
Hoſpitis, ille venena Cholchica
Et quidquid vſquam concipitur nephas
Tractauit, agro qui ſtatuit meo
Te triſte lignum, te caducum
In domini caput immerentis.

Rurſus verò quæ ad conficienda numinis cuiuſpiam ſigna deligeretur arbos, magnæ felicitatis opinionem apud vulgus obtinebat. vtpote cui ſummus habendus eſſet honor. Id quod cordatiores viri, ac rerum æſtimatione prudentiores, non ad fatum, ſed ad artificis referebant arbitrium.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum, Horatius.
Cùm faber incertus ſcamnum facerétne Priapum,
Maluit eſſe Deum. Deus inde ego furum auiumq́
Maxima formido, &c.

Quorum commemoratio verſuum conſimilis admodum argumenti eſt redargutioni, quam Deus hoc loco partitionibus & exceptionibus expedit: illud ex vero & manifeſto docens, non dicendam eſſe felicitatem eius rei, cuius partes alios atq́ alios, eosq́ nimium diſpares vſus habeant. præcipuè cùm, qui meliores putantur, longè minus commodi, & ex conſequenti minoris faciendi deprehendantur. Hoc autem in eodem ipſo ad ſtatuæ opus delecto ligno euenire indicatur: cuius erudiendi quæ ſuperant partes, quæq́ auferuntur fragmenta, eidem ipſi artifici ad focum & ad furnum ſumuntur, & cedunt. De reliquo autem operatus eſt EL, *Deum efficacem. Ex præſumptione & opinione, non autem ex vero nomen* EL *à Vate vſurpari intelligimus. vt ab Horatio illud: Maluit eſſe Deum. & illud ab altero:*

Termine, ſiue lapis, ſiue es defixus in agris
Stipes ab antiquis, tu quoque numen habes.

Oſtendit autem eam partem, quæ igni deſtinata ac tradita fuit, quamquam infimo omnium vſui (ſi quidem igni nonniſi contemptiſſima ſeponitur in vnoquoque genere materia, præcipuè clibano, furno, & foco) tamen vtiliorem,

rem, & efficaciorem euadere, quàm eam quæ in EL *formata fuerit. id quod ipſius etiam artificis confeſſione conuincitur. qui tametſi ſuo illi à ſe exſculpto ſigno honorem tribuerit diuinum: nihil tamen non dicam numinis aſſertum, ſed ne vtilitatis quidem minimũ referre poßit acceptum: cùm contrà ex eo quod igni conſumendum ac perdendum damnauerat, vel ipſa conſumptione adiutum & fotum ſeſe ipſe fateatur.*

Medium eius combuſſit igne, & de medio eius carnes comedit; coxit pulmentũ, & ſaturatus eſt, & calefactus eſt, & dixit, Vah, calefactus ſum, vidi focum.

HEAHH Euge. *Triplicem commoditatem ex contemptiſsima & improbatißima ſibi ligni parte perceptam fatetur, idq́ cum gratulatione pronunciat,* HEAHH, *quod aliàs Latinus vertit in* Euge. *Epularum condiendarum primam videlicet, eandemq́ vitæ alendæ maximè opportunam; frigoris etiam pellendi membris cumprimis infeſtæ iniuriæ, atq́ luminis percipiendi, quo tenebrarum incommoda vitantur omnia.* vidi focum. *pro luce* focum *hîc accipiendum, nomen* OR *docet; idem quod fugandis tenebris in principio appellatum fuit.* אור

Reliquum autem eius Deum fecit, & ſculptile ſibi; curuatur ante illud, & adorat illud, & obſecrat, dicens, Libera me, quia Deus meus es tu.

Et quidem eadem hora, eiſdem horoſcopi momentis vtraque ligni illius pars cum toto nata fuerat, creuerat; & eodem ictu exciſa ceciderat. quæ videlicet igni admota ex artificis animi ſententia profuit: ab ipſo eodem prodeſſe iuſſa, vel deſtinata & coacta, atq́ iſta quæ in ſtatuam ſepoſita, ſculpta, ac demùm concinnata euaſit eodem auctore, à quo, vt talis eſſet, habet: à quo iam facta, auxilium & ſalutem nequicquam rogatur & poſcitur. Atque ita maius experitur emolumentum, minoreq́ labore & negotio curaq́ percipit ab eo, quod ſpretum igni damnarat. Libera me, quia Deus meus es tu. ELI, *fortem efficaciſsimum & tutelarem ſibi eum, quem ipſe fecit, appellat.*

Neſcierunt, neque intellexerunt: obliti enim ſunt, ne videant oculi eorum, & ne intelligant in corde ſuo.

Duæ ad prudentiã viæ. *Duæ ad prudentiam inſtructæ ac datæ mortalibus viæ: quarum quiſquis neutram inſiſtit, in ſtultitiam delabatur, & ex hac in inſaniam decidat neceſſe eſt.* Cognitio. *altera via eſt cognitio, quæ per diſciplinam paritur; altera eſt* Intellectio. *intellectio, quam ipſa rerum bene penſitata ac rectè ſubducta ratio etiam citra magiſtri operam efficere poteſt. illa breuior & facilior: hæc verò, quia omnibus expoſita, parabilior. Ait verò Vates, gentium iſtarum mentes turbatas prorſus, atque in amentiam cenſeri mutatas: vtpote quæ nec doctrina inſtructæ, nec propriæ rationis recta animaduerſione vſæ, pro vero falſum amplexæ manifeſtum mendacij errorem, non ſolùm ipſæ conceperint, ſed vltrò etiam libenter foueant & promoueant. Nam quid promptius eſt & procliuius, quàm ex ſenſu ac tactu de rebus exiſtimare & ſtatuere. quæ iudicandi ratio nullis ne vulgaribus quidem negata eſt hominibus, vt quod tene-*

tenebris obrutum eſt, obſcurum; quod verò videri palàm poteſt, clarum dicatur. quod vbi ſecùs fiat, vel cæcitatem, vel præſtigias arguere in promptu fuerit. Appellamus autem præſtigias, falſas opiniones, vel acceptas vel conceptas. quibus vbi imbutus fuerit animus, immanè quantū & ſibi & ſuis molitur atq; infert malorum. Obliti enim ſunt, ne videant oculi eorū. *A verbo* oblino *participium deductum, non ab* obliuiſcor: *namque in primæua lingua* TAHH *eſt; quod incruſtare & linire Latinè vertimus: & in præſtigiatorum arte deſcribenda vſurpatur. Cùm verò quis vel non videt, vel corrupto vtitur viſu, aut ſuffuſis colore vel humore oculis, aſpicit. haud mirum ſi communi ſenſu corrupto etiam, nedū peruerſa euadat mente. id quod expolienda confirmatur ſententia.* TAHH.

Non recogitant in mente ſua, neque cognoſcunt, neque ſentiunt, vt dicant, Medietatem eius combuſſi igne, & coxi ſuper carbones eius panes: coxi carnes, & comedi, & de reliquo eius idolum faciam? ante truncum ligni procidam?

Non aliis argumentis opus eſſe ait ad redarguendam fallaciam augurum, Chaldæorum, & cæterorum omnium præſtigiatorum: qui materiæ numen ex materia vel obſeruata hora, vel ex alia quapiā traditione tribuūt, quàm ipſo rei tum experimento, tum vſu atq; demùm exitu. Namq; in huiuſmodi rebus, quæ ſimplicem ſortiuntur definitionem, idem totius ac partium iudiciū ſtatuitur. Cùm verò nullam numinis rationem ei materiæ parti, quam ſibi in ignis fomentum vſurparat artifex, tribuendam cenſuerit. (Namq; aliàs magnum fuiſſet nefas, diuinum quippiam igni conſumendum tradere,) quidnam cauſæ eſt, quamobrem alteri diuinos honores decreuerit, & conceſſerit: cùm cætera cuncta perinde hîc atq; illic habeant. Quòd ſi euentum & finem ſpectare velit, inueniet profectò nullū aliud principiū vtriuis eſſe parti. Cuius quæ prima fuiſſet origo, explorator declarauerit ignis.

Pars eius cinis eſt: cor inſipiens adorauit illud, & non liberabit animam ſuam, neq; dicet, Fortè mendacium eſt in dextera mea.

OPORTVIT *(inquit) hominem ipſum experimento & ſenſu edoctum intelligere, nihil ſigno illi numinis aut virium acceſſiſſe ex natalis vel caſus horoſcopo: cui, vi, ſucco, & facultate omni per ignem abſumpta, nihil præter terrenæ partis elementum, hoc eſt, tenuem cinerem, fuerit relictum: ſi tamen idem ipſe homo à terrena fæce, hoc eſt, parte ſui infima & ſiniſtra, ad animum & mentem ſeſe conuerteret; verùm terreſtrem ſe planè præbens, nihil ſapere ſublimius curat. Hæc noſtræ verſioni conſona ſatis explicatio tamen verborum proprietatem commendat expendendam,* ROGHEH EPHER LEB HVTHAL HITAHV VELO IATSIL ETH NAPSO VELO IOMAR HALO SEKER BIMINI. *Ex verbo etiam,* Paſcens cinerem cor illuſum incuruauit eum, & non liberabit animam ſuam, & non dicet, nónne mendacium in dextera mea? *Ex diuini opificij hiſtoria manifeſtum eſt, hominem duplici conſtare parte, corpore, & animo: videlicet, illo terreſtri planè; hoc cæleſti & in imagine, & ad ſimilitudinem Dei facto, & inſpirato. rectamq; conſtitutionem ſui ſecutum quemlibet oportere* Homo ex animo & corpore.

 homi-

Ex mētis imperio cetera gubernanda.

hominem in omni vitæ actione & parte mentis facultate atque cognitione, corpus ſuum terrenū, & cetera omnia gubernare, ducere, ac tractare. quod ſi ita, vt par eſt, teneatur, nūquam agendo aberrabitur. Contra hanc rationem, quæ vnica ac tutiſſima ſemper eſt, ſuperſtitioſorum hominum res omnes geri Deus notat, & epiphonemate per Vatem vſus reprehendit. Vſque adeò, inquit, cor hominis cineri & pulueri ſuo ſeſe obnoxium præbet, vt nunquam animam liberet, & à terrena fece puram ſapientiùs rebus examinatis dicere intra ſe iubeat, Nónne mendacium eſt in dextera mea? *Nónne, inquam, in rebus ipſis nullū vitium, nulla fallacia eſt; verùm ipſe mihi paro, concipio, & pario atq; foueo errorem: quippe qui aliud rerum naturis tribuo, quam ipſæ ſibi tributū admittant. Neque enim, vti dicebamus, rerum à Deo damnantur naturæ; vtpote à ſe conditæ: nec artium etiam facultates & efficientiæ à ſe etiam hominibus ad rectum vitæ vſum conceſſarum, ſed vtrarumque peruerſa exiſtimatio & abuſus improbantur, per acclamationem, vti dicebamus; quam exclamando probatiſſimus ille Satyricus imitatus videtur:*

O curuæ in terris animi & cæleſtium inanes,
Quid iuuat hoc, noſtros templis immittere mores?

Ex his manifeſtè apparet rerum & artium naturas falſitatis infamia laborare: vt quæ non id commodi præſtent, quod à mortalibus exiguntur. Verùm huius criminis culpam non in ſuo ipſarum vitio, ſed in hominum peruerſo iudicio ac mendacio hærere: qui à vero deſciſcentes Deo ſalutis ſuæ auctoritatem aliis, qui non ſunt Dÿ, per ſummam vanitatem tribuūt. Nec

Sacrarum imaginum in Eccleſia cultus.

verò diuina iſta in homines de idolorū cultu inuectiua ad Chriſtianorum referenda eſt imagines. quippe cùm Idolum, vel Apoſtolo teſte, nihil ſit in mundo: Imaginum verò, quæ apud Chriſtianos in veneratione habentur, vera exemplaria indicentur Ieſus Chriſtus cumprimis, qui heri, hodie, & cras: Virgo ſanctiſſima, Ieſu mater, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, ac Virgines, ſanctæq; aliæ feminæ: quorum ſimulachra memoriam doctis & indoctis repræſentant; quorumq; celebritatem & cultum quemadmodum iniri obſeruariq; oporteat, ſapientes & cordati Theologi, tum veteres, tum recentiores docuerunt; & rem ipſam ſua ſponte æquam & ſacram, apprimeq; commendabilem, à vulgi ſuperſtitionibus diſcreuerunt.

Memento horum Iaghacob & Iſrael, quoniam ſeruus meus es tu: formaui te, ſeruus meus es tu Iſrael, non obliuiſcaris mei.

QVÆ *ſuperiùs in Idolomaniæ vanitatem perorata fuerunt, vt cætera omnia in ſacris audita reſponſis hominum inferioris tum verò melioris notæ doctrinam & vtilitatem ſpectare ait: vtroſq; enim ſalutis rationes omnes non aliò quàm ad diuinam voluntatem & auctoritatem referre decere & oportere. Diximus iam Iaghacobi nomen humilem ac vitiis non prorſus carentem mortalium naturam, Iſraelis verò ſublimiorem conditionem ex ſingulari Dei beneficio conſtantē ſpectare: alteramq; vocem à* GHAKAB, *id eſt, decipere; alteram à* SARAR, *id eſt, principari, vt ita loquamur, deduci. Siue igitur quiſquam Iaghacobum agat, hoc meminiſſe debet, ſalutem,*

Iaghacob. Iſrael. GHAKAB. SARAR.

vide-

videlicet ſuam ab vnico vero ac viuente Deo expectandam & poſcendam, tanquam à certiſſimo auctore: ſiue Iſrael fuerit id, quod eſt, diuini muneris totum prorſus eſſe recolere, gratulari, & laudare. Namque ita agentibus hominibus omnes alia præterea ſuperiorum inferiorúmque rerum natura congratulatione commota aderit, & ſui inculpatum ac iucundum commodabit vſum.

Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua: reuertere ad me, quoniam redemi te.

Quo tempore oraculum hoc per ſuum Deus fundebat Vatem, non minùs certa futuræ ſalutis promiſſio erat, quàm nunc præſentis eſt veritas. quamobrem præteritum vſurpatur, omnium temporum proculdubio ſua ſponte certiſſimum. Dixerat enim Deus Iſraelis formatorem vnicum ſe eſſe, & auctorem: id verò quemadmodum effectum fuerit, exponit: nempe extinctione veteris hominis, qui corrumpitur, & renouatione ac regeneratione lauacri aquæ viuæ per Spiritum ſanctum ſuum efficaciſſimum. Veteris verò hominis corpus totum vitiis conſtare dictum eſt, & prauitatibus: quibus durantibus, tanquam nube quadam humida, graui, peccatorum infeſta perpetuò vel ſequitur, vel imminet deſtillatio. Priorem partē hoc loco Deus PESAGHIM, *poſteriorem* HHATAIM *vocat. vtramq; Iaghacobo & Iſraeli vt perpetuam & inſitam vel innatam adnotat,* Iniquitates tuas, peccata tua. *vtramq; à ſe deletam declarat: ad quod quidem geminum beneficium agnoſcendum & prædicandum ſacer alludit Apoſtolus, tranſlatione ad rem ipſam reducta. Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, vt vltrà non ſeruiamus peccato. Hoc autem beneficium illud etiam conſecutum eſt redemptionis, hoc eſt, tranſlationis à ſeruitute in melioris vitæ ſecundùm Deum ducendæ vſum. hoc eſt quod additur,* reuertere ad me [*ad agendum ex voluntate mea*] quoniam redemi te. *Quare nullo in alio rerum genere tuam ſitam oportuerit fiduciam. Atque hoc pacto de ſalute ſua ſentienti & exiſtimanti hominum generi, rerum omnium cæleſtium ac terreſtrium naturam congratulatione & applauſu adfuturam, Deus prædicit & ſtatuit.*

Præteritum tempus de certiſſimis vſurpatur.

Regenerationis ratio.

Vetus homo

PESAGHIM. HHATAIM.

Iniquitates. Peccata.

Rom. 6.

Redemptio

Laudate cæli, quoniam [*miſericordiam*] fecit Dominus: iubilate extrema terræ: reſonate montes laudationem, & ſaltus, & omne lignum eius, quoniam redemit Dominus Iaghacob, & Iſrael gloriabitur.

Huius planè argumenti ac ſignificationis illud apud Paulum celeberrimum pronunciatum: Scimus autem quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum iis, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti. Quia redemit Dominus Iaghacob. *Ex illa miſeranda conditione perpetui metus, dum per totam vitā obnoxius erat ſeruituti.* & in Iſrael gloriabitur *ſui ſanctificatione nominis, & regni aduentus: vt ipſius voluntas in terra ſicut in cælo fiat. Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionē, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in caritate: qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum ſecundùm* propo-

Rom. 8.

Heb. 2.

Epheſ. 1.

propoſitum voluntatis ſuæ in laudem gloriæ gratiæ ſuæ: in qua gratificauit nos in dilecto, in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum, ſecundùm diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis in omni ſapientia & prudentia.

ARGVMENTVM VATICINII VIGESIMISEPTIMI.

MAXIMAM *quidem & mirabilem dictu atque auditu beneficiũ huius, antea promiſſi, veritatem videri atq; eſſe docemur: verùm hoc hominibus & creatis animis, non autem Deo, cuius iuſſu ac dicto cælum, terra, & vniuerſus orbis vno operis tractu abſolutiſſimè extitere: ita vt nihil, quod in opificio requiri poſſet, fuerit prætermiſſũ. Quare nulla ratione dubitandum eſſe, quin eodem auctore, quo primùm mundus pulcherrimus conſtiterat, qua parte vitium fecerat, volente & libente, atq; iam ſæpiùs pollicito, regenerari ac renouari poſſe credatur. Cuius virtuti, volũtati, & auctoritati, atq; de hac re ſæpiùs repetito promiſſo, præter argumenta ex natura ducta, præter quãplurima in humanis rebus ſpectata exempla: alia etiam non multo pòſtquam hoc vaticinium fundebatur, edenda, & ſpectanda adſtipulantur. ad fidem quoque faciunt Babylonici potentiſſimi imperij repentina ad Perſas mutatio: & libertatis etiam Iudæis apud Chaldæos detentis beneficium, diuinitùs Cyri miniſterio collatum. Quæ omnia, quanquam magna & admiranda, diuinam benignitatem non adeò declarabant, atque illud ſalutis omni orbi adferendæ & offerendæ euentus veritate firmandum promiſſum.*

Hæc dicit Dominus redemptor tuus, & formator tuus ex vtero: Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens cælos ſolus: ſtabiliens terram, & nullus mecum.

TOTVS *hic verſus antecedentis præfationis vicem ſortitur, ad ea quæ deinceps de Cyri ornamentis, ac de Iſraelis ex Babylone remigraturi libertate ſubiungentur. quæ omnia ſimul ad maximæ ſalutis fidem & expectationem confirmandam producta, Deus ipſe, ac per Vatem reſponſa voluit. Et quidem præcipuum horum ſermonum, qui nunc aguntur, argumentum ad ſummam redactum, circa redemptionis ac liberationis, publicæ inquam hominum ſalutis, cardinem verſatur. Nullum autem in toto ſermone verbum, nullum vocabulum, ne dicam, nulla verborum ſtructura eſt, quin integram in ſe cohibeat argumentationem. Quas omnes vtinam per facultatem complecti nobis daretur, ac per otium & eloquium perſequi vacaret. Indicamus autẽ partim, partim verò veneratı prætérimus. Atq; hac prima ſui appellatione voluntatẽ facultatemq; ſuã Deus indicat: namq; ex naturæ vero redemptionis erga aliquem facultas, illi iure ac rectè conceditur & arrogatur, cui formatio eiuſdem auctoritasq; tribuitur. Quiſquis enim artifex vas quodpiam ex argento, vel auro, aut ære, aliáve materia formare nouit, & potuit: formatum iam, ſi qua parte vitiatum deprehenderit, corrigere, integrare, atq; adeò expolire ornareq; poterit. Quamobrem*

ſeſe

ſeſe Deus Iaghacobi, hoc eſt, humani generis formatorem primò vocat: vt hoc agnitus nomine, eueſtigio intelligatur ipſe ſolus redemptor habendus. Ego, *qui formaui te à principio, te quoque circa ſeculorum fines redẽptum, præſtabo. quod à me promiſſum ex eo quòd iam tu cum vniuerſo commune habes, hoc eſt, ex creationis & opificij veritate certiſſimum expectare debes. Conſentaneum enim eſt, eum, qui magnitudine immenſus, virtute ac robore infinitus atq; ſigularis eſt, ſapientia quoque valet æterna & incomparabili: quidquid vnquam velit atq; polliceatur, demùm efficere. Atq; immenſitatem ſuam ex eo declaratam Deus aſſerit, quòd extremum, hoc eſt, ſupremũ cælum cum ceteris huius ambitu contentis orbibus, tanquam pellem vel cortinam in eam, quam obtinet formam, ſolus ipſe extendens, aptauerit. Nullus enim quiſquam velum, aut pellem, aut veſtem, aut quidquam aliud vltra brachiorum ſuorum ſpacium pertendere valet: quidquid enim præterea ſupererit, vel ineptè plicabitur, vel temerè vltrò pendebit; niſi alio quoquam aſcito, qui ex altera extremi parte extenſionem adiuuet. quòd ſi id, quod velandum fuerit, ingentis eſſe contingat molis, non modò plures manus, compluraq; brachia adhiberi oportet; verùm multorum oculorum perſpicacem diligentiam: quorum proſpectione prouideatur; ne quid malè hæreat; ne rugas aut plicas aliqua ex parte contrahi accidat. Cuius adiumenti nihil ſibi opus fuiſſe Deus ait: vtpote cuius brachia & mundum complecti poſſent, & vltrà mundum etiam in immenſum pertineant ſpacũ: necnon cuius oculi vno obtutu omnia perſpiciunt. idem autem, qui magnitudine infinitus, robore quoque ac virtute dexteritateq; præſtantiſſimus declaratur: vtpote,* ſtabiliens terram, & nullus mecum. *Duo ſingularis ac diſtinctæ ſignificationis hoc loco vſurpata verba vtriuſque partis, hoc eſt, cæli ac terræ ſitum atque habitum expreſſè indicant.* NATAH, *quod prius eſt, tendere ſignificat; non in directam, verùm in curuam & ad orbem circinatam lineam, eandemq; ad motus circulares idoneam. Poſterius verò* RAKAGH, *extendere, ſiue expandere interpretari poſſumus; quale aurifices opus faciũt, cùm incude ac malleo auri vel argẽti laminam longius producentes, in lancis, aut cuiuſlibet vaſis formam coaptant: ita metallo nunc altiùs, nũc preſſiùs coacto pedem, ventrem, collum, atq; orificium ductili ac perpetuo opere conformant. Atq; ita* NATAH *in orbem,* RAKAGH *verò in varias figuras tendere philoſophicè interpretabimur. Conſtat autem cælum rotũdum, exactiſſimi orbis, vel globi potiùs perpetuam, & ſibi omni ex parte ſimilem obtinere formam: terram verò longitudine magis quàm latitudine protenſam, variè tamen habentem iacere, mõtibus, iugis, collibus, vallibus & campis diſtinctam, gignendis & fouendis, quæ in ipſa oriuntur, ſingulis rerum generibus opportunitatem præbere, ſuumq; ſitum & habitum ſeruare immobilem. Omnia quæ vno* RAKAGH *ſignificantur vocabulo. Nihil autem eorum quæ commemorauimus operum ab artifice quopiam vel ingenioſiſſimo, ſine inſtrumentis ac ſine adminiculis: & ſi maiuſculæ ſit molis opus, ſine alienæ manus ope fieri non poteſt. At verò terram Deus vni ſibi citra vllum præterea adiumentum vel inſtrumentum in eam quam ſtatam perpetuamq;*

Dei immenſitas. Cælorum extenſio.

Extenſionis ratio.

Dei virtus & dexteritas.

Cæli ac terræ ſitus.

נטה

רקע

Terræ ſitus & habitus.

petuamq́ obtinet, molis variatam formam fuiſſe vnico temporis momento paratam, atque ita perpetuò conſeruatam ait. Nam præterquam quòd verba hæc duo, quemadmodum explicando interpretamur, ſignificant: illud etiam obſeruandum commendant, quod in præſenti participio pronunciata ſunt: extendens, ſtabiliens. *atq; ita Latinum ſtabilire quoties pro* RAKAGH *redditur, non firmitudinem ſolùm, ſed certam & continentem ſuperficiei diſtinctionem: nunc prominentiis, nunc depreßionibus, anguſtiis, & amplitudinibus notabilem. atq; in hunc modum loca omnia, in quibus hoc verbum* RAKAGH *primæua lectio habet, interpretari conueniet. vt illa: Qui firmauit terram ſuper aquas. & illud: Tu forſitan cum illo fabricatus es.* SEHHAKIM, *qui ſolidißimi quaſi ære fuſi ſunt. Quod verò excipitur,* & nullus mecum. *In exemplari eſt,* MEITHI, ſine apud me. *qua formula non modò ſocius, aut comes, aut opera alia quæuis, verùm inſtrumentum & adminiculum prorſus omne apud Deum fuiſſe negatur: quippe qui ſolo verbo, Appareat arida, terram eo modo ac ſitu, quo viſitur, conſtituerit. S. S. E. Aſcendunt montes, & deſcendunt campi in locum quē fundaſti eis. Nam quanquam in principio Verbum erat apud Deum; tamen hoc quoque verum eſt, Deum ipſum eſſe Verbum: atque ita præter Deum & verbum ſuum, qui cum Patre vnum idemq́ eſt; nihil præterea aliud orbem terræ extendenti adfuiſſe, vel profuiſſe, verè dicitur. Igitur qui cælum ac terram ſolus, ac ſine vllo inſtrumento condere, extendere, & componere nouit, potuit, & compoſita præſtitit: eidem corrigere, mutare, ac renouare integrum fuerit. Significat etiam* MEITHI, ex apud me, *idem quod ex verbo meo, quod apud me eſt, præterea, nullo adhibito.*

Stabilire. Pſal. 135. Iob 37. Gen. 1. Pſal.

Irrita faciens ſigna diuinorum, & ariolos in furorem vertens: conuertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorũ ſtultam faciens.

SVPERIORI *verſu diuina immenſa virtus, & ſumma ſapientia atque præſentiſſima ac perpetua efficacitas ex cæli ac terræ opificio declarabatur: nunc ex eadem ratione eiuſdem ad rerum mutationem integritas & facultas aſſeritur, & frequenter ſpectandis exemplis confirmatur: tribus prudentiæ generibus allegatis, quæ ſæpè ſæpiùs fallere deprehenduntur. Ex iis primum eſt,* irrita faciens ſigna diuinorum. *in exemplari eſt,* ſigna BADIM. *quod nomen mendaces, vel nugaces Latinè ſignificat. Et quidem non tam grandis res eſt, mendaces irritos reddere, vt inter magna diuinæ virtutis argumenta poni debeat, atq; illis creatoris & extenſoris cæli ac terræ epithetis appoſitu digna videatur, niſi alia ſubſit arcanæ rationis obſeruatio: nam cùm mendacium nihil ſit; non magnum, imò nullum negotium fuerit irritum facere, quod ex ſe ipſo eſt irritum. At verò* diuinorũ, *quod hîc Latinè legimus, ita intelligendum eſt; vt eos interpretemur diuinos, quos aliquando veraces audimus; nonnunquam etiam deprehendimus vanos. Atq; ita integra erit interpretatio* diuinorum vanorum; *vt à Vatibus hos diſtinguamus: qui, quòd omne, quod prædicunt, ex Deo referunt, nunquam deprehenduntur vani. S. S. E. Et non cecidit vllum ex verbis eius in terram. Tria autem, præter Vates Dei, diuinatorum collegia ad triplicem*

Diuini. BADIM. 1. Reg.

plicem diſciplinam referenda celebrantur, his nominibus apud antiquos di- [Diuinatorũ collegia trix. Augures. Aſtrologi. Sapientes.] *cta*, Augurum, Aſtrologorum, *&* Sapientum, *quorum omnium artes coniecturis capiendis conſumuntur, iidemq́ ex varia rerum petendis obſeruatione. Signa, quæ ſub cælo eduntur, Augurum: Aſtrorum ac ſyderum concurſus & aſpectus, Aſtrologorum: Temporum atq; naturalium cauſarum & exemplorum hiſtoriarumq́ notitia, Philoſophantium, qui hîc ſa-*pientes *vocantur, materia ſunt. Et quidem iſtorum diſciplinæ atque artes dum modò rectè tradantur, ſua ſponte probabiles atq; rationabiles videtur: vtpote quæ ex diligente & frequente antecedentium & præſentium atque euentuum concordi obſeruatione ductæ ac traditæ, & conſimilibus experimentis fuerint comprobatæ. Verùm enimuerò tametſi res ita habeat, vt antecedentibus poſitis, conſequentia eueſtigio prænoſci poſſint: quia tamen hæc impediuntur atq; mutantur, euenit non rarò, vt iſtorum artificum ſiue collegarum prædictiones fefelliſſe notentur. Nam qui cauſas ipſas ſolus & ſi-* [Deus manentibus cauſis euẽta impedire valet.] *ne vlla ope effecit, idem effecta & euenta, manentibus etiam cauſis præripere ac ſubducere valet: quod vbi contingat, non ad artis culpam, quæ naturalibus nitebatur fundamentis; nec ad artificum, qui modò rectè ac ritè egerint inſcitiam: ſed ad diuinam voluntatem & virtutem varietas illa fuerit referenda. Atque hoc ſenſu intelligimus & interpretamur*, irrita faciens ſigna diuinorum vanorũ, *id eſt, Ego ſum qui iſtorum ſigna irrita facio. ex quo euenit, vt illi diuini mendaces dicantur, ſiue vani. & idem qui ha-*riolos in furorem verto, *inſanire coactos, ex eo quòd, quæ rectiſſimè ſibi ſubducta aſtrorum tenent momenta, carere tamen euentu, & ab aliorũ obſeruatione aſsidua deſciſcere videntes, turbet admiratio. Nec diſsimiles quoque illi experiuntur exitus, qui ex cauſarum cognitione prædicentes euenta, atq; ex exemplorum notitia præteritorũ futura coniectati, de publicis ac priuatis conſulunt rebus. Hæc ſententiæ ſumma eſt; qua Deus, ſicuti* [Prouidentia.] *conditi orbis liber auctor & conſeruator conſtat: ita quoque temporũ vnicus pro arbitrio moderator declaratur: cui nec vllam natura neceſsitatem præſcribat, nec vllum artium aut diſciplinarum genus legem ſtatuat; quo minùs pro ſapientiæ, iuſtitiæ, benignitatis, ac virtutis ſuæ adorando numine omnia pareant & obſequantur. Atq; ita illud certum conſtansq́ ſtatuitur, Diuinam voluntatem de publicæ hominum ſalutis præſtando promiſſo nulla naturæ vi, nulla hominum arte, conſultatione, aut opera impediri vel retineri poſſe. Iam verò propoſitionis huius verba non ſine compendio expendemus.* Irrita faciens MAPHER OTHOTH. *Verbum* PVR *id quod* [Pvr.] *certum cuiquam fuerit, quominus efficiatur, impediri ſignificat; proprieq́ vſurpatur in lege atq; exceptionibus de voto, & voti fide. Vxor in domo vi-* [Leuit. 30.] *ri cùm ſe voto conſtrinxerit & iuramento, ſi audierit vir, & tacuerit, nec* " *contradixerit ſponſioni, reddet quodcunque promiſerat: ſin autem extemplo* " *contradixerit, non tenebitur ſponſionis rea. Vtrumque verbum Latinum,* " *contradixerit, ex antiquo* PVR *verſum eſt. pro quo hic & aliàs pluribus* [Cõtradicere.] *locis Latinus interpres noſter* irritum facere *&* irritare. *quod efficien-* [Irritũ facere.] *tiam ſpectat.* BADIM, *mendaces dicuntur, præcipuè hi qui aliquid animo* [BADIM.]

NNN *agi-*

agitant, ac deinde pronunciant: quod cùm non eueniat, vel ſecus accidat, va-
Neem.6. *nitatis notantur. Cuius exemplum: Non eſt factum ſecundùm verba hæc,*
» *quæ tu loqueris: de corde enim tuo tu componis hoc.* MILIBECHA ATHAH BODEAM. *Itaq;* BODE *is dicitur, qui aliter atq; res declarat, pronũciarit.*

Arioli. KOZZEMIM. Aſtrologorũ & aſtrorum auctoritas.

Ariolos, KOZZEMIM; *quicunque ſignis, figuris, aut aliis inſtrumentis ad prædictiones vtuntur: inter quos primas tenent aſtrologi, vtpote ſublimiorem tractantes naturam, ſtellarum & aſtrorũ, inquam; quibus vulgus cum philoſophorũ etiam ducibus inferiorem orbem prorſus volũt eſſe obnoxium.*

Chaldæis ſed maior erit fiducia: quidquid
Dixerit Aſtrologus, credent à fronte relatum
Hamonis; quoniam Delphis oracula ceſſant,
Et genus humanum damnat caligo futuri.

Hos inſanos haberi diuinæ prouidentiæ libertas facit, tum commodis, quæ ab iſto grege promittuntur, detrahendis; tum verò incommodis contra pellendis præter iſtorum prognoſticationes.

Sapientes. HHACHAMIM.

Sapientes HHACHAMIM, *qui cauſas, euenta, antecedentia, & conſequentia componunt: deinde exempla concinnant, ex quibus etiam in futurum pronunciant. quæ omnia cùm præter ſententiam turbantur, ſcientiæ laudem in ſtultitiæ vertunt notam; & profeſſores ipſos, qui primos, ac duces agere in rerum cognitione ac gubernatione ſtudebant; poſtremos, ac ridendos exhibent. Atq; ita euenit, vt nec naturæ, nec arti diuinum ac neceſſarium quicquam, vel perpetuum cenſeatur tribuendum propter diuinæ prouidentiæ maieſtatem atq; præſtantiam: cui vni ſapientiam, virtutem, veritatem, atq; auctoritatem omnem, vt propriam oporteat adſcribi. vtpote qui ſolus ſit.*

Suſcitans verbum ſerui ſui, & conſilium nunciorum complens.

INTER *diuinam & humanam prudentiam ac prædictionem quid diſcrepet, hoc verſu exponit. quod, inquit, inter auctorem, & rem ab auctore factam, & gubernandam; & inter coniecturas & firmiſſimã veritatem.*

Inter auctorem & opus quid interſit. Prædictionis diuinæ præſtantia.

Namq; auctor ab opere non pendet, ſed opus, id quod eſt, auctori debet; à quo & corrigi, & mutari, vel impediri nihil obſtat. Summa etiam veritas, vt ſua ſponte conſtantiſſima, ita nulli coniecturæ comparanda; nullis, quamquam primis & proximis, atq; immediatis euentorum cauſis componenda, quòd illa inuertere, aut impedire nullis vel virtutis, vel naturæ ſit alterius; nec irrita vllo modo fieri auctoris diuina ſimplicitas ac maieſtas patiatur. Ex quo fit, vt ea tantùm veriſſima doctrina euadat, quæ diuinitùs dictata,

Vatum argumenta.

per Vates atq; Dei nuncios & Apoſtolos fuerit pronunciata. Vatum autem ſermo omnis in duo diuiditur argumentorum genera. alterum quidẽ rerum à Deo promiſſarum, vel prædictarum: harum quidem in correctionem, caſtigationem, vel pœnam criminum; illarum verò in veritatem, & conſtantiam beneficiorum Dei erga homines. Alterum verò conſiliorum per Vates dandorum, vel ad diuinam placandam iram, ac miſericordiam conciliandam; vel ad liberalitatis gratiam poſtulandam, ac ſolicitandam. De prioris generis veritate dicit, Suſcitans verbum ſerui ſui [*Vatis à ſe instructi*]

Vatũ cõſilia.

de poſteriore verò, & conſilium nunciorum ſuorum complens. *Nam*

quid-

quidquid conſulentibus Vatibus à populo, vel à conſultore quouis ritè actũ fuerit, id non fruſtrà ſuſceptum, me præſtante probabitur. At verò Deus nullum vel conſilium, vel monitum, nullum cuiuſpiam hominis reſponſum, vel apertam & ſingularem rationem ſignificationémve præferre, vel certi exitus immutabili veritate commendari, præter ea quæ, ſe auctore, per Vates fuerint prænunciata. id quod tum præteritis, tum præſentibus exemplis aſſeuerare Deus pergit. Namque vt ea quæ hactenus Iaghacobo & Iſraeli ſecundùm carnem contigerant, omnia priùs diuinis fuerant prædicta reſponſis: ita quæ nunc e veſtigio prædicere Vatem iubet ſuum, non modò argumento ipſo, verùm etiam rerũ, perſonarum, ac locorũ circũſtantiis & modis quoq. ſingulariter deſcribendis, & nominatim appellandis indicari mãdat.

Qui dico Ieruſalem Habitaberis, & ciuitatibus Iudæ, Ædificabimini, & deſerta eius ſuſcitabo.

Quæcunque tempori non ſimul, ſed certis momentis edenda committuntur, Deo tam certa conſtare, quàm quæ præſentiſſima, multis argumentis oſtenſum eſt. Cuius rei documento Vates fidem faciunt, vel ex eo quòd ipſis, quæ longè pòſt edenda fuerint, communicata & mandata prædicendi, exponendi, & nominatim pronunciandi nulla dubitatio moram vel tarditatem attulerit. Qua fiducia effectum eſt, vt Solymos Solymorumq. cultores, quos propria culpa damnatos, Babylonio imperatori diuina deſtinauerat iuſtitia, ex diuinæ miſericordiæ beneficio reſtitutum iri polliceatur per Vatem Deus: nec id in commune tantùm præfari iubeat, ſed reſtitutionis quoque tempus, modum, atq. miniſtrum ſingillatim dictet. Namq. inter huius vaticinij & veritatis atq. euentus tempus ducenti, vt minimum interceſſere anni. non ſecus tamen rei totius gerendæ pronunciata prædictio fuit, atq. iam peractæ recitare potuiſſet hiſtoria: hoc itaque auctoritatis & veritatis fundamento iacto, non minùs certa in futurum, quàm in præſens reſponſa Vatibus dictare ſe ſuis ait; vtpote qui præſenti tempore dicit Ieruſalem, *id quod in poſterum ſperandum fuerit*, Habitaberis. *vt nunc verè dico, ita verè etiam promitto*, Habitaberis. *Atqui tunc habitabatur, verùm de alia habitatione promiſſum fieri, nempe ea, quæ non longè poſt cladem atque vaſtationem iam prædictam, rurſus expectanda erat, quæq. hic etiam ex conſequenti ſignificatur.* Ciuitatibus Iudæ, *quæ iam tum dirutæ iacebant, cùm hæc per Vatem agerentur*, ædificabimini, & deſerta eius ſuſcitabo. *Namq. Ezechiæ temporibus, vti ſuperiùs intelleximus, paucæ admodum Iudææ vrbes vnà cum Ieroſolymis ab Aſſyriorum ſtrage ſuperetant. Et quidem Vates alij Ieroſolymam ſua iam tempeſtate dirutam, reſtitutum iri prædixere, vt Ieremias, Ezechiel, & Daniel, quam tamen adhuc ſuperſtitem Iſaias appellat. Hanc verò Solymorum ac Iudææ reſtitutionem certo tempore poſt certa, quæ antceſſerint, maximarum rerum detrimenta, inuerſiones, & minorum aliarum incrementa & amplificationes præſtitum iri, figurato ſermone, qui Vatibus eſt ſolennis ac frequens, indicat.*

Qui dico profundo, Deſolare, & flumina tua areſaciam.

Ieroſolymorum reſtitutionum duo maximè inſignes humanarum conuerſio-

Babylon. *uerſiones rerum præceſſuræ, per Vatem noſtrum denunciantur, Babylonici*
imperij horribilis & repentinus caſus, & in Perſas tranſlati inopinata fe-
licitas. Profundum *autem hoc loco Babylon appellatur, non modò propter*
altiſſimi Euphratis fluuij aquas: verùm etiam propter immẽſas hominum,
quas capiebat & alebat, copias. quas omnes prorſus fuſum, diſſipatum atq;
abolitum iri prædicit. Et flumina tua arefaciam. *turmas equitum, pedi-*
tum, phalanges, & ordines omnes bellicos intelligit; quos canalibus ab Eu-
phrate deductis ac diductis nomine ac multitudine cõponit. horumq; exitio
Perſarum regnũ Cyri felicitate quàm citiſſimè amplificandum ſubiungit.

Qui dico Cyro, Paſtor meus es, & omnem voluntatem meam
complebis.

Duas maximas, ac præcipuè inſignes iam tum prædicendas dictabat res
Deus: Babylonici regni propter impietatem exitium, & Iudæorum liber-
tatem, atq; in patriam reditum ex Babylonienſi captiuitate. vtramque verò
Perſarum regis miniſterio & opera præſtandam adornabat; &, quod ad-
mirandam vaticinio conciliaret auctoritatem, appellandum tanto tempore
antè ſuggerebat nomen, quod non ſemel fuit à Vate repetitum: idem, inquã,
ipſum nomen, quod tanto poſt interuallo temporis, nempe duabus, & eo am-
pliùs interiectis ætatibus, puero apud Perſas nato & educato impoſitum ce-
leberrimo in orbe terrarum euaſit, propter maximam in rebus gerendis, à
Deo conceſſam felicitatem. Ita euentis cum prædictione omni prorſus qua-
drantibus; vt vel hoc vno argumento eidem ipſi, atq; ſuis cunctis, & aliis
Iſraeliticæ religionis veritas. *etiam gentibus Iſraeliticæ religionis veritas & auctoritas conſtiterit. Eſt*
autem in hac nominis appellatione non leue aut ſimplex, ſed grauiſſimũ ad
duplex myſterium: cùm historiæ hominis eius, qui primus ita vocatus eſt;
tum verò ſalutis publicæ per alterum, cuius ille imaginem ſpectatorũ ſenſi-
bus repræſentabat. Atq; arcani huius ratio aliqua ex parte nobis aperien-
CYRI appellati myſteriũ CHORES. *da eſt, initio à nominis tum ſono, tum ſignificatione ducto. Nam qui Lati-*
Conſonantium literarũ in veteribus linguis ratio. *nis* Cyrus *dictus eſt, in ſacris lectionibus* CHORES *appellatur. quo nomine*
tres fundamentales tenemus literas conſonantes, CH, R, S. *Namque, vt in*
Sacro apparatu & alibi etiam docuimus, præcipua conſonantium in anti-
quis linguis, & in aliis item habenda ratio eſt. atque ex omni numero tres
præſertim obſeruandæ, quibus nominis aut verbi tribuitur fundamentum.
Verùm hoc poſteriore diſſeremus loco, vbi de primæua vocabuli huius im-
Cyri nomen quid ſignificat. *poſitione ac ſignificatione egerimus.* CORES, *ſiue* CHORES, *Perſicæ ſigni-*
ficationis vocabulum eſſe: atq; in illa lingua canem ſignificare dicitur. cuius
nominis viro illi indendi cauſam ex Græcis & Latinis auctoribus quiſ-
quis volet, poterit petere. certè conſtat diuinam præceſſiſſe prædictionem.
Canum cuſtodia. *Canibus autem in gregum armentorumq; cura & cuſtodia plurimam lau-*
dis partem arrogari, nemo eſt qui neſciat: ſiquidem nec à feris tutum, nec
ritè ductum, nec ſecurum degere pecus, cui canum deſit cuſtodia, manifeſto
manifeſtius eſt. Quamobrẽ, amplificata nominũ tranſlatione, canes etiam
Paſtores canes dicti. *paſtores vocari vulgò ferè omnes apud nationes audimus; & iidem gregem*
quem comitantur, regere, & paſcere dicuntur. Inde vſus obtinuit vt ſacer-
dotes,

dotes, magiſtratus, atq; Vates, & quicunque docendi vel gubernandi fun-guntur munere, canes appellentur: pro officij facti, vel requiſiti ratione in-terdum laudati, reprehenſi nonnunquam. Cuius appellationis non modò exemplum, ſed explicationem quoque hic idem nobis præbuit Iſaias. Specu-latores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi; canes muti, non valentes latra-re, videntes vana, dormientes & amantes ſomnia: & canes impudentiſſi-mi, neſcierunt ſaturitatem: ipſi [met] paſtores ignorauerũt intelligentiam. His de canum vſu expoſitis, atq; de nomine Chores *indicatis, oraculi huius apertior ſit ſententia,* Qui dico Cyro, Paſtor meus es, & omnem vo-luntatem meam complebis. *Siquidem quæ illis in ſeculis efficienda vo-luerat decreuerat q; Deus de Babylonici imperij excidio, de Solymorum re-ſtitutione, atque de templi reædificatione, huius paſtoris Cyri auctoritate, & edicto, atq; etiam ſumptibus expedita ſunt.*

Canes, magiſtratus & doctores.

Iſaiæ 56.

Qui dico Ieruſalem, Ædificaberis: & templo, Fundaberis.

Cùm hoc reſponſum per Iſaiam pronunciabatur, adhuc antiqua illa cum ſuo primo templo manebat Ieruſalem; quæ, cùm ædificanda & fundanda prædicerentur, dirutionem priùs expertum iri monebantur.

Atque, quamquam ea, quæ de Cyro ex hiſtoriæ ſacræ ſignificationibus breuiùs referimus, ad huius, quem commentamur apud Vatem noſtrũ ſer-monis explicationem ſatis videbantur futura: tamen, quoniam ex hac ipſa, quam primam & veriſſimam ducimus & agnoſcimus, ſacrarũ lectionum fide, non parum lucis allaturi videmur ad dignoſcendam inter Græcos præ-cipuè auctores, qui de rege illo aliquid conſcripſere, genuinam veritatem (dum quidquid ab hoc verè Lydio lapide arguetur, inter incerta & obſcura cenſendum auctorum vel ignorationi, vel inuidiæ, vel alij cuipiam priuato ſtudio adſcribatur) ſummatim etiam quæ Græci ſcriptores de Cyri nomi-ne ac rebus tradidere, hîc adſcribimus.

Cyri hiſtoria ex Græcis.

Cyrum Herodotus Cambyſis, non quidem regis, ſed nobilis domo Perſæ, & Mandanes Aſtyagis filiæ regis Medorum (ſub quorum imperio tunc Perſæ) fuiſſe filium ſcribit, & ab auo ſomniis, quæ regnaturum ex filia ne-potem Magi interpretabantur, perterrito, & Medorum imperio cauente Harpago cuidam occidendum datum, à Mitradatis bubulci regij vxore Spaco Perſicè, Græcè κυνὼ, id eſt, canis dicta, clàm pro filio enutritum, alio quopiam nomine impoſito: nam poſteà agnito Cyro nomen factum ex aui Paterni videlicet nomine. Parentes Cyri ex nominis nutricis occaſione, quo filij ſeruati ſalus numinis ſingulari prouidentiæ à Perſis tribueretur, cum ſermonem in vulgus dederunt, quaſi expoſitus Cyrus à cane foret lactatus. Cuius certè rei maior ac peruulgatior inter Græcos fama eſt. Expoſitum quidem Cyrum non ſolùm Herodotus, cuius minor apud quoſdam fides, ſed & Iſocrates orator ſcribit. ἔτι τοίνυν Κῦρος (ἵνα μνησθῶμεν καὶ τῶν βαρβά-ρων) ἐκ τεθεὶς μὲν ὑπὸ τῆς μητρὸς εἰς τὴν ὁδὸν, ἀναιρεθεὶς δ' ὑπὸ περσίδος γυναικὸς, εἰς τοσαύτην ἦλθε μεταβολὴν, ὥσθ' ἁπάσης τῆς ἀσίας γένεσθαι δεσ-πότης. id eſt, Præterea Cyrus (vt & barbarorũ mentionẽ faciamus) à matre expoſitus in via, à Perſide verò muliere ſublatus, tanta fortunæ eſt vſus muta-tione, vt totius Aſiæ euaſerit dominus.

Herodot. κλεῖῶ id eſt, lib. 1.

Oratione ad Philippum.

Addit Herodotus, Cyrum virum factum Perſas ciues à Medorum ſeruitute liberaſſe; quos Medos ſibi ac Perſis ſeruire coëgiſſe, atque reliquam Aſiam Ægyptum vſque in ſuam redegiſſe poteſtatem, Babylone præcipue expugnata: tandem à Maſſagetarum Regina Tomyri prælio ſuperatum, & occiſum. quam reginam & Cyri caput amputatum, in vtrem ſanguine plenum, conieciſſe narrat. Cteſiæ (vti ex ipſius ſcriptis Photius exſcripſit) in multis non conuenit cum Herodoto: qui & Cyrum aduerſus Derbicas pugnantem ait interemptum: nominis autem illam, cùm de poſteriore Cyro ageret, retulit rationem. τιθέται [ἡ μητὴρ] τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ ἡλίου κῦρον. id eſt, Nomen illi [mater] imponit à ſole Cyrum. *nempe ſolem Perſicè Cyrum vocari ait. Atqui Cteſias hic Artaxerxis Perſarum regis medicus fuit, & Perſicũ ſermonẽ ignoraſſe minimè credendus. Tamen & alias referunt etymologias.* Κῦρος ἀπὸ τοῦ ὑπὸ κυνὸς τεθράφθαι, ἢ ἀπὸ τοῦ ἡλίου· τὸν γὰρ ἥλιον οἱ Πέρσαι κῦρον λέγουσιν. ἄλλοι βόθυνον. Cyrus, quòd à cane fuerit nutritus, vel à ſole: namque ſolem Perſæ Cyrum dicunt. *alij*, foueam [*ſignificari aiunt voce iſta.*] *Videlicet & canem, & ſolem, & foueam Perſica hæc vox ſignificare dicitur. Eſt & eiuſdẽ nominis fluuius in Perſide, à quo magnum hunc regem nomen mutuaſſe Strabo ſcripſit, cùm prius Agradates diceretur. Sed & Suidas Cyrum ab imperio dictum putat, Græca ſcilicet etymologia. Xenopho magnus auctor* Κύρου παιδείας *octo libris ſcriptis, Cyri indolem, educationem, ingenium, mores, ſtudia, & imperij rationem mirè celebrat, ac ferè canit: eorundem parentum ſcribit filium, ſed Cambyſem patrem Perſiæ regem appellat; nec expoſitum vnquam Cyrum, ſed liberaliſſimè educatum; Cyaxaris Medorum regis (qui Aſtyagis filius fuerit, & ſucceſſor) filiam duxiſſe, & dotis nomine Medorum regnum; reliquam Aſiam bello, & nominis celebritate deuiciſſe: atque de ipſius regno multa ſcribit his ſimilia.* Ὅτι μὲν δὴ καλλίστη καὶ μεγίστη τῶν ἐν τῇ ἀσίᾳ ἡ τοῦ κύρου βασιλεία ἐγένετο, αὐτὴ ἑαυτῇ μαρτυρεῖ. ὡρίσθη μὲν πρὸς ἕω τῇ ἐρυθρᾷ θαλάττῃ, πρὸς ἄρκτον δὲ τῷ εὐξείνῳ πόντῳ, πρὸς ἑσπέραν δὲ κύπρῳ καὶ αἰγύπτῳ, πρὸς μεσημβρίαν δ᾽ αἰθιοπίᾳ. τοσαύτη δὴ γενομένη μίᾳ γνώμῃ τῇ κύρου ἐκυβερνᾶτο. καὶ ἐκεῖνός τε τοὺς ὑφ᾽ ἑαυτῷ ὥσπερ ἑαυτοῦ παῖδας ἐτίμα τε καὶ ἐθεράπευε: οἵ τε ἀρχόμενοι κῦρον ὡς πατέρα ἐσέβοντο. id eſt, Atque maximum quidem pulcherrimumque omnium, quę in Aſia vnquam fuerint, Cyri regnum fuiſſe, ipſum ſibi teſtimonio eſt. Fines quidẽ habuit, ad Orientem mare rubrum, ad Aquilonem Pontem Euxinum, ad Occidentẽ Cyprum & Ægyptum, ad Meridiem verò Æthiopiam. Cumque ea eſſet magnitudine, vnico Cyri conſilio regebatur. Ipſeque, quos ſub imperio habebat, filiorum honore & cultu proſequebatur: ij verò vt patrem Cyrum reuerebantur. *Demùm domi atq; in lecto occubuiſſe ait. Certè ſeptuagenarius obiiſſe à probatiſſimis narratur ſcriptoribus: namque quadrageſimo ætatis anno regnare cœpiſſe, triginta annos regnaſſe, ipſiusq; regni annum primum eundem Olympiadis* LV. *primum eſſe.*

Heſychius in lexico.

Lib. 15.

Xenopho κυρ. παιδ. lib. 8.

Cicero de diuinat. lib. 1. Ioſ Scalig de emẽd. temp. lib. v.

De minoribus Cyri initiis conſtantior fama Herodoto fauet. Plato in Menexeno. ὧν ὁ μὲν πρῶτος κῦρος, ἐλευθερώσας τοὺς αὐτοῦ πολίτας τοῦ αὐτοῦ φρονήματι, ἅμα καὶ τοὺς δεσπότας μήδους ἐδουλώσατο, καὶ τῆς ἄλλης ἀσίας

Vide Iuſtinũ Trogi abbreuiatos. lib. 1.

ἀσίας μέχρις αἰγύπτου ἦρξεν. id eſt, Quorum [Perſiæ regum] primus Cyrus, ciuibus ſuis animi magnitudine liberatis, vnà etiam & dominos Medos in ſeruitutẽ redegit, & reliquã Aſiam, vſq; ad Ægyptũ, ſuo imperio ſubiecit. *Atque nominis celebritatem nulli regum Cyro maiorem apud Græcos fuiſſe, Iſocrates confirmat: Namq; hunc, ait,* οἱ πλεῖστοι καὶ μάλιστα θαυμάζουσιν. Id eſt, Maximo & apud plures in honore eſt.

Plato de Cyri diſciplina conſultò (vti arbitrantur) Xenophonti condiſcipulo contrarius, Cyrum ἀγαθὸν *quidem* στρατηγὸν *dicit* καὶ φιλόπολιν, παιδείας δ᾽ ὀρθῆς οὐχ᾽ ἧφθαι τὸ παράπαν, οἰκονομίᾳ τε οὐδὲν τὸν νοῦν προσεσχηκέναι. Bonum ducem, & patriæ amantẽ: cæterùm rectam inſtitutionem nullo modo attigiſſe, nec ad familiarem gubernationem animum adieciſſe. *Cùm enim, ait, filiis ſuis ipſe pater oues boueſq;, & virorum magnas turmas comparare negotium ſumſiſſet; ipſos interim filios mulieribus praua educatione corrumpendos permiſit: nec paternam artem, id eſt, ſuam ipſius, quæ Perſarum communis ars eſt, docendos curauit. Eſt autem Perſica ars paſtoritia,* ποιμένων *(inquit Plato)* ὄντων περσῶν τραχείας χώρας ἐκγόνων, σκληρὰν καὶ ἱκανὴν ποιμένας ἀπεργάζεσθαι μάλα ἰσχυρούς, καὶ δυναμένους θυραυλεῖν, καὶ ἀγρυπνεῖν, καὶ, εἰ στρατεύεσθαι δέοι, στρατεύεσθαι. Quippe cùm paſtores ſint Perſæ, & aſperæ regionis ſoboles, quę & dura ſit, & paſtores præſtare valdè fortes valeat, quique ſub dio poſſint pernoctare, & ſomno facilè carere, atque, ſi oporteat, militare. *Atque hoc de Cyri arte paſtoritia propter Vatem noſtrum, apud quem* paſtorem *ſuum Deus Cyrum vocat, annotatu dignum.* De legib. lib. 3.

CAPVT XLV.

HÆc dicit Dominus chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt ſubiiciam ante faciem eius gentes, & dorſa regum vertam: & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur.

DE *Cyri ſiue* CHORES *nomine & ſignificatione, quatenus ea ad Perſæ illius hiſtoriam faciunt, diximus: res autem poſtulat vt de eiuſdem nominis elementis, ac de Chriſti ſiue* MESSIAH *vocabulo nonnihil adnotemus. Certè videtur nobis hoc loco Deus vocis vnius multiplicem rationem diuerſis in linguis comprehenſam, ſacræ & primæuæ myſterio linguæ coniungendam atq; explicandam Vati noſtro dictaſſe. Nam* CHORES, *vti iam diximus, Perſicum vocabulum eſt: cuius tres præcipuæ & fundamentales literæ apud Græcos ſummota verbalibus quibuſdam paſſiuæ ſignificationis nominibus communi terminatione* ΤΟΣ, CHRISTI *nomen præſtant (vocalium enim mutatio nihil ex verborum deterit origine) Vnde ex* Χ Ρ Σ, *&* ΧΟΡΕΣ, *Cyrus, &* ΧΡΙΣ *fit (cui* ΤΟΣ *adiunctũ,* ΧΡΙΣΤΟΣ *efficit)* ΧΑΡΙΣ *etiam &* ΧΑΡΙΣΜΑ *fiunt: quorum interpretationes, Vnctus, Gratia, Donum. Chriſtus autem nomen à* χρίω *deductum, Vnctus & litus Latinè dicitur, maximéque affine eſt verbo* χαρίζομαι, *quod gratis donare, amanter dare ſignificat: vnde* χάριν *&* χάρισμα *[gratiam ac donum] dicimus. Tres illo tempore videntur celeberrimæ fuiſſe in* Chores. ΧΡΙΣΤΟΣ. χάρις. χάρισμα.

orbe

Linguæ quondam celeberrimæ.

orbe linguæ, Perſica propter imperij maieſtatem; Græca propter propriam elegantiam; atq; Europæ etiam partis, in qua vigebat, frequentiam. & antiquiſſima omnium Chananæa, quam Iudaicam vates hic appellat. Voluit autem Deus eiuſdem vocis duabus in linguis vſurpatæ rationem in vnius

MESSIAH vnctus.

tertiæ Iudaicæ interpretatione conciliari, hoc eſt, in MESSIAHH nomine, quod Latinè Vnctum dicimus. atque ita & nominis ratio, & eorum quæ nominis ratione velantur, myſteria Cyro verè, non tamen exactè atque ab-

Chriſti nomen & ratio quomodo Cyro, quomodo Ieſu Domino cōueniat.

ſolutè, ſed tanquam imagini arrogantur; IESV autem Chriſto perfectiſſimè tribuuntur. vtpote qui omnia, quæ Cyrus vel imperio, vel auctoritate ac potentia vel edicto geſſit, ipſe propria virtute, perſona & efficacitate obiuit & conſummauit: quamobrē ita de Cyro Perſa explicanda hæc fuerint, vt ad Chriſtum cæleſtem pertinere exactiſſimè intelligamus. Id quod per Vatem Deus opportunè curauit ſignificandum, nobisq; indicare concedet.

MESSIAH, ſiue Chriſti nominis ratio & vſus.

Sed operæpretium quoque fuerit de voce MESSIAHH, pro qua interpretes Chriſtum reddunt, nonnihil præfari. Et quidem ſacra ſcripta attentius legentibus & obſeruantibus MESSIAHH, ſiue nomen, ſiue participium paſſiuum Grammatici eſſe velint, ad auctoritatem & facultatem magis quàm ad corpoream quampiam, & materialem refertur vnctionem. Nam quamquam ex verbo MASSAH, quod Latinis vngere ſignificat, ritè deducatur: & quamquam Iſraelitarum reges nonnulli, vt Saul ac Dauid, oleo inuncti, ex eoq; MESSIAH dicti narrentur; non tamen omnes alios, de quibus idem verbum vſurpatū legimus, oleo reperimus inunctos: verùm enimuerò auctos omnes atq; ad aliquid vltrà communem aliorum hominum facultatem & vſitata exempla gerendum vel faciendum diuinitùs promotos. Arbitramur autem vocabuli huius rationem ab Iſraeliticorum regum more ac ritu fuiſſe etiam ad reges alios appellandos amplificatum: nec ad reges tantummodo, ſed ad Vates quoque aliosq; delectos, diuinoq; munere auctos mini-

3 Reg. 19.

ſtros. S. S. E. Et ait Dominus ad eum, Vade, & reuertere in viam tuam
» per deſertū in Damaſcum: cumq; perueneris illuc, vnges Hazaelem regem
» ſuper Syriam, & Iehu filium Namſi vnges regem ſuper Iſrael, Eliſeum au-
» tem filium Saphat, qui eſt de Abelmeula, vnges Prophetam pro te. quos tamen non reperimus oleo ſancto inunctos, verùm cæleſti virtute, Vate Elia procurante ac præſente, auctos: atq; ad res gerendas idoneos redditos intelligimus, verbo iam ab externa olei ad internā ſpiritus atq; efficacitatis vn-

Olei vis.

ctionem tranſlato; propter ſimilitudinem penetrationis oliui, cuius vis ad

Pſal.

oſſium vſque pertingit medullas. S.S.E. Et intrauit ſicut aqua in interiora
» eius: & ſicut oleum in oſſibus eius. Itaque quemcunque diuinitùs agendi ſpiritu auctum MESSIAH dici poſſe non inficiamur: atq; hoc iure Cyrum hic à Deo Meſſiam, id eſt, Chriſtum ſuum appellatum accipimus. Verùm enimuerò nulli vnquam hominum id nominis ac rationis veræq; ſignificationis æquè, imò nec ſecundo, nec tertio, quartóve competere poſſe loco, cum Ieſu Nazareno affirmamus: qui non elementari oleo, ſed cæleſti ac diuino

Ieſu Chriſti vnctio.

multiplici, efficaciſſimoq; ſpiritu inunctus, ad omnē Dei voluntatem præſtandam amplificatus prædicatur: ideoq; Chriſtus Domini antonomaticῶs,

vltrà

vltrà omne prorſus non hominum tantùm, ſed Angelorum ſublimiorumq́;
ſpirituum exemplum audire digniſsimus. S. S. E. Dilexiſti iuſtitiam, & PSA.
odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Dominus Deus tuus oleo lætitiæ præ "
participibus tuis. Tanto ſuperior Angelis factus, quanto præ illis excellen- HEB.
tius nomen hæreditauit: cui enim aliquando Angelorum dixit, Filius meus "
es tu, ego hodie genuì te? Id verò dignitatis nominis ac tituli Ieſu homi- "
ni ac Deo Chriſto appellato conuenire, & ad amuſsim quadrare credimus,
ac fatemur: ceteris autem ex certæ cuiuſpiam communicationis diuinitùs
conceſſo, ſiue priuilegio, ſiue iure quod quidem donum compluribus elocutio-
nis tropis ac tranſlationibus pronunciare ſolent Vates. vt hîc de Cyro vtro-
que Perſa, inquam, & cæleſti præcipuè. Cuius apprehendi dexteram.
Primæuum verbum HEHHEZAKTHI, *apprehendere ac roborare offirma-*
req́; ſignificat. Atq; ita Cyrum non deductum tantùm, ſed virtutis ac for-
titudinis dexteritatisq́; ſpiritu auctum intelligimus; idq́; duplicis efficien-
tiæ cauſa: alterius nempe vlciſcendæ ac vindicandæ impietatis gentiũ, qui-
bus id parabatur iudicium; alterius verò liberandi ex Babylonienſi oppreſ-
ſione ac ſeruitute populi Iudaici, reſtituendæ Solymorũ vrbis, ac templi re-
ponendi ſancti: quæ omnia præſtantiſsimè olim effecturus alter ille CHRS
prædicebatur etiam. vt ſubiiciam ante faciem eius gentes, & dorſa re-
gum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur.

Humanæ fortitudinis ratio omnis tribus conſtat partibus: quæ cui conti- Fortitudinis humanæ
gerint, vel principi vel regioni. ſimul omnes, potentiæ fama ſolet arrogari. partes.
Namq; vel vna quæpiam ex illis in laude & fiducia ponitur. Illæ verò ſunt
militum ac bellatorum copioſi exercitus, principum atq; ducum virtus, ani-
moſitas ac dexteritas: poſtrema autem locorum præſidiorumq́; prudenter,
pro temporum vſu, ad propugnationem inſtructa munitio. Quibus omni-
bus contemnendis & ſuperandis Cyrum ſuum idoneum ac promptum ſibi
præſtitum iri Deus declarat. quod enim ad copias attinet, vt ſubiiciã ante
faciem eius gentes. *Primæuum verbum* LERAD ad deſcendendum.
Nam qui ſubiiciuntur, deſcendere dicuntur, hoc eſt, non erecto, ſed flexo
corpore victoris imperium ſubire ſolent. vt ille deſcribebat,

Ius imperiúmque Phraates Horat. 1. Epiſt.
Cæſaris accepit genibus minor.

Quod verò ad principum robur & animum, dorſa regum vertam. *Sen-*
tentiam retulit interpres. ex verbo enim ita ſonat. & lumbos regum ape- In lumbis firmitudo.
riam. *Firmitudinis namque ſedes in lumbis ponitur, quamquam origo ex*
corde ſit; & qui firmiſsimi deſcribuntur, accincti lumbos dicuntur in ſa- Accincti lumbos.
cris: contrà verò ſoluti, ſiue aperti lumbis, imbelles, ignaui, vel timidi, & Soluti lũbis.
ad fugiendum comparati. Supereſt verò tertia de munitionibus pars. &
aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudentur. *Quamquam pu-*
gnare ac mutuò obſiſtere ſententia videatur, tamen apprimè ſequax eſt, at-
que vti temporibus, ita ratione diuiditur. Initiò enim quæcunq; aduenieñte
Cyro clauſæ; & ad propugnationem comparatæ ac munitæ offenderentur,
victori tamen & expugnatori apertum iri prædicuntur; deinceps verò

viri virtute, felicitate, ac potentia cognita, ceteras vrbes, arces & caſtella, præſidiaq; omnia vltrò deditionem pacta, nunquam claudendis, verùm patentibus perpetuò portis, venientes principes, vel maieſtatem, vel mandata exceptum ire prædicuntur. Namq; Babylonis primò captæ, & ianuis ac valuis apertis, ſubita fama hoc deditionis conſilium cæteris ſuaſura fuerat ciuitatibus & præſidiis. Atq; hæc omnia ex manifeſto iam felicitatis exemplo, principi illi euentura prænunciantur; præcipuè cùm certum exploratumq; fuerit; ita contigiſſe omnia, vt reſponſis diuinis fuerant prædicta; pauore omnibus gentibus & populis, ac ſententia iam conſtante, fruſtra obſiſti aut repugnari ei, quem Deus deducendum & promouendum receperit. Cuius reſponſi illa iam extaret formula.

Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.

Deducente Deo, nihil non peruium, planum, atque habile reddendum: nihil non ſubiiciendum ac tradendum Cyro promittitur. Latinæ orationis, glorioſos terræ humiliabo *ſententia ſua ſe declarat ſponte; verùm primæuæ linguæ verba, propter eos qui conſuluerint, breuiter exponemus.* VEHA DORIM IVASER, Et decoros dirigam. *Decoros interpretamur eos, qui venientem Cyrum, obuij exceperint; non modo vltrò dediti, ſed etiam feſtis ac pompis inſtructi, & cultu atq; habitu lætitiam præferentes. Hos auctore ſe dirigendos atq; fouendos Deus declarat: contrà verò depugnare paratos omnes afficiendos; nihil iuuantibus munitionibus, quamlibet firmiſſimis: quippe* portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. *Iam verò ſi quiſquam in noſtris deſcriptionibus vel mediocriter verſatus lector, præcipuè verò ſi quis Animæ à nobis deſcriptæ ſenſum aliquem aut habitum perceperit; Ieſum Chriſtum verum* CHRS *cogitet: cuius victoriarum prima pars in Babylone illa errorum & ſcelerum patria expugnanda & euertenda poſita fuerit: vt hîc per Vatem ponenda prædicebatur. qua vrbe euerſa, id eſt, corpore peccati deſtructo; conſequens fuerat cæteras totius humani mundi familias, quas varias Iohannes in Apocalypſi deſcribit, venientis imperium cum ſumma ſuſcepturas & excepturas lætitia; atque deinceps ad regnum Dei colendum admittendas ac dirigendas, terrenis iam curis & impedimentis fortiter ſuperatis ac poſthabitis: demumq; ad maximorum ſpiritualium donorum communionem cũ eodem Ieſu Chriſto promouendas. quorum donorum ſumma ratio theſaurorum & arcanorum ſignificatur nominibus: quæ Cyro illi Perſæ promiſſa, & opportunè præſtita ſuo in genere & vſu, certiſſimum ſignificati muneris poſterà futurum indicabant, & pollicebantur cum vſu euentum. Qui legit intelligat.*

Chriſti victoriæ, Cyri victoriis adumbratæ.

Babylon corpus peccati.

Apocalypſis argumentũ.

Et dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum: vt ſcias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum.

Euentus conſtantia promiſſorum ac prædictionum non ſolùm firmat fidem, ſed certam efficit deinceps notitiam. Omnis autem rerum publicarũ ac regnorum conſeruandorum ſumma duobus conficitur partibus: conſiliis videlicet, & facultatibus. Conſiliorum, quæ reipub. & regni cauſa ſuſcipiuntur,

Reipub. conſeruatio.

Conſilia.

tur, arcanam, & paucis commiſſam oportet eſſe rationem. Nam quæcunq; in vulgus produntur, ea nullo fermè diſſipantur negotio. Conſiliis autem vbi facultas acceſſerit, omnia in tuto eſſe putantur. Facultas verò in pecunia ac theſauris cõſiſtit: qui reipublicæ nerui appellari ſolent. Facultates. Pecunia. *Verùm enimuerò nullam rempub. nullum fore vſquam regnum Deus ait, cuius theſauri non ſint Cyro tradendi: nulla etiam, quæ non aperiantur, conſilia futura. Ex quo illud quoque eueniet, vt planè pernoſcatur ſibi omnia, quæcunque contigerint, diuinitùs promiſſa, comparata, ac donata conſtare, ad eam rem tanto ante tempore per Vates etiam nominatim vocato.* Ego Dominus qui voco nomen tuum. *Quod niſi à Deo nullo pacto, nullo præſagio, nullo etiam ingenio à quoquam vocatum, cum euentu quadrare poterat. Ne verò in numinis ac Dei nomine communi quippiam admitti poſſit ambiguitatis aut erroris; idem nomen quod ineffabile & ſanctum dicitur, nulli aliỹ naturæ, præterquam Iſraelitarum Deo vſurpatum appellatur.* Dei Iſraelitarum ineffabile nomen in Aſia celebre. *Namque alia aliis falsò creditis diis apud gentes impoſita & celebrata ſint nomina; tamen* IEHVEH *nomen vnico Iſraelitarum tutelari & patrio numini ſacrum & adoratum, iam inde ab Ægyptiaca ſalute apud omnes Ægypti, Syriæ, atque Aſiæ ferè totius gentes percrebuerat. Hoc itaque nomen, quod apud Ægyptios coram Pharaone appellatum fuit, hoc idem nunc in hanc alteram liberationem repetitur. in illa enim hiſtoria legimus:* Exod. 5. *Poſt hæc ingreſſi ſunt Moyſes & Aaron, & dixerunt Pharaoni, Hæc dicit Dominus "Deus Iſrael, Dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi in deſerto. "* Theſauros abſconditos. *Ex primæua linguæ verbo,* theſauros tenebrarum. Theſauri abſconditi Chriſto traditi. *Namq; ſecretiſſimis & imperuiis locis theſauri omnes, priuati præcipuè, reponi ſolent. verùm in myſteriis tenebrarum conſilia & portas inferi hoc nomine deſcribi, atque rurſus etiam ea maxima & pretioſiſſima dona, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderũt. illa enim Chriſto, Chriſtiq; membris ad iudicium, hæc verò ad vſum danda promittuntur; de quibus ſcriptum:* 1. Cor. 2. *Animalis homo non percipit ea quæ ſunt ſpiri-"tus Dei: ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere: quia ſpiritualiter "examinatur: ſpiritualis verò iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur. " Cuius diuini doni quicunque compos extiterit, idem ſcit,* quia ego Dominus, *& cum D. Paulo teſtatus ait: Nos autem non ſpiritum huius mundi "accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt; vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt "nobis: quæ & loquimur, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis; ſed in do-"ctrina ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. " Atq; omnia hæc ſibi promiſſa, & longo à tempore prædicta, atq; opportunè Deus ait præſtanda, ſui de Iacobo ſeruando & Iſraele amplificando propoſiti perſciendi cauſa, hoc eſt, generis humani à ſe per* CHRS *ſuum ſeruandi conſilio decretóque certiſſimo.*

Propter ſeruum meum Iaghacob, & Iſrael electum meum, & vocaui te nomine tuo: aſſimilaui te, & non cognouiſti me.

Homo, etiam pius, etiam virtute ſpectatiſſima atq; fide probatus, quam diu Iaghacobi conditione tantùm vtitur, nihil vlterius quàm ſeruus meus Pij hominis humilior conditio, & ſublimior.

Seruus. Electus. *à Deo audit; idem verò ad Iſraelis gradū promotus,* electus meus *dicitur.* *Vtriuſq; itaq; conditionis à ſe curãdæ & ornandæ cauſa Cyrū illū Perſen, propter Iaghacob & Iſrael ſecundùm carnem, & Chriſtum Dei* IESVM, *propter humanum genus amplificandum vocatos; hoc eſt, multo antè prædictos, promiſſos, & nominatim appellatos, cùm nondum in mundo nati eſſent; quare ne ipſum ſeſe appellantem Dominum Deum cognoſcerent.* Vocaui te nomine tuo. *Cyrum, ſiue* CHRS. Aſſimilaui te. ACHANECHA, cognominaui te. *Namq; hoc verbū ad pronomina & cognomina appellanda vſurpatur. Cognominatus verò fuerat Cyrus* MESSIAHH, *& munitionū dirutor, populi Dei ductor, atq; in ſumma voluntatis Dei expeditor.* & nō cognouiſti me. *idem valet ex linguæ idiotiſmo, atq;, cùm nondū noſſes me. Nam cùm hæc fundebantur oracula, nondum Cyrus erat natus; ſed neque Chriſtus, homo ille idemq; Deus Ieſus: cuius ortum reſponſa hæc multis præceſſerunt ætatibus. cui ideo vt homini nondum Deum ſe vocantem, & cognominantem notum intelligimus; conſimili ſententia illi, quam alio*
Sup. 10. *in reſponſo Vates hic pronunciauerat. Et anteà quàm ſciat puer reprobare*
» *malum & eligere bonum. Atque omnia hæc hominum generi & Iſraeli præſtanda beneficia ex vnica numinis conſiliiq; ſui auctoritate & efficientia expectanda eſſe Deus ait: perinde atq; cetera omnia, quæ iam conſtiterant, ab eodem ipſo fuerant profecta.*

Ego Dominus, & non eſt amplius: extra me non eſt Deus: accinxi te, & non cognouiſti me.

Non modò negotium illud ſupremum generis hominum ſeruandi humanis viribus maius & grauius eſſe: verùm illud ſua natura inferius de Babylonico imperio delendo, deq; captiuis Iudæis liberandis, quod priori Cyro demandandum prædicebatur, cum tantæ potentiæ tam repentina ruina. Verùm cùm vnius Dei notiſſima iam orbi virtute efficiendum ſit, ad auctoris laudem pertinebit aſſerendam: qui vocat ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt; quiq; efficere poſſit, vt Cyrus ex humili ferè conditione in illam promoueatur potentiam, quæ tam admirandis rebus par, idoneaq; probetur; idem quoque efficiat, vt Ieſus alter eximius & efficaciſſimus CHRS *in forma ſerui viſus & ſpectatus in terra, habitu inuentus vt homo, propter vnctionem diuinam, idem quoque Deus exiſtens; maximi conſilij idem nuncius, idemq; Pontifex & præſtans idem agnoſcatur. Hanc efficacitatē & virtutem humanæ naturæ in Cyro, vt in figura; & in Ieſu, vt in veritate ad ſuas vtrique peragendum partes præſtandam, illa formula Deus decla-*
Accingere. Pſal. *rauit:* Accinxi te, *id eſt, diuina virtute auxi. cuius exempla ſunt: Accin-*
» *ctus potentia, qui conturbas profundum maris, motum autem fluctuū eius*
1. Reg. 2. *tu mitigas. &, Infirmi accincti ſunt robore. Id quod ipſius Cyri manifeſta*
1. Eſdr. *confeſſione & gratulatione declaratum demum patuit. In anno primo Cy-*
» *ri Regis Perſarum, vt compleretur verbum Domini ex ore Ieremiæ, ſuſci-*
» *tauit Dominus ſpiritum Cyri regis Perſarum, & traduxit vocem in omni*
» *regno ſuo, etiam per ſcripturam, dicens: Hæc dicit Cyrus Rex Perſarum:*
» *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli: & ipſe præcepit mihi*

vt

vt ædificarem ei domum in Ieruſalem, quæ eſt in Iudæa. contra quàm im- “
pius Nabucus inſolenter ac ſuperbè de ſe præſumpſerat: Aſcendam ad al- Sup.
titudines nubium, & ero ſimilis Altiſſimo. Bis autem repetitur hoc in loco, “
voco nomen tuum. &, vocaui te nomine tuo. Altera vocatio ad præ-
dictionem tam multis antè factam annis, altera ad ipſum expeditionis &
præſtandi promiſſi tempus pertinet; cùm iam vocatus, atque à puero ad res
gerendas accinctus, & ſuperno ſpiritu fuerit animatus. Omnium harum
vocationum, & præſtandarum deinde rerum auctorem vnicum & effica-
ciſſimum ſeſe Deus appellat: cuius qui præſidio firmatus fuerit, nullũ præ-
terea vel Babyloniorum, vel aliarum gentium Deum vereri, timere; ſed
nec exiſtimare vel credere debuerit. Extra me non eſt ELOHIM. id quod
non Cyro ſolùm proprio experimento, ſed omni terrarum orbi declaratum
& cognitum iri ait.

Vt ſciant hi, qui ab ortu ſolis, & qui ab occidente, quoniam abſ-
que me non eſt Deus.

Habitabilis terræ tractus, quoniam ab ortu ad occaſum in longum magis Habitata ab ortu ad occaſum protẽſa.
quàm in latum protenditur, iiſdem ipſis definiri ſolet partibus. vt, Aſolis
ortu vſque ad occaſum laudabile nomen Domini. Horum itaque promiſſo- Pſal.
rum veritate conſpecta & explorata, illud omnibus in terris cognoſcendum
eſſe ait; ſolum Deum rerum omnium auctorem, gubernatorem, atq; impe-
ratorem efficacem: præter cuius voluntatem nihil nouum oriri, nihil latũ,
nihil rurſus triſte aut calamitoſum hominibus inferri poſſit: non à cælis,
cælorumq́; luminibus & motoribus, non ab vllo creato ſpiritu; ſed neque ab
alia rerum natura aut virtute. In nomine autem ELOHIM iudicium cum
auctoritate coniunctum obſeruatur.

Ego Dominus, & non eſt alter, formans lucem, & creans tenebras:
faciens pacẽ, & creans malũ: ego Dominus faciens omnia hæc.

LVCEM quidem diurnam, nocturnaſq́; tenebras ex diuini inſtituti
auctoritate extitiſſe, & conſtare ſemper, ſacræ docent literæ: verùm hoc loco
nomina hæc à natura ad humanarum exempla rerum transferuntur: ita
vt lux pacem, lætitiam, felicitatem, cognitionem, & ſcientiam; tenebræ con- Lux.
trà miſeriam, calamitatem, animaduerſionem, caſtigationem, atque igno- Tenebræ.
rationem ſignificent. vt, Sedentibus in tenebris, & in vmbra mortis lux
orta eſt eis. Atque ita Babyloniæ vtriuſque euerſionem, & Hieroſolymæ
cùm inferioris, tum ſuperioris ædificationem, ex ſua vnius voluntate & ef-
ficientia conſtituram Deus prænunciat. id quod ipſe apertioribus exponens
verbis ait, faciens pacem, & creans malum. nam pacis nomine miſeri- Pax.
cordiam, beneficium, & felicitatem ſignificari, multis in ſacro Apparatu
docebamus exemplis. vt, Sit fratribus meis & tibi pax, & domui tuæ pax, 2 Reg.7.
& omnibus, quæcunque habes, ſit pax. Mali verò vocabulo calamitatum & “
pœnarum genus omne contineri indicabat Amoſus: Si eſt malum in ciui- Malum.
tate, quod non fecerit Dominus. Id adeò propterea proponitur, quod vtriuſ- Amos 4. “
que ſalutis, nempe reſtituendorum Ieroſolymorum, & humani generis li-
berandi auctorem ſe declararet Deus, atq; vltorem quoque cùm Chaldæorum

Humani generis oppreſſio, & liberatio.

impietatis, tum verò peccati ac mortis & inferorum: quorum tyrannide humanum genus oppreſſum laborauit. O mors, inquit alio in loco, ego ero mors tua, & morſus tuus, ô inferne. Atq; ita miſericordiæ & beneficiorum vſum, contraq; pœnarum & calamitatum ſenſum, non à variis numinibus, ſed ab vnius Dei iudicio & efficacitate proficiſci intelligimus. vt aliàs decantatum audimus: Dominus mortificat, & viuificat; deducit ad inferos, & reducit: Dominus pauperem facit, & ditat; humiliat, & ſubleuat. Ego Dominus, faciens omnia hæc. *Quæ, quoniam cùm ex antiqua & veteri hominum vindicando offenſa, tum ex diuinæ miſericordiæ promiſſo iudicium ſolicitare & appellare iam videbantur, magna cælorum concordia & obſecundatione expediri Deus iubet.*

Proſpera & aduerſa ab vno Deo. Pſal.

Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet ſaluatorem, & iuſtitia oriatur ſimul.

Certam Dei vltionem, & numinis vindicationem Babylonica merebatur impietas: rurſusq; Dei populus diuinam iuſtitiam, hoc eſt, iuſtificationem diuinitus promiſſam expectabat: quam hoc repetito oraculo ſibi iam parari Deus pronunciat. ad cuius expeditionem cælos atque terram, ſibique parentem naturam omnem, ſumma concordia & gratulatione obſecundaturam excitat. Nubes pluant iuſtum. TSEDEK, iuſtitiam. *de qua aliàs,*

Pſal.

" *Veritas de terra [humanitate] orta eſt; & iuſtitia de cælo proſpexit. Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Iuſtitiam autem hîc antonomaticῶς eam intelligimus, quam diuus Paulus iuſtificationem Dei perſæpe vocat.*

Iuſtitia. Iuſtificatio Dei.

Ego Dominus creaui illum. IVSTVM *iuſtificantemq; membra ſua, quæ ſecum vnà mortua, vnà etiam reſurgente ſuſcitata ſunt. Omnes enim*

Rom. 3.

" *peccauerunt, & egent gloria Dei: iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per*
" *redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu: quem propoſuit Deus propitiatio-*
" *nem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ; propter re-*
" *miſſionem præcedentium delictorum, in ſuſtentatione Dei [vt ſuſtentetur à Deo.]*

Væ qui contradicit fictori ſuo, teſta de ſamiis terræ. nunquid dicit lutum figulo ſuo, Quid facis? & opus tuum abſque manibus eſt? Væ qui dicit patri, Quid generas? & mulieri, Quid parturis?

Diuinorum operum vt digniſſima eſt admiratio, ſic impia & iniquiſſima dubitatio ambiguitasq; habenda. Et quidem, vt figurã priùs attingamus, mirabile admodum Babylonius regibus videri illud potuit, quod de regnorum & imperiorũ ſerie ac mutatione in ſtatuæ illius fabrica per quietem viſum, à Daniele Vate explicatum fuit: quod tamen ipſe refringere fruſtrà conatus, aduerſus mundi auctorem & conſilium aiebat, Aſcendam vſque ad cælos, & ſimilis ero Altiſſimo. illud nimirum intra ſe agens, vt de Deo quereretur, qui conuerſionem rerum tãtam pararet; quam ipſe non aliter incuſaret & argueret, atq; ſi figulus fictori ſuo diceret, Quid facis? *Verùm longè mirabilius illud fore; vt quæ ſub diaboli imperio iacebat oppreſſa, immo mortua, humanitas; principe ipſo inuito & reluctante; atque*

Daniel.

demùm victo libera ad diuinam dignitatem tranſlata atq; amplificata euaderet, Dei filia deinceps ducenda. Siue igitur figuram arripiamus, Babylonicum inquam regem; ſiue id quod figura ſignificatur, antiquum ſerpentem Satanam à Deo antè factum ſpiritum cum principibus & populis, omniq; mundi potentia, quæ ſuarum eſt partium: id omne aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius vltro obſiſtens, ingenti conatu aduerſatur, communiq; conſilio & ſtudio ait, Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipſorum. Pſal. 2. *Quæ oratio idem valere cenſetur, atq; illa.* Quid facis, & opus tuum abſque manibus eſt. Manus, *& vires & locu, & ſpacium ſignificant.* Manus. *Quidnam, inquiunt, moliris; cùm id quod refingere & renouare in rerum natura paras, neque locum vbi conficiatur habeat, in tam perdita humani generis ruina; neque ipſum, vt erigatur, iuuare te poſſit: quippe cui nullæ ad eam rem ſuppetāt vires. Huiuſmodi aduerſariorum Dei oratio per conformationem inducta, reprehenditur: cui etiam ipſa naturæ humanæ imbecillitas & inopia ſuccinit; imperfectionis nimirum ſuæ conſcia, & nequiquam ſe genitam conqueſta: vtpote quæ nec ſeſe corrigere potuerit, nec quemadmodū corrigi poſſit, vel cogitando aſſequatur; & quam imbecillitatem ac difficultatem in ſe agnoſcunt, auctori ſuo ac naturæ, ſiue materiæ imperfectioni tribuunt.* Humanitatis ſalus impoſſibilis habita. *Et quidem Plato, cui & complures aliorū ſubſcribunt ſententiæ, nihil ſapientiùs dicere ſibi viſus eſt, quàm quod inſipienter admodum dicit, dum prauitatis humanæ culpam in materiam reiicit; & illud communiter aſſeuerat, nullum in natura genus eſſe rerum, quod aliquam imperfectionis admittat & agnoſcat notam: hominis autem abſolutè perfectè exceptionem in appetitionis & animi pugna ac diſcordia ſpectari.* In Timæo. Platonis ſententia de prauitatis humanæ origine. Humana imperfectio. *Atq; ita quam verè culpam ſubire humana prauitas debet, ſuo ille iudicio defendit ac tuetur: cùm tamen ſcriptum ſit, Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Gen. 1. *Falsò ergo homo prauitatem ſuam in generis auctorem reiicit; falsò etiam naturæ defectibus adſcribit, materiamq; errorum atq; exceptionum appellat matrem. Materiam autem hoc loco vocamus terræ limum; ex qua hominis animalis conſtat pars; quæ tamen, ſpiritu ab auctore dato, ita temperata fuerat & concinnata, vt quod requireret, demùm haberet nihil; niſi ſe ipſa ita perdidiſſet, vt neque corrigi denuo poſſet, aut ſua virtute reſtitui; immo neque vllo pacto ſui reſtituendi rationem ac modum vel cogitando reperire: ſed conſilij impos, ac propriæ ſortis pœnitēs, id Patri auctoriq; querebatur ſuo,* Quid generas? *& naturæ atque materiæ,* quid parturis? Materia immeritò accuſata. Humanæ naturæ initio concinnitas & labes. *Igitur quod humano iudicio deſperatum fuerat, quodq; nullo pacto corrigi poſſe videbatur; efficiendum recipiens Deus, etiā pignoribus præmittendis pollicetur. Pignora autem dicimus miracula, prodigia, & ſigna: quibus edendis & ſpectandis futurorum firmari poſſet ac deberet fides. Nam qui ſignum præter communia naturæ exempla edere vel leuius poteſt, atque vltrò etiam, non rogatus edit; is voluntatem ac virtutem ſpectantibus probat ſuam.*

Hæc dicit Dñs ſanctus Iſrael plaſtes eius, Ventura interrogate me ſuper filios meos, & ſuper opus manuum mearū mandate mihi.

SAN-

SANCTVM & plaſtem Iſraelis vocari ſe iubet Deus, vt vel ex recordatione exempli huius futuræ hominum regenerationis & incipiatur imago, & firmetur fides. Nam qui ex Iagacobo, humili homine, Iſraelem tantum virum conſtituit; idem ſeſe populi ſui reformatorem fore pollicetur; nempe eadem virtute nunc & ſemper ſanctum, quam in adornando & amplificando declarauerat Iſraele. Quod quidem beneficium, quanquā admirabile apud homines extiterit; non tamen fidem exceſſit argumentorum efficacitatis diuinæ: quæ non ſolùm Iſraelem ex Iacobo, hoc eſt, ex homine communi virum præſtātiſſimum facere; ſed ex nihilo terram edere, ex terra hominem; terrenum illum quidem, tamen terræ, ac terreſtribus cunctis gubernandis idoneum; & huius hominis cauſa cælum quoque à ſe conditū, cum omnibus copiis & exercitibus proprias, quibus ſingula exercerentur, impoſuit, imperauitq́; parteis. Quamobrem, cùm de humani generis inſtitutione & amplificatione agitur, nihil opus eſt vel de natura diſputare, vel de conſilio diuino diſquirere, aut conqueri; ſed eiuſdem auctoris, à quo cuncta effecta ſuſtentantur & fouentur, expetere & quærere voluntatem, & expectare certiſſimum ac benigniſſimum reſponſum. Ventura interrogate me ſuper filios meos, quos ego antea ex terra factos, inſufflato halitu, homines terrenos edideram: perfectos quidem illos in ſuo genere, tamen in animam viuentem, filios meos reddere paro ex cōmunicatione arcana carnis & ſanguinis noui hominis è cælo efficiendi cæleſtes, qui verè vocentur filij Dei. S.S.E. Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & ſimus. Idq́; nulli alij vel virtuti, vel efficacitati tribuendum eſt, quàm meæ vnius: non naturæ ipſi humanæ, quæ ſe ſua ſponte mutare, & ad diuinæ conſortium traducere poſſit: nō temporum, ſiderum, aut aliarum cauſarum viribus: non rerum viciſſitudinibus: verùm mihi meæq́; efficacitati ac ſapientiæ. Opus manuum mearum. Quamobrem beneficium iſtud ex me vno expectandum, ex me fuerit petendum: me vnum, vt futurum ſit rogate; à quo ſolo diſcetis & referetis, quàm hæc, tametſi maxima ſint, effici tamen conſentaneum fuerit, vtpote qui

Homo terrenus, & cæleſtis.

1. Ioan.

Hominum ſalus à ſolo Deo effecta

Ego feci terram, & hominem ſuper eam creaui.

Quamquam cælorum dignior exiſtimetur natura, tamen in opificij diuini hiſtoria prior terræ, poſt propoſitionem, narratio eſt: vtpote quæ humano ſenſu prior quàm cælorum percipiatur ſubſtantia. Atq́; homini ipſi, de quo ſermo inſtitutus eſt, tanquam proprius deſtinatus ſit locus: homini, inquā, animali. S.S.E. Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum. His enim vt filiis Adam terræ ſedes & regnum ceſſerat: cælum verò non niſi filiis Dei, quibus ſolis in regnum ſedemq́; ſempiternam paratum eſt.

Terra in hiſtoria prior.

Terra hominis animalis locus.

Pſal.

Ego, manus meæ tetenderunt cælos, & omni militiæ eorum mandaui.

Cælum cælorumq́; virtutes omnes non antè fuerant, quàm à Deo ex nihilo fierent, factiq́; ſuis in ordinibus conſtituerentur. Appellantur autem hoc loco virtutes illæ, tam quæ ſenſu capiuntur, vt luminaria & aſtra; quàm quæ intellectu atque animo tenentur, vt ſpiritus Angeliq́; ſublimes, & quid-

Exercitus, ſiue militia cæleſtis.

quidquid in cælis verſatur, atque inde efficit, exercitus, *propter muniam, efficientiarum, curſus & motuum conſtitutiones obtinendaſq́ leges. Nihil enim ex illis temerè vel caſu, nihil non iuſſum, quicquam efficit. Vt verò in terra Adamum ſibi conſtitutum ad imperium & gubernationem, cùm aliorum, tum ſui ipſius, vtpote principis terræ, Deus declarauit: ita nouum hominem ſuum* CHRS *ad Iſraelis promiſſi à ſe veritatem firmandam, ſibi maximis & opportuniſſimis partibus, artibus, ac virtutibus inſtructum, pollicitus, repetit ac confirmat. Atque loco à nomine, vocatione, & inſtitutione* Kyri *ad præſtantiſſimum* CHRS IESVM *Meſsiam orationis myſterium præſenti adnotatione & obſeruatione transfertur.* Nouus homo.

Ego ſuſcitaui eum ad iuſtitiam, & omnes vias eius dirigam: ipſe ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatē meam dimittet, non in muneribus, neque in pretio, dicit Dñs Deus exercituum.

PAVLO *antè vtriuſque* KRS *ratio coniuncta agebatur: Perſæ videlicet, & cæleſtis noſtri, id eſt, imaginis, & arcanæ veritatis, in illo nimirum verſu,* Propter ſeruum meum Iaghacob, & Iſrael electum meum: & vocaui te nomine tuo, & aſſimilaui te, & non cognouiſti me. *Nunc verò noſter hic expreſſius indicatur, cùm iam tam de imagine, quàm de veritate & potiſſima re agitur, hoc eſt, de ædificanda & paranda ciuitate cæleſti, ac de filiis Dei, qui per totum orbem diſperſi fuerint, quærendis, congregandis, ac deducendis agitur. Quæ omnia non per nuncios, aut legatos aliósve miniſtros, ſed per ipſum iuſtiſſimum & ſanctiſſimum* CHRS IESVM *Chriſtum effectum, perfectum, & abſolutum iri, Deus ipſe declarat. Namq; vt hæc ad priorem* CHRS, *hoc eſt, Kyrum Perſen referantur, non ſinit expreſſa appellatio, atq; certa pronominis* HV, ipſe. *Siquidem nec in illa externæ & ſenſibilis vrbis Ieroſolymæ reædificatione & inſtauratione; nec etiam in populo liberando ac reducendo ipſe operam poſuit, aut ſeipſum præſentem exhibuit: ſed vt illa fierent, edictis ac mandatis proſpexit. Hæc dicit Cyrus Rex Perſarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus* Eſdr. 1.
Deus cæli: & ipſe præcepit mihi vt ædificarem ei domum in Ieruſalē, quæ "
eſt in Iudæa. Præceptum ſibi ait vt ædificaret, non vrbem aut ciuitatem, ſed "
domum in Ieruſalem, quæ eſt in Iudæa: & tamen hoc ipſum non eſt ab eo- "
dem faceſſitum, ſed aliis faceſſendi cauſa imperatum. Quis eſt in vobis de "
vniuerſo populo eius. Sit Deus ipſius cum ipſo, Aſcendat in Ieruſalem, quæ "
eſt in Iudæa, & ædificet domum Domini Dei Iſrael. Ipſe eſt Deus, qui eſt "
in Ieruſalem. Et omnes gentes in cunctis locis vbicunque habitant, adiu- "
uent eum viri de loco ſuo argento, & auro, & ſubſtantia, & pecoribus, ex- "
cepto quod voluntariè offerunt in templo Dei, quod eſt in Ieruſalem. Ve- "
rùm enimuerò alia noſtri CHRS *longè illuſtrior, longeq; dignior cauſa, ratio, & efficientia eſt; quippe qui ad iuſtitiam ſuſcitatus, qua iuſtificare credentes in ſe valet, & omnibus inſtructus diuinis artibus, directaſq́; à Deo Patre ingreſſus vias,* ædificabit ciuitatem meam, [*quam iam ædificatam in cælis accepimus*] & captiuitatem meā dimittet, non in pretio, nec in muneribus, *ſed gratis. Gratia (ait Apoſtolus) ſaluati eſtis per* " Chriſti efficientia. Ciuitas cæleſtis.

 fidem:

fidem: & hoc non ex vobis: donum enim Dei eſt. De qua ciuitate Scriptor
Heb. 12. *idem, Acceſsiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Ieruſalem*
» *cæleſtem, & multorum Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitiuo-*
» *rum, qui conſcripti ſunt in cœlis, & iudicem omnium Deum, & ſpiritus*
» *iuſtorum perfectorum, & teſtamenti noui mediatorem Ieſum, & ſangui-*
Apoc. 21. *nis aſperſionem meliùs loquentem quàm Abel. Et ego Iohannes vidi ſan-*
» *ctam ciuitatem Ieruſalem nouam, deſcendentem de cælo, à Deo paratam*
» *ſicut ſponſam ornatam viro ſuo.*

Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri ſublimes ad te tranſibunt, & tui erunt: Poſt te ambulabunt, vincti manicis pergent: & te adorabunt, teque deprecabuntur. Tantum in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus.

Poſtrema verſus huius pars ad Perſen Cyrum hæc referri minimè paſſa, rem ſententiamque omnem vero & optimo Chriſto defert: cuius Euangelio non modo, quæ ſapientes habentur, nationes; verùm etiam opulentia, & potentia atque fortitudine inſignes ceſſuras & obſecuturas prædicit Vates; atque vniuerſitatem ipſam gentium ad tres ordines reducit, Agricolarum, negotiatorum, & paſtorum. His enim tribus communitas hominum & ſocietas tenetur ſtudiis & artibus. Ægyptij propter Nili amnis fertilitatem agri colendi laude præcedunt. Ipſa verò agri colendi ratio labore exercetur. Æthiopes negotiatione & mercatura viuere dicuntur, maximè ij, qui ſuperiorem incolunt Æthiopiam proximáque mari tenent. Nam duplicem Æthiopiam cum ſacris hiſtoriis, & externi etiam ſcriptores nominant. Sabaim verò, ſi plurale ex Seba nomen accipiamus, pretioſiſsimarum venditores mercium fuiſſe apud Ezechielem audiuimus. Atque etiam Sebaim ex Amonitarum gente fortiſsimos, & bellica laude illuſtres. quos etiam, vtpote paterna ſtudia ſectatos, pecuariæ rei ditiſsimos regio ipſa, & patrium ſolum commendat. ſiue igitur bello, ſiue paſtione, ſiue negotiatione viri ſublimes *à Vate appellantur. Omnes autem hi, atque ceteri horum ſtudia imitati, verum Deum ſanctum Iſrael, illiusque Filium verum Deum, priſcis erroribus relictis, agnituros culturosque prædicit: quorum orationem & confeſsionem conformationis figura exprimit,* Tantùm in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus. *Arcanam credentium confeſsionem animaduertimus: qui Deum in Chriſto tantùm eſſe, hoc eſt, diuinitatis plenitudinē in* IESV *corporaliter habitare prædicant. namque hac formula atque huic ſimillimis aliis diuinitas in Chriſto ſignificatur. vt, Deus erat in Chriſto mundū reconcilians ſibi.* & non abſque te Deus, *qui eſt caput Chriſti: in quo ſibi bene complacuit Filio ſuo dilecto appellando: à quo, quicunque alienus fuerit, eundem à Deo alienatum argui oportuerit. Ego & Pater vnum ſumus. &, Non creditis, quia ego in Patre, &*
» *Pater in me eſt? alioqui propter opera ipſa credite. Id quod cum ſequentibus*
Ioan. 1. *breuiter complexus Iohannes ait: Verbum erat apud Deum, & Deus erat*
» *Verbum: & Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus*
» *gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre plenum gratiæ & veritatis.*

Verè

Marginal notes: Euangelij victoria. — Gentium vniuerſitas tripertita. — Ægyptij Agricolæ. Æthiopes mercatores. — Sabaim. — Ezech. 27. 2. Eſdr. 7. — Credentium in Dominū Ieſum Chriſtum confeſſio. — Deus in Chriſto. — Ioan.

Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael ſaluator.

QVID enim abſconditum arcanumq́; magis dici poßit, quàm Deum Chriſtus Deus abſconditus.
hominem, Verbum carnem factum, fortißimum & efficacißimum illum
mundi opificem ſerui formam accepiſſe, & obedientem factum vſque ad
mortem: vt per mortem deſtrueret eum qui habebat mortis imperium. atq;
ita eundem, vti Deum quidem, abſconditum & inuiſibilem; vti hominem
verò, viſibilem. namque Deum humanis videri oculis; natura ipſa maieſta-
tis non patitur: in hominis verò natura etiam diuinā virtutem naturámq;
celari & abſcōdi, miſericordiæ ac ſapientiæ diuinæ opus & munus fuit, ad
Iſraelis potentis cum Deo efficiendam ſalutem. Philippe, qui videt me, vi- Ioan.
det & Patrem meum. Nemo autem Deum vidit vnquam, ſed Vnigenitus, “
qui erat in ſinu Patris, ipſe annunciauit nobis [de Patre.] Nulli autem alij “
naturæ ſiue in cælo, quæ videri, atq; ſenſibus accipi poßit, EL, *ideſt, effica-*
cißimi & fortißimi Dei, nomen cōuenit niſi vni Chriſto Ieſu: nam quiſ-
quis ſe oculis cōſpiciendum præbuerit, niſi idem opere & efficientia abſcon-
ditam & latentem ſenſibus naturam diuinam præſtet, veram diuinitatem
examinātibus probabit minimè. Hinc enim illa tam crebra à Ieſu operum
allegatio eſt. S. S. E. Propterea perſequebantur Iudæi Ieſum, quia hæc fa- Ioan. 5.
ciebat in ſabbatho. Ieſus autem reſpondit eis: Pater meus vſque modò ope- “
ratur, & ego operor. Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interfice- “
re: quia non ſolùm ſoluebat ſabbathum; ſed & Patrem ſuum dicebat Deum, “
æqualem ſe faciens Deo. Reſpondit itaq; Ieſus, & dixit eis: Amen amen “
dico vobis, Non poteſt Filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem “
facientem: quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius ſimiliter facit: Pater “
enim diligit Filium; & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit; & maiora his “
demonſtrabit ei opera, vt vos miremini. Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos “
& viuificat: ſic & Filius quos vult viuificat. Igitur fallitur & fallit, quiſ- “
quis aliquid aliud pro Deo habuerit, aut ſibi ſoſpitale & ſalutare exiſtima-
rit, quàm eam naturam, quæ Deum abſconditum præſtat; hoc eſt, quàm ef-
ficacißimum Ieſum Chriſtum, eundem verum hominem, eundemq́; verum
Deum Dei Filium; qui cum Patre & Spiritu ſancto ſalutem efficit, &
præſtat æternam. id quod apertè à Vate vanum, ita ex euentu arguendum
denunciatur. Quippe vt nulla præter hanc, quam indicauit, veram diuini-
tatis rationem eſſe conſtat: ita nullius alterius naturæ ſalutarem efficacita-
tem experiri quiſpiam poterit, quamobrem

Confuſi ſunt & erubuerunt omnes: ſimul abierunt in confuſionem fabricatores errorum.

Omnes quotquot aliud nomen, in quo oporteat homines ſaluos fieri, præter vnum Dei huius abſconditi nomen & numen poſuerunt, vel docuerūt, errorum fabricatores *à Vate nominantur: eoſdemq́; ſalutis in alio conſtitutæ vana ſpe fruſtratos, confuſione & pudore tandem affectum iri ait; vtpote in peccato ſuo morituros: contrà verò, Iſraelem, qui ſeſe huic verè abſcondito Deo crediderit ac tradiderit, voti compotem euaſurum, & pro veritatis teſtimonio reſponſurum.*

Iſrael ſaluatus eſt in Domino ſalute æterna: non confundemini, & non erubeſcetis vſque in ſeculum ſeculi.

Non de Iſraele ſecundùm carnem, in quo cæcitas ex parte contigit, ſed Gal. 6. *de Iſraele Dei hanc interpretamur ſententiam. de quo ſcriptum: In Chri-* ״*ſto enim Ieſu neque circunciſio aliquid valet, nec præputium; ſed noua crea-* ״*tura: & quicunque hanc regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos, & miſeri-* ״*cordia, & ſuper Iſrael Dei. Et quoniam ſalus hæc, de qua loquitur, æterna eſt; ideo perpetuam à confuſione & erubeſcentia ſecuritatem fidenter Vate reſpondente promittit.*

Quia hæc dicit Dominus creans cælos, & ipſe Deus formans terram, & faciens eam, ipſe plaſtes eius: non in vanum creauit eam, vt habitaretur formauit eam. ego Dñs, & non eſt alius.

Vaticinij huius præcipuum ſcopum publicam ſalutem eſſe ducebamus: cuius indicandæ atq; inducendæ cauſa futuræ priùs maximæ in regnis & imperiis, rebusq; humanis mutationis prædicta fuerit, atq; nominibus propriis expedita denunciataq; ratio: quæ, quamquam ſuo in genere maxima extiterit; tamen alterius longè maioris mutationis & conuerſionis rerum figura, & quaſi præludium fuerit: nempe illius, quam Vates omnes expectandam prænunciarunt, vniuerſam humanæ ſapientiæ, fortitudinis, & potentiæ vim Euangelica virtute ſuperaturam, & ipſum adeò genus humanum in nouam formam traducendum & amplificandum, atque ex terreno cæleſte efficiendum. Quæ, vt non modò ad cognoſcendum faciliora, ſed ad credendum etiam & expectandum aptiora fiant, duobus documentis nunc iuuantur: altero, à datæ legis cauſa; altero, à conditi orbis ratione, modo, & vſibus petitis. Primò enim declaratur idem eſſe, qui futuram orbis renouationem facturus dicitur: qui creati quondam auctor fuerit; quiq; in illo creando, non modò virtutem & efficacitatem, ſed etiam ſapientiam præſtiterit infinitam: tum in ipſius naturæ rerum tota communiq; mole; tum in partibus etiam ſingulis formandis, & ad certos propriosq; conſtituendis vſus. Nam Cælorum natura. *cælorũ natura ita creata & conformata fuit, vt ambitu ſuo inferiora cuncta complecteretur, & motibus etiam omnia perluſtraret ac foueret. Ideo ait,* creans cælos, *cum articulo ſingularitatis indice, qui certam ſingulorum cælorum rationem tam ſitu, quàm circuitu & motu adnotandam inſinuat. Atq; in cælis propter figuræ ſimilitudinem rotundæ atque orbicularis* Terræ natura. *minima quidem adnotatur varietas: in terra verò multiplex conſtat & ſpectatur diuerſitas. Primùm, quòd non ipſa ſola, ſed vnà cum aquis orbem conſtituit: quamobrem dicit,* Formans terram. Iotser. *Eſt enim verbum figulinæ artis proprium. Figulum autem ex argilla & aqua ſuum conficere opus, nemo neſcit: idq; eo modo, vt & conſiſtere, & in vſum, quo deſtinatur, poſſit ſeruire. Terra autem eam ob cauſam facta, vt habitationi hominum commodum præberet locum, & fixa immotaq; ab opifice conſtituit, & propter varios incolentium vſus: quamquam tota cum aqua rotundam præbeat ſpeciem: tamen vario & multiplici habitu ac ſitu ſecundum partes* Pſal. 101. *diſtincta fuit. S.S.E. Aſcendunt montes, & deſcendunt campi in locum*

quem

quem fundaſti eis: quamobrem idem verbum IATSAR bis repetitum legimus: priori loco, ad totius maſſæ cum aqua compoſitionem referendo. Namque terra non ſolùm aquæ exteriùs coniuncta & compacta: ſed intra viſcera etiam plurimis aquarum, ac variis ſcatet humoribus; vnde mineralia fluunt, & fontes ac flumina ſcaturiunt. Poſterius verò IOTSER ad variam terræ per partes figuram nunc depreſſam, nunc prominentem; quam & figuli in magno quoque vaſe, non ſine elegantia & arte imitari non ornamenti ſolùm, ſed vtilitatis etiam cauſa ſolent. Quod verò in hac appellatione nomen commune Dei cum ſingulari illo quatuor literarum, ſociatur hac formula: Quia hæc dicit Dominus creans cælos, ipſe Deus formans terram, eò pertinet, vt omnis in vniuerſum ac ſingillatim tum ad creandas, & efficiendas, tum ad reficiendas & regenerandas res, virtus, efficacitas, & ſapientia, atq; etiam voluntas, non alij naturæ quàm vni ſingulari IEHVEH appellato tribuatur. qui, quamquam in creationis rerum hiſtoria non fuerit primus appellatus: tamen cùm diuina vnica ſit natura, nec in plures diuidi poſsit; conficitur, vt quicunque verè Deus dicatur, non alius ab hoc ipſo IEHVEH eſſe, dici poſsit: idemq; ſit IEHVEH natura, quòd HV ſingulariter nominatur: quódque in veris de diuinitate rationibus ac narrationibus ELOHIM vocatur: ita, vt quidquid vſquam ELOHIM adſcribitur, id omne IEHVEH ſibi ſuum ac proprium vendicet. Et quidem creationis cæli & terræ, cùm ſuis etiam partibus & exercitibus hiſtoria ſic incipit: In principio creauit ELOHIM cælum & terram. Hoc ipſum verò ſingulariùs & ſignificantiùs hoc loco Vates declarat. Eundem, inquam, eſſe IEHVEH nunc verba facientem, qui in principio creandi orbis, ELOHIM appellatus eſt; vnicum nempe numen, cui HV pronomen, id eſt IPSE, propriè competit. Eſt itaq; huius appellationis ac tituli huiuſmodi paraphraſis. Sic ait IEHVEH, qui & idem HV, atq; ELOHIM, cælorum ac terræ creator prædicatur: cuius opus creationis primum, quamquam ſemel abſolutum euaſerit; renouationis tamen ac regenerationis opus eadem virtute efficiendum & abſoluendũ, à conſtitutione mundi cœptum, adhuc in herba (vti dici ſolet) eſt. Atque huc illud à Chriſto dictum ſpectat: Pater meus vſque modò operatur, & ego operor. Ait verò Deus hic terram non à ſe in vanum creatam. Quanquam enim in primis creationis initiis THOHV fuiſſe narretur: non tamen ea cauſa creata eſt, vt THOHV maneret; ſed ex illa informitate, quæ THOHV dicitur, quamprimum creatam, vt habitaretur formauit eam; atq; figura ſitu, habitu, & facultatibus ad habitationem commodis & opportunis inſtruxit. Hæc vis & ſignificatio eſt verbi IETSARAH. Id verò quidquid, quantumq; exſtat in cælis atque in terra conſilij, opificij, & vſus; ex vnico ſe ipſo, qui primus & nouiſsimus eſt, profectum: ſingulariq; numine factum, conſeruatum; nulliq; alij naturæ, communionis aut ſocietatis iure adſcribendum ait. Ego Dominus, & non eſt alius. Et quidem creaturam ipſam, rerumq; naturam, auctorem atque gubernatorem ſui vltrò ac ſponte ſua prædicare, & iis qui intellectus compotes fuerint, veluti digito monſtrare. S. S. E. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera

Euang. S. Iohannis locus explic.

Terræ formatio.

Psal. [illegible]

" *manuum eius annunciat firmamentum* & *, Domini eſt terra & plenitudo*
" *eius: orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo. Quia ipſe ſuper maria*
" *fundauit eam: & ſuper flumina præparauit eam. Verùm enimuerò, cùm*
Legis vſus & beneficium. *hoc de diuina virtute documentum propter mutatam in homine cognoſcendi facultatem non ita planè omnibus expoſitum fuerit, vtpote quod ratiocinatione & intellectione magis inſinuetur, quàm euidente ſpectaculo conſpiciatur: illud etiam alterum hominibus teſtimonium ac documentum proſpectum exhibitumq́ fuit: cui accipiendo humanus quondã fuit factus ſenſus idoneus; hoc eſt, doctrinæ legisq́ diuinæ viua voce pronunciatæ, & mortalium auribus auditæ, & exceptæ, cum manifeſta præſentis diuinæ naturæ atq́ virtutis atteſtatione per cælum, terram, atq́ his inter mediũ aërem facta; hominibus ipſis non ſolùm rem ſentientibus, verùm & vltrò conſentientibus etiam.* Deut. 8. *Ecce oſtendit nobis Dominus Deus noſter maieſtatem*
" *& magnitudinem ſuam: vocem enim eius audiuimus de medio ignis, &*
" *probauimus hodie quòd loquente Deo cum homine, vixerit homo. Idq́ non quidem per ſingulare aliquod reſponſum, quod vanitatis dubitationẽ creare cuipiam poſſet, factum eſt.* Oraculorum præſtigiæ. *Cuiuſmodi oraculorum præſtigiis alienorũ deorum vates mendaciſsimi imponere cultoribus cõſueuere ſuis: nec etiam ancipiti oratione, & argumento dubio pronunciatum, qualia iſtorum deprehenduntur oracula: ſed publicè, palàm, aperta & manifeſta voce, quæ omnium pulſauit aures, ea pronunciaui, quæ veram honeſtæ & piæ doctrinæ cõplectebantur ſummã. Hoc eſt quod ſecundi argumenti loco Deus allegat.*

Non in abſcondito locutus ſum, in loco terræ tenebroſo.

Legis publicatio. *Quod ad manifeſtationem diuinæ vocis facit primùm; quam non priuato cuipiam capiti factam ait; ſed omni Iſraelitarum numeroſiſsimæ genti, ac frequentiſsimæ Eccleſiæ cum communi & publico manifeſtoq́ buccinæ clangore; cumq́ præfatione communem attentionem exigente ac parante: Audi Iſrael. Neque verò id ſub terra, aut aliquo in adyto vel ſpecu factum; vel è tripode aut quercu opacóve luco profectum; aut nocte media per priuatam quampiam vrbem vel tribum auditum: nec* in terræ tenebroſo loco. *Atq́ hoc, quod ad vocis & allocutionis manifeſtationem & certitudinem facit: quod verò ſententiæ atq́ orationis argumentum ſpectat,*

Non dixi ſemini Iaghacob, fruſtrà quærite me.

Haruſpicum reſponſa qualia. *Superſtitioſa iſta & vana haruſpicum & oraculorum, quæ gentibus reſponſa dantur, nec quicquam vitæ hominum apprimè vtile docere ſolent: nec ea quæ edunt, certæ & apertæ ſẽtẽtiæ ſunt: ſed ita ambigua & captioſa, vt in quemlibet conuertere poſsis euentum.* Diuinæ legis vtilitas. *Verùm enimuerò quæ à Deo in illa publica allocutione pronunciata ſunt, & certiſsimam agendi cauſam, & vitæ inſtituendæ modum complexa ſunt. Vt enim cælum ac terra non ad luſum aut inane ſpectaculum; ſed ad vſum, vtilitatem, & commodam humanæ vitæ actionem comparata & inſtructa fuerant: ſic etiam diuina lex, non ad oſtenſionem tantùm ſiue ſpecimen diuinitatis probandam; verùm ad parandam diuinitatis cum hominum genere communicationem, atq́ ad huius communicationis opportunitatem ab iiſdem ipſis, quibus promiſſum fiebat,*

bat,

bat, quærendam & adornandam. Namque doctrinæ omnis ac diſciplinæ, diuinæ præſertim, triplex eſt in vniuerſum pars: prima, præceptorum & inſtitutorum perceptione conſtat; ſecunda verò, exercitatione eorum quæ præcepta ſunt. vtramq; autem, cauſa, hoc eſt, finis pretiumq; conſequitur. Vana autem dicitur atq; arguitur quæcunq; vna ex his partibus deſtituitur ars. Deus autem ſeſe in lege hominibus non modò verum oſtendit, ſed præceptorem exhibuit; atque idem ſe ipſum pollicitus eſt præmium. Hæc omnia breui ſumma, atque vnico verſu complexus Deus ait: Non dixi ſemini Iaacob, [*ad Iſraelis dignitatem comparando*] fruſtra quærite me, THOHV BAKESVNI. *vt terram non feceram in* THOHV: *ita nec verba in* THOHV *feci, ſed me quærendum docui, & quemadmodum quæri oporteat declaraui. Ex quo intelligebatur, me, qui quæri iuberem, poſſe à vobis inueniri & obtineri: idq; vltrò ipſe præſtare volui. atq; ita cauſam ſimul indicaui, & ad eam obtinendam, viam ipſe inſtruxi doctrinæ ac præceptorum, humanæq; vitæ artem, & pietatis rationem breuibus elementis complexus; quæ deinde iuſtis commentariis & capitibus per Vatem, legiſq; miniſtrum ſum perſecutus.* Doctrinæ partes tres.

Ego Dominus loquens iuſtitiam, & annuncians recta.

Pietatis diſciplinæ duo ſumma ſunt capita: alterum iuſtitiam diuinam hominibus impertiendam promittit; alterum verò mores componit hominum: qui ſeſe ad illam iuſtitiam ex Deo obtinēdam, comparare ſtuduerint. Prius argumentum nomine TSEDEK, *id eſt, iuſtitiæ; poſterius verò nomine* MESARIM, *rectorum, ſiue rectitudinum comprehenditur. Iam verò cùm vtrique à Deo prouiſæ doctrinæ cognitioniq; ſui parti maxima hominum pars minimè reſponderit ac ſatisfecerit: vna, tertia, & vltima reſtat, ex Dei miſericordia & benignitate promittentis & præſtituri: Euangelium videlicet, quod omnium antiquorum ſeculorū finis lucem afferat gentibus præſtantiſſimam, cum ſumma ſuſcipientum vtilitate & felicitate; contrà verò, repudiantum ſumma & extrema pernicie.* Pietatis diſciplinæ duo capita. Euangelium

Congregamini, & venite, accedite ſimul qui ſaluati eſtis ex gentibus: neſcierunt qui leuant lignum ſculpturæ ſuæ, & rogant Deum non ſaluantem.

In præteritis generationibus Deus idem, qui terras gentibus occupandas conceſſerat, ſuas quidem vias ingredi permiſit: nec tamen ſemetipſum ſine teſtimonio reliquit; dans eis tempora & pluuiam de cælo, & implens corda eorum cibo & lætitia. Verùm enimuero illos proprij ipſorum ingenij amor vſque adeò dementauit, vt à veritate abalienatos & palanteis, æterna exciperet miſeria & infelicitas. Horum autem poſteros, Euangelij tempore victuros, ad veritatis cognoſcendam doctrinam Deus per Vatem hoc in loco vocat & excitat, appellatq; PELITE HAGOIM, euaſos, *ſiue* ſuperſtites gentium *quod idem valet cum verſione noſtra,* qui ſaluati eſtis ex gentibus. *Hos itaq; compellat Vates acceptum à parentibus errorem, & adhuc retentum, corrigere Dei verbis intendens; eoſdemq; ita deſcribit.* neſcierunt. *antiquam linguam callentibus, verbum hoc perinde valet, atq; Latinum* Act. Gentium conuerſio.

num cùm relatiuo, ſiue participium præſens, id eſt, neſcientes, vel, qui neſcierunt & cognitionis defectu aberrant, atq; hoc errore imbuti ac dementati, id pro Deo colunt, quod non eſt Deus; nimirum ipſi ſibi numen fingentes, & quod finxerint, in ſubſidium ac ſalutē optantes, qui leuat ſignum ſculpturæ ſuæ. Non enim vel vnus artifex, vel vnus modus tollendorum, & erigendorum Deorum gentibus: verùm vnuſquiſque apud gentes proprij Dei faber & ſculptor eſt. nec verò nomen lignum materiam ſolam ex arbore exciſam ſignificat; ſed rem naturamq; omnē, cui vocabulū GHETS, id eſt, conſilium, fortitudo & robur, adiutorium, præſidium commendari poteſt. ita fit vt alius pecuniam, alius gloriam, alius vltionem, atque aliam alius rem ſibi pro numine ſtatuat. Ideo dicit, qui leuant GHETS ſculpturæ eorum. Leuare, in ſublime tollere, ponere, ſtatuere atq; figere interpretamur. Hæc enim verba & ſignificatione affinia inuicem ſunt, & in ſimulachris ac ſignis locandis Latinè vſurpantur. Sculpturæ ſuæ. Verbum PASSAL non lapidi & ligno tantùm; ſed omni exſcindendæ, atq; erudiendæ materiæ aptatur. vnde & auaritiam idolorum ſeruitutem D. Paulus vocat. Et rogant Deum non ſaluantem. Antitheton eſt illius adnotationis Dei abſconditi, quam paulò ante hac explicabamus. Nullus enim ſeruare poteſt qui Deum abſconditum non præſtiterit. Salutem idem cum felicitate & beatitate dicimus: quam præter Deum abſconditum nulla alia efficere valet natura. Hos itaq; gentium ſuperſtites ad vanæ doctrinæ redargutionem & repudiationem; itemq; ad veritatis notitiam ac diſciplinam, demum & ad ſalutis æternæ communionem excitatos, vocatos, inuitatos, atq; admiſſos denique Deus vult, & curat.

Lignum. GHETS. Idola quæ veriſſimè. Leuare. PAZZAL. Auaritia idolorum ſeruitus.

Annunciate, & venite, & conſiliamini ſimul, quis auditum hoc fecit ab initio: ex tunc prædixi illud. nunquid non ego Dominus, & non eſt vltra Deus abſque me? Deus iuſtus & ſaluans non eſt præter me.

Gentium error.

Huius moniti & exhortationis illud breue argumentum fuerit; gentes quidem errorem ſibi ipſis proprio conſilio ac ſtudio peperiſſe, ex eoq; errore interitum ſibi quoque fuiſſe molitos: attamen ſalutis rationem nec cognouiſſe quidem, aut conſilio & iudicio conſecutos, nedū fuiſſe aſſecutos. Namque abalienatis à Deo vero, in quo tantùm rerum veritas & natura fulcitur omnium, ſalutis humanæ via ſuo ipſorum ingenio aut ſtudio; neque eorum qui Dij non ſunt, indicio inueniri non poterat. Quod quidem ita eueniſſe intelligere, & communicato conſilio, collatiſq; ſententiis agnoſcere & fateri conueniet: vt explorata & perſpecta induſtriæ ac doctrinæ ſuæ vanitate, ac damnatis repulſiſq; tenebris, ad veritatis ac ſalutis lucem & auctorem reditio fiat. cuius reditionis ratio fide & pœnitentia expeditur. Permittit itaq; Deus gentes, immo & hortatur, inter ſe, ſuoſq; ſapientes conſulere & conferre, atque interrogare & inquirere, numquid hæc de ſalute hominum doctrina ab aliquo vnquam ex doctoribus, magiſtris, præceptoribus, immo & oraculis quoque ſuis, fuerit vel memorando audita. Cuius rei exemplū cùm indicari poſſit; nullum reſtat vt perplexos & admiratos ipſe

Gentium vocatio.

Deus

Deus auctor conſoletur ac doceat, ſe quidem & vera naturæ cognoſcendæ ratione creatorem & gubernatorem hominum declaratum fuiſſe, & lege etiam publicè lata, in doctrinam ac lucem gentium, ſalutis æternæ doctorem & promiſſorem exhibuiſſe: tam multis ante expeditionem ſeculis & annis, frequenti reſponſorum beneficio, præconio, atque Vatum officio repetentem. Numquid non ego Dominus, & non eſt vltra Deus abſque me? *Ego inquit, me, tantis partibus curandis & præſtandis* IEHVEH *Dominum, miſericordem, eundemq́; vnicum ac ſingularem probaui Deum: qui, quæ in præſentiarum erant, omnia gubernarem ſolus; & quæ corrigenda & reficienda in mundo expectabantur, auctor pollicerer; ac demum præſtitor expedirem: quiq; iam expedita ac peracta obtinens, non modò Iſraeli ſecūdùm carnem, ſed gentibus cunctis ad Iſraelis Dei communionem vocatis, & inuitatis optanda, expetenda, & legitimè quærenda propono, atq; vltro offero: hoc eſt, qui me iuſtum & ſalutarem vnicè exhibeo. Iuſtum quidem, id eſt, ea quæ pollicitus fuerim, præſtantem, & peccatores iuſtificantem; iuſtificatosq́; ſeruantem, æternæq́; vitæ compotes efficientem, Id quod, præter meam, nulla alia præſtare virtus poſſit.* Iuſtus & ſaluans non eſt præter me. *vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum, qui ex fide eſt Ieſu Chriſti. Hoc autem veræ ſalutis documentum adhortatio & inuitatio diuina ſubſequitur ex Dei miſericordia, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Rom. 3.

Conuertimini ad me, & ſalui eritis omnes fines terræ: quia ego Deus, & non eſt alius.

Admirabilem ſalutis publicæ, & animorum felicitatis rationem, hoc breui obſeruari licet verſu: tum ex parte naturæ eius, cui parata eſt; tum verò maximè ex auctoris parte. Docet enim Deus, commune eſſe omni hominum generi beatitatis & felicitatis cum appetitu votum: verùm inueniendæ viam, propter varias ac diſpares doctrinas & opiniones humanas, adeò eſſe ignoratam; vt, niſi Deus ipſe munitam aperuerit, inſtruxerit, & indicauerit, iniri aliàs impoſſibile ſit: ideoq; non paucis fuiſſe deſperatam; atque ex conſequenti, iſtorum negatam & irriſam diſcipulis. Cui errori & malo Deus proſpiciens, occurrit; docens cumprimis, iſtum ſalutis appetitum, votumq́; illud, quod per ſæpè omnium pulſat animos, non eſſe THOHV, *hoc eſt, non de nihilo eſſe: verùm ex mera naturæ ipſius veritate proficiſci: quæ humanum genus non ad hanc, in qua verſatur, miſeriam natum eſſe, cunctis qui mentis impotes non fuerint, monere ſæpiſſimè ſolet. Verùm in eo fallaciam ac deceptionem eſſe, quòd neque ſalutis & beatitatis definitio recta; nec adipiſcendæ ratio & via demonſtretur certa. Nam qui præter, aut extra Deum beatitatis definitionem ponit, idem ſeſe à beatitate prorſus alienat: qui verò Deum beatitudinis auctorem credit; nec tamen legitimis petit & colit modis, oleum, vt dici ſolet, perdit & operam: quamobrē monentur cuncti homines verum finem cognoſcere, in eundemq́; toto ſtudio tendere, ſeſe vltro paratum & offerentem, ac demum ritè quærentibus, obtinendū, ſine vlla generis aut ſanguinis vel conditionis mortaliū exceptione,*

Salutis & beatitatis humanæ ratio.

Beatitatis appetitus hominū generi communis.

 ſed

ſed cum iurata etiam & confirmata voluntatis ab inuitante pollicitatione. Conuertimini. *Seſe paratum præſtoq́ eſſe, atq; perſiſtere: nec propoſito, vel conſilio, vel facultate, aut alio modo mutatum, fixum, immutabilem ſalutis auctorem omnibus terræ, quam hominum cauſa creauerat & finxerat, habitatoribus: homines tamen ipſos terga vertiſſe, & variis erroribus diſcrepantes, ac palantes degeneraſſe, ac ſeſe auertiſſe: nec vlli eorum, qui vocantur, facultatem à ſe negatam, aut viam præcluſam ad ſe redeundi; voluntatem tamen atque negligentiam, ignauiam, & ſocordiam eorum, qui pereant, in cauſa eſſe ſui periculi: nam verbum* Conuertimini ad me, *ſe conſtantem docet; illosq́ auerſos, variis aberrare viis arguit.* Omnes fines terræ. *Quòd ſi finibus, qui remotiſſimi ſunt, non negatur, immò & ſuadetur conuerſio, manifeſtum eſt inter media loca non excipi.* Et ſalui eritis. *Salutem veram conſtare, atq; in ſe vno eſſe, & à ſe in omnes homines diuite proficiſci ſignificat; voluntatemq́ ſuam firmiſſimam, immò & promptiſſimam declarat, ſine vllo ad dubitationis anſam interiecto vocabulo.* & ſalui eritis. *Coniunctio* &, *conſequentiæ & affirmationi inſeruit, ex vi literæ* Vau. *id eſt, vos ad me conuerſos, certa conſequetur ſalus: quam nemo vobis hominum, nullus eorum quos vobis ipſi ſalutares fingebatis, Deorum vel præſtiterit, vel præſtare poteſt. id quod antè cognoſcere debuiſtis, vtpote nullam ab illis experti ſalutem; & à me verè ſeruati, planè demum cognoſcetis,* Quia ego Deus, *qui creare, gubernare, & ſeruare poſſum.* & non eſt alius *qui quicquam, præter me, præſtare poſſit & efficere. Verbum* PENV, *pro quo Latinus vertit* conuertimini, *faciem, vultus, oculosq́ intendere ſignificat; & ex conſequente eos, qui vocantur, in vanitates & inſanias falſas reſpexiſſe, atq; alium ſibi ſcopum, & viuendi cogitaſſe finem arguit. Atque hanc ſalutem omnibus annunciatam & promiſſam gentibus, Euangelij orbi declarandi & offerendi virtute certam & præſtitam fore, iureiurando pollicetur Deus.*

Homines propriæ voluntatis culpa pereunt.

Conuerti.

&, coniunctio.

Conuerti.

In memetipſo iuraui, Egredietur de ore meo iuſtitiæ verbum, & non reuertetur: quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua.

Hoc de ſalute publica argumentum, quamquam Abrahamo quondam, ſingulari viro declaratum, ad omnes tamen hominum pertinere nationes, Paulus ad Hebræos ſcribens, perdocuit. Cupimus autem vnumquemque veſtrum eandem oſtentare ſolicitudinem ad expletionem ſpei vſque in finem: vt non ſegnes efficiamini, verùm imitatores eorum, qui fide & patientia hæreditabunt promiſſiones. Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem iuraret maiorem, iurauit per ſemetipſum, dicẽs: Niſi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. Et ſic longanimiter ferens, adeptus eſt repromiſſionem. Homines enim per maiorem ſui iurant: & omnis controuerſiæ eorum finis ad confirmationem eſt iuramentum. In quo abundantiùs volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui, interpoſuit iuſiurandum: vt per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus,

Heb. 6.

beamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem: quam ſicut ancoram "
habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vſque ad interiora vela- "
minis; vbi præcurſor pro nobis introiuit IESVS, *ſecundùm ordinem Mel-* "
chiſedech Pontifex factus in æternum. Et ad Romanos idem hunc ipſum "
Iſaiæ locum citans, diuinum imperium & iudicium, tum ad ſalutem, tum ad interitum eorum, qui vel obedierint, vel repugnauerint, Euangelium publicum & vniuerſale omnibus gentibus fore. Viuo ego, dicit Dominus, Rom. "
quoniã mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Nam- "
que vt miſericordiæ diuinæ, ita iuſtitiæ quoque fuerit; vt humanum genus, Dei ſolius cauſa factum, & aduerſarij dolo ex diuina gratia diductum & ſublatum poſtliminio tandẽ reſtituatur. Hoc autem per Euangelium expe- Euangelium iuſtitiæ verbum.
ditum iri, Vates docuerunt. Quod Euangelium iuſtitiæ verbum, *apud hunc Vatem hoc loco dicitur, aliàs ab Apoſtolo iuſtitiæ ſermo appellatum.* Heb. 5.
cuius virtutẽ idem declarans, ait: Non erubeſco Euangelium: virtus enim Rom. 1.
Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæo primùm & Græco: Iuſtitia enim "
Dei in eo reuelatur ex fide in fidem. ſicut ſcriptum eſt: Iuſtus ex fide viuit. "
Reuelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem iniuſtitiam hominum eorum "
qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent. Et quoniam Euangelij veritas "
iuſtitiam Dei ex fide in fidem reuelat; inde euenit, vt nullum numen cuiquam naturæ, niſi ſoli IEHVEH *tribuatur. id quod ab iis, qui agnouerint, & geſtu atq; habitu & confeſſione declaratur. Geſtum & habitũ adorantium & obſequentium ſignificat verbum,* Mihi flectetur omne genu. *Confeſſionis autem partem iuramento indicamus. homines enim per maiorem ſe, id eſt, per numen, iurant.* Omne genu, *perſonarum omnium complectitur conditiones & ordines.* Omnis lingua, *nationum cunctarũ vniuerſitatem adnotat, quas veræ Dei notitiæ compotes fore prædicat. id quod per Sephaniam ita reſponſum eſt: Quia tunc conuertam populis labium pu-* "
rum, vt inuocent omnes nomen Domini, & ſeruiant ei humero vno. Cuius "
beneficij participes gentes adhortatus Paulus, aiebat: Et hoc oro, vt caritas Philip. 1.
veſtra magis ac magis abundet in ſcientia, & in omni ſenſu: vt probetis po- "
tiora; vt ſitis ſinceri & ſine offenſa in diem Chriſti, repleti fructu iuſtitiæ "
per IESVM *Chriſtum, in gloriam & laudem Dei. Adorationis ac iura-* "
menti communis prædictioni argumentum etiam & cauſa adnectitur: argumentum quidem per conformationem; cauſa verò per expoſitionem.

Ergo in Domino. *Conformatio eſt à Vate pronunciata, ſiue Dei, ſiue ſuo nomine, perinde fuerit: quæ confeſſionis à Gentibus, & ab Iſraelitis edendæ continet ſummam. Habet autem parentheſin* (ad eum venient) *vt illud apud Pſaltem, Sagittæ potentis acutæ (populi ſub te cadent) in cor-* Pſal.
da inimicorum regis. Eſt autem huiuſmodi Latinus huius conformationis contextus. Qui ad eum venient [*dicent*] Ergo in Domino [*nomine & verbis Domini*] meæ ſunt iuſtitiæ, & imperium. & confundentur omnes qui repugnant ei. *Nam qui aliam ſalutem ab ea, quam Deus efficere poteſt, quamq; in hominibus efficit; aliámve iuſtitiam ſtatuunt aut quærunt: nuſquam aliàs reperientes, falſa demum opinione, ac ſpe deluſi,*

confundentur. *Repugnare enim Deo eſt, aliam à diuina doctrina actionum & vitæ rationem ſequi: vt Iſrael; qui ſuam ſectando iuſtitiam, in iuſtitiam Dei non peruenit.* Rom. *At verò quicunque in vero ac legitimo Iſraelis cenſebuntur ſemine; Iſraelis, inquam, Dei, tam ex Græcis, quàm ex Iudæis vocati; & Ieſu Chriſti virtute atq; efficientia amplificati, illud communiter & verè gratulati, fatebuntur:*

In Dño iuſtificabitur & laudabitur omne ſemen Iſrael.

ERGO in Domino. *Vocula* ACH, *exceptionem cum illatione adornat.* Tantùm igitur in Domino. *Nec verò perſonarum & numerorũ in eadem oratione mutatio à tertia in primam, à ſingulari in pluralem, quicquam detrimenti ad ſententiam affert: quòd is eloquendi modus in ſacra lingua ſit Vatibus creber. vt in eodem, quod citabamus, exemplo: Sagittæ tuæ acutæ, in corda inimicorum regis, id eſt, inimicorum tuorum.*

CAPVT XLVI.

CONFRACTVS eſt Bel, contritus eſt Nabo: facta ſunt ſimulacra eorum beſtiis & iumentis, onera veſtra graui pondere vſque ad laſſitudinem.

SALVTIS *cùm priuatæ ac ſingularis, tum communis ac publicæ virtutem & efficacitatem, ſapientiæ quoque cæleſtis & ſupernæ, atq; eius quæ ad omnem humanæ vitæ partem agendam, commodiſſima habetur & expetitur, ſummam omnem in vno Deo eſſe, atque ab eodem in homines proficiſci, proximè ſuperioribus lectionibus ac reſponſis aſſeuerauerat Vates: ex eo autem conſequi docebat, vt quicunque aliam quampiam vel iuſtitiæ & ſalutis rationem ſtatuerent, vel ſapientiæ ac diſciplinæ inirent viam; quicunque alia vel ſuſciperent conſilia, vel peterent oràcula, deluſi tandem confunderentur & pudefierent. Id quod non obſcuro, aut ſecreto, vel in longum tempus expectando; ſed publico & proxima ætate edendo commonſtrat exemplo, rerum Babylonicarum & imperij Chaldæorum; quod à repentina calamitate & ruina, nec vlla præſumptæ felicitatis opinio, fama, & fides defendere; nec vlla diuinationis ars præmonẽdo eripere potuerint. Idem verò exiſtimandum de cæteris populis, quibus religionis, virtutis atq; felicitatis & ſapientiæ eadem vel congener fuerit inita & forma & ratio. Nam quid magis egregium aut ſublimius dare cuiuſcunque rei natura poterit, quàm id quod ſibi ipſi conſulere & præbere non valet? Et quidem Babylonicum Aſſyriorum imperium, quod omnium in orbe terrarum primum fuit, æternam ſibi felicitatem promittebat: tum propter Beli putatum & creditum numen, quem vt regni inſtitutorem gens illa colebat; tum propter diuinationis diſciplinam, quam Chaldæi præcipuè omniũ gentium ſibi arrogabant, atq; Deo cuidam ab ipſis* NEBO *indigetato acceptam referebant, ſacramq; & conſeruatam autumabant. Quamobrem vtrique numini ſtatuis ac templis poſitis, cultus atque ſacra detulerant.*

Nebo Deus Babyloniorũ

Bel, βῆλος, Belus, Nimbrotus.

Fuit autem Bel, qui idem Græcis Βῆλος, *Belus Latinis, Nini pater, Nimbrotus in antiquis dictus hiſtoriis; qui primus tyrannide in finitimas,*

&

& longinquas occupata & exercita nationes, imperium ſtatuit; atq; à filio conſecratus, temploq; inductus, pro Deo haberi & coli cœpit, eo omine ac nomine quòd potentiam & præfecturam perpetuã ſignificaret. Primùm verò Chaldaicæ diſciplinæ, id eſt, aſtrologicarum prædictionum inuentorem ac doctorem: cuius proprium non memini me legere nomen, cognomento NEBO, id eſt, vaticinatorem, diuinis honoribus cultum & conſecratum, ipſa docere videtur appellatio. Siquidem NABA verbum fari & effari interpretamur. unde NEBI Vates dictus, qui occulta arcanaq; effatus pronũciat, & futura prædicit. A fari verbo Latino fatum nomen deductum conſtat. NEBI in ſacra lingua Vates Latinis eſt, idem Chaldaicè NEBIA dictus; verùm nominis NABO figura, maius quippiam & auguſtius indicat; nimirum ipſam vaticinandi facultatem & virtutem, tanquam natiuam & propriam: quam Deus ille vendicatam ſibi, cultoribus impertiretur ſuis, hoc eſt, Chaldaicæ ſectatoribus diſciplinæ: &, vt ille notabat: Nebo. Naba. Nebi. Fatum. Nebia. Nabo.

Qualiacunque voles Iudæi ſomnia vendunt. Iuuen. Sat. 6.
Spondet amatorem tenerum, vel diuitis orbi
Teſtamentum ingens, calidæ pulmone columbæ
Tractato Armenius. vel Commagenus aruſpex
Pectora pullorum rimatur, & exta catelli,
Interdum & pueri, faciet quod deferat ipſe.
Chaldæis ſed maior erit fiducia, quidquid
Dixerit Aſtrologus, credet de fonte relatum
Hammonis, quoniam Delphis oracula ceſſant.
Et genus humanum damnat caligo futuri.

Illorum verò numinum ſimulacra nulla ex parte vtilia aut commoda cultoribus futura ſuis denunciat Vates; immo ab ipſo cùm ſtatuerentur initio incommoda, & nimio plus fuiſſe grauia dicit: quippe quæ, vti res ipſa indicat, coloſſorum inſtar proceriſsima erant, magnæq; ad aſportandum molis; & ad ponendum artis induſtriæ, & virium quamplurimum requirerent: quamobrem beſtiis, iumentis, ac viris moleſtiæ, laboris, ſudoris atq; laſsitudinis ſatis atq; ſuper, nihil verò præterea emolumenti effeciſſent. Atq; huiuſmodi ſigna in ſuperbo imperio illo erecta, id quod à Nabucodonoſore poſitum narratur, aureum ſimulacrum declarat; ſiue illud alterũ ex iſtis duobus BEL & NABO, ſiue aliud cuiuſpiam Dei caput retulerit, ad imperij conſecrandam ſtabiliendamq; poſitum maieſtatem. Quidquid itaque illud fuerit, eodem exceptum oportet exitu, quo BELVS iſte & NABVS: quos vnà cum Babylonico imperio Cyro Aſſyriorum vaſtante monumenta ruituros prædicit Vates: nec minùs etiã laboris ad partes & fragmenta aſportanda iumentis & hominibus daturos, quàm de iiſſe antea, dum aſportari, & ſtatui dicatores curarent. Sunt qui BEL ad Babel nomen reuocẽt; quòd id nomen datum fuerit Babylonis tutelari numini: quem tamen Nini patrem fuiſſe, Græci & Latini tradunt auctores; Ninumq; primum imperij narrant propagatorem. Tamen hunc magnum Belum contritum prauidit Vates, ac cruribus imminutum; truncumq; more eorum qui victori ſeſe Babylonica ſimulacra ingentia. Bel.

 ſub-

ſubdunt, curuatumq́ depingit. nam verbum CHARACH, *pro quo Latinus noſter reddit,* contritus eſt, *in genua ſeſe demittere propriè ſignificat; qualis habitus eſſe ſolet imperium alicuius accipientis. vt ille aiebat: Ius imperiumq́ Phraates Cæſaris accepit genibus minor. Quare iam deinceps nullum Belo honorem habendum, neminem genu flexum ire vaticinatur: vtpote capto, deiecto, & confracto.* Simulacra veſtra graui pondere vſque ad laſſitudinem: *ita declaratum nihil in illius vel ſignis, vel quorũ ſigna erant, aliud quàm laborem, pondus, & ad portandum aſportandumq́ moleſtiam & laſſitudinem repertum: ita vt magno ſumptu, ſtudio, & molimine magnum cultoribus fuerit quæſitum detrimentum.*

Contabuerunt, & contrita ſunt ſimul: non potuerunt ſaluare portantem, & anima eorum in captiuitatem ibit.

Egregiam verò numinum vim & facultatem, quæ non ſolùm eos, quibus coluntur, inutilia, imò & moleſta grauiaq́ ſunt; ſed nec ſibi ipſis quo minùs in captiuitatem abducantur, cauere, proſpicere, aut ſuccurrere valẽt.

Simulacra à victoribus aſportata.

Quondam enim victores captarum vrbium & regionum ſtatuas, ſigna, tabulas, & numinum etiam ſimulacra demoliri, tollere atq́ aſportare conſueuere: tum ad victoriæ pompam & oſtentationem, tum etiam ad artis elegantiam in proprios vſus transferendam.

Iuu. Sat. 8.

Non idem gemitus olim, nec vulnus erat par
Damnorum ſociis florentibus, & modò victis:
Plena domus tunc omnis, & ingens ſtabat aceruus
Nummorum, Spartana chlamys, conchylia Coa,
Et cum Parrhaſij tabulis, ſignisq́ Myronis
Phidiacum viuebat ebur, nec non Polycleti
Multus vbique labor, raræ ſine Mentore menſæ.
Inde Dolabella eſt, atq́ hinc Antonius, inde
Sacrilegus Verres. referebant nauibus altis
Occulta & ſpolia, & plures de pace triumphos.

Quanto verò molimine, quanto labore huiuſmodi ſigna & monumenta deponerentur, atq́ aſportarentur, ſi quis diligentiùs cognoſcere auet, Ciceronis in Verrem ſcripta legat, de direptis ex Sicilia ſignis, & Herculis dimota ſtatua. Quales verò Deos habere oporteat, qui nec ſeſe ipſi mouere, aut victorum libidini ſubducere; necdum cultores ſuos iuuare aliquà valent: immo contra aſportando laſſare & fatigare ſolent. vt Æneæ magnæ pietatis præconio datum fuerit, victos & raptos ex hoſte patrios Deos eripere, ſuſceptosq́ in Italiam fugitiuos claſſe vehere.

Cic. in Verrẽ

Aeneid. 2.

Sacra ſuosq́ tibi commendat Troia Penates.
Hos cape fatorum comites, his mœnia quære,
Magna pererrato ſtatues quæ denique Ponto.
Sic ait, & manibus vittas Veſtamq́ potentem
Æternumq́ adytis effert penetralibus ignem.

& paulò inferiùs:

Ecce autem telis Panthus elapſus Achiuum,

Pan-

Panthus Otryades, arcis Phœbiq́; ſacerdos.
Sacra manu victosq́; Deos paruumq́; nepotem
Ipſe trahit, curſuq́; amens ad littora tendit.

Inferiùs etiam:

Tu genitor cape ſacra manu, patriosq́; Penates:
Me bello è tanto digreſſum & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.
Hæc fatus: latos humeros ſubiectaq́; colla
Veſte ſuper fuluiq́; inſternor pelle leonis,
Succedoq́; oneri. *Ac de Beli templo à Semiramide, aut ante illam ab aliis inſtructo, deq́; aurea ſtatua maxima tandem abducta, ſatis multa Herodotus. Atq; his aliisq́; exemplis conſtat, tutelaria illa numina, tutelam potiùs cultorũ expectaſſe, quàm ſuſcepiſſe: & ex conſequenti prorſus inutilia, immò & moleſtiſſima fuiſſe: cùm tamen verum numen, quale* IEHVEH *ſolius eſt, nihil cultoribus laboris vnquam impoſuerit, nihil curæ & moleſtiæ attulerit; immò ipſum curatorem, patronum, ſoſpitalem, & amplificatorem ſeſe præſtiterit: addo & ſuſceptorem, vectorẽ, & aſportatorem. Id quod hominibus ex humili ad ſublimem euectis locum, hoc eſt Iaacobi filius, probatiſſimum defendit & commemorat auctor Deus.* Herodotus in Clio.

Audite me domus Iaghacob & omne reſiduum domus Iſrael: qui portamini à meo vtero qui geſtamini à mea vulua. Vſque ad ſenectam ego ipſe, & vſque ad canos ego portabo: ego feci, & ego feram: ego portabo, & ſaluabo.

Populi ſui curam ſibi à prima vſque infantia ſuſceptam, nec deſertã, nec mutatam ſibi vnquam fore, profeſſus pollicetur Deus: quinimmò producendam & continuandam ad finem vſque ſeculi repetit & confirmat; hoc eſt, humanum à ſe factum genus, quanquam variis mundi huius peregrinationibus diuexatum, tamen ad vſque poſtremum ſeculorum tempus atq; regenerationis oportunitatem & veritatem nunquam fore deſerendum. Atq; hanc ad figuratum habitam orationem, ad ipſam Iaghacobi figuram certæ interpretationis cauſa referre operæpretium fuerit nobis, illius nunquam obſeruationis oblitis, qua duas in eodem viro conditiones adnotare ſolenne eſt: alterã priuati, verùm Deo ſuſcepti & curati hominis: alterã eiuſdẽ amplificati, & ad Iſraelis nomen, titulum & ius euecti. Et quidem Iaghacobum ab vſque materno aluo à Deo ſuſceptum, ac ſingulariter adiutum, & illa gemini fœtus in vtero pugna & pugnam interpretatum reſponſum, atque adeò ipſe partus declarauit: quando maior, nec liber, nec ſolus extre permiſſus, fratrem calci firmiter hærentem, ſecum extrahere coactus, & quaſi victus, ceſſit; deinde natum, educatum, atque domi reſidentem abſque vllo labore benedictione fratri prærepta, in domeſticæ dignitatis, & promiſſorũ diuinorum, arcano negotio primas tuliſſe: poſtea fugientem, exulem, peregrinum apud cognatos & affines hoſpitem inuidiæ inſidias, incommodaq́; omnia; reducem verò & ſoceri minas, & fratris vim atque ſuſpicionem

Cura Dei erga Iacobum, id eſt, humanum genus.

Iacobi hiſtoria & figura.

magnis

magnis & manifeſtis tutelæ diuinæ ſuperaſſe & euaſiſſe argumentis; idq́ eundem ipſum agnoſcentem confeſſum fuiſſe: Domine, qui dixiſti mihi,
Gen. 32. *Reuertere in terram tuam, & in locum natiuitatis tuæ, & benefaciam ti-*
» *bi: Minor ſum cunctis miſerationibus tuis, & veritate tua, quam expleuiſti*
» *ſeruo tuo. In baculo meo tranſiui Iordanem iſtum: & nunc cum duabus*
» *turmis regredior. Hæc Iaghacobi ab vtero ad firmam vſque ætatem hiſtoria*
Gen. 35. *eſt: quam idem ipſe teſtatus commemorat. Iaacob verò, conuocata omni domo*
» *ſua, ait: Abiicite deos alienos, qui in medio veſtri ſunt, & mundamini, ac*
» *mutate veſtimenta veſtra. Surgite, & aſcendamus in Bethel, vt faciamus*
» *ibi altare Deo, qui exaudiuit me in die tribulationis meæ, & ſocius fuit iti-*
» *neris mei. Porrò idem iam ſenex certiſſimum diuinæ tutelæ & reſponſum habuit; & beneficium expertus perpetuū iam iam è viuis diſceſſurus con-*
Gen. 46. *feſſus eſt. Profectusq́ Iſrael cum omnibus quæ habebat, venit ad puteum iu-*
» *ramenti, & mactatis ibi victimis Deo patris ſui, audiuit eum per viſionem*
» *nocte vocantem ſe, & dicentem ſibi: Iaghacob, Iaghacob. Cui reſpondit, Ec-*
» *ce adſum. Ait illi Deus: Ego ſum fortiſſimus Deus patris tui: noli timere,*
» *deſcendere in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi; & ego de-*
» *ſcendam tecum illuc, & ego inde adducam te reuertentem. Atque binas in*
Dei erga genus humanū partes binæ. Deus herus. *vniuerſum parteis cum hominū genere, quos Iaghacobi antiqui repræſentat imago, Deus egiſſe probatur: alteras nutritij ſiue alumni, qui natum domi ſeruum, qualem vernam Latini vocant, ſibiq́ ad familiares cultus deſtinatum, ab vtero vſque ſuſcepit, nutriuit, inſtruxit, & exercendum cura-*
Deus parens. *uit: & parentis demùm alteras, cùm eundem in filiùm adoptatum hæredem quoque inſtituit. Vtraſque autem in Iaghacobi imagine præmonſtrauit: illas quidem ab ortu ad vſque celebrem illam nocturnæ luctæ victoriā, quo toto interuallo ſeruum, ſeruiq́ nomine appellatum adnotare eſt: poſt arrogatum verò Iſraelis nomen & ius, dignius nomen, ſi non in ſua ipſius perſona; tamen in poſteritate interdum retuliſſe, & filius audiſſe adnotatur.*
Exodi 4. *Dixitq́ Dominus Moyſi reuertenti in Ægyptum, Vide vt omnia oſtenta,*
» *quæ poſui in manu tua, facias coram Pharaone: ego indurabo cor eius, &*
» *non dimittet populum: dicesq́ ad eum, Hæc dicit Dominus, Filius meus*
» *primogenitus Iſrael: dixi tibi, Dimitte filium meum, vt ſeruiat mihi: &*
Oſee 11. *noluiſti dimittere. & Quia puer Iſrael eſt, & dilexi eum, & ex Ægypto*
» *vocaui filium meum. Igitur ad hanc Iaghacobi hiſtoriam ſermonem rationemq́ referens Deus, ait: ſe nunquam Iaghacobi ſui, hoc eſt, hominis, curā vel depoſiturum, vel intermiſſurum; ſed vt ab ipſa vſque prima origine ſuſceperat, ita ad vſque perfectam libertatem promoturum; quo ad eum, quem ſeruus patronus, & rex ac dominus nutriuit, educauit, & fouit, è ſeruitute liberatum, filiumq́ nominatum, hæredem quoque conſtituat.* Qui portamini à meo vtero, qui geſtamini à mea vulua. *Vanus ego dicar, niſi librariorum culpa locus hic in hac Latina laborat verſione. Nam nec hîc Deus vterum ſibi appingit, nec vuluam confingit; vtpote qui in generationis etiam imagine patris potiùs nomen vſurpare, quàm matris audiatur. Sed vterum & vuluam ad Iaghacobi matrem referenda vocabula ſunt.*

Vterus

Vterus.
Vulua.

Vterus dicitur, qua parte cõceptus fouetur fœtus, vulua verò, qua in lucem editur fœtus. Iaghacobum vero ex vtero diuina ſuſceptum ac ſingulari cura, contentio illa geminorum declarauit embryonum: à vulua etiam fotum, & curatum ipſe partus oſtendit; vnde & Iaghacobi nomine indigetatum legimus. Arbitramur itaq; in correctiſſimis Latinis exemplaribus quondam ſcriptum, qui portamini à me ab vtero. ſiue, à vtero; qui geſtamini à me à vulua. vt à ſexti caſus præpoſitio ſit; quæ facilè à ſciolo, aut minùs diligente ſcriba cum pronomine me coaluit. Exemplaris lectio apertè ſimul & eleganter habet, MINIBETEN, & MINIRAHHAM. quod idem extra carmen valet, atque MIBETEN, & MINREHHEM. Id quod nemo ſanctæ linguæ leui etiam tinctus notitia ignorabit. Certè Græca lectio, οἱ αἰρόμενοι ἐκ κοιλίας καὶ παιδευόμενοι ἐκ παιδίας, portati ex vtero, & eruditi ex infantia. quod vt in Iaghacobi imagine factum & perfectum eſt; ita in ipſa erga hominum genus veritate ſuſceptum & abſoluendum. Huiuſmodi tropo curam tutelamq; ſui Deo Pſaltes commendabat. In te confirmatus ſum ex vtero, de ventre matris meæ tu es protector meus. In te cãtatio mea ſemper: tanquam prodigium factus ſum multis, & tu adiutor fortis. Repleatur os meum laude, vt cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam. Ne proiicias me in tempore ſenectutis, cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me. Cuiuſmodi ambiguitatem Deus ab Iaghacobo ſuo prorſus remouens ait, Vſque ad ſenectam ego ipſe, & vſque ad canos ego portabo.

Pſal. 70.

Senectam Iaghacobi intelligo eius, quem nunc alloquitur Deus, in figura quondam à Iaghacobo illo cum omni prole & familia in Ægyptum deſcendente repræſentatum. namq; vt ille audiuit: Ego deſcendam tecum illuc, & ego inde adducam te reuertentem: ita in hoc reſponſo verus iſte Iaghacob audire iubetur, Ego feci [te vt eſſes Iaghacobus mihi] & ego feram [te interim dum peregrinaris homo] ego portabo [te in Ægyptum deſcendentem ſuſcipiens, atq; inter hoſtes tutator conſeruans, portabo in me ipſo, ac demum victis & perditis hoſtibus, regnoq; impietatis extincto] ſaluabo. Hæc ſatis hoc tempore fuerint, ad ſignificandum huius reſponſi ac promiſſi myſterium: quod ipſe reuelabit ſeruator Deus in tempore ſuo, iis qui Iaghacobum illum antiquum recto expreſſerint corde. Iam verò quantum inter verum numen, & falſam ſuperſtitioſam de Diis & numinibus vanis doctrinam interſit, & efficientiæ obſeruatione & animaduerſione Deus ipſe cognoſcendum commendat.

Iaghacobi & generis humani ſenectus.

Cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis, & comparaſtis me, & feciſtis ſimilem? Qui confertis aurum de ſacculo, & argentum ſtatera ponderatis, conducentes artificem vt faciat Deum, & procidunt, & adorant.

Sermo hic cum iis producitur, qui modò ad partes vocati ſunt, hoc eſt, cũ Iaghacobi familia & poſteritate vtraque; tam ea quæ imaginem tunc agebat, quàm ea cuius agebatur imago, hoc eſt, Adami relicta ſobole. Namque vtroſque vanitatis argutos oportuit; quocunque pacto & nomine à vero auxiliari & ſalutari Deo ad vanam ſuperſtitioſamq; doctrinam deſciſcẽtes, redar-

Superſtitioſæ doctrinæ vanitas.

redarguiq́ digniſſimos, vel ex comparatione virtutis & efficientiæ in vanis numinibus nullius, in ſe autem vnico Deo maximæ & certiſſimæ: tum etiam ex deſtinatis: quæ in vtramq́ partem obſeruata ſummam hominum ſtultitiam damnant; ea quærentium, quæ maximo ſumptu, labore, & ſtudio petita incommodi multum nullo cum vſu petentibus afferant: idq́ omittentibus, quod nullo ſumptu, nullo diſpendio, vtiliſſimum, & maximè compendiarium probatur; hoc eſt, à veri numinis pietate & cultu facillimo ad vanitatem declinantibus meram. Nam cùm dixiſſet fore vt Babylonicum numen BELVS, *quod maximo ſumptu in ſignum poſito, magno etiam pondere, labore, & molimine adhibito conſecratum fuerat: nec ſuos cultores, nec ſeipſum à victoribus Perſis defendere potuerat: cumq́ ſeſe Iagnacobi ſuſceptorem & aſportatorem, curatorem, denique ſeruatorem præbuiſſe oſtenderit, ac præbiturum deinceps porrò pollicitus fuerit; nunc iam Ieroſolymitanos ciues, & Iudæ gentem omnem, quam Babylonem propter admiſſam ſuperſtitionem, abductum iri minatus: ac demùm inde reducendā promiſerat, compellat; & non minoris quàm Babylonicæ vanitatis & ſtultitiæ crimine ream facit, cauſamq́ dicere iubet: quippe qui magna impenſa & arte, argentea & aurea ſigna, vicinarū gentium inſtar, ad cultum ſibi compararint: quorum, vltrà damnoſum ſumptum & laborem ac ſtudium, quàm nullam experti fuerint virtutem, imò quàm ingentem ſenſerint moleſtiam, captiuitatis & abductionis Babylonienſis incommoda & ærumnæ declarabunt. Hoc eſt quod ait,* Cui aſſimilaſtis me, *ex iis, quos colendos vobis conſecraſtis? num Babylonicis illis* BELO *&* NABO? *num vicinioribus iſtis Palæſtinis & Syris? quos omnes & factu damnoſos, & portatu oneroſos, erectu difficiles, & vſu inanes proprij experiuntur cultores, & vos etiam ſentitis: me autem nulla ex parte ſumptuoſum, vtpote cuius imaginem, tametſi volentes, conemini effingere, aut inuenire, non queatis: rurſus verò ſemper opportunum, commodum, tutelarem, & conſulentem: cui nam ex iſtis comparabitis. itaque hæc modò controuerſia & examinatio, non ad ipſa ſigna, ſed ad diuinitatis & virtutis comparationem præcipuè refertur: nec eiuſdem cum ſuperiore ſententiæ & diſceptationis repetitio eſt: id quod in genere maſculino pronunciata interrogatio docet.* IEMI, *cuinam, Deorum videlicet, me virtute & efficientia parem feciſtis, quem nec vos fingere valetis, nec imagine vlla imitari, nec etiam veſtri vel vindicem & aſſertorem curatoremq́, vel rurſus caſtigatorem inficiari poteſtis; cùm ceteros, quos vanè colere inſtituiſtis, niſi hominum arte & ſumptu veſtro factos, hoc eſt, niſi damnoſos, moleſtos, & faſtidioſos, hoc ipſo quod faciendos curetis, nullos præterea eſſe docere queatis. Priora verba,* aſſimilaſtis me, & adæquaſtis, *naturam & virtutem; poſteriora verò;* comparaſtis & feciſtis ſimilem, *efficientiam & curam expectant. Namq́ ego antequam vos eſſetis, Deus verus & æternus, immenſæ hæc ſunt auctoritatis & maieſtatis: alij omnes, quòd natura non ſint dij, imò nihil niſi quod vos expenditis, eſſe poſſunt; veſtram, vt ſint, curam, pecuniam, & operam, atq́ hominum artem, opusq́ expectant. Namq́ ante veſtram induſtriam, nihil*

ſua

ſua illi natura vel ſunt, vel figuræ habent; præter quam genus aliquod metalli, puta aurum in ſacco repoſitum: quod certo pondere ac modo non infinita mole apud vos eſt, à vobiſq; ad eam rem comparatur & expenditur. Qui confertis aurum de ſacculo, & argentum ſtatera ponderatis. *quod verò formam ſpectat, nullam illos ex ſe obtinere ait, niſi quam conductus artifex dederit. Itaque & materiæ & formæ rationem, pondus, modum, & figuram veſtris debent impenſis.* conducentes artificem vt faciat Deum. *Pulcherrima irriſio per antitheton. quid enim abſurdius non factu modò, ſed cogitatu etiam, quàm Deum ab homine fieri; nec ab homine, vt homo eſt, qui hominem forſitan gignere poßit ſui ſimilem tamen, hoc eſt mortalem; non autem Deum, quem immortalem exiſtere oportet: ſed ab homine vt artifex eſt; qui nihil poteſt aliud quàm oblatæ corporeæ materiæ mutam & inefficacem labore, arte & induſtria conferre figuram, idq; conductus: quo etiam nomine conductore ipſo minorem & humiliorem ſe præbet. atq; ex his tam diſparatis partibus ex materia, ex deſtinatis, ex efficienti, ex curantis & operarum conditionibus egregium illud prodit numen, quod cùm nec mouere aut efficere quidquam nec ſe ipſum valeat mutare, tamen* & procidunt, & adorant.

Portant illum in humeris geſtantes, & ponẽtes in loco ſuo: & ſtabit, ac de loco ſuo non mouebitur.

Quæcunque à poëtis & hiſtoricis atq; architectis & mechanicis antiquis de ſignorum opificio, aſportatione, locatione, ac dedicatione ſcribuntur, quæq; ab antiquariis referuntur, hoc loco ſuis verbis præſtringit, & in breue cogit Vates, notatq; pariter curam, non ſolùm rei conficiendæ, ſed ſermonis etiam ex arte & ad artem componendi: qui, quod religionis argumentis inſeruiat, vulgò ſacratior & mirabilior euadit: cùm tamen Democrito, aut ſimilibus philoſophis rerum ipſarum examinatoribus, ridiculus cenſeatur: vtpote qui præter hominum impenſas, induſtriam, curam, & operam nihil ſignificet maius. Iam verò cuius cauſa rei illa quondam compararentur & conſecrarẽtur, ſi in examen & cenſuram deducatur, cum ratione vſus, vana profectò & induſtria poſita, & opera data fuiſſe arguetur. Namq; numinis conſecrandi, colendi, & petendi cauſa, colentium, & poſcentium expectat vtilitatem & commodum, nequicquam tamen; quippe cùm nullam vnquam liceat experiri.

Sed & cùm clamauerint ad eum, non audiet: de tribulatione non ſaluabit eos.

Satis planè & apertè irriſio hæc ex Heliæ apud Bethelam examine & iudicio conſtabit, nec verbo, nec facto vnquam illa, quæ vocabantur numina, cultoribus profuiſſe ſuis. non audiet. *nam ſi vel voce edenda audire ſe probarent, ad deceptionis excuſationem nonnihil anſæ darent: ſed* non audient. *&, vt ille obiurgabat:* Idolorũ inutilitas.

Audis Iuuenal. Sat.

Iuppiter hæc, nec labra moues, cùm mittere vocem
Debueras, vel marmoreus vel aheneus: aut cur
In carbone tuo charta pia tura ſoluta

Ponimus? vt video nullum diſcrimen habendum eſt
Effigies inter veſtras ſtatuamq́ Bathylli.

Verùm enimuerò, quamquam conſecrata numina illa poſcentibus voce non reſponderent, quod animæ aut ſpiritus compotibus minimum quidem eſſet: ſi tamen auxilio & ope ferenda conſulerent (quæ diuinæ propria naturæ virtus eſt) diuinitatis opinionē ſuæ tueri vel hoc pacto poſſent: verùm neutrum valere docebunt. quippe, Cùm clamauerint ad eum, non audiet: de tribulatione non ſaluabit eos. *Cùm tamen omnia hæc à ſe præſtita Deus ipſe non modò probauerit, verùm poſt hac memoranda, & cū iis quæ de Babylone, aliisq́ gentibus, atq́ de Iaghacobo, Iſraele, Iuda, Hieroſolymis & per Vates prædicta, & per ſe effecta conſtabunt, obſeruanda, componenda, & comparanda præcipit.*

Mementote iſtud, & confundamini: redite præuaricatores ad cor.

Magnæ enim vecordiæ & affectatæ ſtultitiæ crimini opponendū fuerit iis, qui antecedentibus & conſequentibus comparandis, ad rerum veritatem cognoſcendam animum non aduerterint. Confundamini, HITHASEST, *verbum in ſacris libris rarum, pro quo Chaldæus interpres* Confortamini [in fide] *reddidit; alij viriliter agere expoſuerunt, ex etymo nominis* IS. *Sunt qui cum interprete noſtro, confundi & erubeſcere, declarant. Nos omnium ſententiis coniunctis confundimini & forti animo, intrepidaq́ fide viros agite: non brutorum inſtar, qui, quæ vident, & ſentiunt, ea tantùm excipiunt; ſed vt viri, qui tempora, cauſas, & euenta rerum obſeruantes, de diuina natura & veritate piè, prudenter, & ſanctè ſtatuunt, ac ſibi conſulunt. Hoc eſt,* redite præuaricatores ad cor, *& prudenter agite. Namq́ is prudenter agit, qui res non oculis tantùm & præſenti ſenſu, ſed animo ac corde æſtimat ac reputat. S. S. E. Sapiens corde vocabitur prudens, quiq́ præteritorum recordationem, & futurorum expectationem ad ſe pertinere, & ad diuinas rationes referri oportere intellexerit, atq́; quod Tragicus poëta ait,*

Sophocles Oedipo tyranno.

ὅποι ἀνὴρ
ἔννους, τὰ καινὰ τοῖς πάλαι τεκμαίρεται.

Id eſt, Cordatus velut vir, noua conicit ex veteribus.

Recordamini prioris ſeculi: quoniam ego ſum Deus, & non eſt vltrà me Deus, nec eſt ſimilis mei.

Conſequentem, & ſibi conſonam æui omnis hiſtoriam ab initio vſq́ conditi orbis repetitam, & continuatis deinde rerum exemplis, cauſis, modis, & euentibus contextam, certiſsimæ & efficaciſsimæ doctrinæ eſſe ad prouidentiæ, voluntatis, miſericordiæ, & iuſtitiæ diuinæ erga homines declarationem, & cum fide etiam perceptionem: cùm idem, qui orbis conditor dictus eſt Deus, diluuij etiam in mundo inductor, Sodomorum malitiæ vindex, Iſraelitarum ex Ægypto liberator, & eorundem curator ac defenſor, iudex & vindex cognoſcatur: qui prouidentiam, præſentiam, auctoritatémque ſuam non modò re & veritate præſtanda, ſed prædicenda quoque docuerit, & confirmarit. Namque

Annun-

Annunciaui ab exordio nouiſſimum, & ab initiò, quæ necdum facta ſunt, dicens:

Antitheto manifeſto differentiam inter ſuum verum & vana alia numina declarat: quòd illa nec rogata reſpondere, nec orata quicquã prodeſſe, aut efficere valuerint: ipſe verò res omnes ab vſque initio mundi, vt futuras expectare conueniret, prædixerit; tam eas quæ iam expeditæ fuerint, quàm eas quæ poſtremæ abſolutæ, perfectæq́; agnoſcentur. in quo dicto generatim omnia tum præterita, tum futura, atque ſpeciatim publicæ ſalutis conſilium Adamo quondam primùm indicatum, ac deinceps patribus repetitum: nondum tamen, cùm hæc agerentur, expeditum & præſtitũ, continetur. quæ necdum facta ſunt, dicens. *quorum cauſa complura interim acta & peracta ſunt, quæ antea quoque fuerant Vatibus & piis patribus indicata. S. S. E. Num celare potero Abraham quæ geſturus ſum, cùm futurus ſit in gentem magnam ac robuſtiſſimam, & benedicendæ ſint in illo omnes nationes terræ? &, Quia non faciet Dominus Deus verbũ, niſi reuelauerit priùs ſecretum ſuum ad ſeruos ſuos Prophetas. Vt autem ea omnia quæ hactenus prædicta & effecta fuerant, ſuum aſſecuta ſunt finẽ: ita maximum illud arcanumq́; conſilium, quod omnibus Vatibus ad prædicendum creditum eſt, perfectum, abſolutum, atque adeò perpetuò conſtiturum aſſeuerat: cuius ſpem piis animis, cætera omnia quæ interim expedita fuerint, confirmabunt. dicens:*

Arcani de publica ſalute cetera etiam prædicta. Gen. 18. " Amos 3. "

Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.

Verbum dicens, *in præſenti Latinè verſum, huic hemiſtichio* Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet, *ad attentionem & fidem parandam præponitur. Vt autem quæ fieri hactenus, prædixeram omnia, ſic & nunc aio conſilium meum firmandum ac ſtabiliendum de publica hominum ſalute; & omnem voluntatem meam ſuo in tempore expeditũ effectumq́; iri. Hæc eſt autem voluntas Dei ſanctificatio veſtra, ait Apoſtolus: cuius voluntatis arcanam ſignificationem hoc ipſo vaticinio nunc ſubindicare tendens, miniſtrum peragendæ atque circunſtantias loci quoque deſcribit.*

Voluntas Dei.

Vocans ab Oriente auem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ.

Hieroſolymis orientalis regio Perſis eſt: vnde Cyrum euocandum & adducendum, hoc eſt, Solymorum reſtitutorem, quem promiſerat, interpretari facile fuerit iis qui in figura tantùm commorari gaudent: hunc autem propter conficiendæ rei celeritatem auem *appellari* de terra longinqua *Perſide, quæ poſt Chaldæam regionem iacet. Verùm enimuerò arcanus ſermo longè his maiora & auguſtiora intelligenda monet, atque certis edocet verbis.* Auem Orientalem, *Solem interpretamur alatum, eundemq́; Orientem dictum ex alto demiſſum: quem ſic Malachias deſcribit, Et orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius: & egrediemini, & ſalietis ſicut vituli de armento.* terram verò longinquam *Adami naturam humanam in Chriſto intelligimus: non qualem in vetere*

Auis ſol iuſtitiæ. Lucæ 1. Malach. 4.

 Adamo

Terra longinqua Christi ceto. Lucæ 3. Pſal.

Adamo agnoſceret mundus: verùm qualem à Deo in Adamo, qui fuit Dei, creatam accepimus: cuius virtute & fœcunditate veteris hominis terra ſanata & inſtaurata, imò & benigniùs aucta, fructum ſuum datura à Vate præcinitur. Hæc autem terra longinqua dicitur: ex qua nemo homo ad initio vſque ad auis huius vocationem in hunc mundum venerat. Hæc dicitur ERETS MARHHAK. *quæ vox ſine vocalibus* MRHHK *myſterium etiam continet terræ huius veteris, à Deo longiùs diſsitæ & abalienatæ: cui illa altera viri à Deo vocati, multis & præſtantibus excelleret modis. Nam* MIN *comparatiuo ſeruiens, exceſſum ſignificat; eo maiorem, quòd cum* RAHHAK *poſitum eſt, hac ſignificatione,* Virum *de longinqua, vlteriore, & longè præſtantiore terra. Atque ita ſignificatur vir ille ex terra quidem oriturus, verùm ex vlteriore & beatiore, fœcundioreq́; longè multo quàm hæc terra, quæ à prima & optima degenerauit, & à diuinis deſciuit rationibus; benedicenda tamen & ſananda, atque fœcundanda ex virtute illius viri de terra illa vlteriore venturi.* Virum voluntatis meæ. *In exemplari nomen* GHETSETH *non ſimplicem voluntatem, ſed ex certo conſilio profectam ſignificat. Eſt autem literarum figura eo modo poſita, vt pariter conſilium, voluntatemq́; meam & conſilium, voluntatemq́; illius cum magna ſignificatione interpretemur. Cuius interpretationem ex Ioannis præfatione petere conueniet, ita aientis: Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbũ. & , Ego & Pater vnum ſumus. & , Qui audit vos, me audit, & qui audit me, audit & Patrem meum. qui apud Iohannem teſtatus eſt, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite. Quare & alibi apud hunc Vatem Conſiliarium appellatum audire eſt. Conſilium autẽ voluntarium hoc loco illud magnum intelligimus, quod anteà, quàm expediretur, ſeculis & generationibus celatum fuerat, de expedienda Abrahæ ſeminis benedictione, & gentibus communicanda cunctis, in vnam ſanctam congregandis Eccleſiam. In quo (vt ait Paulus) abundantiùs volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilij ſui, interpoſuit iuſiurandum. Cuius argumentum nunc arcanè indicatum repetit.*

MHN. Patris volũtas eadem & Chriſti. Ioan. 1. Mat. Conſilium arcanum. Heb. 6.

Et locutus ſum, & adducam illud: creaui, & faciam illud.

Conſilium voluntatemq́; Dei refert pronomen illud *iterum repetitum.* & locutus ſum APHDIBARTHI, etiam locutus ſum. *ſignificat voluntatis conſilium ſuæ ſeriò & ſtudioſè fuiſſe à ſe pronunciatum; ideoq́; maturè & opportunè expediendum atque præſtandum: quando cætera omnia antehac, quæ comparatione huius minora cenſeantur, vti prædicta, ſic etiã verò fuerint expedita; ſpectata & explorata euentu. maximè verò hoc magnum, de quo agimus conſilium, præſtandum dicit: quod certã, & ipſi tantùm conceptam ac formatam, conficiendæ rei rationem, nulli alij ſapientiæ veſtigabilem, aut ante tempus communicabilem ſit probaturus.* Creaui [*illud*] IATSARTHI. *Architectorum verbum eſt, & eorum qui edendũ opus animo priùs perceptum tenent; nec antè, quàm in lucem proferant, communicant, ad ſapientiæ & artis laudem, & aduerſariorum ac æmulantium retundendam contemnendamq́; inuidiam. de quo formato ac decreto con-*

ſilio

ſilio Iacobus aiebat: Notum eſt à ſeculo Domino opus ſuum. Ipſe verò ope- Act. 15.
ris curator & Pontifex: Ego te clarificaui ſuper terram; opus conſummaui, Ioan. 17. “
quod dediſti mihi vt faciam. Verbum locutus ſum, in graui coniugatione
pronunciatum, decretum ſerium, eóq; certo ſtudio effatum ſignificat: quod
ſimplex Latinum vocabulum exprimere & repræſentare non valet, niſi
multis adiectis aduerbiis ac dictionibus. Igitur quidquid elocutus ac polli-
citus fuerit auctor Deus, quo minus veritatis & euentu præſtetur, nihil ob-
ſtabit: quo minùs autem omnibus auditoribus contingat, obſtabit quidem fi-
dei defectus & obſequij. Id quod ipſe, qui neminem perire, ſed omnes ad ve-
ritatis venire ſcientiam & communionem vult Deus, impröbis & contu-
macibus hominibus prædicens, cauet; & ſalutis opinionem conſulit ac ſuadet.

Audite me duro corde, qui longè eſtis à iuſtitia. Propè feci iuſtitiã
meam, non elongabitur: & ſalus mea non morabitur.

DEVM & voluntate & efficacitate præſto eſſe, ad iuſtificationẽ ſuam Deus præſto
hominibus præſtandam & communicandam, idq; promiſſis perſæpe repe- eſt ad iuſtifi-
titis & inſtauratis probare, atque etiam ſignis & beneficiis permultis in- cationem.
terim præſtitis, quæ ſalutis illius præferrent imaginem: homines verò quoſ- Hominum
dam impios, ſibi ipſis iniquos, ob fidei defectum, atque obedientiæ & virtu- perditio ex
tis neglectionem vltrò ſeſe à ſalutis communione abalienare. Namq; iuſti- propria cul-
tia Dei quondam Abrahamo promiſſa eſt longè antequam communican- pa
da orbi afferretur: cui tamen quæ per fidem adueniſſet, promiſſorum iure Iuſtitia Abra-
aſſignata & adſcripta aſſumatur. Gen. 15. Credidit Abraham Deo, & re- hę promiſſa. “
putatum eſt illi ad iuſtitiam, [ſuo tempore per Chriſtum præſtandam.] Itaq; “
fides antiquis cum obſequio coniuncta, ad iuſtitiam reputabatur: noui verò Veteris ac
fœderis fidelibus, & probatis cultoribus iuſtitia datur; ad quam antiqui noui fœderis
etiam vocati fuerant, ſuo tamen tempore, hoc eſt, diſpenſatore Dei, ad eam cultorũ ratio
rem miſſo, accipiendam: Aſpiciebant enim in remunerationem promiſſa, vt 1 Pet. 1.
Apoſtolus ait, à longè ſalutantes. Vtriuſque autem temporis conditionem “
diſtinctè explicans Petrus, ait: Vt probatio fidei veſtræ multo pretioſior au- “
ro (quod per ignem probatur) inueniatur in laudem & gloriam, & hono- “
rem, in reuelatione Ieſu Chriſti: quem, cùm nõ videritis, diligitis: in quem “
nunc quoque non videntes, creditis; credentes autem, exultatis lætitia ine- “
narrabili & glorificata, reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum: “
de qua ſalute exquiſierunt atque ſcrutati ſunt Prophetæ; qui de futura in “
vobis gratia prophetauerunt, ſcrutantes in quod vel quale tempus ſignifica- “
ret in eis ſpiritus Chriſti, prænuncians eas quæ in Chriſto ſunt paſſiones, “
& poſteriores glorias: quibus reuelatum eſt, quia non ſibimetipſis, vobis “
autem miniſtrabant ea quæ nunc nunciata ſunt vobis per eos, qui euangeli- “
zauerunt vobis, Spiritu ſancto miſſo de cælo; in quẽ deſiderant Angeli pro- “
ſpicere. Itaque quæcunque à Deo promiſſa ſunt, ſi fideliter excipiantur, Promiſſorũ
quamquam longè poſt promiſſum præſtanda fuerint, credentibus tamen Dei certitu-
certa ſunt: adeò vt ad ea obtinenda, nullam tempus dubitationem iniiciat, do.
quo minùs obſequio petenda, & iuſſis obeundis expectanda ſuſcipiantur.
Eſt enim fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparen- Heb. 11.

tium:

tium: quamobrem eos qui vel per incredulitatem, vel per ignauiam, aut aliã humani ingenij prauitatem ſibi perperã conſulentes, vel ſalutem deſperant, vel alia, quàm legitima ratione & via, quærere inſtituunt, monet præſens Deus, vt prudentiùs ac meliùs ſibi ſapiant & proſpiciant, intelligántque planè credentes Deum & veraciſſimum in promiſſis præſtandis, & ſapientiſſimum in opportunitate ad beneficium ſtatuenda eſſe, nulláq; re, nulla vi mutari aut dimoueri à præſtando promiſſo, præter quàm eorum, quibus accipiendum fuerat, importunitate & culpa: quippe qui non ſeſe iis, quibus oportuerat, comparauerint conditionibus ac modis; hoc eſt, fide & obſequio, ſiue pœnitentia. Atque in hanc notam non exigua Iſraelitarum, ſecundùm carnẽ, pars inciaiſſe videtur; qui à fide Chriſti, quam principium

Fides & obſequium ad promiſſa cõſequenda conditiones neceſſariæ

» & fundamentum eſſe Deus voluit, degenerantes, & ſuam ſtatuere quæ-
» rentes iuſtitiam; quam ex lege tantùm definiebant, iuſtitiæ Dei non fuere
» ſubiecti, ait D. Paulus. quare? Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus legis.
Huiuſmodi autem ſententiæ homines, Deus duro corde appellat, qui longè eſtis à iuſtitia. Longè dicuntur eſſe à iuſtitia, qui vel Euangelio obedire nolunt, quamquam credant; vel qui aliam ſibi, quàm Dei iuſtitiã, ſtatuunt, & perſuadent. hoc eſt, qui vel fide contenti ſunt, & pœnitentiam vel auerſantur, vel negligunt; vel pœnitentiam ſolam, legiſq; obſequium ſine fide in Chriſtum ſibi præſumunt. Ita vtriuſque partis defectus his epithetis duobus notatur: fidei quidem, duro corde; obedientiæ verò legitimæ, qui longè eſtis, ſiue, vt ex verbo, illi longinqui à iuſtitia. vos quidem vosmet à iuſtitia longè arcetis: nam quod ego promiſi, propè eſt apud me; idq; iamiam præſtare paro atq; maturo. Propè feci iuſtitiam meam, nõ elongabitur. Propè, ad tempus & ad locum referri ſolet; ad locum quidem propè eſt Deo iuſtitia ſua, vtpote qui ipſe ſemper præſens vbique eſt, ipſe iuſtus atq; adeò iuſtitia ipſa ſua eſt: ad tempus verò, Non tardat Deus promiſſionem ſuam (ſicut quidam exiſtimant) ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti. & ideò, Vnum verò hoc

Propè.

Deus nõ tardat promiſſionem.
2 Pet. 3.

» non lateat vos cariſſimi: quia vnus dies apud Dominum ſicut mille anni:
» & mille anni ſicut dies vnus. Quare quodcumque interfuerit ad promiſſa præſtanda interuallum, id à diuina prouidentia & miſericordia, atque ex hominum vtilitate eſſe, interpretari conueniet; nullumq; per cunctationem, aut moram veritatis & beneficij detrimentum fieri, credere expediet. Nam
» quod tam propè eſt, non elongabitur. Sine pœnitentia enim ſunt promiſ-
» ſiones & dona Dei. Maximè autem cùm reſponſa hæc darẽtur, diuina iam mатureſcebant promiſſa, tot annorum interuallis Abrahamo antè facta atq; per fidem excepta: quæ antequam reapſe præſtarentur, illa, quæ interim intermiſſa fuere, omnia expediri, diuinæ prouidentiæ poſtulabat ratio. quæ etiam ad iuſtitiam Dei legitimis pertinebant modis; atque vbi abſoluta conſummataq; fuerint, ſalus mea non morabitur. Nam quod ſuis certis rationibus, momentis, ac modis agitur, nullo pacto morari dici poteſt: vt non moratur arboris fructus, ab ipſo floris primo exemplo, ad legitimam vſque maturitatem procedens: quẽ qui mentis & agriculturæ expers non fuerit, aliter

Non moratur quod agitur.

aliter quàm creſcere & matureſcere ſolet, properare non poſtulabit. Itaque quæcunque in diuinis promiſſis præſtandis interceſſerit exceptio eorũ, quibus excipienda illa fuerant, culpæ ac defectui imputanda cenſebitur. Quia adhuc viſus procul, & apparebit in finem, & non mentietur: ſi moram fecerit, expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit. Ecce, qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo; iuſtus autem in fide ſua viuet. Vt autem cetera omnia, quæ hactenus promiſſa fuerant, à ſe præſtita aſſeuerauit commemorauitq́ Deus, ita ſalutem illam publicam, quam Hieroſolymis efficiendam omni orbi communem futuram pollicitus fuerat, efficiendam demùm ac præſtandam communicandámque denuo affirmans, in ſe recipit. Habac.2.

Dabo in Sion ſalutem, & in Iſrael gloriam meam.

Gloriam ſuam Deus publicam vocat ſalutem; cuius certo & explorato beneficio nomen ſuum in cælo & in terra ſanctificandum eſſe, & Vates prænunciarunt, & ſummus præceptor docuit poſcẽdum, Sanctificetur nomen tuum, Adueniat regnum tuum. Cuius & illud ſignificationis eſt, Omnes in Adam peccauerunt, & egent gloria Dei. Et quidem Sion in terris ſalutis huius expediendæ locus futurus prædicebatur, vt & verè fuit; & Iſrael primus huius ſalutis communicator ac teſtis. Verùm hæc in myſterio longè illuſtriora euadent iis qui Sion & Iſraelem in ſpiritu interpretati fuerint. Namq́ illa ſuperna Sion, diuinorum donorum compos per ſpiritum Sanctum effecta, Iſraelem potentem cum Deo, atq́ humana maiorem alea redditum in laudem & gloriam Dei perpetuam excitabit. Hæc verò nos nondum plenè experti, ſed admiranda & expectanda credentes, à Deo doceri & inſtrui poſcamus, feſtinemusq́ ingredi in requiem illius: Etenim & nobis annunciata ſunt, quemadmodum & illis: ſed non profuit illis ſermo auditus, non admixtus fidei ex iis quæ audierunt. Et hoc ſcientes tempus, quod hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quàm cùm credidimus: Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Gloria Dei. Sanctificatio diuini nominis. Mat. 6. Rom. 3. Sion. Sion & Iſrael in ſpiritu. Rom. 3. Heb. 4. Rom. 13.

CAPVT XLVII.

DESCENDE, ſede in puluere virgo filia Babylon, ſede in terra: non eſt ſolium filiæ Chaldæorum: quia vltrà non vocaberis mollis & tenera.

DVPLICEM, *ac potiùs multiplicem ſpiritus vim huius Vatis tam interpretem quàm lectorem votis poſcere oportebat, ad multiplicia oraculorum penetranda percipiendaq́ ſenſa. Verùm enimuerò nobis, quibus parui muneris credita fides eſt, earitè & ſimpliciter præſtanda curæ fuerit; quoad ille diuino beneficio contingat ſpiritus, quem omnis veritatis doctorem Ieſus Chriſtus probatis promiſit, ac largitus eſt diſcipulis. Iam ſæpè ac ſæpius lector nobis admonitus eſt, Vates omnes, atq́ hunc præcipuè, rerũ, quæ ad ſenſum & ad tactum cognoſci & examinari atq́ conſtare demùm poſſint, futurarum cauſas, rationes, modos, & conſequentia, tanquam præſentium cernere ac deſcribere, & aptiſſimè pingere: quæ tamen aliarum in ſpiritu* Prophetica viſio figurarum ad ſpiritum referendarum.

1.Cor. ritu & veritate gerendarum imagines & argumenta eſſe. Quandoquidem
" omnia in figura contingebant illis: Scripta autem ſunt propter nos; in quos
" fines ſæculorum deuenere. Itaq; fit, vt, quæ ſeculis iam præteritis, acta & ſpectata fuerint, publicè per Deum expedita, illius ætatis hominibus piis, ac diuinæ prouidentiæ contemplatoribus, cognitionem doctrinamq; ſui præberent apertam, & futurorum ac præcipuorum Dei mirabilium ſpem arcana ſignificatione firmarent. Eam verò Noui teſtamenti ſancti viri non ſpe tantùm, vt antiqui, ſed virtute & veritate cognoſcerent. Namque ſpes ad veritatis vſque perceptionem credentem deducit animum. S. S. E. Spe enim

Noui teſtamẽti ſancti.

Rom. 8.

" ſalui facti ſumus: ſpes autem, quæ videtur, nõ eſt ſpes; nam quid videt quis,
" quod & ſperat? Quamobrem ſanctorum Veteris teſtamenti ſcriptorũ hoc in æuo interpretem, antiquam figuræ hiſtoriam ita explicare & explanare decet, vt ad veritatis argumentum, ſi non prorſus declarandum, propter maieſtatem rerum, & præſentis hominum conditionis non inculpatam ruditatem; tamen indicandum & commendandum opportunam lucem admouere non pigeat. Cui nos nunc obſecuti legi, vt duplicem Ægyptiacam ſeruitutem identidem repetere ſolemus: alteram, quæ corpori; alterã, quæ animo iugum & vincula impoſuerit. duplicem quoque Pharaonis ac Diaboli tyrannidem: ita duplex quoque Babylonis imperium cum duplici Babylone vrbe agnoſcimus: terrena quidem altera illa ab hiſtoricis & poëtis decantata, lateritia & ex cocto lapide ad miraculi vſque nomen extructa; altera verò carnea, atque ideò non minùs terrea ex Adami veteris materia conſtante, & humanæ potentiæ atque induſtriæ artibus & ſtudiis inſtructa, gubernata, & conſeruata. Vtraq; verò ſuo imperio immodica & vehementer iniqua, atq; humano iniurioſa & calamitoſa generi; atq; ideo ex diuino iudicio ruinæ atque excidij pœnis & ſupplicio damnata: ab illa quidem per Cyrum Perſen, ab hac verò per CHRS cæleſtem exigendis. Et quoniã prioris illius & manifeſtæ Babylonis tum potentia & ſuperbia; tum conſequẽs repentina exciſio, reconditioris & arcanæ figuram exprimebat, quidquid de illa per hunc Vatem nunc prædicitur, ad arcanam Babylona, id eſt, carnis & Satanæ regnum referendum monemus: & quemadmodum referri conueniat, obiter indicabimus. Eſt autem huius capitis oratio omnis enthuſiaſtica: ſermonis verò figura ad oratorium ſarcaſmon, id eſt, ad exprobrationẽ irriſionemq; concinnata: qua Vates tantæ quondam ſuperbiæ, maieſtatis, & inſolentiæ, atq; etiam luxuriæ mutationem & conuerſionem, ac demùm extinctionem, quanquam aliquanto pòſt futuram, tamen vt præſentem intuitus, viuis coloribus deſcribit, ad humani faſtus & ambitus atq; proſperi aliquando ſtatus perterrefaciendum exemplum; atq; ad piorum conſolãdam ſpem, diuiniq; iudicij expectationem firmandam. Vtitur verò apoſtrophe, id eſt, ſermone ad ipſam vtramq; Babylonem conuerſo; qui ad irriſionem & exprobrationem opportuniſſimus eſt. Argumẽta verò ferè omnia antithetis inſtruit; vt ex vſuum, & commodorum, & incommodorum oppoſitione prioris & poſterioris conditionum æſtimentur imagines. Nam pro ſuperbo illo & celitiſſimo throno & ſolio, quod ſibi dum Babylon firmatum ſignificaret;

Babylonici imperij & captiuitatis in ſpiritu interpretatio. Babylon duplex.

caret; tum arduam illam Beli turrem, ſtadiis VIII. *altam; tum regiā ſeptem cinctam turritis muris, conſtruxerat: pro illo, inquam, ſolio nunc deiecta & abiecta, ancillarum modo humi ſedere iubetur. Appellatur autem* Virgo, *vt quæ nullius anteà externi principis ſubiecta fuerat imperio. nec tam muros & ædificia, quàm gentem ipſam compellat oratio.* Virgo filia Babylon. *ita etiam à Pſalte compellatam audimus, Filia Babylonis miſera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuiſti nobis. vt autem reginis ac dominantibus parari & conſtare tribuiq́ ſolent ſolia, ita rurſus ancillis nuda terra ad ſedendum relinquitur: nulla dignitatis priſtinæ habita ratione; ſed præſentis conditionis imperata lege. Primò autem* in puluere ſedere *iubetur, vtpote mutationis ac ruinæ ſuæ ſortem mœrens, quòd is habitus atq́ ſitus mœrentium ſit.* deſcende, *de dignitate, maieſtate, ſuperbia, amplitudine, atq́ præſtantia, inſolenteq́ lætitia tua, & ſede in puluere. Deinde verò ſuam tenere imperatur conditionem; hoc eſt, ancillæ victorum vſibus & iuſſis addictæ: quæ, dum penſa reddunt, aliasq́ præſtant operas, humi ſedent. Nec verò iſtam conditionem breuem, aut paucorū dierum futuram filiæ Babylonis, immò nunquam in priorem redituræ locum.* non eſt ſolium [*regium ſtratum, aut ſedile*] filiæ Chaldæorum. *quæ non modò à priſtino gradu deiecta: ſed à conditione, & naturæ ſenſu deponēda prædicitur. Reginarum enim mos eſt ſedere, cuti ſuæ & mollitiæ atq́ deliciis indulgere & vacare, ſeruis operas, ancillis imperare ac partiri penſa. Hæc omnia mutanda illi denunciantur.* Vltrà non vocaberis mollis, & tenera. *Mollities ad naturam & habitum corporis, teneritudo ad vſurpationem refertur & ad cultum: qui enim victu, indumento, & ſitu atque motu ſiue geſtatu delicatiore viuunt* GHANVGHIM *dicuntur, nomen & ſumptum à cenſu ducentes. idem etiam, vt Satyricus ait,*

Herodot. Clio.

Babylon virgo dicta.

Pſal. cc

Sedere in puluere.

Hilares nitidiq́ vocantur;

Refert ergo quis hæc eadem paret, in Rutilo: nam
Luxuria eſt, in Ventidio laudabile nomen
Sumit, & à cenſu famam trahit.

Iuu. Sat. 11.

Verùm huiuſmodi iam deinceps famæ Babylonis valedicendum ait Vates. In appellatione autem, filia Chaldæorum, *arcana ſubeſt ratio, ad alteram, quam dicebamus, Babylonem referenda.* CHASDIM *Latinis pariter atq́ Græcis Chaldæi dicuntur. quod verò ad myſteria facit, compoſitionem in ſacra lingua prodit nomen* CH-SADIM, *quod Latinè interpretari licet, quaſi dæmoniorum, & quaſi populatorum, ſiue vaſtatorum. vtroque modo rectè ad tyrannicū imperium Chaldæorum nomen facit: rectiſſimè verò ad carnis imperium, id eſt, Babylonis illius inſolentiſſimæ, & à patre Diabolo oriundæ. Qui legit, intelligat. Iam verò mutatæ conditionis quantum fuerit, mutandus vſus, indicatur. nempe vt quæ aliis hactenus laborē imponebat & ſeruitutē, ipſa iam deinceps porrò ſubeat; & omni motu, geſtu, cultu, habitu ac ſitu prodat & manifeſtet, vicemq́ ancillarū, quas vexauerat, de cetero perpetuū luat.*

Chaldæorū nominis ſignificatio & myſterium.

Tolle molam, & mole farinam: denuda turpitudinem tuam, diſcooperi humerum, reuela crura, tranſi flumina.

SEDENTES ac ſibi indulgentes, aliis ſibi deditis & addictis (vti diximus) reginæ indicunt, & operas partiuntur. Hic iam, vti ancilla, ancillarum & ſeruorum partes explere, hoc eſt, molere Babylon iubetur. Eſt autem abiectiſsimum & infimum, præcipueq́ perpetuum & laborioſum ancillarum & ſeruorum opus, in piſtrino molere. Sic de Samſone narratur:

Molere abiectiſſimum ſeruorũ opus

Iudic. 16.

Quem cùm apprehendiſſent Philiſthiim, ſtatim eruerunt oculos eius, & „ duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere, molere fecerũt. Molere itaq; vt ancilla vtraque iubetur Babylon, & ad victum dominis parare farinam. in alteram planus eſt ſenſus, in alteram verò arcanus. Deinde etiam ancillarum habitus & cultus depingitur; qui Babyloni vtrique iam poſtea conueniat, nimirum ſqualidus, neglectus, & ſordidus. atq; eidem ipſi pro temporis ac neceſsitatis vſu variandus. Denuda turpitudinem tuam, diſcooperi humerum, reuela crura, tranſi flumina vti ingens dominarum in componendo crine ſtudium, ita rurſus ancillarum perdita neglectio: illis enim otium, iſtis verò negotium, & mæror, atque labor ſuperat. Vtramque ſortem aptiſsimè deſcripſit ille, qui in feminarum perorauit vitia:

Ancillarum habitus & cultus.

Iuuen. Sat. 6.

Nam ſi conſtituit, ſolitóque decentiùs optat
Ornari, & properat, iamq́ expectatur in hortis,
Aut apud Iſiacæ potiùs ſacraria lenæ,
Componit crinem laceratis ipſa capillis,
Nuda humeros Pſecas infelix, nudisq́ papillis.
Altior hîc quare cincinnus? taurea punit
Continuò crimen flexi facinusq́ capilli.

Et Iſaias hic idem dum Ieroſolymitanis feminis comendi ſtudium improbans, minatur, dicebat: Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & „ Dominus crinem earum nudabit. Hoc enim in ſordibus cenſetur mulieribus: atq; ita interpretamur vocabulum Latinum turpitudinem tuam, ex primæuo TSAMATHECH verſum. Crinis enim in illa lingua TSAMATH vocatur. & TSAMIM latrones, & graſſatores Arabum, qui nudi penè, & prolixo ac neglecto capillo agunt. Deinde etiam aliam neglecti & ſordidi habitus indicit partem, ſimilem illi apud Poëtam, Nuda humeros Pſecas infelix, nudisq́ capillis. Diſcooperi humerum, in quo non rarò plectuntur & verberantur ancillæ. Huiuſmodi ergo vicem Babylonicæ genti ferendam denunciat Vates. quam ſub ancillæ imagine toto hoc reſponſo compellat. Namq; in domeſticis ſeruitiis & familiaribus operis plerumq; ſeminudæ viſuntur ancillæ. Præterea vna ancillula

Sup. 3.

TSAMATHECH. TSAMATH. TSAMIM.

Ancillarum humerus verberatur.

Teren. Heauton. act. 2. Scen. 3.

Erat, ea texebat vna pannis obſita
Neglecta, immunda illuuie.

Quod verò Babylonica gens non in ſuo tantùm loco ſeruitiis deſtinanda, ſed ad alias etiam regiones pro victorum ac dominorum arbitrio migratura, captiuaq́ ducenda foret, iubetur altiùs veſtẽ, genu tenus, & vlteriùs etiam tollere ac præcingere, traiiciendorum in fluminibus vadorum cauſa. Itaque & deſtinati, & cauſæ monetur ſimul, reuela crura, & tranſi flumina. Nam contra matronarum, &

& nobiliorum feminarum decorem, crurum nuditas habetur: quæ ancillas, ac turpiores mulierculas vſu ipſo prodit: Crurum nuditas turpis matronis. Horat. lib 1. Sat. 2.

Si interdicta petes, vallo circundata (nam te
Hoc facit inſanum) multæ tibi tum officient res,
Cuſtodes, lectica, cyniflones, paraſitæ,
Ad talos ſtola demiſſa, & circundata palla:
Plurima, quæ inuideant purè apparere tibi rem.
Altera nil obſtat: Cois tibi penè videre eſt,
Vt nudam: ne crure malo, ne ſit pede turpi:
Metiri poßis oculo latus.

Atqui non lectica aut ſella, imò nec iumento vectam Babylonem, ſed peditem flumina, captiuarum ritu, traiecturam dicit Vates. Inde verò conſecutum iri ait, vt operta illa & velata Babylonis auctoritas; qua ſe quaſi diuinam & humana vice maiorem ſimulauerat, atque adeò geſſerat, omnibus aliis præ ſe contemptis ac ſpretis, in ignominiam ſummam mutetur, & contemptui ſpectatorum exponatur omnium.

Reuelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum: vltionem capiam, & non reſiſtet mihi homo.

Significat vltionem, quam ſe capturum commemorat Vates, non hominis mortalis cuiuſquam, ſed Dei ſolius virtuti & efficientiæ acceptam eſſe referendam. In exemplari eſt, V. LO EPHGAGH ADAM, & non quæram hominem, *ſiue,* non offendam hominem. *Vt enim Babylonica euerſio repentina Deum vltorem declarauit: ſic arcanæ Babylonis deiectio vnius Dei opus & beneficium à Vatibus ac ſanctis viris adſcripta fuit, ac ſemper adſcribitur. Id quod Vates noſter, cuius hæc tota oratio eſt, e veſtigio declarat: Vt non glorietur omnis caro.* "

Redemptor noſter, Dñs exercituum nomen illius, ſanctus Iſrael.

Babylonis domandæ & abducendæ atque ſubigendæ conſilium, voluntatem, facultatem, ac demum euentum vni IEHVEH *tribuendam eſſe ait; qui propter ſalutis publicæ rationem hoc præfert nomen, idémque exercituum Dominus, propter efficiendi facultatem; propter effectum verò, Sanctus Iſrael appellatur: vtpote qui ſingularem & admirabilem prouidentiam & miſericordiam in Iſraele ſecundùm carnem, maximè verò in Iſraele ſecundùm ſpiritum probauit.* Sanctus Iſrael.

Sede tacens, & intra in tenebras filia Chaldæorum: quia non vocaberis vltrà domina regnorum.

Imperatoriæ maieſtatis & auctoritatis eſt, principibus ſub ſe conſtitutis inſtare, dictare, conſpicuum ſeſe & venerabilem, immò & formidabilem præbere: quæ, ſi immodicè agantur, tyrannidis ac dominationis notam & inuidiam ſubeunt. Horum autem facultate & vſu abdicatam, per enthuſiaſmon iubet Vates in poſterum ſedere; qui mæſtorum & lugentium eſt habitus: tacere; *vtpote cuius iam imperij ac dictati nulla habenda ſit ratio:* & in tenebras intrare, *non iam illuſtrem & conſpicuam deinceps; verùm in ſecretiore & obſcuro loco, velut captiuas, eſſe oportet incluſam.*

Tacere. *Eſt autem tacere non priuatorum modò, ſed ſubditorum ac ſeruorum, qui obiurgantem, aut imperantem dominum capite obſtipo, & , quod metum ſignificet, audire ſolent, & amaris hiſtoriis excepti, tamen mærentes tacent. Audituram autem ait Babylonem*, non vocaberis vltrà domina regnorum. *Gentium dominus, rex; regnorum verò dominus, imperator dicitur.*

Aſſyrium imperium. Gen. 10. *Aſſyrium imperium multis præfuiſſe regnis, iam tum à Nimroto accepimus. Porrò Chus genuit Nemrod: ipſe cœpit eſſe potens in terra, & erat „ robuſtus venator coram Domino. ab hoc exiuit prouerbium, Quaſi Nem„ rod robuſtus venator coram Domino. Fuit autem principium regni eius „ Babylon, & Arach, & Achad, & Chalanne in terra Sennaar. De terra „ illa egreſſus eſt Aſſur, & ædificauit Niniuen, & plateas ciuitatis, & Cha„ le. Reſen quoque inter Niniuen & Chale: hæc eſt ciuitas magna. Harum gentium & vrbium copiis innumera alia loca & regna Babylonico ſubiecta imperio, etiam externi recenſent auctores. Atq; hæc de Babylone à Cyro capienda Vates dum prædicit, alterius Babylonis à Christo ſubiiciendæ atque*

Babylon à Chriſto capta. Apoc. 18. *diſſipandæ potentiam & tyrannidem notat. de qua ſcriptum eſt: Poſt hæc vidi alium Angelum deſcendentem de cælo, habentem poteſtatem magnã: „ & terra illuminata eſt à gloria eius. Et exclamauit in fortitudine dicens, „ Cecidit, cecidit Babylon magna: & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cu„ ſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ & „ odibilis: quia de vino iræ fornicationis eius biberunt omnes gentes, & re„ ges terræ cum illa fornicati ſunt: & mercatores terræ de virtute delitia„ rum eius diuites facti ſunt. Triplex autem Babyloni vtrique ad hoc ſubeundum iudicium infertur crimen: inſolentiæ & crudelitatis vnum; vtpote imperio in homines (quos populum ſuum Deus vocat) abuſæ. Cuius criminis illa obiectio eſt:*

Babylonis vtriuſque crimina.

Iratus ſum ſuper populum meum, contaminaui hæreditatẽ meam, & dedi eos in manu tua: non poſuiſti eis miſericordias: ſuper ſenem aggrauaſti iugum tuum valde.

Ieroſolymorum ciuitatem non caſu, non humanæ potentiæ virtute, ſed iudicio diuino Chaldæis expugnandam, diripiendam, & abductum tradi-tam ſacra narrat hiſtoria; ſceleribus priùs declaratis, quamobrem pœnis illis iure addictam affirmet. Verùm enimuerò Babylonios victores felicitati & gloriæ ſuæ eam expeditionem potiùs, quàm Dei conſilio & iudicio tribuentes, immaniter & crudeliter victoria & ſeruitio vſos fuiſſe, ſacri ſcriptores notant, & carminibus etiam lugubribus conqueruntur. Cuius argumenti decantatiſſimus ille Pſalmus eſt: Super flumina Babylonis, &c. Immanitatẽ verò eò vſque inſoleuiſſe aiunt, vt nulla nec ætatis, nec ſexus, nec ordinis aut cõditionis habita fuerit ratio; nullus in ſeruitute imponenda delectus: vſque adeò vt in debiles etiam ſenes, & propter canitiem venerabiles procaciter ac durè imperatum, decretumq; fuerit. Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda: principes manu ſuſpenſi ſunt, facies ſenum non erubuerunt. hoc eſt quod hîc commemoratur. Super ſenem aggrauaſti iugum tuum valde. *Prima itaque criminis obiectio,*

Babylonis inſolentia & immanitas. Pſal. Thren. 5.

imperij

imperij inſolentia & crudelitas eſt: ſecunda verò, potentiæ ſuperbia & arrogantia æternitatem ſibi ipſi promittentis, felicitatemq́ ſuam ad aſtra potiùs, quàm ad prouidentiam referentis. Babylonis ſuperbia & arrogantia.

Et dixiſti, In ſempiternum ero domina. non poſuiſti hæc ſuper cor tuum, neque recordata es nouiſſimi tui.

Proſperitates ac ſecundæ res dementia improbos deprauatos ad ſuperbiæ adigunt inſaniam, neque ſeſe agnoſcentes, nec in poſterum ſibi metuentes: vnde & inſolentia creſcit, & iniuria ſuperat; quæ certiſſimam parit ſummæ potentiæ ruinam. In ſempiternum ero domina. GABERETH, *dominam ſeruorum & ancillarum ſignificat; quæ ſubiectis ſibi vt ſeruis, imperitet: ita Angelus Saram, Agaris dominam vocat. Huiuſmodi autem ſuperbi & inſolentis imperij exitus quales fuerint, qualesq́ futuri ſint, declarauit Sapiens: Domus ſuperborum demolietur Dominus. Præſenti verò proſperitate ſtupentem Babylonem nihil minùs quàm de mutatione, & conuerſione rerũ cogitaſſe, Vates ait.* neque recordata es nouiſſimi tui. *Ne tamen non admonita vnquam dici poſſit, quamquam vel ipſa humanarum rerum natura & inconſtantia ſatis doctrinæ & animaduerſionis præbere poſſit, ac debeat: nihilominus,* GABERETH. Prou. 18.

Et nunc audi hæc delicata, habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo, Ego ſum, & non eſt præter me amplius: non ſedebo vidua, & ignorabo ſterilitatem.

Huius Babylonicæ confidentiæ & arrogantiæ exemplum humana omnis proſperitas non ſemel imitata, perpetuò conſequentem nacta quoque eſt exitum. Dicis in corde tuo. *non tantùm temerè pronunciatum dictum, ſed conceptam etiam arroganti animo ſententiam ſignificat.* Et non eſt præter me amplius. *ſolum, vnicum, ſingulare ſibi arrogaſſe imperium: cui nulla mortalium potentia aut maieſtas comparari poſſet. atque ita dum homines tantùm reſpicit, prouidentiæ diuinæ iudicium non cogitat: vel ſi cogitet; ita tamen negligenter, vt minimum metuat. Namque regiæ potentiæ ſplendore & fulgore decepta, nullas vnquam tenebras ſuccedere poſſe putabat. quam opinionem Chaldæi populi magnitudo & frequentia ingens augebat. Rex autem mariti in regia vrbe, populus verò, ſiue ciues, præcipuè principes, filiorum partes repræſentant: neutris autem ſeſe defectum iri Babylon per arrogantiam iactabat:* non ſedebo vidua, *carens rege,* & ignorabo ſterilitatem *ciuium & procerum. Atqui iſtius arrogantiæ ille expectandus eſt exitus:* Dicere in corde.

Venient tibi duo hæc ſubitò in die vno, ſterilitas & viduitas, vniuerſa venerunt ſuper te propter multitudinẽ maleficiorũ tuorũ.

V N A *enim die Babylon illa conſpicua, & rege occiſo, viduam; & ciuibus partim captis, partim fugatis, orbatam ſeſe ſenſit.* Sterilitas, SECOL, *orbitatem ſignificat. Vna autem die mortis Chriſti, arcanam Babylonem, rege ſuo peccato extincto, & peccati numeroſa ſobole, priuatam accepimus. Tertiam verò criminationis & culpæ materiam falſæ & mendacis doctrinæ ac ſapientiæ perſuaſio & iactatio ſuggeſſit. nimirum rerum ſuarum ratione* SECOL.

tione & auctoritate à diuinæ prouidentiæ veriſſima virtute adinuentas & excogitatas cælorum & ſiderum efficientias deriuata, atq; etiã humanæ induſtriæ & ſagacitatis atq; prudentiæ commentis & conſiliis munita.

Et propter duritiam incantatorum tuorum:

Imperij æternitas Babyloni falsò promiſſa. Humanæ potentiæ partes.

Qui Babyloni perpetuam & æternam felicitatem conſtanter, immò & pertinaciter promittebant. Tribus autem partibus conſtare, muniri, inſtrui & confirmari humana potentia putatur: felicitate, ſapientia, ſiue prudẽtia, & opibus. Felicitatem Babylon ſibi ex Chaldaicis arrogabat diſciplinis; ſapientiam, & prudentiam ex tyrannidis legibus atque inſtitutis perpetuo vſu exercitis: Opes verò regis atq; principum coniunctis conſiliis & auxiliis. quæ omnia, cùm ad iniuriam comparantur, perniciem regnis, ac regibus moliuntur exitium.

Et fiduciam habuiſti in malitia tua, & dixiſti: Non eſt qui videat me. Sapientia tua, & ſcientia tua, hæc decepit te.

Non in Deo, rerum auctore & gubernatore, ſed in ſua malitia & malignitate, hoc eſt, artibus illis ad conſeruandam tyrannidem comparatis, fiduciam illi firmatam vſque adeoq; creditam ait, vt nihil moræ fuerit iactari atq; affirmari, non modò non eſſe qui ſe tentare & adoriri, ſed nec qui videre aut oculis petere, nedum armis auderet. non eſt qui videat me. *Tantum omnium eſſe erga ſe perſuaſerat metum, vt nec procul alicunde videre ſe cuiquam animus eſſet; tamquam feram aliquam immanem & celerrimam, cuius vel conſpectum homines formident. Quibus in artibus adeò excellere ſibi perſuaſam Babylonem ait, vt dicere nihil puduerit:*

Ego ſum, præter me non eſt altera. *Tribus verò iſtis artibus triplicem exitialis exitus opponit Vates partem: Præſcientiæ quidem, & cognitioni futurorum,* Veniet ſuper te malum, & neſcies ortum eius. *Conſiliis verò & artibus imperandi & cauendi ac prouidendi incommodis,* Irruet ſuper te calamitas, quam non poteris expiare. *Opibus verò atque præſidiis,* Veniet ſuper te repentina miſeria, quam neſcies. *Hæc autem omnia ex diuino iudicio parata, & in ſcelerum pœnam ferenda, non modò illis artibus caueri & propulſari non poterant, ſed & magis etiam grauia euaſura erant.*

Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum in quibus laboraſti ab adoleſcentia tua, ſi fortè quid proſit tibi, aut ſi fieri poſſis fortior.

Malum quo frequentius, eo ſentitur nocentius. atqui artes illæ tam anxiè & ſtudioſè comparatæ potentiæ ac tyrannidis muniendæ cauſa grauiùs promerebantur ac ſollicitabant iudicio diuino inferendũ ſupplicium. Non enim vnum aut alterum incantatorem fuiſſe Babyloni, ſed plures & frequentes vltra hiſtoriam hæc Vatis irriſio ſignificat. Sta cum incantatoribus tuis. *Stare, attendere & paratum eſſe atque fidere ſuis artibus, hîc ſignificat; nec ad conſilium, ſed ad ſarcaſmon facit hic imperatiuus modus.*

Chaldæi malefici ab antiquo.

Antiquiſſimum verò Chaldæis iſtarum artium ſtudium fuiſſe indicat, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laboraſti ab

ado-

adoleſcentia tua. *Nam quo intenderis, ingenium valere dicitur. Atqui Babylon non modò profeſſorum in huiuſmodi artibus oſtentabat frequentiam, ſed antiquitatem etiam diligentiæ & induſtriæ ad eam ſapientiam comparandam adhibitæ iactabat. Siquidem quadringenta & ſeptuaginta millia annorum in periclitandis experiundisq́; pueris, quicunq; eſſent nati, Chaldæi dicebant poſuiſſe, vt prædicere poſſent quid cuique euenturum, & quo fato natus eſſet; atq; hoc pacto cognitionem aſtrorum & ſolertiam ingeniorum ſibi arrogauerant. quos tamen omnes, quamquam plures & conſilio, ſolertia ac ſcientia, quamlibet concordes: nihil tamen ſibi vel ſapuiſſe, vel cauiſſe aut profuiſſe, exitus à Vate prædictus, declarauit. quem, etſi fama ad ſe delatum acceperint: non tamen cauere aut vitare nouerūt: vtpote qui ſuis artibus vitare contenderent, non iis, quas Deus ad mala cauenda, vel declinanda docuit, & commendauit, fide, inquam, & pœnitentia ſeriò atque ex animo inita. Verùm enimuerò multo aliter, quam tibi perſuaſeras, demùm experta ſenties. nam quo pluribus conſiliariis & aſtrologis, eò pluribus deceptoribus vſam te deprehendes.*

Cic. de diuinat. lib. 2.

Idem lib. 1.

Defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum: ſtent, & ſaluent te augures cæli, qui contemplabantur ſidera, & ſupputabant menſes, vt ex eis annuncient ventura tibi.

Aſtrologiæ ratio.

In exemplari lingua diſciplinæ illius ratio & ſeries breui quaſi definitione indicatur, HOCRE SAMAIM HAHHOZIM BECHOCHABIM MODIGHIM LEHHADASIM. *Omnis iſta ſiue ſcientia, ſiue ars, opinio potiùs vocanda, tribus expeditur partibus: cælorum primò ſubducenda motuum & concurſuum ratione, per certa vniuſcuiuſque orbis in proprio motu tempora. Deinde verò ſiderum apparentiis, quas vocant: in quibus aſpectus & coniunctiones atque oppoſitiones; quæ vel ſe mutuò iuuant, vel impediunt, vel temperant. Ex vtroque autem opere tertium ſequitur, denunciatio rerum earum, quæ futuræ fuerint, & à communi & conſueta perpetuaq́; conſuetudine aliquo modo diſcrepaturæ videantur. Nam quòd hyems, æſtas, ver & autumnus quotannis fiant, non artis, verùm vulgaris eſt etiam notitia; quòd pleriq; omnes, qui gignuntur, in lucem editi veniant, nihil etiam hoc Aſtrologorum indiget documentis. Quòd verò vehementiùs & præter communem naturæ vim hæ aut illæ anni partes hyement, ardeant, aut ſæuiant: quòd hic puer priuatis & ignotis natus parentibus, in ſummum ſit euaſurus imperatorem; ille maximè futurus doctus; iſte vehementer infelix: Hæc ſibi præcognita Chaldæus vendicat, & venditat. Primam partem ſignificat* HOCHRE SAMAIM, inquiſitores cælorum: *Secundam* HAHHOZIM BECHOCHABIM, ſpectatores ſiderũ: *Tertiam* MODIGHIM LEHHADASIM, *ex verbo*, docentes in noua. *id eſt, in ea, quæ præter communem vſum noua euenient: in quibus regnorum & rerum varietates & mutationes. nam* HHADAS, *nouare, & nouum facere interpretamur: vnde menſi nomen factum* HHODES, *cuius plurale etiam* HHADASIM, *propter menſtruæ lunæ non nouitatem modo, ſed innouationem. Singulæ*

HHADAS. HHODES.

enim lunationes certam afferunt in tempore nouitatem à præterito & ſubſequente variatam menſe.

Virg. Georg. lib. 1.

Ipſe pater monuit, quid menſtrua luna moneret,
Quo ſigno caderent auſtri, quod ſæpè videntes
Agricolæ propiùs ſtabulis armenta tenerent. *Verùm enimuerò non de his mutationibus hoc loco mentio, ſed de illis, quarũ cognitio magnis aſtrologis arrogatur: in quibus, vti diximus, rerum conuerſiones & imperiorũ euerſiones ac mutationes indicari putãtur ac prædici. Itaq. menſium nomine Latino ad ſuum exemplar examinato*, nouitates *exponimus, cum Vate ipſo dicente,* vt ex eis annuntiarent ventura tibi. *Quos tamen propter promiſſam ſecuritatem, & Babylonienſis imperij perpetuam felicitatem, ad ſuperbiæ & inſolentiæ ſcelera & crimina, atq. ad culpam & maturandi ſupplicij repentinum euentum, cauſas dediſſe Vates arguit, eoſdémque, vtpote eodem inuolutos crimine, eodem damnatos exitio denunciat. Ridiculam verò ſapientiam, quæ & ſuis profeſſoribus, & horum diſcipulis atque admiratoribus pernitiem improuiſam, repentinam, atq. adeò ineuitabilem attulerit calamitatem.*

Ecce facti ſunt quaſi ſtipula, ignis combuſſit eos: non liberabunt animam ſuam de manu flammæ: non ſunt prunæ quibus calefiant, nec focus, vt ſedeant ad eum.

Chaldæorum vanitatem graui, ſeuera, & appoſitiſſima ſententia proſcindens & notans, arguit profeſſoribus ipſis pernitioſam; aliis verò nullis mortalium vlla ex parte vtilem aut commodam, vel opportunam: vtpote quæ ex earum genere ſit rerum, quæ, dum pereunt, nullum ſuum præbent aut relinquunt vſum; quo nihil aut vanius, aut ſpernendum dici magis debeat.

Ignis natura.

Hanc verò cenſuram ex ignis natura per ſimilitudinem ducit; qui ſolidiorem nactus materiam, dum depaſcens ardet, adſtantibus calorem & fomentum aliquod præbere poteſt: verùm ſi ſtipulam corripiat, præter illius conſumptionem nihil præterea vſui aut commodo capiendo efficit. Talem iſtorum aſtrologorum ac diuinorum rationem, tam repentinum & breue exitium, tamq. inutile ſtudium ait.

Sic facta ſunt tibi in quibuſcunque laboraueras.

Ignis examinatio.

Ignem omnium rerum examinatorem atque vtilium inutiliumq. indicem certiſſimum ſacræ diſciplinæ laudant: vtpote qui aurum coquat quidem, verùm non exurat; ſed multo pretioſius vtiliúſque probet; ſtipulam exurat ſubitò, nulloq. vſu relinquat commẽdabilem. Ad quod alludens Paulus, ait: Si quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum,

1. Cor.

" *argentum, lapides pretioſos; ligna, fœnum; ſtipulam, vniuſcuiuſque opus*
" *manifeſtum erit: Dies enim Domini declarabit; & vniuſcuiuſque opus,*
" *quale ſit, ignis probabit. Talia itaque Babyloni ſuorũ ciuium & incolarum Chaldæorum ſtudia euaſura vates ait, hoc eſt, ſibi inutilia & pernitioſa, vtpote ſecuritatis falſæ efficientia nulli præterea alij vtilia aut commoda. Nec verò maius aut certius in aduenis hoſpitibus & negotiatoribus præſidium, auxilium, vel commodum expectandum eſſe ait; quorum fidem experirê*

viri volenti nullam reperiendam, vtpote cum rebus ipſis mutandorum.

Negotiatores tui ab adoleſcentia tua vnuſquiſque in via ſua errauerunt. ETIAM *antiquiſſimos negotiatores, & qui certas in illa vrbe & regione domos negotiorum cauſa inſtruxerant, vt in magnis vrbibus atque communibus emporiis vſu venire ſolet: tamen vnà cum nouarum rerum & regni mutatione migraturos, in propriasq́; reuerſuros regiones ait. Ita fiet, vt neque ab incolis propriis, nec ab hoſpitibus & amicis adiuta, ſalutis aliquo pacto compos euadat.* vnuſquiſque in via ſua errauerunt. *Singuli in ſua loca ſuſceptis vel magnis itineribus redierunt: vel aliàs petierunt, quibus tutius viuere poſſent, regiones. ita omnia cum imperij conuerſione vertuntur. ita etiam debellato & occiſo Babylonis arcanæ rege peccato, ſapientia induſtriaq́; humana igne abſumpta fuit, nullo ſui relicto vſu, & quæcunque commodi proprij cauſa in eam vrbem confluxerant varia humana negotia cum ſententiis, opinionibus, & legibus ſuis pariter exulauere. de quibus ſcriptum eſt: Et mercatores terræ de virtute diuitiarum eius diuites facti ſunt.* Apoc. 18.

CAPVT XLVIII.

AVDITE hæc domus Iaghacob, qui vocamini in nomine Iſrael, & de aquis Iuda exiſtis, qui iuratis in nomine Domini, & Dei Iſrael recordamini non in veritate, neque in iuſtitia.

IAGHACOBI *nomen non omnino fauſtum & commendabile eſſe, iam monuimus: quippe quod ad induſtriã artemq́; referatur, non ſine fraudis, vel doli ſuſpicione, vel nota. Quamobrem Eſau benedictionis iure abdicatus & pulſus, conquerebatur: Iuſtè vocatum eſt nomen eius Iaghacob: ſupplantauit enim me en altera vice: primogenita mea ante tulit, & nunc ſecundò ſurripuit benedictionem meam. At verò nomen Iſrael, quod ab Angelo fuit viro impoſitum, dignitatem, principatum, & poteſtatem vendicat. Arguit autem nunc Ieroſolymitanos ciues, hoc eſt, populum ſibi dicatum, Deus officij quaſi proditi, & præpoſterè facti: vtpote qui, cùm propter veram doctrinam ſolidæ pietati ſtudere incumbereq́; debuiſſent; tamen vanis miſcuerunt artibus, & manifeſtis fraudibus, induſtriis, ſuperſtitionibus, atque incantationibus, vaniisq́; diſciplinis; qualibus Babylonem implicatam, & exitio damnatam, ſuperiùs declarauerat. Ideoq́; ad notatam nominis Iaghacobi partem alludens: Iudæos, qui laudis & confeſſionis titulo inſignes eſſe, atq; virtute præſtare debuerunt,* domum Iaghacob *appellat: vtpote qui non tam ex Iſraelis dignitate, quàm ex Iaghacob arte vitam inſtituerint, & egerint; cùm tamen Iſraelis nomen ad gloriam & commendationem ſui prætenderint. Hæc illius exordij ſententia eſt,* Audite hæc [*vos, qui vita & arte eſtis*] domus Iaghacob [*quamquam*] vocamini in nomine Iſrael. *Eſt & aliud nomen celebre & magnificum* Iuda, *quod à verbo* HOD *deriuatum ſolidam, veram, perpetuam veritatis & confeſſionis laudem, puram apertamq́; ſimplicitatem promittit fraudis omnis prorſus expertem. Sicut Lea, mater quartùm facta, dixerat, Modò confite-*

Iaghacob.

Gen. 27.

Iſrael.

Iuda.

bor Domino. & ob hoc vocauit eum Iudam. Reprehenditur autem populus ille, quòd confeſſionem, veritatem, ſimplicitatem, quam nomen promittit, verbis quidem & oratione vtcunque profiteri videantur: pietate vero, moribus, ac re nõ præſtent. Itaq; nominibus religioſis ac ſermone ſpeciem quidem exhibent cognitionis ac laudis Dei, quem iureiurando teſtãtur, nominando & appellando prædicant; verùm animo & vero ritu non colunt. Hoc

Aquæ. *eſt quod ait,* & de aquis Iuda exiſtis. *Sobolem humanam* aquas *appellat, propter continuatum fluxum & ſucceſſum: vt ex eodem fonte ortus fluuius, nomen quidem retinet ſuum, quamquam non ſemper purus fluat; idemq; ad fontis originem refertur; cùm tamen interdum, conceptis alicunde torrentibus ac riuulis turbidior, quàm cùm primùm prodierat, decurrat. Ita iſti confeſſionis, laudis, & gratulationis ac veritatis nomine decori, moribus*

Iuramentũ. *improbi dicuntur: vtpote qui* iuratis in nomine Domini. *quod, ſi ſanctè ac ritè fiat, pietatem religionemq; indicat. cui & illud etiam adiungitur, aſsidua mentio Dei Iſraelis.* & Dei Iſrael recordamini, non in veritate, neque in iuſtitia. *Simile in Ieroſolymitanos & Iudæos apud Ieremiam*

Ierem. 5. *crimen. Circuite vias Ieruſalem, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis eius an inueniatis virum facientem iudicium & quærentem fidem, & propitius ero ei: Quòd ſi etiam, Viuit Dominus, dicunt, & hoc falſum iurabunt. Pergit autem in commemoranda gloria & iactatione tum generis, tum loci ſancti. quod quidem ita quondam ab initio fuiſſe Deus teſtatur: verùm immanè quantum ab illa prima pietate fuiſſe iam degeneratum arguit.*

De ciuitate enim ſancta vocati ſunt, & ſuper Deum Iſrael conſtabiliti ſunt: Dominus exercituum nomen eius.

Sancta ciuitas. Mat. *Ciuitatem Ieroſolymorum ſanctam quondam appellatam, ſanctitatiſq; titulum apud poſtremos etiam cultores obtinuiſſe, Euangeliſta teſtis eſt: Et multi ex iis qui dormierant, reſurrexerunt; & introeuntes in ſanctam ciuitatem, apparuerunt multis.*

Ieruſalem ſanctitas. *Sanctam autem multis nominibus appellatam: vtpote, Regis magni ſedem regiam, templi Domini maieſtate decoram. de quo ſcriptum eſt: Domum tuam Domine decet ſanctitudo in longitudinem dierum. Eandem Vatum doctrina refertam & celebrem, omnis cadauerum ac ſepulchri impuritatis immunem. Huius verò ſanctæ ciuitatis*

Iudæorum iactatio. *communionẽ & ciuilitatem Iudæi iactabant, ſe Dei Iſraelis curæ & prouidentiæ tutela firmatos prædicabant. quem* Dominum exercituum *audire palàm erat. ideoq; illius vrbis ac populi ſingulari gratia tutelarem creditum. Quæ quidem omnia quondam ita vt prædicantur, & conſtitiſſe, & promiſſa, dicta, pronunciata, atque præſtita, auctore ſe, conſtitiſſe Deus ait. Hæc ſubiuncti verſus germana ſententia.*

Priora ex tunc annunciaui, ex ore meo exierunt, & audita feci ea: repentè operatus ſum, & venerunt.

Ieroſolymorum antiqua ſanctitas. *Ieroſolymorum antiquam ſanctitatem, dignitatem, doctrinam, & felicitatem omnem, doctore, iudice, ac fautore, immò auctore vnico atq; efficaciſsimo ſe conſtitiſſe, Deus affirmat. Verùm hæc omnia quondam dum ci-*

ues

ues tali ciuitate digni Iudaicè, hoc eſt, laudabiliter principi probati viuebãt. Id quod Pſaltes aliquando celebrando retulit, Hæc requies mea in ſeculum Pſal.
ſeculi: hîc habitabo, quoniam elegi eam. Viduam eius benedicens benedicã, pauperes eius ſaturabo panibus. Sacerdotes eius induam ſalutari, & ſancti eius exultatione exultabunt. Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Chriſto meo. Verùm enimuerò multò aliter ſeſe habere iam Deus ait, propter inhabitantium degeneres mores, & multiplicem culpam ſibi, qui non tam verbis, quàm rebus & animis probandis gaudet, cognitam.

Sciui enim quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea.

Sciui enim. *Exemplar habet* MIDAGHATHI, ex cognitione mea, *ſiue,* ex ſcientia mea. *non ſermone, ſed virtute pietatis puram & veram definiri rationem in ſacris diſciplinis axioma eſt. Virtutem autem Deo ſoli perfectè cognitam; vtpote cuius maxima vis in animo conſiſtat. Homines enim, ea quæ videntur, iudicant: Deus vero cor atque renes ſcrutari ſolus poteſt, & ſemper ſolet. Quamquam, inquit, nomen & genus iactes; tamen ex ſcientia mea, me cognitore & iudice, conuerſus es in arcum prauum. Arcus autem duæ ſunt partes: cornua videlicet, & neruus. neruus manui iacientis obſecutus, cornua ad iactus arbitrium flectit: quòd ſi vtraque dureſcat pars, arcum inutilem prorſuſq; reprobũ reddit. Hac tranſlatione Deus populi illius accuſat atq; improbat peruerſitatem: collum enim in humano corpore nerui, frons autem arcus ipſius vicem gerit. Etenim arcus, Perſici præcipuè, figura bouis cum cornibus imitatur frontem. Frons vero in facie attentam animaduerſionem & conſiderationem ſignificat: collum verò, ſiue ceruix, obſequium & obſeruantiam in quamlibet partem prompta & flexibilia indicat. Populum igitur iſtum & ſuperbia elatum, diſciplinæ veræ expertem, & contumacia rigidum ac proteruum nimium euaſiſſe Deus ait: hoc eſt, nec fidelem, nec pœnitentiæ ſtudio, ſicuti decebat, obſequentem, & nihilominus impudentem: quæ impudentia in facie etiam arguitur, cui nulla ſanguinis hæret gutta. Namq; rubor pœnitentiæ ſolet eſſe tinctura. quo etiam tropo aliàs dictum, Firmauerunt facies ſuas ſupra ſilicem ſiue petram. Atque ita tribus nominibus gloriam ſibi arrogantes, Iſraelitas trifariam fuiſſe mentitos. nimirum, pro Iſraele Iaghacobum dolo & fraude, arteq; agentem: pro Iuda, id eſt, veritatis laudatore, & reſponſore, iuratoreq; ſancto, mendacem & iniuſtum: pro ſancto ſanctæ vrbis eius Deo, Iſraelitarum dicato & ſacro, arcum prauum neruum ferreum euaſiſſe. Hæc omnia exordij loco à Deo per Vatem pronunciata, eò tendunt, vt quidquid populo illi vel ſecundarum, vel aduerſarum deinceps rerum euenerit, Dei conſilio, iudicio, & auctoritati, nõ alijs vanis cauſis & efficientibus adſcribatur. quippe cùm ita, vt prædicta ſunt, euenerint: auctorem ſuum eundem, qui prædici iuſſerit, indicent, & probent.*

Arcus prauus.

Arcus Perſicus.

Frons.

Collũ, ceruix.

Prædixi tibi ex tunc: antequam venirent indicaui tibi, ne fortè diceres, Idola mea fecerunt hæc, & ſculptilia mea, & conflatilia mandauerunt iſta.

A prædictione ad auctoritatem argumentum. Ioan. 14.

Perpetua & ſolennis in ſacris argumentationibus à prædictione ad auctoritatem deducendi & colligendi ratio eſt; vt idem euentorum auctor, qui fuerit dictator, credatur. vt, Nunc dixi vobis priuſquam fiat, vt cùm factum fuerit, credatis: ita nunc ſeſe Deus auctorem tum beneficiorum in hunc populum conferendorum, tum etiam pœnarum decernendarum iudicem declarat: vtpote qui omnia hæc multo antè quàm ederentur prædicenda Vatibus dictauerit, atq; etiam varias hominum pro tempore conditiones, varia ingenia præmonere iuſſerit: vt qui rectè ſemper ſaperent, propoſitum vrgentes ad beneficia diuina accipienda ſeſe compararent: alij vero qui deſipuiſſent, moniti & admoniti ſibi cauerent, & meliùs conſulerent: ſin minùs, tamen diuinum agnoſcerent, ſine vlla exceptione iudicium; vtpote qui ſibi non prædicta omnia excuſare minimè poſſent; ſed ſe ipſos in culpa eſſe, manifeſtò intelligerent; qui nec prædictionibus obaudiſſent, nec illis commemorandis filios inſtruxiſſent ſuos: ſed contrà, & ſibi, & poſteris exitium atque ſupplicium negligendo ſollicitaſſent & maturauiſſent. Hæc iam, vt per Vatem pronuncientur, animaduertamus.

Quæ audiſti, vide omnia: vos autem num annunciaſtis?

Ex verbo SAMAGTHA HHAZEHCVLAH. *Audiſti viſum omne. Omnia ferè quæ de futuris annunciauerat Iſaias rebus, viſu prophetico acceperat, acceptaq; expoſuerat: quæ tamen iis, ad quos mandabantur, non rectè percepta, & fideliter conſeruata ſunt: quare nec narrata & commemorata: nec filiis ac nepotibus tradita. ideo ait, Omnia, quæ audiſti, tam certa ſunt & vera, atque ſi viſa & conſpecta fuiſſent, quando Vatibus monſtrata conſtant. Num verò tu ea annunciaſti aliis, vt illis, ac tibi proſpiciendo conſuleres? namq; nec à ſculptilibus tuis ea accepiſti, quæ nec loqui poſſunt; nec ab aliis, quàm à Vatibus, quibus viſenda credita ſunt: neque te ea tua prudentia & prouidentia aſſecutum dicere poßis; nam quæ nondum ſunt, mortalibus non videntur. quorum autem non eſt ſenſus aut ſpecies, eorundem non poteſt conſtare mortalibus cognitio & ſcientia. Quamobrem ex eo ſolummodo conſtant, quòd ex ore meo per Vates pronunciata fuerint: nec propterea non pronunciari per Vates verè poſſunt, quòd nondum fuerint edita. namq; apud pronunciatorem Deum certißima ſunt, & ex eo tempore, quo primùm pronunciata fuerint, agi etiam & expediri cœpta ſunt, etiam ſi publicè humanis non pateant ſenſibus. Huiuſmodi rationum & orationum connexio, ſubiunctis exprimitur verſibus.*

Audita feci tibi noua ex tunc, & conſeruata ſunt quæ neſcis: nunc creata ſunt, & non ex tunc: & ante diem, & non audiſti ea: ne fortè dicas, Ecce ego cognoui ea. Nec audiſti, neque cognouiſti, nec aperta eſt auris tua: ſcio enim quia præuaricans præuaricaberis, & tranſgreſſorem ex vtero vocaui te.

Prędictiones Dei duplicis generis. Humanæ ſalutis prædictiones arcanæ.

Quæ à Deo per Vates prædicuntur, duplicis cenſentur generis: vnũ eſt eorum quæ non ita longè poſt prædictionem exſtant: alterum verò eorum, quæ ad arcanam & publicam ſalutem referuntur. atq; hæc ſuo certo tempore futura reconditiora propter myſterium habentur, & etiam ad ætatum finem

*finem Deo notum ac præfinitum pertinebant. de quibus apud Moſen di-
ctum: Nonne hæc abſcondita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis?* Deut. 32.
*Vtramque partem, vtrumque, inquam, genus Iudæ populo prænunciatum:
non tamen piè, purè, ac ritè exceptum Deus ait. De prioribus*, audita feci
tibi noua ex tunc. *de alteris verò*, & conſeruata ſunt quæ neſcis. *quæ
verò audiſti noua, non antè erant in rerum natura, ſed* nunc creata ſunt:
*vt de Senacheribbi caſu & exitio, de Babylonis paulo pòſt futura victoria;
atq; deinceps calamitate.* ne fortè dicas, Ecce ego cognoui ea: *neq; enim
niſi me nunciante cognoſcere potuiſti: & tamen neque tu cognouiſti, nec ex
Vatibus audita accipere voluiſti*, neque aperta eſt auris tua. *cuius incre-
dulitatis in cauſa quidnam fuerit, eueſtigio notatur.* Scio enim quia præ-
uaricans præuaricaberis, & tranſgreſſorem ex vtero vocaui te. *Hu-
manum ingenium à prima vſque primorum parentum ſobole cùm primum* Homo præ-
naſcitur, ſtatim præuaricationis notam ſubit: vtpote quod parentes præua- uaricator ex
ricatores ac diuinis legibus minùs obtemperãtes referat. Hinc eſt illa com- vtero.
*munis tam Iudæis quàm Græcis aduerſus virtutem & auctoritatem Dei
repugnantia, non natiua, ſed innata potiùs ab vtero, Deo notiſſima: quam-* Filij iræ na-
obrem omnes iræ filij natura fuiſſe dicimur, parum credentes, & nũquam tura.
*ad plenum, vt par fuerat, obſecuti, quàm diu illam Adami tuemur condi-
tionem. Hoc obiicit populo ſuo Deus: quem, niſi miſericordia intercederet,
reiectu & abdicatu dignum Iuſtitia iudiciumq; ſtatuit. Verùm enimuerò*

Propter nomen meum longè faciam furorem meũ: & laude mea
infrenabo te, ne intereas.

Homines diuinorum beneficiorum immemores, & prædictionibus atq; Caſtigatio
promiſſis non ſatis, vt par fuerat, credentes; tamen Deus propoſiti ſui te- hominum
nax, ac nominis illius miſericordiæ perpetuò probandi cauſa ita caſtigat; vt ex diuina mi-
purgatos non conſumat, ſed ad ſalutis publicæ communionem præparet, ac ſericordia.
demùm deducat. Atq; ita Domini Dei Iſraelis nomen *perpetuum pro-
bet, cùm in Iaghacobo interim conſeruando, tum verò in Iſraele ſecundùm
ſpiritum adornando & perficiendo.* longè faciam furorem meum. AA-
RICHAPI, producam naſum meum. *Naſus nomine indignationem,* Naſus.
*iram, & furorem ſacer ſermo ſignificat. ea enim vultus humani pars af-
fectionis huius index eſt certiſſimus: vtpote quæ ſpiritus vel mitigatos, vel
irritatos atq; incenſos prodat. Quo autem breuiore quis naſo fuerit, eo citiùs
concepta ira incitari ſolet. contrà verò, qui longo ſunt naſo, lentiores, ad
iramq; viſuntur lentiores: quamobrem Deus apud Vates* ERECH APPAIM,
id eſt, longus naribus, audit: pro quo Latinus interpres longanimem reddit. Longus na-
Ait verò Deus, lentum ſe in caſtigando homine fuiſſe, & eſſe. hoc eſt, ira- ribus Deus
rum furorem compeſcuiſſe: atq; in tranſlatione perſiſtens, naſum ſuum pro- dicitur.
*duxiſſe dicit. aliàs enim nullam generis humani ſuperſtitem eſſe potuiſſe
partem, niſi ſibi ipſe modum poſuiſſet, & frenum addidiſſet indignationis
ardori, hominum non tam vlciſcendorum, aut puniendorum, quàm corri-
piendorum cauſa; atq; eorundem ſalutis conſilio & ſtudio. vt autem*, lon-
gè faciam furorem meum, *de ſe ipſo Deus ait, ita & verbum* infrenabo

ad

ad ſeſe refert. AHHETHAM *paſſiua vox* infrenabor, laude mea infrenabor. *Laudem ſuam Deus miſericordiæ, lenitatis, & patientiæ præconiũ vocat. quo à Vatibus perſæpè commendatur, vt apud Pſaltem, Ipſe autem „ eſt miſericors, & propitius fiet peccatis eorum, & non diſperdet eos, & ab- „ undauit vt auerteret iram ſuam, & non accendit omnem iram ſuam. Nam ſi iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Quia apud te propitiatio eſt. &, Suauis Dominus vniuerſis, & miſericordia eius ſu- „ per omnia opera eius.* Infrenabo te. infrenabor, *tranſlationẽ ab equorum impetu ſumit; quem humana induſtria freno compeſcit. Eſt autem in ipſo irarum incendio, furore, atq; impetu huiuſmodi freni iniiciendi conſtituta imago, interceſſionemq; miſericordiæ atq; ſuæ laudis in cauſa eſſe, vt irarũ igni modus ac temperamentum adhibeatur, aliàs omnia omnino abſumpturo Pronomen* te, *interpretamur* propter te, *ex exemplari* LECHA, tibi, tui cauſa, *&, vt commodem tibi. Atq; diuinæ iræ erga populum ſuum irritationem ex ignis & ardoris imagine tranſlatam, ita perſequitur Deus, vt non conſumendi, imò neque prorſus excoquendi, ſed tantùm corripiendi conſilio, incenſam fuiſſe declaret. ideoq; quibuſdam ex hominibus peſſimis & improbiſſimis nimirum, rejectis & conſumptis, reliquos ad miſericordiæ oſtenſionem & laudem, ſalutis cauſa, reſeruatos. S. S. E. Niſi Domi- „ nus exercituum reliquiſſet nobis hoc reſiduum, vt Sodoma fuiſſemus, & „ Gomorræ ſimiles eſſemus. Huius etiam argumenti, quod ſubiungitur, eſt.*

Laus Dei miſericordia. Pſal. 77. — Pſal. — Pſal. — Sup. 1.

Ecce, excoxi te, ſed non quaſi argentum: elegi te in camino paupertatis.

Caſtigationis diuinæ modus. — Pſal.

Argenti excoctio ad vſque cinerem perducta, ſcoriam impuritatemq; expurgat omnem; atque ita purum relinquitur argentum. quem modum ſi Deus in caſtigandis hominibus teneret, nullum profectò reliquum faceret: quippe cùm non ſit qui faciat bonum, non etiam vſque ad vnum. &, vt ille „ orabat, Non ſecundùm peccata noſtra facias nobis, nec ſecundùm iniquita- „ tes noſtras retribuas nobis. Itaq; quas calamitates hominum generi, publicisq; rebus venire videmus, correptiones diuinas interpretari oportuerit: eaſdemq; clementiſſimas, nec cõmeritis culpis & criminibus pares. in quibus peſſimorum expulſis fæcibus & ſcoriis, reliqui quadamtenus caſtigati, & ad magnæ miſericordiæ beneficium reſeruati ac delecti, ſuperſint. hoc eſt quod ait, Elegi te in camino paupertatis. *Exemplaris lectio ſuam perſequitur tranſlationem.* BE CHVR GHONI: en criſol de affliction, *vertere poſſimus Hiſpanicè. preſſum ſignificat & afflictum, non tamen conſumptum hoc pacto ſuum Iaghacobum. idq; non humano promerito & magna aliqua virtute, ſed*

Propter me, propter me faciam vt non blaſphemer: & gloriam meam alteri non dabo.

Propoſiti diuini conſtantia.

Suum de hominum genere ornando & amplificando propoſitum certum conſtansq; eſſe, & reapſe præſtandum Deus aſſeuerat & promittit: nec ſanctitatem ſuam vlla ex parte negligendam prædicit: ſed illud ſemper vrgendum, ac cumulatiſſimè efficiendum. quod gratulatus Pſaltes, canit; Domi-

Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra. & paulo pòſt, Quid eſt homo, quòd memor es eius: aut filius hominis quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulo minùs ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum: & cõſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi: volucres cæli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris. Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra. Nam ſi inimico ſuo, quæ ad hominem perdendum inuenire, agere, conari, & experiri libuit, omnia conficere liceret, nec per diuinam obſiſteretur ſapientiam & bonitatem; profectò gloriæ & miſericordiæ præconium diuinæ, in ſerpentinæ fraudis admirationem vſurparetur. quod abſit. Non enim diuinæ maieſtatis & amplitudinis immenſæ fuerit, ſapientiæ & bonitatis propriæ gloriã alterius cuiuſquã naturæ artibus obſcurandã, ambigendã vel impediendã permittere. In qua gloria celebrãda Apoſtoli, & ſancti omnes antiqui, vtpote tanti beneficij communionis teſtes & participes facti, aſſiduis laudibus verſantur. vt non blaſphemer. in exemplari eſt, CHI ECH IEHHAL, ex verbo, Nam cur prophanabitur ſingularitas & ſanctitas gloriæ meæ? Cuius gloriæ ius ratioq́ poſtulat, vt quæ de homine viſitando inſtitui, & hactenus egi, ad extremum vſque perficiam.

Satanæ ad hominẽ perdendũ conatus diuina ſapientia repreſſi.

Gloria Dei.

Audi me Iaghacob, & Iſrael quem ego voco. Ego ipſe, ego primus, & ego nouiſſimus.

Ex promiſſo perficiendi propoſiti ſui homines, quorum res agitur, ad fidei & ſpei conſtantiam, atq́ ad obſequij pertinaciam & virtutem excitat Deus; pollicitus ſe eadem, verùm ſublimiore modo, in hominum genus effecturum, quæ in imagine ipſa humani generis, hoc eſt, in Iaghacobo effecerat. Vt enim illum quondam hominem priuatum agentem tutatus deduxit, atq́ ad Iſraelis demum ſplendorem & nobilitatem euexit: ita etiam humanum genus, dum humanam conditionem nondum exuere tempus, cuſtodiet, ſeruabit, ac delectum præſtabit; quouſque ad Iſraelis ordinem & ſplendorẽ, quem conſtitutum ſæpè commemorauit, & adornare pergit, promoueat, atq́ euehat denique. Id verò vt credat, optet, & in votis habeat, atque legitimis expetat modis, audire iubetur: nec alium quempiam quàm ſe auditum vult, vtpote ſolum huius tantæ auctorem felicitatis. Audi me Iaghacob, Homo ita à parentibus vocate tuis, à me verò vocande, immo iam conſilio ac propoſito vocate Iſrael. In exemplari eſt, MEKORAI, vocate mi, id eſt, ſi imaginem ſpectemus, à me vocate; ſin verò exemplar ipſum, mihi iam vocate, & reapſe efficiende. Quidquid, inquam, fueris, quidquidve eris, nec tibi ipſi, nec vllius præterea quàm meæ virtuti & auctoritati vel acceptum referri, vel alio modo tribui conueniet, quàm vni mihi: quippe cui eadem vis, eademq́ mens perpetuò & ad efficiendum, & ad perficiendum conſtet: vtq́ vna ſingularis & immutabilis natura & veritas; ita virtus, efficacitas, & voluntas vnica ac ſingularis permanet. Ego ipſe. Hæc pronominis appellatio diuinæ ſingularitatem, veritatem, æternitatemq́ naturæ, vti iam ſuperiùs diſſerebamus, indicat: nulli alteri communem naturæ. Cuius etiam vo-

Hominum promotio.

Deus ipſe.

cabuli arcanum antiquis non ignotum, ſunt qui aſſeuerent, atq; ita Homero unicum verum Deum ſignificatum fuiſſe tradunt,

Iliad. i.

> Οὐδ᾽ εἴ κέν μοι ὑποσταίη θεὸς αὐτὸς
> Γῆρας ἀποξύσας, θήσειν νέον ἡβώοντα.
> *Neu ſi me puberem iuuenem Deus annuat* IPSE
> *Deraſa fore promittens ſpolianſq; ſenecta.*

Et in Alcibiade priore Plato Deum Theologικῶς αὐτὸ τὸ αὐτὸ, IPSVM ID QVOD [*eſt*] IPSVM, *vocat, vnamquamq; verò naturarũ, quæ à Deo, vt ſint, habent,* αὐτοέκαστον. *Atque hoc inuariabilem, & perfectè ſingularem Dei naturam ſpectat: efficientiam verò illa,* Ego primus, & ego nouiſſimus. *Namq; in Dei natura, id eſt, in* IPSO *Deo nec primum, nec nouiſsimum reperiri aut cogitari eſt, in diuinis tamen efficientiis, quas Theologi* ad extra *ſuo ſermone dicunt, & prima reperitur atque indicatur mundi atque hominum creatio, & nouiſsima etiam quondam promiſſa, & opportunè effecta obſeruatur ac præſtita generatio. Id quod ab eodem e veſtigio declaratur.*

Primum & nouiſſimum in Dei operibus.

Manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea menſa eſt cælos: ego vocabo eos, & ſtabunt ſimul.

Terræ ſtabilitas.

Terræ quidem huic, quæ animantium atq; hominum ſedi aptata dicitur, ſtabilitatem naturæ indagatores & firmitudinem arrogant; vtpote quæ totius mundi centrum obtinet, circa quod ſuperiores omnes voluuntur orbes: cælis verò altitudinem & expanſionem hominibus immenſurabilem tribuunt, ſi totam examinare molem libeat. Et quidem vtrumque ſibi conſtare vt auctori & ad nutum obedire, & præſtò eſſe Deus ait, vt qui terræ ingenium ad ſtabilitatem idoneum conceſſerit; cælis verò motum certis rationibus & menſuris præſcriptum imperauerit; & quæ pars cui conuenire, quæ diſiungi poſsit ac debeat, non circino, aut alio inſtrumento conſtituerit, ſed propria dextera, cùm primùm conderet, definierit. id quod aliàs aliter ſignificatum legebamus: Quis menſus eſt pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit? Itaq; cælum magnitudine, motu, commenſuratione, atq; temporum præſcriptione, definitioneq; inſtructum: terram autẽ ad alenda multiplicis naturæ genera ſtabilitate & firmitudine donatam intelligimus. ea quæ omnia diuina conſtare virtute & ſapientia ac benignitate, cùm anteà nihil quicquam horum fuiſſe, aut habuiſſe credamus. qui ideo ſeſe RISON, *id eſt, primum, hoc eſt, primi principij auctorem nominat. Namque eadem origo eſt nominum* RISON *&* RESITH, *quæ prima in creationis hiſtoria pronunciatur vox* BERESITH, *in principio. Ex quo intelligimus ad eãdem rationem vtramque referri, Deumq; propter creationis auctoritatem* RISON *vocari. Reſtat etiam eundem iure appellari* AHHARON, *ob ſimilem quoque efficientiæ rationem & cauſam. Verbum autem* AHHARON, *& nouiſsimum, & alteratorem, ſiue, vt nomen producere nouum liceat,* aliatorem *interpretemur. id eſt, eum, qui, quæ primùm effecerat, poſtremùm reficere, alioq; modo facere poſsit, factumq; præſtet. Atque ita* AHHARON, *mutationem, nouationem, regenerationemq; ex ſuo indicat etymo. Magnam*

Cælorum immenſitas & motus.

Sup. 40.

Deus primus Rison.

Deus nouiſſimus. Ahharon.

verò

verò eſſe oportet regenerationem, ex qua mutata rerum euadat facies, nimirum vt cælum deſcendat, terra aſcendat: illud terram, hanc cælum vocare ſit fas. vt cælum generet cæleſtes filios: terra, terreſtres, & mortales abdicet, & cæleſtes ſuos adſcribat. denique vt cælum ac terra ita coniungantur, vt quidquid alteri, idem etiam arrogetur alteri, diuinum humanum, humanum dici iure poßit diuinum. Id quod poſterius & aliud opus eius tantùm fuerit auctoritatis & numinis, cuius & nomen AHHARON *ſolius eſt. Nam qui primus ex nihilo efficiens fuit, eundem poſtremum ex cælo ac terra iam factis reficientem eſſe conſentaneum fuerit. Maior enim, quod ad res attinet, repugnantia eſſe videtur in iis quæ non ſunt, vt ſint, quàm in iis quæ iam fuerint, vt aliter denuò ſint. Sed qui vocat ea quæ nō ſunt, tanquam ea quæ ſunt; idem ea quæ ſunt, quamquam mortua, viuificare & renouare poteſt, & facit. Huiuſmodi arcanam indicare ſignificationem illud nobis modò ſuaſit promiſſum,* Ego vocabo eos, & ſtabunt ſimul. *Diuinis in ſermonibus idem valere,* ego *&* ipſe, *iam aliàs docebamus. Vocationem autem verbi diuini virtutem & efficientiam interpretamur. ex illo: Ego vocaui te nomine tuo. &, Ego vocaui in nomine Bezolael. Vocauit me ex ventre matris meæ, & poſuit me quaſi ſagittam electam. Ad quam rationem & illa referuntur: Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & firmata ſunt. Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.* ſtabunt ſimul. IAGHAMODV IAHHAD. *Verbum* GHAMAD, *ſtare, firmari, conſiſtere, atque ex analogia miniſtrare, & inſeruire, attentum ac promptum ſeſe alterius nutibus præbere ſignificat.* IAHHAD *verò, Latinè* vnà, *quam proximè ad ſignificationem redditur. Ait verò Deus, perinde atque cælorum ac terræ naturam iſtam viſibilem ſuis obtemperantem ſeſe præbere conſtat dictis. (S. S. E. Ordinatione tua perſeuerat dies, quoniam ſeruiunt tibi.) ita eorundem arcanas vices, hoc eſt, cæleſtem diuinam atq; humanam ſeſe vocante vnà coniunctum & conſtitutum, atq; columnæ inſtar firmatum, & vocanti obſecundatum iri pollicetur; idq; iam à ſe parari & adornari verbum* KORE *in præſenti pronunciatum ſignificat. Nam quæcunque rerum futura trahentur, eadem, auctori Deo, habentur præſentißima: quamobrem à vocante præſens verbum, ab iis verò quæ vocantur, futurum hoc in loco ſtat. Nondum enim, cùm hoc fundebatur oraculum, cæli ac terra vnà conſiſtebant, nondum conuenerant, vocabantur quidem à promiſſi initio, Deoq; vocanti, certißima habebantur: ipſa verò ſuo tempore maturè vnà conſtitura. ideoq; ait,* ſtabunt ſimul. *Namq; vocatio naturæ ordine obſequium & miniſterium antecedit. Et quamquam Bezalael ad tabernaculi inſtruendi opus vocatus, hoc eſt, ſcientia, & induſtria, & arte donatus & auctus fuerat; tamen ipſam vocationem oportuna poſteà ſecuta eſt opera. Magnum vtriuſque in Chriſto Ieſu naturæ myſterium, admirandum humanæ regenerationis in hoc vaticinio, atque adeò in breui hemiſtichio inuoluitur ſymbolum. quod profectò nullis humanis excogitari ingeniis, nullis ſapientum diſciplinis, artibus, inuentis, aut ratiocinationibus attingi, nedum comprehendi, promitti, ac tradi potuit. Nam*

Regeneratio. | Rom. 4. | Ego, & ipſe. | Vocatio [illegible] vocare. | GHAMAD. | IAHHAD. | Pſal.

quid magis in ſenſus communis facultate & aſſenſione oppoſitum, & inter ea, quæ fieri nequeant, numeratum, quàm cælum ac terram ſimul conſiſtere coniuncta? cùm in prouerbio tanquam diſſonum dicatur, Quis cælum terræ non miſceat, & mare cælo? Igitur vt id exemplum vnius Dei operis fuerit: ita & documentum ac promiſſum diuinæ tantùm ſapientiæ ac benignitatis habendum.

Congregamini omnes vos, & audite: Quis de eis annũciauit hęc?

Myſterium abſconditũ à ſeculis. *Omnes omnis ingenij, induſtriæ, ſcientiæ, artis atq; ſolertiæ compotes & profeſſores homines, nullo excepto, congregari, atque hanc rem audire iubentur: vt vel plurium collatis conſiliis, & exercitatis mentibus diſquiratur, numquid tale quippiam à quoquam fuerit mortalium vel prædictũ, vel alio modo declaratum: nempe vt cælum ac terra vnà aliquando conſtituenda, conſtituraq; expectentur? non magis hoc, ait, cuiquã notum, quàm Cyrum tot antè annis ad Babylonis exitia deſtinatum, & proprio vocatum nomine. Hic verò myſterium quoque repetitur illius efficaciſsimi* CHRS *ad Babylonem illam maximam & arcanam diruendam ac diſsipandam, promiſsi. de quo præcipuè ea quæ ſequuntur interpretamur.*

Dominus dilexit eum, faciet voluntatem ſuam in Babylone, & brachium ſuum in Chaldæis.

Iam quid nomen CHASDIM *ſignificet, indicauimus. in quibus domandis ac diſperdendis Dominus Chriſti ſui brachium exerciturus, prædicitur eadem ſententia, qua veritatis mater ſanctiſsima gratulationem inſtruit*

Lucæ. 1 *ſuam: Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.*

Ego, ego locutus ſum, & vocaui eum: adduxi eum, & directa eſt via eius.

Eandem rem per expolitionem confirmat, docetq;, vt ſolius virtutis Dei hoc maximum eſſe conſtabit beneficium: ita etiam ſapientiæ auctoritatisq; diuinæ fuiſſe atq; eſſe promiſſum. neque verò opus ipſum tantùm, ſed operis

Via. *edendi modum arcanum, atque à ſe vnicè & ſingulariter inſtitutum.* Via *enim idem ſignificat, quod efficiendæ rei ratio. Iam verò ipſis apud Babylonem detentis, captiuitatis tædium atque odium, & libertatis votum ſuadet, & ſalutem certam gratulatur. Omnia quæ per vaticinij enthuſiaſmon pronunciat Vates.*

Accedite ad me, & audite hoc: Non à principio abſcondito locutus ſum: ex tempore antequam fieret, ibi eram; & nunc Dominus miſit me, & ſpiritus eius.

Quamquam hoc ſiue in Vatis noſtri, ſiue in alterius perſona pronunciatum fuerit, nihilominus verbum eſſe Dei conſtat. nobis tamen inductio apparet ipſius Dei verbi, à quo omnia, & per quem omnia facta, hoc eſt, Chriſti iam in terrarum ſolo viſi & ſpectati: qui conſilium à Patre ſecum initum, & ab eodem per Vates prænunciatum, iam executurus profitetur; & hominibus ipſis, quorum cauſa miſſus eſt, declarat, offert, ac proteſtatur. ita vt nec ipſe nunquam indicatus ac promiſſus; nec propoſitum ac decretum ſuum non publicè ac palàm per Vates denunciatum quiſpiam obiicere, cau-

ſari,

ſari, & excipere poſſit. Non à principio abſcondito locutus ſum. *quando, præſente hominum genere, de diruendo Babylonis imperio illud redditum fuit reſponſum, Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen illius, & ſemen tuum, & ipſum conteret caput tuum.* antè quàm fieret, ibi eram. *Nam in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum, & omnia per ipſum facta ſunt.* Et nunc Dominus miſit me, & ſpiritus eius. *Verbum caro factum, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius qui miſit me: Hæc eſt autem voluntas Dei ſanctificatio veſtra.* & ſpiritus eius, *cuius efficientiæ plenitudine imbutus, inſtructus, & omnino plenus conſto. S.S.E. Spiritus Domini ſuper me, eo quòd vnxerit me: ad euangelizãdum pauperibus miſit me, vt annunciem captiuis remiſſionem, & diem acceptabilem Domino. Duplex autem mittendi in orbem terrarum verbi munus & officium per oracula indicatum ac prædictum accepimus: euangelizandi alterum; alterum verò ſeruandi ac libertate donandi hominum generis. Atq; euangelicæ doctrinæ duæ ſunt prædictæ partes; fidei, & pœnitentiæ exactio ac poſtulatio. vtriuſque officij atque harum etiam partium ſumma per Verbum iam tunc expoſita, à Vate vnà cum auctore ac Pontifice ipſo inducitur.*

Promiſſa ab initio palam facta.
Gen. 3.
Ioan. 1.
Sup.
Chriſti munus duplex.
Euangelicæ doctrinæ partes.

Hæc dicit Dominus redemptor tuus [*qui te redimendum ſuſcepit, atque iam nunc operatur idem*] ſanctus Iſrael [*verè dictus, ac perpetuò dicendus*] Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, gubernans te in via qua ambulas.

In exemplari legimus, MELAMEDCHA LE HOGVIL, docens te vt proſim, *ſiue*, ad vtilitatem. *quo tropo beatitudinis & felicitatis verã rationem ſolius Dei doctrinæ & voluntati adſcribendam intelligimus. nam quis præter Deum veram hominibus felicitatẽ indicauit aut donauit? quis eandem rurſus quonam pacto petere & conſequi oporteret, declarauit? quis doctrinæ ſectatores veræ, viribus, gratia, & ſpiritu ad eam rem inſtruxit, & auxit?* Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia & gubernans te in via, qua ambulas. *Atque ita vnica diuina doctrina beatitatis non definitionem modò, ſed promiſſum, atq; etiam veritatem conſtantiamq; doceri, & ad illam capeſſendum viam inſtrui, rationem ac modum tradi, accepimus. aliàs enim non aſſecuturum quemcunque à ſacris documentis declinare, & qualibet diuagari iuuerit. Hunc enim atq; huius imitatores omnes ita Deus ab errore damnas reuocare ſolet.*

Doctrinæ diuinæ vtilitas.

Vtinam attendiſſes mandata mea: facta fuiſſet quaſi flumen pax tua, & iuſtitia tua ſicut gurgites maris. & fuiſſet quaſi arena ſemen tuum, & ſtirps vteri tui vt lapilli eius: non interiiſſet, & non fuiſſet attritum nomen eius à facie mea.

Hominum genus à verbi ſui præſcripto & norma, ad alias diuerſum vias, atq; variis propriæ induſtriæ erroribus pallantem cõmiſeratus Deus, hac obteſtatione affatur, atque ad veritatis viam reducere intendit. & ad duplicem reuocat hiſtoriæ imaginem, alteram Adami, Abrahami alteram:

Homines ab errore diuini verbi voce reuocantur.
Adamus.

Abrahamus. *alteram: illius, quia verbo diuerſus Dei amiſſa iuſtitia originis in nihilum abiit, atq; primam proprij ſanguinis propagandi ſpem infelici & calamitoſa alterius prolis cede imminutam & fruſtratam ſenſit ac doluit: huius verò, qui ob datam diutnis promiſsis fidem, & iuſsis præſtitum obſequium, & ad iuſtitiam reputatus adſcriptusq; fuit, interq; mortales omnes hoſpes & peregrinus: tamen tutus ac ſecurus vitam peregit; & ex vnico tantùm capite, hoc eſt, ſuo in ſobolem excreuit innumerabilem. S. S. E. Per me metipſum iuraui, Niſi multiplicans multiplicauero ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & arenam maris, Ante Deum, cui credidit (ait D. Paulus.) Contrà verò iis euenit, qui à Dei fide & obedientia deſciſcẽtes, iuſtitiæ beneficium non aſſequuntur, & propagatione, qua augeri ex diuino poterant dono: tamen atteruntur, ac deſtituuntur.* & non fuiſſet attritum. VELO IISSAMED, & non deleretur à facie mea, *me conſeruatore ac tutore, itẽ etiam* Facies Domini. *iudice. Nam tropus hic efficientiam ſignificat, in quamcunque partem expediri oportuerit. Atq; monitum hoc priorem doctrinæ ſacræ, & hominibus* Pœnitentia. *cognitu faciliorem continet, hoc eſt, fidem ac pœnitentiam ex diuino præſcripto informatam. quam exhortatio ſubſecuta expolit, & exornat. Eſt autem exhortationis argumentum, oportere eos, qui ſaluti ſtudeant ſuæ, captiuitatis propriæ, & vitæ in erroribus ac vitiis actæ, conditionem damnare,* Fides. *& libenter melioribus mutare conſiliis ac moribus: atq; hoc pacto ſalutis auctorem, libertatisq; aſſertorem ſeſe vltrò cupientibus offerentem conciliare.*

Egredimini de Babylone, fugite à Chaldæis, in voce exultationis annunciate: auditum facite hoc, & efferte illud vſque ad extrema terræ.

Babylonis ſignificatio. Chaldæorũ ſignificatio. *Ipſum Babylonis antiquum nomen infauſtum ſui vſum, ac deteſtãdum ſignificat, maximè incolarum, hoc eſt, Chaldæorum, appellatione ſubiũcta. Quamobrem vtrumque deſertum iri oportere Vates monet, præſensq; hortatur & optat. hac ſignificatione,* Exite à confuſione, & fugite à dæmonibus. *Nam Babylonienſis cùm doctrina tum vita & conſuetudo huiuſmodi conditionis eſt, vt à dæmoniis profecta notetur: à qua diſcedendũ eſſe, nunciare iubentur ij, quibus hæc à Deo mandata cura eſt, hoc eſt, Vates, Apoſtoli, ac Doctores, cum promiſſo & fide multarum opportunitatum, quæ Babylonicam conditionem repudiantes ac deſerentes conſequuntur: quibus omnia pericula arcenda, omnia etiam commoda ſufficienda promittuntur ex diuinæ prouidentiæ certa cura. Id quod antiquis & illuſtribus teſtatum conſtat exemplis.*

Dicite, Redemit Dominus ſeruum ſuum Iaghacob.

Iaghacobi redemptio in figura & in ſpiritu. Pſal. *Ex certa figuræ & conſtante veritate certiſsima quoque publicæ ſalutis commendatur & confirmatur fides. Vt enim verè conſtat Iaghacobus ex Ægyptiaca ſeruitute redemptus, vtq; aſsiduis hoc celebratur laudibus, In exitu Iſrael de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro, facta eſt Iudæa ſanctificatio eius, Iſrael poteſtas eius. Ita verè & efficienter ex altera gra-* Redemptorum felix conditio. *uiore ſeruitute redemptum, & in libertatem aſſertum populum ad cæleſtem Ieroſolymam deducet, atque inter deducendum non minoribus, immò amplio-*

pliori bus ac dignioribus beneficiis proſequetur, atq; eos, quos ex Ægypto liberauerat, proſecutus eſt. Illi enim

Non ſitierunt in deſerto, cùm educeret eos: aquam de petra produxit eis, & ſcidit petram, & fluxerunt aquæ.

Omnium, quæ iter agentibus expeti poſſunt, commodorum ſummam indeficiens aquæ copia ſignificanter continet: nihil enim aut ſæpiùs, aut grauiùs quàm ſitis infeſta ſentitur. quare ad æſtum viæ temperandum, & ad munditiem & ſanitatem, atque adeò ad animum exhilarandum, perpetua aquæ copia facit: inopia verò adeò exanimat, vt ad filium etiam vita cariorem deſerendum matrem aliquando coegerit, eadem verò correcta, rurſus recipiendum tradiderit. Hac moleſtia, atq; omnibus iis quas hæc arcanè ſignificat, immunes fore eos, quos è Babylone liberatos, Deus deduxerit, idem allegatum diuinum beneficium protendiſſe declarat Vates. Quæ vt certa & præſtanda pios expectant; ita rurſus impios calamitas, & pernitioſus manet exitus: idq; iuſto Dei iudicio, dantis vindictam iis qui non credũt, & qui non obediunt Euangelio. Solent huiuſmodi breuiſſima monita diſertioribus Vatum orationibus ad cauendum, cum auctoritate adiungi. vt, Cùm exarſerit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo. &, Deficient peccatores a terra, & iniqui ita vt non ſint. Aquæ copia. Pſal. 2. Pſal.

ARGVMENTVM VATICINII VIGESIMIOCTAVI.

POSTQVAM *de vtriuſque Babylonis exitu, ac de duplice liberatione Deus per Vatem tranſegerat: alteram, hoc eſt, publicam & communem illam tam Iſraelitarum quàm gentium redemptionem & amplificationem, vt maximam & præſtantiſſimã, perſequitur, illius maximi Vatis perſona inducta, per quem libertatis bonus nuncius perferendus primùm, deinde veritate præſtandus erat. quẽ tamen vaticinantẽ, & officio fungentem ſuo, illius ætatis homines, apud quos præſens ageret, minùs rectè accepturi notantur. Nihilominus tamen nihil moratũ de libertate & ſalute publica Iſraelitarũ, atq; de gentibus ad eiuſdem ſalutis communionẽ vocandis, clarè, apertè, ac diſertè peroratũ. Tum verò rem ipſam ex promiſſorũ Dei ratione confecturum; nempe publicam præſtiturum ſalutẽ omnibus iis quos fide & obedientia examinatos, Deus probauerit. Ceteros autem, qui ab Euangelio auerſi fuerint, promiſſorũ effectu & fructu priuandos, tam ex gentibus, quàm ex Iſraelitis præcipuè, quos propter incredulitatẽ ad tempus repudiatũ, & excæcatũ, aliquando tamen, non ex meritò, ſed ex diuinæ clementiæ & miſericordiæ dono, atq; ex promiſſi patribus facti conſtantia reuocatum, & ad vitæ ac regni conſortium receptum iri ait, & confirmat.*

CAPVT XLIX.

AVDITE inſulæ, & attendite populi de longè: Dominus ab vtero vocauit me: de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei.

REDEMPTIONEM *& liberationem Iudaici populi ex Babylonienſi ſeruitute, certã fore in ſuperioribus accepimus reſponſis: eandemq́, alterius maximæ & communis libertatis hominum generi afferendæ ſignũ ac ſymbolum eſſe, edocti ſumus. Vtramque itaque eodem ſermone tractatam expoſuimus. quarum priore & minoris ſenſus iam expedita, alteram perſequitur Vates, nõ ſolùm vt efficiendam modò; ſed etiam vt per eundem ipſum, à quo præſtanda fuerat, hominibus nunciandam. Eius auctoritas & partes atque officia vaticinij huius initio declarantur, &, vt omnibus gentibus promiſſa; ita iam nunc prædicta, atq; ipſius perſonæ inductione ſingulariter indicata, cum obteſtatione voluntatis Dei; ac deteſtatione eorum, à quibus*

Chriſti Euangelium. *illa fuerint repulſa. Inducitur igitur Ieſus Chriſtus, id eſt, Dei verbum caro factum, & habitu vt homo inuentum; qui ſe diuini conſilij efficiendi pontificem, atque declarandi, & omni orbi communicandi primum & præcipuum miniſtrum gerit, & obteſtatur. Et quidem prior illa Babylonienſis terrena libertas, nec nimis multo pòſt futura erat interuallo; nec ad plures quàm ad vnam Iudæorum pertinebat gentem. Cuius tamen tum expectationem, tum etiam vſum diuinorum beneficiorum appeti rationibus oportuit. At verò ea quæ per Verbum Dei efficienda erat, longè poſteriùs, hoc eſt, vltra quatuordecim poſt ætates expedienda erat; eademq́, ad omnium gentium propaganda regiones & populos: ideoq; & externæ gentes, & longè pòſt naſcituri homines ad tanti nuncij attentionem & auditionem compellatæ, excitantur. Atq; vt Iudæi & Ieroſolymitani ad priorem audiendam; ſic ceteri omnes populi, tam qui in eodem habitarent continenti, quàm qui nauigijs petendi eſſent, ad ipſum mei Euangeliſtam attentè excipiendum vocãtur.* Audite inſulæ. *Exemplaris lectio pronomen habet, quo ipſe, qui alloquitur, indicatur.* Audite ad me. *eodem pronomine gerendæ quoque rei auctoritas eidem qui dicit, adrogatur. Audite me, cum*

Inſulæ. *expectatione etiam euentus ex me efficiendi.* Inſulæ. *Loca omnia, quæ Syriæ continenti non adeò propinqua, vel adiacentia ſunt; quin communibus*

IIM. *nauibus petantur, IIM in ſacra lingua dicuntur. pro quo nomine Latini* Inſulas *reddunt. Vocat itaq; Aphricam & Europæ regiones maritimas, cum ſuis adiacentibus terris; & quæcunque præterea vel ab his remotiſſima incoluntur, modò homines nec aurium, nec ſenſus indigentes, alentia. Vox* de longè *temporis pariter atque loci interuallum ſignificat, obiterq́; indicat fore quidem tardiuſculè iſtud beneficium; verùm idem publicum, & gentibus commune, vel remotiſſimis. id quod in ipſo exordio ſignificatũ, pleniùs deinde declaratur. Atque ita iis commodam eſſe allocutionem hanc: ideoq; attentionem poſtulare præſentiſſimam; præcipuè verò propter ſummam dicentis auctoritatem, dignitatem, & præſtantiam; vtpote ſingula-*

riter

riter à Deo miſſi, ad communis & publicæ vtilitatis expediendum & conficiendum diſtribuendumq́ promiſſum. Dominus ab vtero vocauit me. *Non nouum, nec nuper natum negotium ſe declaraturum, nec recenti occaſione oblata ſibi impoſitum: ſed antiquo diuinæ prouidentiæ conſilio & rem ipſam adornatam, & ſe ad eandem electum; imò & genitum, atque maturè miſſum prædicat. Nomen, pro officio ac munere vſurpari ſæpiùs admonuimus.* ab vtero. MIN *& principium, & ante principium ſignificat. Ait verò Chriſtus ſe, antequam in materno aluo conſpiceretur homo, fuiſſe à Deo deſtinatum: non ad naturæ tantùm veritatem, vtriuſque humanæ atq́ diuinæ in ipſo vnicè ac ſingulariter conſtituræ; verùm etiam ad facultatem, virtutem, atque efficientiam demum. Efficientiam verò duplicem; tum Euangelij gentibus nunciandi, tum etiam ſalutis humano præſtandæ generi.* Nomen. MIN.

Et poſuit os meum quaſi gladium acutum: in vmbra manus ſuæ protexit me, & poſuit me ſicut ſagittam electam: in pharetra ſua abſcondit me.

Euangelij verbum à Chriſto pronunciatum viuus ſermo eſt, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac mentis. Quod quidem quoad his, quibus promiſſum fuerat, annunciaretur; nulla humana, nulla etiam vltra humanã impedire poterat vis; vtpote Dei præſidio ac prouidentia protectum. Sicut & idem Verbum caro factum, ad Herodem referẽdum curauit: Ite, & dicite vulpi illi, Ecce eiicio dæmonia, " & ſanitates perficio hodie & cras, & tertia die conſummor. verumtamen " oportet me hodie, & cras, & ſequenti die ambulare. Et alio in loco diſcipu- " lis dicentibus, Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc? Reſpondit Ieſus, Nónne duodecim ſunt horæ diei? Si quis ambulat in " die, non offendit: quia lucem huius mundi videt. Idem, qui ex Euangelij ef- " ficacitate quaſi gladium acutum ſeſe ait poſitum, propter conficiendæ rei Euangelicæ celeritatem, dexteritatem, & præſentaneam virtutem, quaſi ſagittam diuinitatis communione electam, in pharetra IEHVEH *abſconditum ait ſeſe. Siquidẽ Chriſtus Deus eſt, idemq́ Dei dextera dictus: Chriſti verò Euangelium, gladius, vti declarauimus. Eiuſdem quoque virtus & efficacitas diuina eſt, quam in carnea pharetra aſconditam ipſe voluit. Pharetram autem, quamquam humanam, tamen non hominis, verùm Dei ipſius opus. S. S. E. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: ideo & quod naſcetur ex te Sanctum, vocabitur Filius " Dei. Itaque qua Deus, quaq́ homo eſt, Dei Patris Filius dilectus, in quo ſibi benè complacuiſſe Pater ipſe teſtatur. Quare & quaſi ſagitta electa in diuina abſcondita pharetra, arcanis dicitur ſymbolis. Ex quo conſequitur, virtutem Chriſti non ad eos qui propè tantùm ſunt, quod gladij imagine ſignificatur; ſed ad eos etiam qui longè ſunt, vt Apoſtolus ait, pertingere. Atq́ hactenus de facultate, efficacitate, & virtute: cui deinde diuini conſilij adiungitur explicatio.*

Euangelij verbi vis. Heb. Lucæ 13. Ioan. 11. Christus Dei dextera, & ſagitta. Lucæ 1. Christus Filius Dei.

Et dixit mihi, Seruus meus es tu Iſrael, quia in te gloriabor.

Chriſtus Iſraël cognominatus.

*Iſrael Dei valentem, id eſt, virtutis diuinæ compotem ſignificat, quo no-
mine & cognomento nemo æquè dignus atque Chriſtus dicendus: qui, cùm
ſit ſplendor Patris, & figura ſubſtantiæ eius, omnia virtutis ſuæ verbo por-
tat. Ex eo autem euenturum eſſe ait Deus, vt in Iſraële hoc ſuo glorietur:*

Chriſtus ſeruus Dei dictus.

*quem aliàs, propter humanæ conditionem naturæ, ſeruum nominat ſuum;
vtpote ſerui formam tutatum, & habitu vt hominem inuentum, & ſemet-
ipſum ad mortem vſque humiliantem. Nam ſi Nathanael, propterea quod
expers doli eſſet, verus Iſraelita prædicatur, is qui veritas ipſa eſt, verus Iſ-
raël iure dicitur: qui tamen ſe in propria venientem, à ſuis non eſſe re-
ceptum conqueritur. Atq; hac in querela Iſraelitæ ſecundùm carnē, & qui
hos imitati fuerint, incredulitatis ac defectionis in parte inſimulantur.*

Et ego dixi, In vacuum laboraui: ſine cauſa, & vanè fortitudinem
meam conſumpſi: ergo iudicium meũ cum Domino, & opus
meum cum Deo meo.

Chriſti operæ fructu plures ſua culpâ carent.

*Chriſtum vtroque functum munere, inter Deum & homines mediato-
rem conſtitutum, ſacroſancta docet veritas: cuius tamen muneris, officij,
& operæ fructu atq; vſu mortalium complures caruiſſe compertum eſt. Ve-
rùm enimuerò id neque Deo Patri, neque Filio ac miniſtro ipſi adſcriben-
dum eſſe, veriſſima aſſeritur doctrina: ſed culpam omnem eos tantùm aſſe-
uerat ſuſtinere, qui inuitati ad gratiam opportunè ac legitimè accedere re-*

Ioan. 1.

*cuſarunt. S.S.E. In propria venit, & ſui eum non receperunt: quotquot
" autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, iis, qui credunt
" in nomine eius: qui non ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex vo-
" luntate viri; ſed ex Deo nati ſunt. Et Verbum caro factum eſt, & habitauit
" in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre, plenum
" gratiæ & veritatis. Atque ita & à Patre, & ab Vnigenito tum paternum,
tum fraternum ſeruatoris, mediatoris, ac Euangeliſtæ munus cumulatiſſi-
mè præſtitum, ſcripta omnia teſtantur ſacra. Id quod etiam Chriſtus ipſe
" hoc in verſu profeſſus obteſtatusq; eſt: Si non veniſſem, & locutus eis non
" fuiſſem, & ſigna non feciſſem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberēt:
" nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Fruſtrà itaq; à ſe im-
penſam operam prædicando & monendo, fruſtrà ſuam vim & vitam, at-
que adeo ſanguinem ſuum profuſum conqueritur: verùm id non à ſe, ſed
ab iiſdem ipſis, qui oblatæ ſaluti non acquieuerunt, ſtetiſſe ait.* In vacuum
laboraui, *pertranſiens benè faciendo, & ſanando, & lætiſſimum ſalutis
edendo nuncium.* Fortitudinem meam conſumpſi. *ſtudium, pondus, &
laborem in ſalutis humanæ negotio vſque ad ſanguinis & vitæ profuſionē
impenſum hoc ſermonis tropo ſignificat Chriſtus: quæ, quamquam fruſtrà
videantur ſubita, id quidem non ex natura rerum, non ex ſuæ obedientiæ,
aut paternæ voluntatis defectu eueniſſe ait; ſed ex eorū vitio, qui ſeſe tanto
beneficio ſubtraxerint. à quibus criminis culpa exigenda, vt contrà ſe & à
Patre iuſtitia & veritas conſtat præſtita. Hoc eſt quod ait,* Ergo iudiciũ
meum cum Domino. *In exemplari,* ACHEN MISPATI ETH IEHVEH,
& quidem ius meum apud Dominũ. *Ego, inquit, partes meas peractas,*

&

& apud Dominum probatas, perpetuò tuebor. & opus meum cum Deo meo. ETH ELOHAI, apud gubernatorem, iudicem, auctoremque meum, qui nihil in meo opere, quod excipi poſſit, notabit. Huic perſimilis atq; congener in eandem cauſam producta illa Ieſu Chriſti prædictio conſtat. Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Et ſi quis audierit verba mea, & non cuſtodierit, ego non iudico eum: non enim veni vt iudicem mundum, ſed vt ſaluificem mundũ. Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum, ſermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die. quia ego ex me ipſo non ſum locutus, ſed qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar: & ſcio, quia mandatum eius vita æterna eſt. Quæ ego loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor. Hanc verò querelam & obteſtationem ſuam feliciſſima & illuſtriſſima conſolatione à Patre exceptam, Ieſus refert. cuius illa ſumma argumenti eſt: Miſerabilem quidem iacturam Iudæorum quorumdam eſſe, qui propter abrogatam Euangelio fidem, à vita & regno Dei repulſi fuerint; verùm eãdem exiguam videndam comparatione gentium, qui ex occaſione incredulitatis iſtorum, ad Euangelij & lucis ac vitæ æternæ hæreditatem vocati, credentes & obedientes admittendi erãt: atq; ita promiſſum Abramo factum, præſtitum futurum: In ſemine tuo [Chriſto] benedicentur omnes gentes terræ.

Ioan. 12.

Gentium vo[illegible] & bene[illegible] Gen. 22.

Et nunc dicit Dominus, formans me ex vtero ſeruum ſibi, vt reducam Iaghacob ad eum, & Iſrael non congregabitur.

Priorem quidem Euangelici temporis & muneris partem apud Iſraelitas Chriſto impendendas, diuino in conſilio & Vatum reſponſis decretum fuerat. id quod præſtitum ipſi etiam ex Iudæis teſtes pro teſtimonio reſpondent. Verùm non omnes ex illa gente homines Euangelio credidere: idcoq; multi ſe ipſos regni communione abdicarunt, & minimè in Eccleſiam Dei recepti, perierunt. Nihilominus miniſter ipſe ſummus fidem ſuam officio ritè & ſtudioſè atq; conſtanter ad extremum vſque facto probauit. Ex vtero formatum ſibi ſeruum à Deo ſe prædicat Ieſus, ſeruum autem ad Euangelicæ ſalutis miniſterium, cuius imaginem quondam tulerat Moſes ex matris aluo ad Ægyptienſem libertatem annunciandam & expediendam vocatus, atq; ſerui fidelis ornatus titulo, vt reducam Iaghacob ad eum, humilem, & conditione ſeruili detentum ad liberam patriam reducendum efficaciter curem. & Iſrael non congregabitur. Non ſum inquit, miſſus niſi ad oues quæ perierunt de domo Iſrael; qui tamen culpa ſua non cõgregabitur: nihilominus vero, cùm partes meas peregerim, glorificatus ſum in oculis Domini, Exaltatus, ac donatus nomine, quod eſt ſuper omne nomen. & Deus meus ELOHAI, iudex, gubernator, auctor, qui mihi proſpicit & conſulit, factus eſt fortitudo mea, vt in nomine IESV omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quod Dominus Ieſus in gloria eſt Dei Patris. Quorundam verò Iſraelitarum detrimentum ingenti aliarum gentium emolumento ac lucro

Iudæorum incredulitas.

Moſes Chriſti figura.

non modò compenſandum, & reſarciendum: ſed plurimum ſuperaddendum eſſe, ex diuino refert oraculo.

Et dixit, Parum eſt vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iaghacob, & fæces Iſrael conuertendas. Ecce, dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ.

Netsvr. Fæces Iſrael. *Rudera, & ruinarum reliquias verbum* NETSVRIM *ſignificat: atq; in hanc ſignificationem interpretamur* fæces. *Exiguas ait eſſe Iſraelitarum reliquias, magnas verò, & latè patenteis variarum gentium ſedes: ad quas cæleſtis regni nuncius & communicatio perferenda pertenturaq; erant.* Lucem, *Euangelium.* vt ſis ſalus mea. *Infinitiuus* LIHIOTH *ad primam, ſecundam, ac tertiam referri perſonam nihil prohibet. Salutem omnibus nationibus communicatum iri, eandémque ſalutem*

Rom. *Chriſtum eſſe, verbum ſignificat infinitum. Atque ita non ſibi laudẽ Chriſtus arrogat; qui gloriam ſuam nõ quærere ipſe profeſſus eſt, ſed potiùs muneris officiiq; ſui fidem auctoritatemq; tuetur diuinam: tum propter Deum ipſum auctorem & iudicem; tum etiam propter cauſam, ſalutem, inquam, publicam omni orbi afferendam, tametſi non omnibus promiſcuè acceptam; vtpote non paucis malè ſibi ipſis conſulentibus, & renuentibus oblatã. Hoc idem argumentum breui ſumma ab Apoſtolo aſtrictum & repetitum legimus:*

Rom. 15. *Dico enim Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circuncisionis propter*
» *veritatem Dei, ad confirmandas promiſsiones patrum; Gentes autem ſuper*
» *miſericordia honorare Deum. Sicut ſcriptum eſt, Propterea confitebor tibi*
» *in gentibus Domine, & nomini tuo cantabo. Iam verò deinceps, cùm certum & minimè irritum de ſalute publica mandatum, & Euangelium ex diuino iudicio aſſeuerauerit, quibus nam beneficium illud maximum conferendum ſit, & qua lege quóve pacto expectari atq; excipi oporteat, ſubiuncta mandati commemoratione declarat.*

Hæc dicit Dominus redemptor Iſrael, ſanctus eius, ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad ſeruum dominorum: Reges videbunt, & conſurgent principes, & adorabũt propter Dñm, quia fidelis eſt, & ſanctum Iſrael qui elegit te.

Iſraelis redẽptor Dominus. *Iſraelis nomen ad Iſraelem illum ſecundùm carnem primùm referimus, tanquam alterius Iſraelis veri & ſpiritalis imaginem: deinde autem, idq; præcipuè, ad ipſum præſtantiſsimum ſpiritalem Iſraelem, populum, inquã, acceptum, & ſectatorem bonorum operum. In quem aptiſsimè & veriſsimè omnia quadrant, quæ in imagine, quam diximus, priore ſunt peracta. Scimus autem Iſraelem illum ex altera atque altera ſeruitute redemptum, Ægyptiaca, inquam, & Babylonica: ſcimus ex vtriuſque ſeruitutis conditione ad liberi populi & ſanctis legibus ritibusq; ſacris inſtructi ſplendorem fuiſſe tranſlatum, idq; à* IEHVEH, *qui ideo* Redemptor Iſrael &

Cæleſtis regni hæredes futuri quales ſanctus eius *audit. Idem verò ſublimiore & ſpiritali modo iis præſtãdum portendebatur, quos ad Euangelij lucem, & cæleſtis conſortium regni vocandos conſtituerat Deus: quales autem, & quínam futuri eſſent, tribus*

Pauperes ſpiritu. *deſcribuntur epithetis.* ad contemptibilem animam. *Pauperes ſpiritu*

aliàs

aliàs præceptor ipſe nominat, qui nec altū ſapiunt; nec de ipſis magni quicquam præſumunt: imò & aliis deſpectui, deriſui, ac deſpicatui cùm ſint, ſeſe mitiſſimos gerunt, & præbent. ad abominatam gentem. *atque adeò ad eos, qui propter iuſtitiam, perſecutionem patiuntur; & qui inimicorum humani generis dominationem paſſi, laboribus oneribusq́; vexantur. quos mirè liberandos & reficiendos, Deus decreuit.* ad ſeruum dominorum. LEGHEBED MOSELIM. *Innumeris enim internis & externis cogitationum incommodis, atque intolerabili ſeruitute homines premi, eamq́; perpetuam piorum fuiſſe querelam, ſacra repetit doctrina. Inuenio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati & mortis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Veruntamen beati qui lugent, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Id quod tandem maxima cum totius potentiæ & induſtriæ humanæ confuſione & adminiſtratione verum, certum, ac reapſe probabitur præſtitum. Tribus autem illis piorum ac ſimpliciorum epithetis & conditionibus, quæ carnis iudicio duriores, imò & longè difficillimæ cenſentur; tria opponuntur mutatæ ſortis beata exempla.* Reges videbunt, & conſurgent principes, & adorabunt propter Dominum: quia fidelis eſt, & ſanctum Iſrael, qui elegit te. *Poſtremæ trium conditionum, quæ duriſſima videbatur, dominationis à compluribus dominis in eundem ſeruum exercitæ, hoc primum opponitur expectandum exemplum, regum gētium; quos nimia potentia elatos reddiderat; tamen diuinam in ſanctis & piis viris virtutem & efficientiam atq; dignitatem agnoſcentium, atq; ideo magna reuerentia excipientium & colentium eos ipſos, quos vel ipſi, vel ipſorum patres & maiores deriſui ac deſpectui habuerant. quod iam diu à Chriſtianæ veritatis primo candore, & recente luce factitatum, complurimis accepimus hiſtoriis.* Propter Dominū, quia fidelis eſt *in promiſſis ſeruandis ac præſtandis,* & ſanctum Iſrael; *qui, vt quondam Iſraelem à fratris iniuria & inuidia defenſum, per omnē deinceps vitam omnibus in locis tutatus fuit: ita nunc* elegit te *in ſpiritalem atq; verum Iſraelem. Atq; huius electionis veritate mutabis conditionem illam contemptibilis animæ, in ſublimem & ſanctam animæ dignitatem. atq; ita pro contemptu, animæ, ſanctitatem; pro ſeruitute, reuerentiam & honorem; pro abominatione, adorationem reportaturam prædicit Eccleſiam Dei. Quando verò hæc diuina beneficia ſpectanda eſſent, eodem vaticinio indicatur.*

Qui propter iuſtitiam perſecutionem patiuntur.

Seruitus humani generis.

Rom. 7.

Mat. 5.
Qui lugent, beati.

Erga ſanctos principum reuerentia.

In tempore placito exaudiui te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tui: & ſeruaui te, & dedi te in fœdus populi, vt ſuſcitares terram, & poſſideres hæreditates diſſipatas.

Vt quondam Iſraelitæ in Ægypto detenti, non antè liberati & educti ſunt, quàm ſeruitutis iugum grauiſſimum paſſi ſentirent, & conditionis pertæſi propriæ, Dei appellarent auxilium: atque ita adiuti & erepti, beneficij magnitudinem præſentis relictæ conditionis comparatione agnoſcerēt, & gratularentur: ſic etiam genus humanum, Diaboli tyrannide, & peccati ſeruitute oppreſſum, ad certum tempus liberationis & ſalutis cauſa dila-

Salutis tēpus opportunum.

tum eſt, cùm nimirum nihil illa publica miſeria vlteriùs haberet, quo ſuam duritiem & importunitatem declararet. Cumq́ natura ipſa hominum omnia ſibi remedia, omnia ad felicitatem inueniendam excogitata ſtudia fruſtrà tentata, & inutili ſucceſſu damnata ſunt. Id quod tempus in ſacra do- Finis ſeculorum. *ctrina* ſeculorum *dicitur finis: tunc enim demum quidnam & quãtum Deus mutare in humanis rebus poſſet & vellet, ac verè efficeret, reapſe declaratũ fuit. Alludit autẽ in hac deſcriptione Deus ad vtrãq; ſeruitutis figurã Ægyptiacã & Babylonienſem, atq; ad pariã ex vtraq; ſalutẽ: deniq; ad inſtitutam & reſtitutam liberæ & felicis reipublicæ formam, cum occupatione, vendicatione, poſſeſſione, & inſtauratione agrorum, fundorum, atq; hæreditatis omnis, vel antè promiſſæ, vel poſtliminio repetitæ. Hoc eſt quod ait,* in fœdus populi: *vt iam non deinceps ſeruum, ſed ciuem ageres; meq́ fœdere ſancto regem haberes tibi, vt populo acquiſitionis & familiari conſulentem.* Fœdus *verò ſtatus illius firmitudinem ſignificat, antea in* Deut. 28. *legitimis promiſſam pollicitis, Suſcitabit te Dominus ſibi in populum ſan-* »*ctum, ſicut iurauit tibi. Et ſuſcitares* terram, *præteritorum incolarum tumultibus, & bellorum incommodis vaſtatam.* & poſſideres hæreditates Pſal. diſſipatas. *de quibus ſcriptum, Benedixiſti Domine terram tuam, auertiſti* » *captiuitatem Iaghacob. & paulo inferiùs, Etenim Dominus dabit beni-* » *gnitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum: Iuſtitia ante eum ambula-* Tempus acceptabile. » *bit, & ponet in via greſſus ſuos. Atque hoc tempus tanto antè interuallo promiſſum, & audientium piorum fide exceptum & expectatum, quando* 2. Cor. 6. *nam extiterit, indicantem audire Apoſtolum operæpretium eſt: Adiuuan-* » *tes autem exhortamur, ne in vacuũ gratiam Dei recipiatis; ait enim: Tem-* » *pore accepto exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te. Ecce nunc tempus acce-* » *ptabile, ecce nunc dies ſalutis. Qui quidem ſalutis dies tum primùm luceſcere cœperunt, cùm Euangelij nuncius, Chriſto prædicante, in terris audi-* Marc. 1. *tus eſt: Poſtquam autem traditus eſt Iohannes, venit Ieſus in Galilæam,* » *prædicans Euangelium regni Dei, & dicens: Quoniam impletum eſt tem-* » *pus, & appropinquauit regnum Dei, pœnitemini, & credite Euangelio. Quod quidem ita curandum agendúmque fore, apud Vatem noſtrum inter prædicta extabat.*

Vt diceres iis qui vincti ſunt, Exite: & iis qui in tenebris, Reuela- Chriſtus annunciat pacẽ populo & gentibus. mini. *Bifariam obligatum, ac miſeriis obnoxium, Chriſto in terram venienti humanum genus oſtendendum ſignificatur: partim quidem ſub lege agentes, nihilominus peccatorum vinculis conſtrictos; partim verò ſine legis doctrina, non aſtrictos modò vitiis, verùm denſis ignorantiæ tenebris circumfuſos. vtriſque autem ſalutem communicandam, ab eodémque nunciandam prædicit Vates: iis quidem, qui ſub lege tenebãtur vincti,* Exite; *& iis, qui ignoratione veritatis iacebant ſepulti,* Reuelamini, *ad lucem venite. Vtramque vocationis partem D. Paulus ad Galatas ſcribens,* Gal. 4. *ita perſequitur: Dico autem, quanto tempore hæres paruulus eſt, nihil dif-* » *fert à ſeruo, cùm ſit dominus omnium; ſed ſub tutoribus & actoribus eſt,* » *vſque ad præfinitum tempus à patre: ita & nos, cùm eſſemus paruuli, ſub*

elemen-

elementis mundi eramus ſeruientes. At vbi venit plenitudo temporis, miſit "
Deus Filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege; vt eos, qui ſub lege "
erant, redimeret: vt adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autē eſtis "
filij, miſit Deus ſpiritum Filij ſui in corda veſtra, clamantem Abba Pa- "
ter. itaque iam non eſt ſeruus, ſed filius; quòd ſi filius, & hæres per Deum. "
Sed tunc quidem ignorantes Deum, iis qui natura non ſunt dij, ſeruiebatis. "
Idem ad Epheſios, Eratis (inquit) aliquando tenebræ, nunc autem lux in Epheſ. 5.
Domino, vt filij lucis ambulate (fructus enim lucis eſt in omni bonitate & "
iuſtitia & veritate) probantes quid ſit beneplacitum Deo. Et nolite cōmu "
nicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite. Quæ "
enim in occulto fiunt ab ipſis, turpe eſt & dicere: omnia autē quæ arguun- "
tur, à lumine manifeſtantur. Omne enim quod manifeſtatur, lumen eſt. "
Atque in hac vinctorum & tacentium in tenebris vocatione mortuorum Reſurrectio mortuorum & inferorum expoliatio.
ſuſcitationem, atq; inferorum expoliationem arcanè ſignificari, iam facile
cognitu fuerit. Quod & Chaldæus indicauit paraphraſtes. qui, vbi legi-
mus, vt ſuſcitares terram, *interpretatur,* ad excitandum iuſtos qui ia-
cent in puluere. *Multa autem corpora ſanctorum, qui erant in monu-* "
mentis, ſurrexerunt [cum Chriſto] & introierunt in ſanctam ciuitatem, "
& apparuerunt multis. Quænam verò, & quanta commoda vocatos ita ad "
Euangelij libertatem & lucem conſecutura ſint, certis imaginibus ad ſpi-
ritalem ſignificationem referendis indicantur.

Super vias paſcentur & in omnibus planis paſcua eorum.

Diuinæ prouidentiæ ac doctrinæ cæleſtis opportuna & commoda benefi- Omſi Chriſti paſcua.
*cia per animarum paſtorem Chriſtum, ſuis populis, vt proprio gregi, ſuffe-
ctum iri, pollicetur per Vatem Deus. Ita vt in ipſis vitæ viis, quæ aliàs pro-
pter calcantium frequentiam ſteriles eſſe ſolent, paſtus abundè ſuppetat.* &
in omnibus planis: *ſiue illa plana vallium fuerint, ſiue montium & col-
lium; in quibus plerumque propter aquarum penuriam, per æſtum præci-
puè, vel nullus, vel rarus & exiguus reperitur paſtus, diuinæ tamen proui-
dentiæ benignitate ſuggerente, abundè ſuppetet* in omnibus, *nullo excepto.*
Nomen SEPHAIM, *pro quo* planis *reddit interpres, loca nuda & ſterilia,* SEPHAIM.
*germineq; omni aliàs carentia ſignificat. Quidquid autem huiuſmodi of-
fenſum fuerit, populo tamen Dei, propter paſtoris prouidentiam, oportunū,
commodum, & paſcuorum fertile reddetur. atq; hoc pacto*

Non eſurient, neque ſitient, & non percutiet eos æſtus & ſol: quia
miſerator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos.

QVÆ *omnia per tranſlationem & ab hoc Vate prædicta, & ab ipſo*
Paſtore Chriſto repetita Euangeliſta docuit. Hoc prouerbium dixit eis IE- Ioan. 10.
SVS, *illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum* "
Ieſus, Amen, amen dico vobis: quia ego ſum oſtium ouium. Omnes, quot- "
quot venerunt, fures ſunt & latrones; ſed non audierūt eos oues. Ego ſum "
oſtium: per me ſi quis introierit, ſaluabitur; & ingredietur, & egredietur, "
& paſcua inueniet. Fur non venit niſi vt furetur, & mactet, & perdat: "
Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant. Atque ad huius "

expedi-

Salutis expeditio & communicatio nulla re impedita.

expeditionem communicationemq́; ſalutis magnas opportunitates Euangelij virtute paraturum ſeſe idem promittit Paſtor; adeò vt nulli neq; longa ſpatiorum interualla, nec montium ardui aſcenſus, aut deuexi nimium vallium tractus, ad ceſſationem vel tarditatem cauſas dare valeant.

Et ponam omnes montes meos in viam, & ſemitæ meæ exaltabuntur. Ecce iſti de longè venient, ecce illi ab Aquilone & mari, & iſti de terra Auſtrali.

Gentes omnes vocatæ Euangelio.

Totius terrarum orbis nationes gentesq́; omnes, Euangelij doctrina vocante, ad Chriſtianæ Eccleſiæ, & beneficiorum diuinorum communionem conuenturas, non obſcuris vaticiniis nunciari Deus iuſſit: quorum de numero hoc idem explicatiſſimum eſt, in quo totius terræ ſitus per plagas in ſummam redigitur.

Terræ plagæ & ſitus.

Si quidem ex antiquis Geographiæ documentis, atque ex peractis noſtra memoria nauigationibus conſtat, terram ab occaſu ad ortum porrectam, longiore tractu quàm ab Aquilone in Meridiem extendi; poſſeq́; omnem, ſecundùm longitudinem, pedibus peragrari & circui; ſecundùm verò latitudinem non poſſe, vtpote ſub Aquilone ſolidam & continentem creditam, ab Auſtrali verò plaga, & regione vltrà Æthiopas minimè procurrentem; ſed Oceano Meridionali vaſtiſſimo repreſſam. vnde factum eſt, vt Aquilonis plagæ, non Auſtri, ſed Maris *nomen ab hoc Vate opponatur. Eſt itaque terra ab occaſu ad ortum multò quàm vbi à Borea in Notum latiſſima eſt, longior. Eadem à Septentrione Iapethi, à Meridie Chami, ab Oriente verò Semi filiis primùm occupata & culta, harum gentium reliquias, quamquam aliàs confuſas, perpetuò cõſeruauit. Et quidem extremas gentes, propter nauigationum facilitatem, & inuenire promptũ, & indicare ac ſcribere conſentaneum fuerat: interiora verò terrarum tenentes, propter viarum importunitates, & itinerum incommoda, non ita facilè fuerat perluſtrare; maximè verò quaſdam, quæ ſuis locis ac ſedibus contentæ, nec ipſæ alios petere tractus, nec ex aliis venientes hoſpites admittere conſtituerunt: hoc potiſſimum & commodiſſimum ad ſecuritatem publicam arbitrati conſilium. Quem quidẽ Sinarum regio & gens morem ad noſtrum vſque tempus retinuiſſe feruntur: qui, vix portuum commercia hoſpitibus indulgentes, interiora terrarum atq; vrbium oppidorumq́; ſitus inuiſere minimè conceſſere: adeò cetera concluſi, vt longiſſimis & perpetuis muris, magna mole inſtructis, finitimos etiam populos, eodem iacentes tractu ac ſolo arceant; neque aliam vel religionis, vel legum formã ab ea quam à maioribus acceperant, admiſerint. quibus, quamquã ita inhoſpitalibus, atque à ceterorum conſuetudine mortalium diuerſis; tamen iam nunc Chriſti nomen audiri cœptum, lumen quoque affulſurum, & ſalutis publicæ Euangelium auditum, ac beneficium communicatum iri & credimus, & propediem expediendum ſperamus. Id quod hoc vaticinio promiſſum conſtat: quod tempore quoque accepto præſtandum, diuina prouidentia ac miſericordia decreuit & conſtituit. Ita demùm futurum, vt, quod Malachias arcanè vaticinatus eſt, tam diu apud alias & alias nationes propagatum; apud ceteras omnes, quibus nondum ita clarè & cõmuniter traditum fuerit,*

Terræ diuiſio.

Sinarum gens.

Sinarum gentis conuerſio promiſſa.

fuerit, demum perlatum lumen illuceat, & ſanctorũ quoque perferat com- Chriſti ſacrificium.
munionem, atque diuinum Chriſti ſacrificium, eadem veritate perceptum, Malach. 1.
eodem ritu ac Sacramento Chriſtiano celebratum, recolatur; impleaturq́; "
illud: Ab ortu ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in genti- "
bus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda: "
quia magnum eſt nomen meum in gentibus, ait Dominus exercituum. Id "
quod ad ſacroſanctam Euchariſtiæ oblationem, veritatem, & virtutẽ cum Euchariſtia.
iis, qui piè ac doctè ſentiunt, nos quoque & eodem illo explicando vaticinio, & aliàs pertinere docuimus; nihil quorundam morati inſidias, quibus quæ ſimpliciter ac planè dicta & ſcripta ſunt, à proprio, & germano contextu diſcerpta & abrepta, ad calumniam detorquentur. Nunquam tamen vel Auctoris mẽs & mos erga inſidiantes & maledicos
retaliationem, vel maledicentiæ contentionem à me, tametſi grauiùs offenſo, & acriùs laceſſito ac præmorſo ex torturis, niſi quantũ officio conſcientiæ fretus illud modò præceptoris noſtri imitatus opponam: Ergo iudicium Sup.
meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo. Sed iam à diuerticulo "
commentationem repetentes, non modò terræ ſitus deſcribendi ſummam, verùm etiam alienas à ceterarum gentium ſocietate & more nationes hoc vnico verſu complexum Vatem exponimus. Nam longitudinem ab ortu ad occaſum æſtimatam, illa prima deſcriptionis indicat pars, Ecce iſti de longè venient. *latitudinem verò illa,* & ecce illi ab Aquilone & mari: *ſecretiorum verò & inhoſpitalium nationum mores & ingenia ſatis ſuperq́; coarguit vna gens, hoc ipſo nomine præter cæteras notata; quæ non temerè aut inculto & ruſtico ritu, vti Æthiopum & Scytharum nationes quædã viuunt; verùm deliberato & communicato conſilio, decreto, & continente ſtudio in eam ſententiam & communem fidem curamq́; incubuere omnes: ne quid vnquam externæ conſuetudinis in ſuam rempub. irrepere ſinant. Hanc autem eſſe rationem arbitramur, quamobrem deſcriptæ orbis terrarũ ſummæ vnius tantùm gentis, eiuſdemq́; inhoſpitalitatis nomine famoſæ mentio adiuncta fuerit. Iam verò nomen ipſum breuiter diſcuſſum, gẽtem, de qua ſermo eſt, apertè prodet.* Et iſti de terra Auſtrali. *Chaldæum interpretem ſecutus Latinus pro* ERETS ZZINIM, terram Auſtralem *reddidit:* ZZINIM.
neque id præter Geographiæ rem. Nam quamquam Sinarum regio in Sinarũ regio
Aſiæ mediterranea pertendens, ad Tartaros vſque ſecundum latitudinem pateat, atque in Serum cenſu definiri poßit: tamen ab Indico mari inchoata & portus admittit, & Auſtri flatibus ſeſe primam ex ea parte opponit, atque eodem ex latere Auſtralis eſt. Cæterùm ſacræ linguæ exemplaris lectio gentis nomen præfert proprium MEERETS ZZINIM, de terra SINARVM. *Cuius regionis mentionem ſingularem Ptolomæus in Aſiæ tabulis* Ptolom. Aſiæ tab. 11.
facit, noſtro tempore Luſitanorum nauigationibus apertæ, & commerciorum vſu Chriſtianorum conſuetudini iam conciliari cœptæ: deſcriptionem verò & hiſtoriam complures iam edidere auctores; quorum ſuccinctũ quidem, verùm rebus refertiſſimum exemplum, diligentiſſimus noſtri æui, & vtilitatis publicæ ſtudioſiſſimus Abrahamus Ortelius, idemq́; Chriſtianæ Abrahamĩ
probitatis, atque bonorum amicitiæ colentiſſimus, breuibus complexus eſt Ortelij laus.

 chartis,

Ortelius in auctario.

chartis in illo nunquam ſatis laudato, quod ſtructum indies auget, Orbis theatro. Cuiuſmodi ſi tanta temporibus his ingeniorum eſſet copia, quanta contentioſorum ac maledicorum ſupereſt inuidia; meliùs, leniùs, ac feliciùs inter Christianos, non literatos modò, ſed inter rudes & indoctos, ageretur; ac de ſalutis communis argumentis & rebus conueniret, & benigniorem, longeq́; commodiorem diuinorum promiſſorum vſuram Christianus populus haud dubiè caperet; illudq́; communiter & aſſiduè gratulatorium celebraret carmen, quod huius promiſſi veritate fruituris noster dictabat Vates.

Laudate cæli & exulta terra, iubilate montes laudem: quia conſolatus eſt Dñs populum ſuum, & pauperum ſuorũ miſerebitur.

Lætitiæ ex publica ſalute celebratio.

E x *libertatis & felicitatis promiſſæ veritate maximæ & publicæ lætitiæ celebrationem à ſupernis & inferis animis maxima & mirabili cælorum ac terræ gratulatione, cuius à montibus ipſis referatur imago, colẽdam per enthuſiaſmon ex conſequenti admiratione prædicit atq; indicit Vates.*

Cælum. Terra.

Et quidem cælum cæleſtes ex metonymia ſpiritus, terra homines, vt aliàs docebimus, conſignificant: quorum lætitiam & gaudium ipſa etiam orbium & elementorum natura, tanquam feſti peragendi theatrum reſonare, & imitari audiatur. Namque locorum nitor ac decus, & læta facies incolentium, alacritatis eſt index: atq; ita ex illorum habitu horum cognoſcitur affectus. Quòd verò poſt appellatos cælos ac terram ſingulare quoque montium compellet nomen, ad naturæ veritatem & poeticæ dictionis elegantiã pariter facit, (præterquam quòd mõtes præexcellentes ac ſublimiores in terra poteſtates, vt ſacerdotia imperiaq; ſignificat.) Namque olim theatra & circi huiuſmodiq; ad feſtos ludos inſtructa loca ſecundùm montes plerumq; poſita viſebantur; ad quos communis acclamationum, laudum, cantionum & plauſuum alliſa vox & vehementiorem efficeret ſonum; & rurſus ad aures propter imitationem & imaginem gratior iucundiorq́; rediret, atque eius, qui celebraretur, nomen eiuſmodi repetitione auditorum gratiam efficaciùs colligeret. Hinc illud eſt:

Montes.

Theatrorum & circorum ſitus.

Horat. lib. 1.

Quem Deum aut herõa lyra vel acri
Tibia ſumis celebrare Clio,
Quem Deum, cuius recinet iocoſa
Nomen imago? & *illud:*

Idem lib. 2.

Datus in theatro cùm tibi plauſus
Chare Mæcenas eques, vt paterni
Fluminis ripæ ſimul & iocoſa
Redderet vocet tibi Vaticani
Montis imago.

Id quod hodieq; Romæ cum iucundo audientium miraculo ſecũdùm D. Sebaſtiani templum apud Circi ruinas frequentatur: vbi acclamantium vocis imago plenior & integrior, quàm nuſquam alibi locorum nobis audita fuerit, iteratò repetita redit; adeò vt hemiſtichium totum quacunque lingua cantatum & plenè excipiat, & exceptum totidem verbis, numeris ac

modis

modis reddat, ac propter obiectum etiam vlteriùs collem iteratò etiam repetitum: tametſi non adeò numeroſum ſecundet. Ad huiuſmodi publicam lætitiam & laudationem omnes ſpiritus adhortatur Vates: quæ intra animos primùm concepta in externas & ſenſibus etiam percipiendas erumpat laudes. Ad quod exhortationis exemplum & illud apud D. Paulum pertinet: Implemini ſpiritu loquentes vobismetipſis in pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino, gratias agentes ſemper pro omnibus in nomine Ieſu Chriſti Deo & Patri. Epheſ. 5. " "

Atq; gratulationis indictæ argumentum cuiuſmodi futurum ſit, breuiter deſcriptum traditur. Conſolatus eſt Dominus populum ſuum, *qui antea ſuam in diaboli tyrannide captiuitatem lugebat. Beati autem qui lugēt, quoniam ipſi conſolabuntur.* Et pauperum ſuorum miſerebitur. *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. &, Nolite timere puſillus grex, quoniam complacuit Patri veſtro dare vobis regnum. Vendite quæ poßidetis, & date eleemoſynam. Ad quam ſignificationis vim nomen illud* pauperum ſuorum *explicandum ac dilatandum eſt, & ad congenerem huic etiam gratulationem ab Angelis decantatam. Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis [Dei.] Quæ, cùm promiſſa à Deo ita veriſſima conſtent, conſequitur; falſam eſſe generis humani querelam, ſeſe à Deo deſertum cauſati atq; deplorantis.* Beati qui lugent. " " Pauperes. Lucæ 2. "

Et dixit Sion, Dereliquit me Dominus, & Dñs oblitus eſt mei.

A D *miſericordiæ ac veritatis diuinæ aſſeuerandam conſtantiam perſonæ controuertentis inductio appoſitißimè per Vatem vſurpata eſt. Namq; vniuſcuiuſque cauſæ ratio & vis per controuerſiam clarißimè examinatur; vbi ſingulæ partes productis argumentis ac rationibus proprium tractant & perſequuntur ius. Diximus autem (quod & repetimus) Ieroſolymam ciuitatem, & Sionem regiam humani generis in ſacra doctrina ſuſtinere perſonam; quodq; de illis in externam ſpeciem dicitur, ad hoc interna virtute & ſpiritali definitione referri oportere. Vt autem in Babylonica quondam ſeruitute detenti Ieroſolymitani ciues & Sionenſes magnates, longißimi temporis moræ ſeptuaginta annorum interuallum propter ſeruitutis tædium adſcribebant; atq; Deum à ſe alienatum diſceßiſſe querebantur: ita natura conditioq; hominum, diuturnum internorum tyrannorū iugum perpeſſa, cùm excutiendi modum ipſa ſibi reperire neſciat, ſolúmque Deum libertatis auctorem credat, & promiſſorem alicubi acceperit; tamen præſtitorem requirens, & nondum vſquequaque agnoſcens, olim ſeſe propter peccatum à Domino relictam ac deſertam, atque adeò obliuioni traditam querebatur. Longißimo namque tempore mortalium genus conditionem tulit iſtam. cuius generis, vti diximus, perſonam Sion atque Ieruſalem referebat. Namq; & illæ, quamquam ſcriptæ legis beneficio affectæ, tamen ſub peccato concluſæ, natura filij iræ erant, ſicut & cæteri. Atq; eadem ſiue Sion, ſiue natura, imaginem induit mulieris: quæ ſe à viro ſuo longè profectò deſertam primùm; deinde etiam obliuioſe ſepultam conqueſta lamentatur. Et quidem, vt deſertionem talem terreſtris commercia fuerat* Ieroſolyma & Sion humanum genus ſignificat. Humani generis querela.

Sion propter ſuperſtitionis adulterium, & grauiſſimas alias in diuinam legem offenſiones; ita maximè humana ſoboles omnis, iuſto iræ ac deſertionis diuinæ iudicio obnoxia erat, propter primum & commune, & ex primo innumerabilia conſecuta ſcelera & peccata, atque adeò, quantum ex merito fuerat ſuo, eiuſmodi perpetuum luctum ac lamentum repetere & frequentare potuit ac debuit. quem ideo Vates inductum refert, vt diuinæ miſericordiæ ac benignitatis magnitudinem declaret immenſam: quam ita admiratus & gratulabundus commendare ſolet Apoſtolus: Cùm autem benignitas & humanitas [φιλανθρωπία] *apparuit ſaluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos; ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit ſuper nos abundè per Ieſum Chriſtum ſaluatorem noſtrũ, vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundùm ſpem vitæ æternæ: Fidelis ſermo eſt. Itaque quod ex hominis adulterata natura fuerat, deſertionem atq; obliuionem ſui non modò ex conſcientia lugere poterat, ſed etiam propter demeritum debebat. Verùm enimuerò ex hac occaſione, benignitatis ac miſericordiæ diuinæ magnitudinem & infinitum theſaurum aperiendum prædixere Vates, & ſancti teſtes gratulati ſunt; nempe vt propoſitum Dei maneret, quod de ornando amplificandoq; homine ab æterno fuerat ſuſceptum. Igitur audita iam querela, in qua de mente conſilioq; Dei erga homines inquirebatur, agebaturq;, miſericordiæ diuinæ aſſerendæ cauſa; quid contra Deus reſponderit, operæpretium fuerit audire: adeò verò grande operæpretium, vt niſi rectè hæc miſericordiæ diuinæ ineatur teneaturq; ratio, de re profectò humana actum fuerit; præſertim apud eos qui ex elementis mundi, magis quàm ex Chriſto, de futuris hominum euentibus decernere auſi fuerint. Nec enim odij aut obliuionis, vel negligentiæ nomen aut notationem diuinæ admittit naturæ ſanctitas: nec quicquam aliud, quod à ſanctitatis, bonitatis, & æquitatis amoriſq; rationibus vlla vel minima ex parte diſcrepet. Namque iſtud quicquid tale fuerit, vel defectum, vel triſtitiam, ac detrimentum arguit; à quibus diuinam ſingularitatẽ immunem conſtare neceſſe eſt. Igitur obliuionis ſuſpicionem argumento vnico, & argumentatione duplici depellit Deus; argumento, inquam, ex natura producto, eodemq; manifeſto; argumentatione verò cùm ad naturam deducta, tum verò ad ſingularitatis diuinæ perfectionem producta.*

Tit. 3.

Miſericordiæ diuinæ ratio

Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui?

Matrũ amor in filios, cura, & recordatio.

Omni animantum generi certiſſimus erga eos, qui ex ſe procreentur, amoris affectus, iſq; in feminis longè vehementior ſentitur: in quo etiam humana ceteris præſtat antecellitq; natura. Impenſè enim filij matribus chari ſunt; ex quo fit, vt ſtudioſè ac diligenter curentur: curæ verò modus ad inopiam egeſtatemq; plerumq; exigitur. Nam quo magis eget, qui carus habetur, eò vehementiùs augetur & creſcit eius cui carus eſt cura. Eſt autem duplex mulierum erga fœtum ſuũ cura, ex duplici inopiæ exemplo nata; vtraque verò acerrima. nam quàm diu infans, niſi à matre alatur, vltrò

alê

ali ac viuere nequit, quidquid mater faciat, quocunque ſit loco, quacunque occupetur in re; tamen infantis nutriendi & paſcendi præſentē ſemper habet recordationem: idq́ opportunè curat, vt infanti ſuo aut lac præbeat, aut aliàs commodum ſufficiat alimentum. Alteram erga fœtus memoriam & recordationem vterus ipſe tumens matri excitat: quæ conſcia quantum alimenti fœtus egeat, & quantum ſibi ipſi propter illum indulgere opus fuerit, indulget perpetuò, ac nunquam non de partu cogitat, ac prole: vtpote quam intimam ſecum geſtet atq́ ſentiat, ederéq́ incolumem in optimis habeat votis. Huiuſmodi bipertitæ matrū erga proprios fœtus memoriæ quoad amoris affectum, ſuam etiam Deus comparat memoriam: idq́ in priore argumentatione agit, fieri non poſſe declarans, vt humana mater vel infantis alendi, vel vteri geſtati obliuiſcatur: atque hoc exemplo ſe Sionis nunquam obliuiſci ait, vtpote auctorem amantiſſimum; tantoq́ in amando valentiorem, quāto natura præſtantiorem eſſe conſtet. Et quidem ex duabus humanæ querelæ membris priorem non inficiatur Deus, hoc eſt, Sionem à ſe eſſe relictam: quippe vt Ieroſolymitanam gentem propter peccata relictam, & Babyloniorum abductioni traditam, atq́ ſeptuaginta annis permiſſam legimus: ita etiam humanum genus in præteritis generationibus vias ingredi ſuas quadantenus permiſſum à Deo conſtat. Verùm enimuerò idem nunquam obliuioni traditum, pluuiæ, & tempora, & cibi, & alimenta perpetua aſſiduaq́ teſtata ſunt. Binas verò matris, quas diximus, diuerſas curas, quæ nunquam vni eidemq́ feminæ eodem in tempore fuerunt, ſibi pariter eſſe Deus aſſeuerat; alteram hominum ea in conditione, qua primùm editi fuere, alendorum: alteram verò eorundem in propoſiti ſui ac miſericordiæ viſceribus ad vſque nouæ generationis tempus fouendorum, ac demum edendorum. Vtramq́ autem curam & memoriam obliuionis experti ſibi propriā conſtantemq́ manere aſſeuerat. Iam verò argumenti & argumētationis vocabula ſigillatim & per partes explicemus. Nunquid poteſt obliuiſci HATHISCHAHH ISSA GHVLAH. *Ex verbo,* Num obliuiſcetur mulier aliqua (*vtrumque enim ſignificat* ISSA) GHVL ſuum? GHVL *in ſacra lingua fœtus dicitur, quamdiu materna ſugit vbera; rectéque à Latino interprete verſum eſt in* infantem; *quamquam* GHVL *commune etiam quadrupedum fœtibus eſſe obſeruetur; quod & Arabum lingua à primæua mutuauit. atq́ hæc interrogationis pars alterius, hoc eſt, fœtæ mulieris memoriam curamq́ ſpectat: altera pars,* vt nō miſereatur filio vteri ſui, *ſic habet,* MEREHHEM BEN BITHENAH, *ex verbo,* ex viſcere filiū vteri ſui? REHHEM *viſcera materna, atq́ in illis natam ſignificat miſericordiam. eſt autem in vno verbo pulcherrima conſignificatio, ex qua impoſſibile conficitur antitheton: nam dicere filium vteri, qui inter viſcera adhuc latet, à miſericordia eſſe abdicatum; idem valet atq́ illud, à viſceribus alienata eſſe viſcera. Atq́ vocabulo huiuſmodi vſurpando miſericordiæ ſuæ vehementem immenſitatem, & immenſam vehementiam, quàm maximè humanus animus intelligere valet, declarare Deus voluit, quàm maximè, inquam, valemus intelligere: nam quàm maximè illa valeat & pertineat,*

Diuinus amor erga homines.

ISSA. GHVL.

REHHEM.

Diuinæ miſericordiæ immenſitas vehementiſſima.

 nec

nec humana cogitando mens conſequi, nec eloquendo exprimere lingua poteſt: niſi forſitan ex contrarij negatione, quæ nullis definiri datur modis; vt ſtatim audiemus, vbi de nomine hoc nonnihil etiam adnotauerimus, quod in miſericordiæ ſuæ teneritudine (vt fas ita loqui ſit) & ſubductionis impatiente magnitudine ſignificanda, præcipuè omnium aliorum vſurpatur, quodq́; adeò in miſericordiæ ſuæ rationibus commendandis probat Deus, vt celeberrima, & gratulationibus perpetuis excipienda, commemoranda, & canenda inde ſibi ipſi vendicet, atq; Vatibus omnibus dictet epitheta & verba.
Exodi 32. *vbi Moſen allocutus Latinè refertur dixiſſe, Miſerebor cuius miſerebor. qua in lingua ipſe locutus narratur* RAHHAMTHI ETH ASSER ERAHHEM: *vbi per Moſen ſalutatus dicitur, Dominator Domine Deus* MISERICORS & CLEMENS, ADONAI IEHVEH EL RAHHVM VE HHANVM *audiuit. quod Hiſpanica lingua ex verbo ſonat,* Poderoſo entrañado y gracioſo. *Sed & illud ad hanc rem occurrit opportuniſſimum:*
Deut. 4. *Poſtquam te inuenerint omnia, quæ prædicta ſunt: nouiſſimo autem tem-*
» *pore reuerteris ad Dominum Deum tuum, & audies voces eius: quia Deus*
» RAHHVM *Dominus Deus tuus, & non dimittet te, neque omnino delebit. Et quid apertius, aut magis ad hanc tranſlationem conformatum atque*
2. Reg. *illud: Dixit autem Dauid ad Gad, Coarctor nimis; ſed melius eſt vt inci-*
» *dam in manus Domini: multæ enim miſericordiæ eius ſunt.* RABBIM RAHHAMAV *ex verbo,* multa viſcera illius. *Italico ſermone, qui maximus & vehementiſſimus prædicatur amor,* Suiſcerato amore *dici ſolet. Iam verò cùm hoc rerũ rationi ac naturæ ipſi repugnet, vt vtriuſuis fœtus mulierem aliquam capiat obliuio; longè tamen, vt maiora miſericordiæ viſcera Deo ſacra tribuit diſciplina: ita infinito exceſſu humani generis deducendi atq; educandi, demumq́; regenerandi, eodem profeſſo memoriam adſcribit: quippe qui vel impoſſibili conditione ſe infinito interuallo vlteriorem in obliuionis negatione declaret atq; obteſtetur.*

Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.

Exemplaris lectio illa, GAMELE THISCHAHHNA VEANOCHI LO ESCHAHHECHA, *ex verbo ſic refertur,* Quin iſtæ obliuiſcentur, & ego non obliuiſcar te. *Meminerimus duplicem in ſuperiori hemiſtichio allegatam muliebrem affectionem: quam etiam nunc plurale verbum* obliuiſcentur *excipit. Futurum tempus perpetuitatem in ſacra lingua vendicat: cuius nulla ſub cælo natura abſolutè ac ſimpliciter compos eſt, præcipuè in Adam progenie & ſobole. Nam ſi maximè mulieribus omnibus fœtuum & infantum propriorum concedatur memoria; tamen euenire poteſt, vt ea vel morbo, vel ſomno, vel aliquo aliàs interpelletur caſu; & tamen cùm illarum naturæ definitus adnotetur modus affectionum, vſquequaque*
Dei miſericordia perpetua. *indefinitus, nemini mortalium defendetur. Quod quidem exceptionum genus vniuerſum à diuinæ miſericordiæ viſceribus, & prouidentiæ inexhau-*
Pſal. *ſto fonte alienum prorſus propellitur. Quia in æternũ miſericordia ædifi-*
Pſal. *cabitur in cælis; & præparabitur veritas mea in eis. &, Miſericordiã &*
Pſal. 76. *veritatem diligit Dominus. Et meditatus ſum nocte cum corde meo, &*

exer-

exercitabar, & ſcopebam ſpiritum meum. Nunquid in æternum proiiciet Deus? aut non apponet vt complacitior ſit adhuc? Aut in finem miſericordiam ſuam abſcindet à generatione in generationem? Aut obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas? Et dixi, Nunc cepi, hæc mutatio dexteræ Excelſi. Memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum. Et meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinuentionibus tuis exercebor. Deus in ſancta via tua; quis Deus magnus ſicut Deus noſter? Tu es Deus qui facis mirabilia. Denique miſericordia Domini ab æterno vſque in æternum ſuper timentes eum, & in eos qui ſperant ſuper miſericordia eius. Qui, cùm ſit ſanctus, & ſupra omnem humanam non dictionem modò, ſed cogitationem, ſine vllo ſublimis termino; tamen ſuæ de humanis rebus memoriæ conſtantiam, & curæ perpetuam veritatem ſignis & exemplis iis, quæ hominum conſuetudine ac moribus habentur certiſsima, tanquam manifeſtis argumentis comprobandam declarat, & aſſeuerat.

Ecce in manibus meis deſcripſi te, muri tui corã oculis meis ſemper. *Tranſlationem hanc ab architecturæ arte ſumptam conſilij, curæ, & voluntatis Dei de humana ſalute & regeneratione indicem quis vnquam ſatis admirari aut ſciat, aut queat? Ipſam, inquam, tranſlationem totius artis breuiſsimum compendium complexam. Namq; ædificium omne geminis tantùm conſtituitur ſpaciis: pauimenti altero, quem ſitum, ſiue ſolum dicimus; & ſtaturæ, ſiue ſtatus, quem aërem appellare licet. in priori longitudo ac latitudo, in poſteriore profunditas, ſiue altitudo vſurpatur opportuna, quæ à prioris norma & figura nuſquam diuertat. Quamobrem prioris inſtituendi ſpatij prima artifici cura cogitatioq; eſt. quod vbi rectè, & ex arte atque vſu delectum conformatumq; fuerit, alterius ratio atque forma ſpatij conſequente ratione periti in arte viri animo facillimè, atque adeò ſponte ſua repræſentatur: ita vt meditanti, ac de ſoli electione & figura certo totum deinceps, quod ſtatuendum & perficiendũ expectetur, opus communi teneatur ſenſu, atque oculis conſpici videatur. Nam ſi quiſquam ſolers pictor, humani pedis veſtigium tantummodo in tabula deſcriptũ reperiat; idem totam deinde corporis imaginem aptis modis, & apprimè decenti habitu abſolutam ponet. Eadem etiam à ſapiente architecto, inita ratione, vbi ſoli ſitus opportunè fuerit concinnatus; reliqui operis forma ac ductus conſequente cogitatione concepta conſtabunt. Quare magnorum artificum primus in meditatione, atque vnicus labor in area deſcribenda (quam Architecti Ichnographiam vocant) hanc verò deſcriptam & probè concinnatam nihil opus eſt alteram ſequi, ab architectis orthographiam vocitatam; quippe quæ ad opus imperitis, non autem peritioribus indicandum parari ediq; ſolet. Maximi verò artifices eiuſmodi dexteritate ſunt, vt vel breuiſsimo ſpatio deſignato areæ, non ſecus atq; vel ampliſsima deſcriptione informati euadant: adeò vt vel ipſa manus vola exiguam formulam ſuis numeris & partibus diſtinctam deſcribant, qua ſubinde intuentibus, totũ æſtimetur opus: ad perpetuam verò & continentem recordationem nulla*

Architecturę & ædificij rationes.

Ichnographia.

Orthographia.

Vitruuius.

tabula

tabula perinde commoda, nulla ad conſulendum æquè opportuna, quàm palma, ſiue vola manus eſt; vtpote quam artifex nuſquam non ſecum habeat, & nunquam non, etiam dum aliàs res agit, intuetur: quare quæ præſentiſſima & notiſſima ſignificare volumus, in manu habere vel geſtare, vel appendere, vel alio modo ad manus ac digitos relata, dicere ſolemus; vtpote ad conſulendum vel exponendum parata & promptiſſima. Sic Vates vitam ſuam perpetuò expoſitam diſcrimini ſignificans, aiebat: Anima mea in manibus meis ſemper. Et ad hanc præſentis ac promptæ recordationis imaginem illud apud Satyricum: Tanquam vngues digitosq́ ſuos. Ex hac itaque nobis breuiter tractata architecturæ & picturæ imagine, certam, præſentem, & nunquam ceſſantē Dei de ædificanda Sione recordationem, atq; immobile propoſitum intelligimus; neque diu nimis differendum opus colligimus, cuius ipſe ſibi aream in manuum volis deſcriptam declaret, & orthographiam oculis præſentem aſſeueret: præterea immenſam fore molis ædificandæ magnitudinem, & vrbis amplitudinem, cuius ichnographiam, quam aliàs, quanquam magnarum vrbium, breuis charta capere poſſit; ipſe non in altera tantùm, ſed in vtraque manus vola deſcripſerit. quàm verò lata & ampla illa ſit, qui æſtimare volet, idem maiorē toto cælo extenſionem percipere præſumpſerit; quandoquidem vel vnico Dei palmo totum cælum audiuimus menſuratum. Hæc, quæ retulimus omnia, hoc eſt, ſtatam & præſentem recordationem, certam voluntatem conſtitutam ædificandæ Sionis æſtimationem, formam, amplitudinem, & ſublimitatem, pulcherrima illa tranſlatione ſignificantur. Ecce in manibus meis deſcripſi te. *In exemplari*, GHAL CAPHAIM HHAKOTHICHA. ſuper volas [*ambas*] deſcripſi te. *Antiquum propoſitum, & certum verbum præteritum, præſentem, & promptam recordationem volæ ſignificant: immutabilem verò ſententiam vocabulum* HHAKOTHI *adnotat; quod non quocunque modo, ſed incidendo deſcribere exponimus: ita vt inciſa deſcriptio deleri ſeſe minimè patiatur. Et quoniam huiuſmodi deſcriptiones ex volūtate principum primùm profectæ, alicui vel priuatæ, vel publicæ conditionis fauentes certum, non ex natura rerum, ſed ex principum, vti diximus, benigna liberalitate & gratia in ius eius, cui conceſſæ fuerunt, abeunt; factum eſt, vt quidquid huiuſmodi iuris decernatur, in ſacra lingua appelletur* HHOK, *vt ius regis gentium, Ægyptiorum ſacerdotum ius, ciuitatis ius: quam definitionem hoc loco non viſum prætermittere opportunam, obſeruationeq́ dignam ad iuris & legum diſtinguēdas rationes ac ſignificationes, & ad pœnitiorem beneficij huius contemplationem; quo Deus, vt ſe tam ciuitatis illius, quam adornat, regem gubernatoremq́ proprium profeſſus fuerat: ita ciuitatem ipſam ex conſequenti iure certam & conſtantem fore declarauit. Namque regem ſine regia eſſe, iuri ac moribus, atq; adeò rerum repugnat naturæ. Et quidem conſtitutæ Eccleſiæ ius ex capitis ac regis iure, hoc eſt, ex Dei promiſſo, veritate, & beneficio manere, verbum* HHAKOTHI, *id eſt,* deſcripſi *declarat: ciuitatemq́ ſanctam, perpetuam, æterna ſecuritate & pace functuram, atq; feliciſſimo in ſtatu ſubindicat permanſuram. Namq; huc omnis*

In manibus eſſe, ſeu geſtari.

Pſalmi locus.

Iuuenal. Sat.7.

HHOK. Ius.

Eccleſiæ ius & firmitas.

nis huius promiſſi ac vaticinij arcana ſpectat ratio: quam ſibi non modo declaratam, verùm etiam apertè monſtratam Iohannes ille Theologus Apoſtolusq́ teſtatus, prædicat: Et vidi cælum nouum, & terram nouam: Primum enim cælum & prima terra abiit, & mare iam non eſt. Et ego Iohannes [gratia] vidi ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouam, deſcendentem de cælo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Et audiui vocē magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus: & habitabit cum eis, & ipſi populus eius erunt: & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus. & abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà: quæ prima abierūt. & dixit qui ſedebat in throno: Ecce noua facio omnia. Et dixit mihi, Scribe, quia hæc verba fideliſſima ſunt & vera. Omnia quæ, vti à Iohanne indicata, ſic à Deo per Vatem breuiter in hoc, quem commentati ſumus, verſu promiſſa; nunc deinceps concinnè cum ſuperioribus expoliuntur. Apoc. 21.

Venerunt ſtructores tui, deſtruentes te, & diſſipantes à te exibunt.

E A *tempeſtate cùm hæc per Vatem reſpondebantur, Sion illa terreſtris, vt primùm inſtructa fuerat, manebat quidem nondum à Chaldæis vexata, à quibus poſtea diruta ac vaſtata fuit ob incolentium noxam; eorum præcipuè, qui cum pietatem & fidem, & ipſi ſeruare, & à ceteris colendam curare debuerant, contrà primi prodiderunt, & aliis ad proditionem exēplum præbuerunt: idq́ maxima temeritate atque inſolentia admiſſum eſt. plenæ ſunt Vatum chartæ reprehēſionibus huiuſmodi. Longæuus & honorabilis, ipſe eſt caput, & Propheta docens mendacium, ipſe eſt cauda. & erunt qui beatificant populum iſtū ſeducentes, & qui beatificantur, præcipitati. Iſtos itaq́ præcipuos mali publici, & corruptæ diſciplinæ anteſignanos, quos pietatis veræ duces & promotores eſſe oportuit,* ſtructores *à munere, à peruerſo verò officio* deſtructores ac diſſipatores *appellat Vates. Quos propter temerariam in agendo inſolentiam properaſſe deſtruendo notantur. namque vbi Latinè legimus,* venerūt ſtructores tui, *in exemplari eſt,* MAHARV, properarunt, *ſiue,* properantes venerunt. *Id quod in arcana Sione primùm deſtruenda, breuiſſimo tempore admiſſum eſt; nimirum tantiſper durante primo naturæ humanæ ſtatu, dum Serpens cum prima hominum parente agebat, atq́ illa viro ſuo vetiti cibi vſum porrigebat. cuius & facinoris & celeritatis peruerſum exemplum ceteri omnes puræ diſciplinæ & pietatis veræ proditores imitati, ab Adamo primo, ad noſtra vſque ſecula renouarunt; adeoq́ nocuerunt, vt ex pulcra, & bene culta, & indies frequentiore futura ciuitate Sion, vtraq́ cùm terreſtris, tum arcana & potior illa, quam præcipuè ſacri ſpectant Vates, in eum ſtatum traducta fuerit, quem diuinus ille lamentator ita hactenus deplorat: Viæ Sion lugent, eo quòd non ſit qui veniat ad ſolennitatem. Atq́ hoc ad eam vaſtitatem pertinet, quam principum, præceptorum, & magiſtratuum culpa ſentire coacta eſt. quibus tamen abdicatis & pulſis, quanta, quamq́ celeberrima, non reparatio modò, vel reſtitutio; ſed amplificatio & maieſtas: quanta beatitas, quàm quieta & perpetua ſecuritas, quàm denique omnibus nominibus felix*

Principum & magiſtratūcorruptela

Sup. 9.

Structores.

Hominis citiſſima ruina

Sion arcana.

Thren. 1.

Sionis amplificatio.

lix

lix & auguſtus rerum ſtatus ciuitati Sioni illi, quam præcipuam diximus, ex diuino beneficio pararentur, eueſtigio ſacrum præcinit reſponſum; & Iohannes, vti iam citauimus, inter certiſſima retulit.

Leua in circuitu oculos tuos, & vide, Omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi.

Gentium omnium totius orbis terræ acceſſione & communione Sionæ ciuitatem vſque adeò auctum amplificatumq́ iri, Deus ait; vt neque antiqui iam deinceps capere poſſint muri, nec humani cenſus calculus numerando æquet. id quod apud alios etiam promiſſum Vates, conſtat: Et leuaui oculos

Zachar. 2.

" *meos, & vidi, & ecce vir, & in manu eius funiculus menſorius; & dixi,*
" *Quò tu vadis? & dixit ad me, Vt metiar Ieruſalem, & videam quanta ſit*
" *latitudo eius, & quanta longitudo eius. Et ecce Angelus qui loquebatur in*
" *me, egrediebatur in occurſum eius, & dixit ad eum, Curre, loquere ad pue-*
" *rum iſtum, dicens: Abſque muro habitabitur Ieruſalem, præ multitudine*
" *hominum & iumentorum in medio eius. Et ego ero ei, ait Dominus, murus*
" *ignis in circuitu: & in gloria ero in medio eius. Id quod promiſſum, iuramento concepto ac pronunciato, diuina confirmatum voluit benignitas: cuius ad vitam communicandam ſuam, maxima & inexhauſta aſſeritur liberalitas.*

Viuo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento veſtieris, & circundabis tibi eos quaſi ſponſa. Quia deſerta tua, & ſolitudines tuæ, & terra ruinæ tuæ tunc anguſta erunt præ habitatoribus, & longè fugabuntur qui abſorbebant te.

D. Ieruſalem beatitas.

Quanta rerum mutatio & nouitas, quàm diua & auguſta beatitatis amplificatio, quàm optabilis internorum vitiorum ac veteris corruptelæ pulſio, quàm benigna & fertilis atque frequens piorum ac ſanctorum præterea propagatio & accretio!

Adhuc dicent in auribus tuis filij ſterilitatis tuæ, [*id eſt, qui nunc rari & pauci tali ciuitate digni naſcuntur, & præ raritudine diſsiti diſtanteſq́ locis, iidemq́ ferè ſolitarij degunt*] Anguſtus eſt mihi locus, fac ſpatium mihi vt habitem.

Eccleſiæ frequentia.

Eccleſiæ ex omnibus terris ad vnicam ſanctorum communionem frequentiſſima prole adauctæ admiratio & gratulatoria acclamatio, ſiue Epiphonema per inductionem prædicitur, cum comparatione anguſtiarum in veteri atque dilatationis & celebritatis in nouo teſtamento ſpectandæ, & conſequente confeſſione benignitatis Dei.

Et dices in corde tuo, Quis genuit mihi iſtos? ego ſterilis [*antea*] & non pariens, tranſmigrata & captiua: & iſtos quis enutriuit? ego deſtituta & ſola: & iſti vbi hîc erant?

Crebræ interrogationes & admirationes illuc omnes pertinent, vt ſolius Dei benignitatis & efficientiæ confeſſionem eliciant, & miſericordiam in gentibus ac nationibus etiam extremis exercitam adſtruant, & admirandam celebrandamq́ declarent.

Hæc dicit Dominus Deus, Ecce leuabo ad gentes manum meam, &

& ad populos exaltabo ſignum meum. Et afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt. Et erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terra demiſſo adorabũt te, & puluerem pedum tuorum lingent.

Regum ac principum poteſtates auctoritatemq́ mortalium omnem Chriſti doctrinæ iugum ſubituras, & legibus obauditur as Euangelicis, prædicit. id quod factum & præſtitum iam à compluribus conſtat ſeculis. Arcanè autem ſignificat, quæ in ciuitatem ſacram, dominium, ac tyrannidem, hoc eſt, in animum exercuerant humanum paßiones carnis, quæ dominabantur in membris hominum; iam tum deinceps in ſanctis ad vſum tãtùm eumq́ Deo probandum ſecum daturas affectiones. Conqueſta fuerat Sion, non ſolùm ſterilitatem in gignendo ſuam, ſed lactis etiam ad fœtus alẽdos inopiam. huic querelæ oppoſuerat, Quis genuit iſtos, & iſtos quis enutriuit? *Reſpondet autem Vates, nutritios fuiſſe reges & reginas: qui alendis Eccleſiæ liberis operam darent, ſtudiumq́ impenderent. Quod etiam ad arcana. Adorantium geſtus & habitus olim quales fuerint, deſcribuntur; ac ſimiles his erga Chriſti Eccleſiam ſpectandi prædicuntur. de quo genere nos toto in ſacro egimus Apparatu. Demum concludit hoc pacto, atque his exemplorum argumentis certißimam Dei prouidentiam & virtutem, bonitatem & benignitatem aduerſum pios, & fide atq́ ſpe conſtantes, aperto confitentium teſtimonio comprobatum iri.*

Euangelij victoria.

Victoria quę vincit mundum.

Reges Eccleſiam adoraturi.

Lib. Ierem.

Et ſcies quia ego Dominus, ſuper quo non confundentur, qui exſpectant eum.

Promiſſam renouationem hominum ex nomine & auctoritate **Dei** *profecturam, omnes Vates declarant. Verùm cùm efficientiam ſuam, quamquam natura vnicam; tamen propter immenſitatem virtutis variis rationibus adorandæ, variis nominibus indicauerit; ſingularem hanc, quæ ſalutis publicæ cauſam ſpectat, nomine* IEHVEH *celebratam obſeruare eſt. Eandemq́ ſingulariter edoctum Moſem accepimus. Ego ſum Dominus, qui apparui Abraham, Iſaac, & Iaghacob in Deo omnipotenti, & nomen meum* ADONAI *non indicaui eis: pepigiq́ fœdus cum eis, vt darem eis terram Chanaam, terram peregrinationis eorum, in qua fuerunt aduenæ. Huius igitur nominis virtutem & veritatem verè etiam cognitum iri ait iis, quibus diuina promiſſa, quamquam humani iudicij captum longißimè excedentia, tamen fideliter & conſtanter expectabantur. Scietis, inquit, non coniectura & opinione; ſed manifeſta notitia cognitum teſtatumq́ iri ait,* Quòd ego IEHVEH *miſericordiæ promiſſor efficaciſſimus. Cuius promiſſa quiſquis rectè & ritè expectauerit,* non confundetur: *nempe promiſſorum bonorum communione ex diuini beneficij gratia & liberalitate donatus. Cuius, qui participes efficiuntur, magnitudinem ita teſtati gratulantur: Iuſtificati ex fide, pacem habemus ad Deum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: per quẽ & habemus acceſſum per fidem in gratiã iſtam, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei: non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes quòd tribulatio patientiam*

Dei vnici plura nomina.

IEHVEH.

Exodi 6.

Nominis & promiſſorũ Dei veritas.

Rom. 5.

opera-

» *operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem; ſpes autē non confun-*
» *dit: quia caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum,*
1. Pet. 2. *qui datus eſt nobis. & Petrus: Deponentes igitur omnem malitiā, & om-*
» *nem dolum & ſimulationes, & inuidias, & omnes detractiones: ſicut mo-*
» *dò geniti infantes, rationabile ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in*
» *ſalutem: ſi tamen guſtaſtis quoniā dulcis eſt Dominus. Ad quem acceden-*
» *tes lapidem viuum, ab hominibus quidē reprobatum, à Deo autem electum*
» *& honorificatum, & ipſi tanquā lapides viui ſuperædificamini domus ſpi-*
» *rituales, ſacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo,*
» *per Ieſum Chriſtum. Propter quod continet Scriptura, Ecce pono in Sion*
» *lapidem ſummū angularem electum pretioſum; & qui crediderit in eum,*
» *non confundetur. Vobis igitur honor credentibus; non credentibus autē La-*
» *pis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, & lapis*
» *offenſionis, & petra ſcandali, iis qui offendunt verbo; nec credunt, in quo &*
» *poſiti ſunt. Itaque* non confundentur qui expectant eum. *Si morā fece-*
» *rit, expecta eū, quia veniens veniet, & non tardabit, ait per Habacuc Deus.*

Maximæ verò miſericordiæ virtutem & efficacitatē tanto magis elucere & oſtendi, quanto maioris difficultatis ac molis operi efficiendo adhibitam cōſtet, res ipſa ratioq́; docet. Et quidem, quod naturam ſpectat rerum, difficillimam videri tantam conuerſionem renouationemq́; ſtatus publici mortalium non abnuimus: verùm diuinæ virtuti & efficacitati non magis hoc eſſe difficile, quàm fuerat mundū ex nihilo tam pulcrum, perfectum & abſolutū, continuato & conſequente paucorū dierum ſucceſſu edidiſſe, partibus omnibus ita concinnatis, & ad totius integrationē deſtinatis, vt ab ipſo principio bonitatis elogio ſingillatim commendatis; & in ſumma etiam pariter conformatis. Inducitur autem Sionis ipſius renouandæ interrogatio, ad inſtruendam demum veritatis & confectæ rei admirationem.

(Hominum renouatio Deo non difficilis.)

Nunquid tolletur à forti præda, aut quod captum fuerit à robuſto, ſaluum eſſe poterit?

Non hominibus modò, quorum intellectio & mens tam profundæ virtutis altitudinē attingere non valet, ſed ipſi quoque mundi huius principi ſapientiæ laudem ſibi arroganti; ſapientiæ, inquam, diabolicæ & fraudulentæ induſtriæ ratio & modus tam arduæ rei efficiendæ abſcondebantur: nec fieri poſſe videbatur, vt, quod ſub tanta potentia premebatur, hominum genus, hoc eſt, ſub diaboli & miniſtrorum infernorum tyrannide oppreſſum iacebat, liberaretur. Nam cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuū, in pace ſunt omnia quæ poſſidet; donec veniens fortior illo, liget illum, & diripiat omnia vaſa eius, in quibus fidebat, & ingreſſus domum eius, ſpoliet illum. Huic admirandæ interrogationi ſatisfacit, qui omnia poteſt, & conficere volens Deus valet.

(Humanæ & Diabolicæ ſapientiæ abſcondita ratio redemptionis.)

Quia hæc dicit Dominus, Et quidem & captiuitas à forte tolletur, & quod ablatum fuerit à robuſto, ſaluabitur. Eos verò qui iudicauerunt te, ego iudicabo, & filios tuos ego ſaluabo.

(Redemptio hominum.)

V T *quondam Iſraelitarum gens ex Ægyptiaca ſeruitute in libertatem*

populis

populi Dei tranſlata fuit; vtq; Babylonica tranſmigratio eripietur ac reſtituetur: ita, ait Deus, me ſeruante communis hoſtis tyrannide humanum genus liberabitur: ipſis, à quibus oppreſſum fuerat, vexatis, domitis, & peſſundatis, atq; expoliatis. qui iudicauerunt te, ego iudicabo, ETH RIBECHA ANOCHI ARIB, eos, qui te rixa vexant & premunt, *atque affligunt, ego pro te iiſdem modis (tanto potentior) afficiam. Alluſio eſt ad illud: Nolite timere Ægyptios, quos hodie videtis, nequaquam vltrà videbitis.* Exodi 14.
IEHVEH *pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Duo autem ſunt genera prædarum: alterum, quod legitimo bello in victoris poteſtatem cedit, quod ex ea ratione videtur iure poſſeſſum: alterum verò, quod per violentiā ac tyrannidem diripitur; in quo non tam virtus bellica, quàm vis valet. Illud non niſi ab altero fortiore & iuſtiore, hoc verò à valentiore & robuſtiore vindicatur. vtroque autem pacto ius & robur Dei ſuperiùs conſtare, & re ipſa declarandum, ſignificatum eſt. De poſteriore interrogatum,* Nunquid tolletur à forti præda? *& reſponſum,* Et quidem captiuitas à forti tolletur: *de poſteriore,* aut, quod captum fuerit à robuſto, ſaluum eſſe poterit? *hoc etiam ſi exceptum,* & ſublatum fuerit à robuſto, ſaluabitur. *vbi Latinè legimus,* à forti, *In exemplari lingua eſt,* GIBOR, *Hiſpanicè,* Barragan: *vbi verò legimus,* à robuſto, *illic eſt* SEBI TSADIK, captiuitas iuſti, *id eſt, eius, qui mancipia ſibi legitimè in bello capta allegat. Quam litem & rationem, qui altiùs repetitam capere ſtuduerit, è Magni operis Anima petat, ea in parte qua de iudicio & cauſa inter Deum & Satanam agitur. Nam & tyrannidem in genus humanum Diabolus exercebat, & iuſtæ captiuitatis dominum ſeſe iactabat, donec virtute & iudicio victus, cauſaq; cadens, audiit: Nunc princeps huius mūdi eiicietur foras. &, Princeps huius mundi iam iudicatus eſt. Quemadmodum verò, qua arte, qua virtute, quanta ſapientia ab illis hoſtibus humanum genus liberandū eſſet, arcano ſermone indicatur, hoc eſt (quod nunquam illi intelligere potuerant, antequam effectum ſenſere) per carnis ac ſanguinis myſterium: in quo Verbum caro factum, carnem & ſanguinem, in qua Diabolus regnando triumphare ſibi videbatur, corporis ac ſanguinis ſui virtute, ac diuina efficientia occidit, comminuit; & hoſti, peccato, morti, ac Diabolo, infernis hoſtibus, cum ſuo ipſorum ſanguine deuorandam propinauit. Ita, quod illis vitæ & victui antea fuerat, in exitium demum ceſſit.*

Prædarū duo genera. — Diaboli lis & cauſa. — Ioan. — Carnis & ſanguinis Domini myſteriū.

Et cibabo hoſtes tuos carnibus ſuis, & quaſi muſto, ſanguine ſuo inebriabuntur.

Magnum, admirandum, adorandumq; Sacramentum ſacroſancti corporis & ſanguinis Chriſti iam tunc à Vate prædictum, ad ſanctam vſque cœnam omni creatæ menti cælatum, tunc verò ſapientiſſimè effectum, Vt quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne; vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundùm carnem ambulamus, ſed ſecundùm ſpiritum. Huius verò diuinæ virtutis & efficientiæ teſtimonium, non auditu tantùm, ſed viſu, atque certiſſimis

Corporis & ſanguinis Chriſti Sacramentum. Rom. 8.

 exem-

*exemplis cognitum, & pronunciatum omni hominum conditioni & ſexui,
veram cognitionem ac notitiam veri impertiturum, pollicetur per Vatem
„ Deus; ſicut aliàs prædictum quoque fuit: Omnes qui viderint eos, cogno-
„ ſcent illos: quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus.*

Et ſciet omnis caro, quia ego Dominus ſaluans te, & redemptor
tuus fortis Iaghacob.

Teſtimoniũ viuum Chriſti.

*De teſtimonio viuo in terris dando loquitur: cuius argumentum erat,
Homines per mortem ac reſurrectionem Chriſti de poteſtate tenebrarum
ereptos, & in admirabile cæleſtis regni lumen tranſlatos, & ex Iaghacobi
humilitate ad Iſraelis vſque amplitudinem ſeruatos & promotos. Id quod
huiuſmodi arcanæ & ſpiritalis virtutis compotes effecti, ſancti Dei præ-
ſtitiſſe narrantur, & præſtituros credimus eos omnes, quibus in Chriſto*

Actor.

*Ieſu vitæ veræ fructum facere Deus donauerit. S.S.E. Virtute magna red-
„ debant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini, &
„ gratia magna erat in omnibus illis.*

CAPVT L.

HÆC dicit Dominus, Quis eſt hic liber repudij matris veſtræ,
quo dimiſi eam? aut quis eſt creditor meus, cui vendidi vos?
Ecce in iniquitatibus veſtris venditi eſtis, & in ſceleribus veſtris
dimiſi matrem veſtram.

*HOC in capite communis humani generis pariter & ſingularis Iſrae-
litarum ſecundùm carnem res agitur, & cauſa, quamobrẽ vtrique ad tem-
pus à communis vſura ſalutis diſtenti fuerint: vtrique, inquam, diuerſa*

Iudaici populi induratio & repulſa. Voluntatis Dei mors nõ eſt.

*tamen alij ab aliis conditione excepti. Huius autem prophetici ſermonis ex-
poſitionem nobis meditatis illud primùm veriſſimum ſtatuendum, Dei vo-
luntatem benigniſſimi & clementiſſimi ab inferenda ira prorſus alienam
ſua ſponte eſſe, neque cuiuſquam mortem æternam velle, vtpote qui in ſe vi-
ta æterna eſt, nihilq́ tributum, nihil conceſſum æternæ vult morti. Siqui-
dem, quæ contraria inuicem ſunt, nihil mutuo tribuunt, nihil communicãt,*

2. Cor.

*partiuntur nihil. S.S.E. Quæ ſocietas luci ac tenebris? Quæ communica-
„ tio ſummi boni & mali extremi? Deinde illud adiungimus; A vita & mi-
ſericordia, ſummoq́ bono nihil ſecundùm propriam naturã proficiſci, quod
à ſua ratione ſit alienum. Vt non poteſt arbor bona malos fructus facere; ita
„ diuina voluntas ex ſe ſuo ingenio dignum ſemper opus agit. S.S.E. Ego co-
„ gito cogitationes pacis, & non afflictionis, ait Dominus. Quibus ex rebus*

Homo ad vitam factus.

*omnibus illud colligitur, Hominem cunctorum quæ ſub cælo facta ſunt, ge-
nerũ principem, non mortis, quæ ſummũ malum eſt, ſed vitæ cauſa à ſum-
„ mo bono, atq; à vita fuiſſe editum & inſtitutum. S.S.E. Nihil odiſti eorum
quæ feciſti. ad quod & illud Sapientiæ votum facit, Et deliciæ meæ eſſe cum*

Homo mortem ſibi aſciuit.

*filiis hominum. Verùm enimuerò hominem ipſum, quanquam propriam
tueri & conſeruare conditionem doctũ, iuſſum, & monitum, tamen liber-
tate abuſum propria, ab officio degeneraſſe; atq; ſua deſerta ſtatione praui-
tate affectum prædictam ad cauendum vitandumq́ mortẽ, vltrò aſciuiſſe.
S.S.E.*

S.S.E. Solummodo hoc inueni, Quòd fecerit Deus hominem rectũ, & ipſe Eccl. 7.
ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus. Quis talis vt ſapiens eſt, & quis co- "
nouit ſolutionem verbi? Vt verò miſericordem eſſe Deum intelleximus; ita "
eundem iudicem iuſtiſſimum naturæ diuinæ dignitas probat: hoc tamen pa- Deus iudex iuſtiſſimus.
cto, vt cum æternitate ac ſingularitate ſimplicitateq́; naturæ, quod ad vſum
pertinet, miſericordia Dei iudicium præuertat, hoc eſt, prima ſeſe exercen- Miſericordia Dei præit iudicium.
dam poſtulet: cui non admiſſa iudicium ſuccedat iuſtiſſimum. Atqui ex eo-
rum parte, in quibus vtrumque exercendum eſt, illud eſt diſcriminis, quòd
ad miſericordiæ beneficium diuinæ, non ſemper exigantur promerita; iudi-
cium verò exercendum, eius qui iudicatur, vel merita, vel demerita reſpi-
ciat: Neque enim creandi & condendi orbis, nec hominis in orbe faciendi
& conſtituendi vllum ſpectatum præceſſerat meritum; ſed diuina tantùm
miſericordia in cauſa fuit: verùm homini morte & miſeriis ex diuini iu-
dicij ratione mulctando cauſam demeriti culpa præbuit, quæ diuinam vir-
tutem ad iudicium ſolicitauit edendum. atque ita vtriuſque partis, hoc eſt,
miſericordiæ vltrò probandæ, & iudicij ob cauſam exercendi exempla in
vno hominum genere breui interuallo ſpectata ſunt, ordine tamen conſer-
uato, vt miſericordia iudicium anteierit. Id quod proprium ac perpetuum
Deo eſſe, declaratum euaſit. S.S.E. Semel locutus eſt Deus; duo hæc audiui, Pſal.
quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia; & tu reddes vnicuiq́; "
iuxta opera ſua. &; Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. "
Atque huiuſmodi prima in faciendo, inſtituendo, ornando, ac iudicando
homine obſeruata ſeries; in eodem reficiendo, regenerando, & poſtremum
iudicando conſeruata eſt. Vt, quem ſua culpa preſſum & perditum iudicij
ſeueritas damnarat, reficiendum ac renouandum rurſus miſericordia ſuſ-
ciperet & curaret; interim tamen, dum hoc efficeretur, clementia ad cor- Correptio hominum ex diuina clementia.
reptionem exerceret; non perditionis mulctatum pœnis, ſed emendationis
potiùs ac pœnitentiæ coërcitum verbere: verùm grauiùs alius atq; alius pro
ſingulari commeritorum & contumaciæ criminibus accipiendo. Atq; hæc
ſumma miſericordiæ ac iudicij Dei erga homines in vniuerſum ratio eſt:
quam erga ſingulares quoque modus exprimit ac regula. Verùm enimuerò,
vt iam ſæpe ſæpiùs animaduertendum commendauimus, ea, quæ in Iſraeli-
tarum ſecundùm carnem gente Deus edita voluit, ad totius humani gene-
ris exemplũ pertinere decreuit, tam in miſericordiæ, quàm in iudicij exer-
citationibus expedienda. In Iſraele autem ſic res habuit: Ex Iaghacob Iſ-
rael factus, dignitatem ſuam eatenus obtinuit, quoad apud Ægyptios ex
hoſpite propter principum potentiam ſeruus effectus eſt. ab qua ſeruitute
diuino liberatus beneficio, in peculiarem populum delectus, & ornamentis
auctus ac prouectus; propter admiſſa interim ſcelera identidem caſtigatus,
tandem exilio mulctatus eſt: cũ exceptione tamen & conſolatione promiſſi,
de communi ſalute per Chriſtum ex eadem gente oriturũ percipienda; cum-
que aſſiduis Vatum prædictionibus, hortamentis, & minis atq; aliis ſuaſio-
nibus, ne tantam ſalutem vel afferendam peccatis demererentur, vel obla-
tam repellerent; ſed auidè & conſtanter expectarent, officióque faciendo

in-

[illegible] conciliarent, aliàs magnum
[illegible] ſalutem: iis decretum & ſtatutū,
[illegible] vel repudiatum. Id quod etiam
[illegible], cùm Iſraelitarum nō exi-
[illegible] gua pars [illegible] quidem, ſed neglectū ac repulſum Euangelium, [illegible] & cæcitatis damnati miſeriis, quantum ex ſe eſt, longiùs à ſalute abſunt quàm gentes aliæ, quibus nec illa promiſſorū antea notitia, nec tanta Euangelij facta fuerit copia. Faciliùs enim hi ac promptiùs à tenebris ad lucem tranſire poſſunt, quàm Iudæi; vt faciliùs ex nocte quiſpiam in diem tranſit, quàm alius, qui, captis oculis, noctem ipſam in ſe habet, nec ideo diei præſentiū diſcrimen valet agnoſcere. Ac neutrū quidem horum ſine diuinæ auxilio gratiæ fieri poteſt: verùm ij magis, vti Theologi loquuntur, ſpeciali indigent auxilio, qui propter Euangelium repulſum excæcati ſunt, quàm qui in cōmunibus ignorationis tenebris, vti gentes, verſantur. His enim & horum ſimilibus illud prædictum & monitū: Hæc dicit Dominus exercituum, Conuertimini ad me, ait Dominus exercituum,

Zachar. 1.

» & conuertar ad vos, dicit Dominus exercituū. Ne ſitis ſicut patres veſtri,
» ad quos clamabant Prophetæ priores, dicentes: Conuertimini de viis veſtris
» malis, & de cogitationibus veſtris peſſimis: & non audierunt, nec attenderunt ad me, dicit Dominus. & apud Ionam: Conuertatur vnuſquiſque à

Ionæ 3.

» via ſua mala, & ab iniquitate quæ eſt in manibus eius. Illis verò, illorumq́ imitatoribus illud conuenit, Conuerte me, & conuertar: quia tu Dominus

Ierem. 31.

» Deus meus. Poſtquam enim conuertiſti me, egi pœnitentiam: & poſtquam
» oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum. Confuſus ſum & erubui: quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ. & illud expreſſè: Conuerte nos Do-

Thren 5.

» mine ad te, & conuertemur: innoua dies noſtros ſicut à principio. Sed pro-
» iiciens repuliſti nos: iratus es contra nos vehementer. Tanti eſt præcognitam, prædicatā, ac demum oblatam ſalutē reſpuiſſe. Itaq; omnes gratia Dei egent ad ſalutem: ſed qui excæcationem commeriti fuerant, maiori indigēt gratia; atq; conuerſorē ſui Deum optare, efflagitare, & expectare debent. Cuius infinita miſericordia & ad eos qui in tenebris iacent, illuſtrandos, prompta manet: & ad eos qui cæcitate laborant, ſanandos, opportuno tempore paratā ſeſe declarauit. S. S. E. Nolo vos ignorare myſterium hoc, fra-

Rom. 11.

» tres: vt non ſitis vobiſmetipſis ſapientes: quia cæcitas ex parte contigit in
» Iſrael, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret.
» Sicut ſcriptum eſt, Veniet ex Sion qui eripiat, & auertat impietatem à Ia-
» cob: & hoc illis à me teſtamentum cùm abſtulero peccata eorum. Secundùm
» Euangelium quidem inimici propter vos; ſecundùm electionem autē cha-
» riſſimi propter patres: ſine pœnitētia enim ſunt dona & vocatio Dei. Sicut
» enim aliquando & vos non crediſtis Deo, nunc autem miſericordiā con-
» ſecuti eſtis propter incredulitatem illorum: ita & iſti nunc non crediderūt
» in veſtram miſericordiam, vt & ipſi miſericordiam conſequantur. Con-
» cluſit enim Deus omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur. O altitu-
» do diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei! Omnia hæc quæ retulimus, altiùs

repe-

repetita præfari oportuit ad explicationem ſermonis huius: in quo Deus Iſraelitarum querelæ cauſam in ipſorum met culpam reiicit, vt qui nũquam apud illos offenſorem, ſæpiſsimè autem offenſum egerit. eadem quoque opera hominum in iudiciis & cauſis prauitatem redarguit, qui ſua vitia, & ſuam culpam in fatum, in fortunam, in tempus, in ſeculi mores, in aliam quampiam rem, atq; adeò in ipſum transferunt Deum; cùm ipſi ſoli ſuſtineant. Etquidem illud ſemper pro certiſsimo ſtatuendum, diuinã naturam, ſiue (vt fas ita loqui) diuinum morem immutabilem eſſe. cuius illam ſummam moris breui eſt carmine complexus Vates, Quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia: quia tu reddes vnicuique ſecundùm opera ſua. Verùm homines ipſos vltrò pietatis fidem & officia deſerentes à gratia & miſericordia ſeſe auertere, & ad prouocandam iudicij vltionem conuertere; veluti ſi cerea maſſa ſolis radio ad emolliendũ expoſita, ſeſe vltrò in cretam verteret, quam duratum iri conſequens foret, nõ propter ſolis quidem, ſed propter ſui præſente ſole mutationem. quamobrem indurationis ſuæ culpam ſolis efficientiæ falsò maſſa illa tribueret. Huiuſmodi ſimilitudine omnis inter Deum & Iſraelitas hoc in ſermone cauſa diſtinguitur: quos in miſera iſta cæcitatis conditione detentos Vates præuidit, afflictos nimirum ac dolentes, verùm perperam de ſecenſentes, quaſi abiectis & repudiatis à Deo vltrò id decernere volente, vel ob nullam, vel ob aliquam, verùm leuiorem cauſam repudiatis; vel (quod prauiſsima omnium opinio eſt) venditis. Vtrumque verò à Deo veriſsimis & apertiſsimis argumentis & exemplis repellitur, aſſerente ſeſe ſibi perpetuò conſtantem, contrà verò ipſos vltrò abalienatos redarguente. S. S. E. Ego enim Dominus IEHVEH, *& non mutor: & vos filij Iaghacob non eſtis conſumpti [filios Iaghacob non ſine fraudis nota vocat] à diebus enim patrum veſtrorum receſsiſtis à legitimis meis, & non cuſtodiſtis. Hæc pro cauſæ ſtatu ſatis, quæ in hoc iudicio definitionem ſpectat. etenim controuerſia omnis in hoc, An Iſraelitarum, de qua nunc agimus, conditio, vel* repudium, *vel* venditio *dicenda definiendaq; ſit. Nam vel vtrumque, vel alterum ſaltem eſſe illi conqueruntur: vtrumuis autem crediderint, mutatum iri quìnam ſperent? Atque ita diaboli opera & ſtudio ad deſperationem inſtigantur: à qua tamen ad fidem & ſpem, Dei benigno & ſapientiſsimo atq; dulciſsimo reſponſo demùm reuocantur. Supereſt vt de repudio & venditione pauca dicis cauſa exponamus. Repudiatio eſt vxoris in perpetuum dimiſsio, propter turpis admiſsi certam culpam. Ea legitimè fit, libello dato, atq; dote reſtituta, ſarcinulis ad auferendum permiſsis; marito iam deinceps libero, & omnis coniugalis & vxoriæ curæ ac legis immuni manente, & quid porrò de muliere fiat, prorſus negligente ac ſecuro. Venditio verò eſt, poſſeſsi capitis in alterius ius traductio; quocunq; pretio id, modò potenter fiat, non vſquequaque exacto. Vtraque conditio miſera & grauis habetur; verùm venditio longè cenſetur durior, propter amiſſæ libertatis damnum, quod repudiatæ non infertur, & propter ſeruitutis ex imperantis libidine graue ac perpetuum onus, penſum atque ergaſtulum.*

Humani iudicij prauitas.

Dei immutabilis natura.

Pſal. 62

Iſraelitarum falſa querela.

Malach. 3.

Iudæorum cauſæ ſtatus.

Repudiatio quid.

Venditio ſerui.

De Dei prouidentia duplex opinio. *Duplex etiam humana tantùm ſapientibus hominibus de Deî erga mortales gubernatione opinio eſt; aliis putantibus curari quidem à Deo res hominum, verùm id nulla certa lege, nullisq́ue cōditionibus agi, ſed ſola voluntate, eaq́ue variabili, nunc has euehi, nunc eaſdē deprimi; illas perpetuò promoueri, has ad interitum vſque labefactari, minui, & peſſundari. quorum opinantū huiuſmodi adnotantur iudicia ac dicta, ἄνθρωπος θεοῦ παίγνιον.*

Plautus. *Homines dij vt pilas habent, quocunque volunt, iaciunt. Alij verò diuinæ quidē virtuti & efficacitati res humanas mouendas & agendas tribuunt,*

Fatūm. *verùm id neceſſitatis alligant legibus, neceſſitatemq́ue ipſam fatum vocant. cuius efficientiam putant immutabilem. qua in ſententia complures philoſophantum antiquorum fuere; non tamen omnes vno conſtitere pacto. nam qui plures eſſe credunt Deos, alios aliis ſuperiores & præſtantiores: ita confingunt, vt eorum varia voluntate & virtute res omnes humanas alias atque alias variè verti & inuerti aiant: qua in doctrina Græcæ ſapientiæ ferè anteſignanus, & vetus pater totus verſatur Homerus, & tragædia omnis.*

Euripides. Heraclid.

θεοῖσι δ᾽ οὐ κακίοσι
χρώμεθα συμμάχοισιν ἀργείων, ἄναξ.
τῶν μὲν γὰρ Ἥρα προστατεῖ Διὸς δάμαρ,
ἡμῶν δ᾽ Ἀθηνᾶ. φημὶ δ᾽ εἰς εὐπραξίαν
καὶ τοῦθ᾽ ὑπάρχειν, θεῶν ἀμεινόνων τυχεῖν.
Νικωμένη γὰρ Παλλὰς, οὐκ ἀνέξεται. *ideſt,*

nec ſunt minora numina
Nobis, ô rex, quàm Argiuis auxilio:
Præcedit illos Iuno ſi coniux Iouis,
Nos & Minerua: cedat vt rectè, reor,
Magni referre fortes adeſſe Deos.
Nec vllo pacto vinci ſe Pallas feret.

Aſtrologiæ iudiciariæ ratio. *Sed opinantum plerique Chaldæorum diſciplinam ſecuti, fati vim omnem, quam in felicitatem & infelicitatem partiuntur, ſideribus tribuunt; eamq́ue neceſſariam quoque aſſerunt.*

Iuuenal. *Cur igitur tot*
Quinctilianus habet ſaltus? exempla nouorum
Fatorum tranſi, felix, & pulcher, & acer,
Felix, & ſapiens, & nobilis, & generoſus,
Appoſitam nigræ pelli ſubtexit alutam,
Felix, orator quoque maximus & iaculator,
Et, ſi perfrixit, cantat benè. diſtat enim quæ
Sidera te excipiant modò primos incipientem
Edere vagitus & adhuc à matre rubentem.
Si Fortuna volet, fies de rhetore conſul,
Si volet hæc eadem, fies de conſule rhetor.
Ventidius quid enim? quid Tullius? an aliud quàm
Sidus & occulti miranda potentia fati.
Seruis regna dabunt, captiuis fata triumphos.

Atque iſti, perinde vt ij, qui variis diis varia diuidunt numina, variis aſtro-

aſtrorum conuentionibus & contentionibus non modò diſsimiles, verùm diſpares etiam adſcribunt efficientias, temporumq́; vicibus aſſerunt vel duraturas longiùs, vel mutabiles crebriùs. Atque hinc euenire colligunt, vt, quæ hactenus durante proprij ſideris loco, ſitu, atque efficientiæ cauſis aliis, valebant, & ſecundo fluebant curſu, propter alterius ſideris alij cuipiã vrbi, regno, reipub., vel perſonæ fauentis potentiorem influxum retrò dilapſa referantur; vel in alterius modò felicioris parteis & vſuram concedant. Præterea, quibus eadem cæleſtium luminum concinnitas faueat, eadem prorſus & vitæ & mentis conſtet concors & ratio, & ſeries.

Non equidem hoc dubites amborum fœdere certo — Perſ. Sat. 5.
Conſentire dies, & ab vno ſidere duci,
Noſtra vel æquali ſuſpendit tempora libra
Parca tenax veri, ſeu nata fidelibus hora
Diuidit in geminos concordia fata duorum.
Neſcio quod certè eſt, quod me tibi temperat, aſtrum.

Et ille alter: *ibimus, ibimus,* — Horat 2. Car. Od. 17.
Vtcumque præcedes ſupremum
Carpere iter comites parati.
Seu Libra, ſeu me Scorpius aſpicit
Formidoloſus pars violentior
Natalis horæ, ſeu tyrannus
Heſperiæ Capricornus vndæ.
Vtrumq́; noſtrum incredibili modo
Conſentit aſtrum, te Iouis impio
Tutela Saturno refulgens
Eripuit, volucrisq́; fati
Tardauit alas, cùm populus frequens
Lætum theatris ter crepuit ſonum:
Me truncus illapſus cerebro
Suſtulerat, niſi Faunus ictum
Dextra leuaſſet Mercurialium
Cuſtos virorum. Hæc itaq́; eorum, qui humanas res non caſu, ſed rectore moueri tradunt, ſumma ſententiarum partitio eſt: apud quos nullus ad culpam aut cauſam hominibus adſcribendã locus relinquitur. Verùm ſacroſancta diuinorum ſcriptorum veritas ac fides multo aliter, verùm omne illo vel vnico comprehenſum verſu docet; quod cõpluribus aliàs tum rationibus & orationibus, tum etiam exemplis commonſtrat.

Diuina prouidentia & gubernatio erga homines.

Quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia, & tu reddes vnicuique ſecundùm opera ſua. Et quidem Iſraelitarum gens, (quam generis humani perſonam ſuſtinere dicebamus) miſeri ac diuturni rerum ſuarum ſtatus cauſam humanæ, vti repetimus, opinionis iudicio interpretata, vel ad voluntatis diuinæ erga ſe mutationem, vel ad rerum fatum relatura præuidebatur: atque ſuam publicam rem vel repudiatam à Deo, neque ampliùs iam de cætero curandam; vel alienæ gentis potentiori fato ſeruitutis

Pſal.

Iudæorũ de infelici ſtatu ſuo falſa opinio.

 nomine

nomine venditam, traditam, ac derelictam, ideoq́ perpetuò miſeram & oppreſſam inter alias agere nationes. Quam querelam humana quoque referens natura, cùm ſe nondum tyrannide vitiorum liberam ſentiat, dictitare ſolet. Vbi eſt promiſsio aut aduentus eius? ex quo enim patres dormierũt, » omnia ſic perſeuerant ab initio creaturæ. Quam querelam ex eo falſam & vanam Deus arguit, quòd nullis certis documentis quiſpiam confirmare poſsit, hoc eſt, nullis oraculis, vaticiniis, aut prædictionibus aliis, nullis denique ſacrorum ſcriptorum hiſtoriis vel indiciis, vel ſententiis, nullis teſtibus, imò & argumentis aliis, nullo pacto oſtendi poteſt, vel Deo eiuſmodi fuiſſe de gente prorſus repudianda mentem; neque factum exſtare vllũ, quo huiuſmodi declaretur exceptio. Namq́ legitima dimiſsio nulla eſſe, vel dici poteſt, in qua repudij requiratur libellus; qualem nullum proferre & allegare neque Iſraelitica, neque humana reſpublica poteſt. Quòd ſi poteſt, proferat, vbi nam & apud quem vel ſcribam, vel Vatem, vel Apoſtolum ſit, indicet; ſaltem vel ex verbo recitet, vel ex argumento memoret.

Humanæ naturæ querela.

2.Pet. 3.

Quis eſt hic liber repudij matris veſtræ, quo dimiſi eam?

Et quidem, cùm hoc doceri non ſit, reliquum eſt alterum opinionis caput humanas res ad fatum referentis. nimirũ illos alij cuipiam, cui benigniùs aſtra fauerent, per Deum ita res mundi gerentem traditos, venditos, *inquam, & poſſeſſoris arbitrio ac libidini relictos. quod etiam nulla ratione firmari poſſe ait. Namq́ vel ſcriptis & monumentis doceri oportuit certis ac manifeſtis, vel indicato tum in cælis aſtro, cuius efficientiæ res iſta tribuatur, & in terris principe, tyranno, rege, vel regno, cuius fuerit felicitati conceſſa.* Aut quis eſt creditor meus, cui vendidi vos? *Hoc etiam, dum rogatur, oſtendi poſſe negatur. Nam ſi quod maximè huius rei afferri documentum vel exemplum poſſet, antiquum illud Ægyptienſe petendum fuerat; vbi potentiſsimi, & humanis conſiliis valentiſsimi regni, ac regis de perdendo Iſraele conatus, irritus, & voto fruſtratus euaſit. S.S.E. Quantoq́ » opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur & creſcebant. Nam Babylonienſis ſeruitus nec adeò diuturna fuit, nec perinde atq́ Ægyptienſis calamitoſa: quippe cùm nulla vnquam apud Babylonios de perdendis ac delendis prorſus Ieroſolymitanis captiuis cõſultatio facta aut cœpta narretur. Nec etiam illorum aſtris accepta referenda illa captiuitas fuerit, quippe quæ ex Dei ſententia, ob certa & declarata demerita prædicta priùs, deinde expedita conſtiterit, eademq́ breui reſtitutione abſoluta demùm, nihil obſtantibus Babyloniorum diis, vel aſtris; imò nec Babylonem ipſam defendere valentibus. Quibus ex rebus omnibus illud in primis conficitur, vanã eſſe tum repudij diuini opinionem, tum verò illam hominum de fato doctrinam & commentationem; atq́ ex conſequenti conditionis iſtius, quam Iacobi ſoboles lamentatur, definitionẽ non eſſe verè ac ritè initam. Rem quidem conſtare ipſam, & factum manifeſtum eſſe, nihilq́ coniectura egere; hoc eſt, ipſos miſeram & ærumnoſam degere vitam; atq́ ita degere, vt infenſum ſibi Deum negare nec ipſi, nec alij poſsint: verùm miſeriam iſtam, &, vt ita loqui liceat, ingratiam, & offenſionem, atque adeò abdicationem,*

Exodi 1.

non

non à Deo ſponte illatam, ſed ab ipſis met contumaci opera & affectato diſceſſu ſibi partam. atque hoc pacto, ſi verum excutiatur, venditorum quidem conditionem quandam ab illis ferri, & repudiatæ mulieris inſtar, illorum habere rempublicam: verùm hoc paſſiuè dici & pronunciari poſſe, nõ actiuè, hoc eſt, ipſos ſibi flagitiis & ſceleribus ſuis commeritos, ea ſubire mala, quæ Deus quàm ſæpiſſimè cauere & vitare, per pœnitentiamq́; procurare per legem, per Vates omnes, per Euangelium, Euangeliiq́; miniſtros iuſſerat, & monuerat. quæ omnia ab illis contempta, & adiunctis cumulatiſque ſubinde flagitiis adaucta, deſertionis legitimum ſubiere iudicium; ſubiere, inquam, non ſponte illatum, ſed vltrò prouocatum ac laceſſitum. Iudicium autem venditionis, qua ſe ipſos peccatis vendere voluerunt: quibus vti venditi ac poſſeſſi, nouis indies flagitiis & ſceleribus obnoxij ſeruiũt. Eſt enim duplex in legitimis venditionis actio; vna, qua quis quem mancipio à ſe poſſeſſum, aut etiam filium, alij cuipiam pretio tradit, vel alio pacto vendit & mancipat. quod certis conditionibus ad tempus fieri licebat. Si quis vendiderit filiam ſuam in famulam, non egredietur ſicut ancillæ exire conſueuerunt. Item, Qui percuſſerit ſeruum ſuũ & ancillam virga, & mortui fuerint in manibus eius, criminis reus erit: ſin autem vno die, vel duobus ſuperuixerit, non ſubiacebit pœnæ; quia pecunia illius eſt. &, Seruus & ancilla ſint vobis de nationibus quæ in circuitu veſtro ſunt, & de aduenis qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra veſtra: hos habebitis famulos, & hæreditario iure tranſmittetis ad poſteros, ac poſſidebitis in æternum. Altera verò venditionis actio, cùm quiſpiam aliàs liber, ſuiq́; iuris, nec vlli vel parenti, vel domino obnoxius, ipſum tamen ſe in ſeruitutem pretio vel pacto quouis addicit & mancipat. de qua etiam forma ſic lex cauet: Si paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus, nõ eum opprimes ſeruitio famulorum; ſed quaſi mercenarius & colonus erit: vſque ad annũ iubileum operabitur apud te; & poſtea egredietur cum liberis ſuis, & reuertetur ad cognationem patrum ſuorum: mei enim ſerui ſunt, & ego eduxi eos de terra Ægypti: non veneant conditione ſeruorum, ne affligas eum per potentiam, ſed metuito Deum tuum. Tertia autem forma eſt venditionis, qua quis liber, non conciui vel contribuli, ſed hoſpiti & peregrino ſeſe in ſeruum vltrò vendit. de qua huiuſmodi cum exceptione extat lex: Si inualuerit apud vos manus aduenæ atq́; peregrini, atq́; attenuatus frater tuus vendiderit ſe ei, aut cuipiam de ſtirpe eius; poſt venditionem poteſt redimi: qui voluerit ex fratribus ſuis, redimet eum, & patruus, & patruelis, & conſanguineus, & affinis: ſin autem & ipſe potuerit, redimet ſe. Supputatis dumtaxat annis à tempore venditionis ſuæ, vſque in annũ iubileum: & pecunia qua venditus fuerat, iuxta annorum numerum, & rationem mercenarij ſupputata. Si plures fuerint anni, qui remanent vſque ad iubileum, ſecundùm hos reddet & pretium: ſi pauci, ponet rationem cum eo iuxta annorum numerum, & reddet emptori, quod reliquum eſt annorũ, quibus antè ſeruiuit, mercedibus imputatis: non affliget eum violenter in conſpectu tuo. Quòd ſi per hæc redimi nõ potuerit, anno iubileo egredietur cum liberis

Iudæi repudiati & venditi.

Mancipiorũ venditio legitima.

Exodi 21.

Leuit 26.

Indid.

Indid.

Venditio ſub peccato. *liberis ſuis. Mei enim ſunt ſerui filij Iſrael, quos eduxi de terra Ægypti. Ex his autem tribus venditionis formis poſtrema Iſraelitas teneri, Deus ait; non qui venditi ab ipſo fuerint, vti à domino legitimo, à quo educti fuerãt de terra Ægypti: nec vti parente filiam, hoc eſt, Eccleſiam ſuam, alij cuipiã tradente: ſed qui ſe ipſos admiſsis ſceleribus, indiesq́ adauctis, ac demum à fide ſeruitutis, & filiorum deſciſcentes, peccati tyrannidi obnoxios reddiderint; idq́ gratis, hoc eſt, nullo emolumento & commodo, nullaq́ inopiæ*
Inf. 52. *leuandæ vſura; vt aliàs idem exprobrat accuſatq́ Deus: Gratis venundati eſtis, & nunc quid mihi eſt hîc, dicit Dominus: quoniam ablatus eſt populus meus gratis? Dominatores eius iniquè agunt, dicit Dominus: iugiter tota die nomen meum blaſphematur. & quod proximè per Vatem dictum*
Indid. *fuerat, ampliſsimeq́ ad noſtram facit cauſam, Quia hæc dicit Dominus:*
Ioan. *Gratis venundati eſtis. Qui enim facit peccatũ, ſeruus eſt peccati. Id quod prudens, ac benè aliàs animatus homo, ſub lege conſtitutus, dum ſentit, ex-*
Rom. 7. *pertus conqueritur ac lamentatur. Scimus, inquit, quòd lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis, venundatus ſub peccato. & alibi apud eundem Apoſtolum, Dum eſſemus in carne, paſsiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti. Nam ſtipendium peccati, mors. Itaque conditionem eam, quam Iſraelitis hoc tempore ferendam ac dolendam præuidit, ac prædixit Vates, ex ſeruitutis genere eſſe Deus non abnuit; verùm ſpeciem, ſiue formam veram indicat eiuſmodi eſſe, quam ipſi ſibi pepererint, dum ſeſe deprauantes peccato, id eſt, peccati corpori reddiderint obnoxios,* Ecce in iniquitatibus veſtris BEGHAVONOTHECHEM, in prauitatibus veſtris. *deſciſcentes à legitimo cultu Dei, cuius ſeruos oportuit agere, vtpote ab Ægypto eductos: nec tamen valentes voſmetipſos vlla ex parte redimere, non magno, non paruo ex legis exceptione, & præſcripto cum emptore peregrino de libertate agere. Hoc eſt, quod ad*
Synagoga repudiata quomodo. *venditionis definitionem facit. Quod verò ad dimiſsionem perinde atque hoc eſſe declaratur. Nempe iſtorum rempublicam & matrem Siona ab illa priſca diuinæ gratiæ conſuetudine & familiaritate excluſam ac ſepoſitam, dimiſſæ mulieris ritu viuere; non tamen repudiatam eſſe, nec repudij documenta producere poſſe, nec etiam docere ſeſe, vt reapſe repudiatam, à Deo deſertam, nullaq́ ex parte curatam. Nam ſi iſtud eſſet, quidnam ex illis iam toto in orbe tot calamitates, peregrinationes, ærumnas, & exilia perpeſsis,*
Malach. 3. *fuiſſet reliquum? ad quod illud ſuperiùs citatum repetimus: Ego* IEHVEH, *& non mutor, & vos filij Iaghacob non eſtis conſumpti, ſed à diebus patrum veſtrorum receſsiſtis. Ipſam, inquam, Siona matrem vltrò receſsiſſe, vltrò dimiſſam ſeſe ſtatuiſſe redemptionis ac ſalutis, & allato annunciatoq́ Euangelio: & quamuis identidem propoſita gratia & oblata; tamen ab ipſis repulſa & ſpreta: nunciata, inquam, per Vates primùm, per Angelos,*
Heb. 1. *per Magos, per Apoſtolos, per ipſum denique Filium, Qui, cùm ſit ſplendor gloriæ [Patris] & figura ſubſtãtiæ eius, portanſq́ omnia verbo virtutis ſuæ, ſalutem ac libertatem dum præſens nunciat, affert, & offert: non modò non exceptus, verùm odio habitus, & à ſuis occiſus, atque à vinea*

eiectus

eiectus & excluſus, pro multis cùm priuatis, tum publicis beneficiis huiuſmodi ab ingratis animis contemptionem ac repulſam tulit, atq; eiectus, diſceßit. Non qui propterea repudium reſcriberet, nec pactum ac promiſſum renunciaret; ſed qui non receptus, domo migraret, & mulierem ea in conditione relinqueret, quam ipſa ſibi multis malis molita fuiſſet meritis. dimiſi matrem veſtram. *In exemplari lingua paßiuum abſolutum eſt verbum, ſine agentis [illegible]e, ſed ad ipſam relatum, quæ patitur. Namq; hæc formæ* PVGHAL *vis [illegible] proprietas eſt.* SVLEHHAH IMECHEM. dimiſſa mater veſtra, *ipſa vltrò miſſa ac dimiſſa eſt, me excluſo & abeunte, dimiſſæ conditionem fert. Atque ita interpretamur,* dimiſi matrem veſtram, *dimiſſam clamo, & prædico. Namq; vt actiuè accipiamus verbum* dimiſi, *Latinum, depulſionis & exceptionis, quam Deus perſequitur, non ſinit ratio.* Quis eſt hic libellus repudij matris veſtræ, quo dimiſi eam? *dimiſſam quidem non inficiatur, ſed dimiſſorem excipit, ſua ſponte atque culpa propria dimiſſam declarat, propter venientis ad pactum ſponſi, & ad coniugium celebrandum inuitantis, & nihilominus improbiſſimè repulſi, illudq; ante repulſam obteſtati excluſionem. Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini. Quò ego vado, vos non poteſtis venire. Dicebant ergo Iudæi, Numquid interficiet ſemetipſum, quia dicit: Quò ego vado vos non poteſtis venire? Et dicebat eis, Vos de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum: vos de mundo hoc eſtis, ego non ſum de hoc mundo. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis veſtris: ſi enim non credideritis quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro. Et iterum alia in obteſtatione idem verbum Deus ait, Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Qui me odit, & Patrem meum odit. Si opera non feciſſem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: Nunc autem & viderunt, & oderunt me & patrem meum. Sed vt impleatur ſermo qui in lege eorum ſcriptus eſt, Quia odio habuerūt me gratis. Ita nobis iam iudicij diuini probatiſſima ſententia conſtat, atque huius loci lucidißima explicatio.*

PVGHAL coniugationis vis.

Ioan. 8.

Ioan. 15.

Quia veni, & non erat vir: vocaui, & non erat qui audiret.

Lectio & incuſatio hæc in exemplari cum interrogationis affectu pronunciatur, in hanc ſententiam. Nam cur veni, & non vir? *Virum hoc loco ex linguæ & ſententiæ ratione magnatē interpretamur, ex eorum ordine, qui in religionis ac reipublicæ ſtatu primas tenerent: à quibus primùm, ac per ipſos ab aliis minoris in republica notæ, agnitum & receptum ſeruatorem oportuit. Neminem autem iſtorum fuiſſe, qui officium in ea re ſuū ſeruaret, fortiterq; tueretur, legimus, præter vnumquempiam ſingularem ex Phariſæis, Nicodemum nomine: quem tamen occultè, & ex induſtria, humanaq; prudentia egiſſe, non liberè conſtat; vtpote Iudæorū metu ſuis magis rebus conſulentem, quàm vitam vero impendere auſum. Præterea publicè ac palàm ex profeſſo nemo virum egit. Nec verò ſolummodo veniſſe & locutum fuiſſe ait ſe, ſed vocaſſe, ſed clamaſſe, & palam ſe ſalutis nuncium ac miniſtrum declaraſſe, paternorumq; promiſſorum efficacem curatorem,*

Vir.

& præſtantem liberatorem profeſſum. Vocaui. KARATHI. *Vocare & clamare, atq; præconem nunciumq; publicum agere, verbum ſignificat. Cuius vaticinij illa poſtmodum certiſſima eſt historia:* Ioan.7. *Dicebant ergo quidam » ex Ieroſolymis, Nónne hic eſt quem quærunt interficere? & ecce palàm lo- » quitur, & nihil ei dicunt. Nunquid verò cognouerunt principes, quia hic » eſt Chriſtus? Sed hunc ſcimus vnde ſit: Chriſtus autem cùm venerit, nemo » ſcit vnde ſit. Clamabat ergo Ieſus in templo docens, & [illegible] Et me ſcitis, » & vnde ſim ſcitis. Et à me ipſo non veni: ſed eſt verus qui miſit me, quèm » vos neſcitis. Ego ſcio eum: quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit. Quærebāt er- » go eum apprehendere: & nemo miſit in illum manus, quia nondum venerat » hora eius. De turba autem multi crediderunt in eum, & dicebant: Chriſtus » cùm venerit, numquid plura ſigna faciet, quàm quæ hic facit? Audierunt » Phariſæi turbam murmurantē de illo hæc: & miſerunt Principes & Pha- » riſæi miniſtros, vt apprehenderent eum. Dixit ergo eis Ieſus: Adhuc modi- » cum tempus vobiſcum ſum, & vado ad eum qui miſit me. Quæretis me, & » non inuenietis: & vbi ego ſum, vos non poteſtis venire. Dixerunt ergo Iu- » dæi ad ſemetipſos, Quò hic iturus eſt, quia non inueniemus eum? Nunquid » in diſperſionem gentium iturus eſt, & docturus gentes? quis eſt hic ſermo » quem dixit, Quæretis me, & non inuenietis; & vbi ſum ego, vos non po- » teſtis venirè? In nouiſſimo autem die magno feſtiuitatis ſtabat Ieſus, & » clamabat, dicens: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, » ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. (Hoc autem » dixit de Spiritu ſancto, quem accepturi erant credentes in eum: nondum » enim erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.) Ex illa er- » go turba, cùm audiſſent hos ſermones eius, dicebant, Hic eſt verè Propheta. » Alij dicebant, Hic eſt Chriſtus. Quidam autem dicebant, Numquid à Ga- » lilæa venit Chriſtus? nónne Scriptura dicit, quia ex ſemine Dauid venit » Chriſtus, & de Bethlehem caſtello, vbi erat Dauid, venit Chriſtus? Diſ- » ſenſio itaq; facta eſt in turba propter eum. Quidam autem ex ipſis volebant » apprehendere eum. ſed nemo miſit ſuper eum manus. Venerunt ergo mini- » ſtri ad Pontifices & Phariſæos; & dixerunt eis illi, Quare non adduxiſtis » illum? Reſponderunt miniſtri, Numquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic ho- » mo. Reſponderunt ergo eis Phariſæi, Numquid & vos ſeducti eſtis? num- » quid ex Principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariſæis? ſed turba hæc » quæ non nouit legem: maledicti ſunt. Dixit Nicodemus ad eos, ille, qui ve- » nerat ad eum nocte, qui vnus erat ex ipſis, Numquid lex noſtra iudicat ho- » minem, niſi priùs audierit ab ipſo, & cognouerit quid faciat? Reſponderūt, » & dixerunt ei, Numquid & tu Galilæus es? ſcrutare & vide, quia à Ga- » lilæa Propheta non ſurgit. Et reuerſi ſunt vnuſquiſque in domum ſuam.*

Quid apertius, Quia veni, & non erat vir; clamaui, & non erat qui audiret. Audire. Audire, *hòc loco & credere quoque, & obaudire ſignificat. vt, » Habent Moſem & Prophetas, audiant illos: quòd ſi illos non audierint, » etiam ſi quis reſurgat ex mortuis, non credent. Operæpretium verò fuerit* Heb. *& nos hæc audire: Etenim & nobis annunciatum eſt, quemadmodum & illis:*

illis: ſed non profuit illis ſermo auditus, non admixtus fidei ex iis quæ au-
dierunt. Quòd ſi Deus naturalibus ramis non pepercit, cauendum quoque Rom.
nobis fuerit, ne fortè nec nobis parcat. Alioqui quonam pacto nos diuinum Heb.
effugiemus iudicium, ſi tantam neglexerimus ſalutem illius, qui in propria
venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit Ioan. 1.
eis poteſtatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine eius. Atque hacte-
nus de ſtatus rerum Iſraeliticarum definitione actum declaratumq́ eſt, il-
los ſeruitutem quidem ſeruire vltrò ſubitam, idq́ ſua culpa; depellere verò
non poſſe virtute aut facultate propria: præterea Sionem, & dimiſſæ mu-
lieris conditionem obiiſſe; nec interim fuiſſe, vt par fuerat, viro ſuo recon-
ciliatam; vtpote gratis alienatam propter odium in Dominum, virúmque
ſuum nequicquam ſtructum: atq; adeò propè in deſperationem veniſſe ſalu-
tis, propter diuturnæ miſeriæ ſenſum & experimentum perpetuum, ac præ-
cipuè propter peccatorum conſcientiam; quæ tempore etiam producendo au-
gentur: adeoq́ augentur, vt quo magis à ſeruatoris promiſsi aduētu & præ-
ſentia proceſſerint: eo minùs illi ipſi, qui iam venit, credant; & aliis aliisq́
ſeſe pro Chriſto venditantibus, fruſtrà aſſentiantur, & irrita adhæreant
ſpe. Quam præpoſteram mentem ab eodem ipſo ſeruatore ſibi exprobrante
audiere: Ego veni in nomine patris mei, & non accipitis me: ſi alius vene- Ioan. 5.
rit in nomine ſuo, illum accipietis. Atque ita actionis pars hæc, quantum de
ipſorum vel more & merito, vel iudicio & conſilio, aut ope & iure cenſeri
poßit, declarata manet. Quos, niſi miſericordia diuina vltrò reconcilian-
dos, & ad ſalutis communionem admittendos recepiſſet, actum profectò
erat, non de animorum ſalute ſolùm, ſed de ipſa omni vita mortali etiam. id
quod multis in locis adnotatum legimus; quorum iam aliqua indicauimus.
Quamobrem à pœnæ & caſtigationis iuſtæ dolore & ſenſu, quem patien-
ter ferre oportet, ad miſericordiæ ſpem atque votum excitantur: Cuius af-
ferendæ ac præſtandæ rationem, nō ex humano iudicio metiri vel definire,
ſed ex Dei prouidentia, virtute, & ſapientia immenſa æſtimare, diuinum
verbum docet & monet; diuinum, inquam Verbum; cuius in toto hoc ſer-
mone repræſentatur perſona, ſuas agentis partes, & paternum etiam con-
ſilium exponentis. Totius verò allocutionis argumenta ex tribus illis præ-
notionibus petuntur: quas auditas, & mente ſibi conſeruatas, Pſaltes refe-
rebat; poteſtatis, inquam, miſericordiæ, & iudicij. Poteſtatē, ſiue virtutem
diuinam intelligens efficacitatem: quam immenſam, perpetuoq́ valentem,
& ad cuncta quæ ſunt, quæq́ non ſunt, voluenda, vertenda, mutanda, di-
iicienda, ac delenda, rurſúſque reficienda, inſtauranda, & amplificanda
idoneam & præſtantem aſſerit.

Numquid abbreuiata & paruula facta eſt manus mea, vt non poſ-
ſim redimere? aut non eſt in me virtus ad liberandum?

Manus nomine facultatem & copiam ſignificari, in ſacro docebamus
Apparatu; præſertim vbi adiunctis modum & quantitatem referentibus,
pronunciatur. vt, Si non inuenerit manus eius. quæ formula in lege ſæpè
repetitur, hac ſignificatione, ſin minùs hoc illi contigerit. In omni autem

 opere

Copia & facultas ad opera. *opere faciendo duo exiguntur præcipua;copia, & facultas:copia,in materia; facultas verò,in virtute,arte, & induſtria ſpectatur.vnde cùm mulier illa regem poſceret,Salua me rex:ab ipſo audiuit, Non, Saluet te Dominus: & vnde te poſſum ego ſaluare,ex horreo, an ex torculari? quæ cùm ſibi non ſuppeterent, facultatem quoque ſeruandæ mulieris negabat ſibi eſſe. Nullo autem tempore,nullo in loco facultatẽ & copiam ad ea quæ facere aut reficere decreuerit,ſibi deeſſe,ex neganti interrogatione diuinum confirmat verbum,* Nunquid abbreuiata & paruula facta eſt manus mea? *in exemplari eſt*, HAKATSOR KATSRAH IADI MIPEDVTH. Nunquid breuiari breuiata eſt manus mea à redemptione? *Nunquid minus mihi facultatis contingit, quàm vt ad redimendum ſufficiat. Cùm cuiuſquam cenſus in legitimis ritibus minor eſt, quàm vt bouem vel ouem pro debito*

Redẽptionis ſeruitus. *ſiſtat; par turturum, vel duos columbarum pullos afferre iubetur. Seruum cùm quis emit, niſi pro capitis æſtimatione ſatis dare valet, à poſſeſſore iure abducere non valet,vti iam in lege de ſeruitute exceptum citauimus. Si,inquit,ſe ipſum redimere non poteſt,maneat vſque ad iubileum. Atque Iſraeli ſui ipſius redimendi facultatem deeſſe,iam intelleximus. Quare, niſi Deus redimat,ſeruum Domino,id eſt,peccato obnoxium perpetuò manere cõſequitur. Atq; ſermo hic ad illũ refertur,*in peccatis veſtris vẽditi eſtis. *Facultatem autem,id eſt, pretij ad redemptionẽ exponendi copiam non exiguam,aut æſtimatione minorem ſupereſſe ſibi,diuinum Verbum ait: artem verò & induſtriam ad id efficiendum, &, ſi opus fuerit, vt & opus erit, virtute & auctoritate agere,hac etiam parte ſe valere,ait.* Aut non eſt in me virtus ad liberandum? *Fieri enim aliquando ſolet, vt ſerui dominus nullo etiam legitimo vincatur pretio: & tunc legitimè fuerit cogendus, ſi*

Leuit.25. *quiſpiam adſit qui cogere poßit. S.S.E. Qui voluerit ex fratribus ſuis re-*
» *dimet eum,& patruus,& patruelis,& conſanguineus,& affinis. Et,poſt-*
» *quam de pretio ſtatutum fuit, ſubiungitur, Non affliget eum in conſpectu tuo Ad quas legis partes reſpiciens Verbum Dei ſibi & ad redimendum ex præſcripto Iſraelem non modò copiam ſupereſſe pretij, ſed etiam virtutem & robur atq; prudentiam ad cogendum dominum, quamlibet inuitum &*

Sanguinis Christi pretium & virtus. Iohan. *contumacem,atq; rem omnem celerrimè conficiendam. Et quidem in Ieſu Chriſti ſanguine vtrumque pleniſsimè conſtat: pretij magnitudo pro peccatis noſtris; & non pro noſtris tantùm, ſed pro totius mundi. & virtus etiam ad expoliandam inferi & mortis poteſtatem, in qua detinebamur:*

Rom.5 *ita vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus,& non in vetuſtate literæ. Et quidem de diuitiis, facultate & copia Dei ad redemptionem minor eſſet humanæ ſapientiæ conſultis dubitatio: illa verò maior de virtute & efficientia; vtpote quæ rerum inferiorum ac ſuperiorum naturæ tributa ac diſtributa tradatur:vt non facilè mutare & inuertere fuerit,terra,mari,cælo, aſtris,intelligẽtiis motoribus principibus ſuas partes ſingillatim & ex norma agentibus ac tutantibus; &, vt in Iſraele ſecundùm carnem (de quo ſermo in ſpecie fit,qui ad ſpiritum pertinet) ſtatuatur exemplũ, difficillimum factu videri poſſet,tam multa capita toto diſperſa terrarum orbe,multis ac variis*

impli-

implicata miſeriis, dominis obnoxia diuerſis poſt tot ſecula & annos, tam longis diſsita ſpatiis, ita redimenda fore, vt neq; maria & flumina ac montes, nec monſtra maris & feræ, denique neq; varia cæli ac multiplex aſtrorum vis impediat, quo minus ad ſalutis vſum, & vnius ciuitatis communionem conueniant. His atque huiuſmodi exceptionibus diuinum Verbum certiſsimis argumentis ex re & vero atque etiam experimento productis occurrit.

Ecce in increpatione mea deſertum faciam mare, ponam flumina in ſiccum, computreſcent piſces ſine aqua, & morientur in ſiti.

Inferioris orbis parteis omneis ita ſuis nutibus addictas, & obligatas eſſe, aſſeuerat Verbum, vt cùm expediat, cumq; placeat, pro arbitrio vertere & conuertere liqueat: vtpote cui increpanti venti & mare obedierint cum ſumma ſpectantium admiratione: eidem monenti in dexteram nauigij rete à piſcatoribus mitti, tanta coacta fuerit piſcium maximorum & minorum copia, vt rete rumperetur; cùm tota laborantibus nocte, nihil pro temporis importunitate fuiſſet captum: eidem ſe ignis vltrò excitans piſces, ſine vllius piſcatoris parauit opera. Et quid non tantæ obſecundabit virtuti? quid non cedet? cedet mare, in terramq; deſertam vertetur: cedent fluuij areſcentes; in quibus deſtituti aqua, piſces putreſcent: cedent, inquam, imperia, regna, principes, magnates, diuitiæ, opes, & potentia mortalium cunctorum, tyrannisq;, quamuis commentis, artibus, dolis ac fraudibus, & coniunctis viribus potentiſsima. Cuius in ſacro ſermone Symbolum piſces obtinent. S. S. E. Et facies homines vt piſces maris, & velut reptilia non habentia ducem. Atque vt myſterium quoque attingamus, cedet mare illud, cui denunciatum eſt, Væ terræ & mari, quia deſcendit diabolus ad vos, habens iram magnam; ſciens quod modicum tempus habet. Et ſecundus Angelus effudit phialam ſuam in mare, & factus eſt ſanguis tamquam mortui: & omnis anima viuens mortua eſt in mari. & tertius effudit phialam ſuam ſuper flumina & ſuper fontes aquarum, & factus eſt ſanguis. Et audiui Angelum aquarum dicentem, Iuſtus es Domine, qui es, & qui eras ſanctus, quia hæc iudicaſti. Hæc de maris ac fluminũ arcano attingere viſum; non autem reuelare oportunum. Qui legit, intelligat: & qui tenet, teneat, donec de medio fiat, & cum illius libri auctore teſtari liceat, Et vidi cælum nouum, & terram nouam: primum enim cælum & prima terra abiit, & mare iam non eſt. Hoc mare potiùs, quàm Erythreum oratio hæc ſpectat: idemq; de fluminibus eſt iudicium. Igitur omnia ſibi ad nutus obedire, & virtuti ſuæ conuertenda & euertenda renouandaq; conſtare quæcunq; ſub cælo ſunt, & viſuntur, diuinum verbum declarat; nihiloq; maiorem ſuperioribus naturis ad ſuam voluntatem impediendum conſtare vim, ſubiungit; vtpote cui in promptu ſit, omnia impedire, mutare, ac retinere, vel detinere, pro arbitrio ac ſententia, proq; conſilij decreti expeditione.

[Tyrannis. Piſces tyrannidis ſymbolum. Mare in myſterio & flumina. Habac. 1. Apoc. 12. Ibid. 16. Ibid. 21.]

Induam cælos tenebris, & ſaccum ponam operimentum eorum.

Aſtrorum ac cælorum vis per ipſorum lumen terris influens, communicari dicitur. S. S. E. Et erunt in ſigna & tempora, & dies, & annos, vt [Aſtrorum influentia. Gen. 1.]

luceant & illuminent ſuper terram. Verùm enimuerò non ita iſta neceſſitati addicta, vt auctori Verbo pro conſilio ac nutu tractanda ſubducantur, ſacra docet veritas. Ordinatione tua perſeuerat dies: quoniam omnia ſeruiunt tibi. Ex quo conſequitur, ea omnia Iſraelem ſuum redimere ac recipere, & ad ſe, ciuitatemq́ ſanctam reducere volenti, ac paranti nihil, quo minùs abſoluere & conficere liqueat, vel moræ, vel impedimenti allatura; vtpote quorum lux tenebris occupanda, & influxus interiecto ſacco retinendus ac prohibendus reſeruetur. Verùm hoc loco non importunum nobis aut ſuperuacaneum diſſerendi negotium obiicitur, quod Ieremiæ vaticiniũ faceſſere videtur huic apud Iſaiam diuino ſermoni in ſpeciem oppoſitum. dixerat enim diuinum Verbum, Siona nequicquam ſe derelictam, atque à Deo pro dimiſſa habitam queri; vtpote nihil minùs proferre valentẽ, quàm repudij libellum: & tamen idem Verbum aliter apud Ieremiam de hac eadem cauſa agere & profiteri videtur. Et dixit Dominus ad me in diebus Ioſiæ regis, Numquid vidiſti quæ fecerit auerſatrix Iſrael? abiit ſibimet ſuper omnem montem excelſum, & ſuper omni ligno frondoſo, & fornicata eſt ibi: & dixi, cùm feciſſet hæc omnia, Ad me reuertere, & non eſt reuerſa: & vidit præuaricatrix ſoror eius Iuda, quia pro eo quod mœchata eſſet auerſatrix Iſrael, dimiſiſſem eam, & dediſſem ei libellum repudij. Et non timuit præuaricatrix Iuda ſoror eius: ſed abiit, & fornicata eſt etiam ipſa, & facilitate fornicationis ſuæ contaminauit terram, & mœchata eſt cum lapide & ligno; & in omnibus his non eſt reuerſa ad me præuaricatrix ſoror eius Iuda: Et dixit Dominus ad me, Iuſtificauit animam ſuam præuaricatrix Iſrael comparatione præuaricationis Iuda. Apud alterum Vatem repudij libellum à ſe Sioni datum Deus inficiatur; apud alterum verò Iſraeli datum ait, & non ſecùs Iudæ grauiùs commeritæ dandum minari, atq; innuere videtur. Quo in ſcopulo à veri curſu tollendo variè torqueri & laborare videmus interpretes: qui tamen rectè dirigentis clauum nullus offendet. Namque apud Iſaiam de matre, hoc eſt, de tota in vniuerſum Iſraelitarum ac Iudæorum gente Deus ſermonem inſtituit: quam matrem, quamquã deſeri cõmeritam, quamquã vltrò à viro auerſam ſuo, tamen nec ſe prorſus deſeruiſſe, nec in perpetuum repudiaſſe ait. Apud Ieremiam verò eorũ tantùm repudiationem priuatam narrat, qui propter idolomaniæ ſcelus ceteris etiam additum, hoſtibus abducendi permiſſi ſunt; atque ita permiſſi, vt in exilio & ſeruitute, quod reliquum fuerat vitæ agerent, nũquam deinceps poſtea eò, vnde eiecti fuerant, reſtituendi. Atque hoc deſertionis, dimiſſionisq́ genus ZZEPHER CHERITHVTH *erga illos dicitur, qui ob priuata & communia ſcelera migratione & abductione damnati nũquam ampliùs reuerſi fuere, exemplo eorum qui in ſolitudine ob violatam pietatis & conſtantiæ fidem conſumpti, promiſſæ patriæ vſura, qua ſeſe reddiderãt indignos, damnati caruere, atque in ipſa vaſtitate iacuere ſepulti. Ceterùm genti ipſi omni in vniuerſum diuinum illud non fuit negatum beneficium. Itaque hic apud Iſaiam ſermo totam complectitur gẽtem, vt nunquã prorſus dimiſſam, nec repudij libello abdicatã: iſta verò apud Ieremiam exceptio*

auer-

Pſal. 118.

Influxus aſtrorum prohibiti.

Ieremiæ locus de repudio Iudaici populi.

Ierem. 3.

ZZEPHER CHERITHVTH.

auerſatricem notat Iſraelem eam, quæ non multò ante Ioſiæ ætatem abiit, ſibimet ſuper montem excelſum, & ſuper omni ligno frondoſo, & fornicata eſt ibi. Id quod quamquam Iuda, quæ eodem Ioſiæ viuebat tempore, non imitata modò, ſed ſupergreſſa fuit: tamen ipſa non fuit perpetuo mulctata exilio, ſed ſeptuaginta annorum exilio addicta, demumq́; vnde migrauerat, in patriam reducta. Namq́; totam Iſraelitarum etiam gentem in illo repudij libello non fuiſſe concluſam & comprehenſam, ſed potiùs ad communis communicationem ſalutis reſeruatam, & oportuno tempore vocandã cum Iſaia faciens Ieremiæ etiam declarat adnotatio. Vade, & clama ſermones Ind.id.
iſtos contra Aquilonem, & dices: Reuertere auerſatrix Iſrael, ait Dominus; & non auertam faciem meam à vobis, quia ſanctus ego ſum, dicit Dominus, & non iraſcar in perpetuum. Verumtamen ſcito iniquitatem tuam, quia in Dominum Deum tuum præuaricata es, & diſperſiſti vias tuas alienis, ſub omni ligno frondoſo; & vocem meam non audiſti, ait Dominus. Conuertimini filij reuertentes, dicit Dominus: quia ego vir veſter, & aſſumam vos vnum de ciuitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion; & dabo vobis paſtores iuxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina Sic de tota gente Deus apud Ieremiam, quam apud Iſaiam communi nomine matrem *vocat. Huius autem publicæ Iſraelitarum ſalutis non ſolùm Pontificem & curatorem atq́; auctorem præſtantem ſeſe à Deo conſtitutum, vt iam declarauerat, verbum diuinum confirmat; ſed etiam præconem, Euangeliſtam, & nuncium datum cum ſumma auctoritate, & ad beneficium proponendum & offerendum profitetur: eoq́; muneri fideliſſimè ac diligentiſſimè perfunctum ſeſe multis actionibus, exemplis, ac periculis laboribus exantlatis, ac denique morte propter veritatem ſubita probaturum prædicit: idq́; adeò certum aſſeuerat, vt per vaticinij reſponſa, tamquam factum narret & recenſeat.*

Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſuſtentare eum, qui laſſus eſt, verbo; erigit manè, mane erigit mihi aurẽm, vt audiam quaſi magiſtrum.

Propoſitam in hoc ſermone veritatem diuinum vrget & perſequitur Verbum: cuius argumentum eſt, Se non modò prætexti à Sione & lamẽtati repudij non futurum auctorem, vti iam declarauit; ſed contrà potiùs omni diligentia ac ſedulitate, omniq́; opera curaturum, vt promiſſa ſponſalia inter Deum & Eccleſiam ritè celebrentur, & confirmentur nuptiæ illæ, tot ſeculis prædictæ & expectatæ idq́; agendum eſſe diuinæ voluntatis denunciatione & expoſitione, atq́; doctrina earum legum, quas tantum exigit matrimonium. quæ omnia Euangelij exponẽtur diſciplina; cuius miniſtrũ ſeſe à Deo inſtructum, diuinum Verbum caro factũ profitetur; non vt quicquam ex ſe priuata ambitione aggreſſurum, aut præter præſcripta in diuinæ ſapientiæ normis editurum; ſed ea omnia redditurum ſumma fide, quæ hominũ genus propriæ cauſa ſalutis, diſcere, noſſe, tenere, & præſtare oporteat. Dominus Deus, ADONAI IEHVEH. *Prius nomen doctrinæ auctoritatem commendat, vtpote à Domino principe & imperantis iure præ-*

Nuptiæ inter Deum & Eccleſiam quibus legibus. Chriſt. Euãgeliſtæ doctrina qualis.

 ſtan-

ſtantis profectæ: poſteriùs dicendorum argumentum ad miſericordiam diuinam, atq; ad publicam hominum ſalutem referendum præmonet; atque ideo magna cum attentione & alacri expectatione excipi digniſſimum adſtruit: deinde rem ipſam ac doctrinam ab officij fide comprobat; vtpote à ſe non modò verbis & oratione referendam, ſed vera ac ſolida virtute, vita, moribus, & re præſtandam: vtpote quam à Deo acceptam tali magiſtro dignam, talem diſcipulum ac miniſtrum decere conſtet. Hoc ſignificat oratio, dedit mihi linguam eruditam. *In exemplari,* LESON LEMVDIM, linguam doctorum: *ita vt vocabulum* doctorum, *participium paſſiuum ſit, id eſt, eorum, qui ſic acceperint, vt intelligant; ſic intellexerint, vt præſtent & exſequantur: non vt ij qui de artibus, quas nunquam exercuere, nec operum exemplo monſtrare norunt, magnificè loquuntur tamen; qui non propriè vocantur* LEMVDIM. *de quibus dictũ, Veniam ad vos, & cognoſcam* 1. Cor.
» *non ſermonem, ſed virtutem: non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute. De Verbo autem caro facto longè aliter, Cœpit Ieſus facere & do-* Act. 1.
» *cere vſque ad diem illum, in quo præcipiens Apoſtolis per Spiritum ſanctũ, (quos elegit) aſſumptus eſt. &, vt illi narrabant, de Ieſu Nazareno, qui fuit* Lucæ
vir Propheta potens in opere & ſermone. Atque ita huius partes propter multa commendantur, Dei mittentis auctoritatem, miſsi ac miniſtri perſonam, fidem, probationem, ac diſciplinam verborum ac ſermonis pondus & formam, vtpote rem ipſam continentem, non nuda & mera verba tantùm, hoc ſignificante LESON LEMVDIM, linguã doctorum, *ſiue*, eruditam. *De qua ſcriptum eſt, Diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea vnxit te*

Christi Euangelistæ partes.

Pſal.
» *Deus, Deus tuus, præ participibus tuis. Hanc vtramque doctrinæ partem à ſe præſtitam idem ipſe apud aduerſarios palàm defendebat. Quis ex vobis* Ioan.
» *arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? qui*
» *ex Deo eſt, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Quod verò ad argumentum doctrinæ facit, totũ illud ad eorum, quibus impertiebatur, ſalutem pertinere ait. quæ abundè magna cauſa erat, quamobrem ſumma cum alacritate, & fide audientium, tam doctor quàm doctrina exciperetur, nempe Euangelica: cuius illa ex effectu & fine deſcriptio ſubiungitur,* vt ſciam ſuſtentare eum qui laſſus eſt verbo. *Verbum* vt ſciam, *cum ſuperioribus coniungitur. Ait namque linguam peritã, ſiue eruditam non ſibi datam, vt multorum diſcentium aliàs more, quæ audita fuerint, memoria tantùm conſeruentur, & ad oſtentationem aliis recitentur. (dicere vix poſsis quàm multi eatenus tantùm diſcunt) ideo non dixit,* vt ſcire faciam, *ſed,* vt ſciam, LADAGHATH: *ſed vt res ipſa cognoſcatur, ac teneatur potenter, tentaq; præſtetur: atque ita demùm in eos redundet, quos etiam doctrina expetita & expectata iuuabit erudiendo.* Suſtentare eum qui laſſus eſt verbo, *In exemplari ita ſonat,* LAGHVTH, ad oportunandum laſſum verbũ. *Nam* GHVTH *coniugatũ eſt vocabulo* GHETH, *quod opportunitatem, ſiue opportunum tempus, Latinè ſignificat. vt illud:* GHVTH. GHETH.
Quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. &, Tempus faciendi Domine. Pſal. 1.
» *&, Adiutor in opportunitatibus in tribulatione. Huiuſmodi Euangelij*

Ieſus

Ieſu Chriſti rationem eſſe, diuina declarant oracula: nō quòd nequicquam, paßim, tumultuariè, & intempeſtiuè obiiciatur, iis maximè quibus contemptui putabitur habendum; ſed LAGHVTH, opportunè laſſo, & peccatorum pondere oppreſſo, lugenti, eſurienti, ac ſitienti, & pauperi ſpiritu ſuccurrat. S. S. E. Nolite ſanctum dare canibus, nec mittatis margaritas ante porcos. & iterum: Vobis datum eſt noſſe myſteria; ceteris autem non niſi in parabolis, vt videntes non videant, &c. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos: Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Huiuſmodi ſignificatio eſt verbi illius LAGHVTH, ſuſtentare, ſiue, ad ſuſtentandum laſſum. Verbum in accuſatiuo poſitum, antiquam conſtructionem obtinet, in ſexto caſu Latinam facit orationem cum verbo ſuſtentare. vtroque modo planam exhibet ſignificationem. Ait enim Chriſtus, à Deo ſe lingua erudita inſtructum & edoctum ſcire primùm, & conſequenter iis, qui laßi ſunt, opportunè communicare verbum. idem autem hoc loco nobis verbum eſt, quod Euangelium, vt illa, Et loquebatur eis verbum. & Qui ſeminat, verbum ſeminat. Huc & illud ſpectat, Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Non egent qui ſani ſunt medico, ſed qui malè habent. Omnia verò quæ à ſe dicenda & referenda fuerint, eodem, quo relata fuerint, modo, à Deo Patre ſibi tradita, monſtrata, & ita aliis mandata profitetur ac prædicat: non vt quicquam vel teneat, vel dicat, vel agat præter vel vltrà paternum conſcriptum & conſilium pro ſingulorum dierum ratione & vſu traditum; idq́ non noctu per ſomnia, aut alio modo minùs aperto; ſed clarè, planè, in ipſo die manifeſta luce dictatum: perinde atque diligentes præceptores cum ſtudioſis atque probatis agunt diſcipulis; quibus quid per ſingulos diſcendum ſit dies dictaturi, aurium indicunt attentionem. Hoc eſt quod ſubiungit: Erigit mihi manè, manè, erigit mihi aurem, vt audiam quaſi magiſtrum. Verba quæ ego loquor vobis, à me ipſo non loquor: Pater autem in me manens, ipſe facit opera. &, Quia ego ex meipſo non ſum locutus, ſed qui me miſit Pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar: & ſcio quia mandatum eius vita æterna eſt. Quæ ergo loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor. Manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo (tui erant, & mihi eos dediſti) & ſermonem meum ſeruauerunt. Nunc cognouerunt quia omnia quæ dediſti mihi, abs te ſunt: quia verba quæ dediſti mihi, dedi eis; & ipſi acceperunt, & cognouerunt verè, quia à te exiui, & crediderunt quia tu me miſiſti. Quod Latinè legimus: vt audiam quaſi magiſtrum, ſubaudiendum eſt, diſcipuli. Namque exemplaris lingua habet, LISMOAGH CHE LIMVDIM, ad audiendum vt diſciplinati, ſiue, vt diſcipuli. Qui dictata non antè peragunt, quàm acceperint. Latinus interpres ex relatiuorum lege ſententiam rectè reddidit. Deo autem diligentia, & cura, & munere optimi magiſtri fungenti, ſedulitatem, attentionem, docilitatem, & fidem in diſcipulo ad excipiendum atque agendum nulla ex parte ait in ſe requiſita.

Euangelij opportunitas

Verbum. Marc 2. Marci 4.

Ioan. 14. Ioan. 12.

Ioan. 15.

Domi-

Dominus aperuit mihi aurem, egó autem non contradico, retrorſum non abij.

Dvo *in hoc ſermone verba auris nomini adiuncta animaduertimus,* erigere, *&* aperire: *alterum ad primam præceptoris monitionem, attentionisq́ poſtulationem; alterum ad ipſam rei narrationem referendum. vt illud, Audi Iſrael. quod attentionem petit. cui ſubiungitur: Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſeruitutis. Non adorabis Deos alienos: & cetera, quæ aperiunt & implent aurem. Duplicem verò indicauerat cauſam, quamobrem ſibi dictaſſet Dominus, alteram ſuiipſius perdocendi primùm, alteram verò alios opportunè inſtruendi: vtriq; autem à ſe ſatisfactum ait; priori plenum atq; ſecundum aſſenſum; poſteriori autem fidele obſequium fortiter præſtando. Ad illud referimus,* ego non contradico, *ad hoc,* retrorſum non abij. *Quamquam enim graue ac difficultatibus plenum intellexerit eſſe Euangeliſtæ munus, cùm propter inſuetam nec vulgatam diuinorum promiſſorum interpretationem, à terrenis ad cæleſtes rationes transferendam, tum verò propter exquiſitæ ac puræ pœnitentiæ legem denunciandam, indicendamq́ priuati commodi renunciationem: nihilominus tamen tantum negotium libenter ſuſceptum, & fideliter ac fortiter gerendum ſibi eſſe profitetur, abſque formidine, abſque metu certæ & promptæ ab hominibus offenſæ, contentionis & perfidiæ, atque indignæ cum contumelia repulſæ.* retrorſum non abij. *Mandatum itaque expoſiturum ac dictata omnia diuina peracturum, ſe ſe ab initio præſtat; quamquam indignis exceptum ire modis, & pro magno beneficio non modò ingratos hominum experturum animos, verùm probra, maledicta, plagas, & verbera laturum.*

Chriſti obedientia.

Corpus meum dedi percutientibus, & genas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus & conſpuentibus.

Omnium quæ in carne Chriſtus ob aſſertum veritatis teſtimonium ab hominibus ipſis, quorum vtilitati ſtudebat, ante mortem etiam ab iiſdem illatam, perpeſſus eſt, breuem ſummam ſibi iam ab initio cognitam & certam verſus iſte complectitur. Quæ, quòd ſigillatim ab Euangeliſtis narrata, & nulli non ſunt nota, referri opus eſſe non duximus. Ait verò ſe paternam voluntatem executum, ac veritatem diuinam profeſſum: tamen iſta, ac plura ab iis, quorum bono venerat, perpeſſum; vtpote pro ſeductore habitum, & ignominioſo dæmoniaci exceptum nomine: & tamen in propoſito fortiter perſtitiße, diuino ſemper nixum & firmatũ præſidio, & conſtanti obſequio intentum ad extremum vſque; atq; hoc pacto victorem euaſurum. S.S.E. Exinaniuit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen; vt in nomine IESV *omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, Quia Dominus* IESVS, *in gloriam Dei Patris. Hanc verò ſuæ ac paternæ veritatis fiduciam ipſe idem conſequenter profitetur Verbum.*

Philip.

Dominus Deus auxiliator meus, ideo non ſum confuſus: ideo poſui

ſui faciem meam vt petram duriſſimam, & ſcio quoniam non confundar.

DOMINVS Deus] *eadem ſignificationis ratione, quæ ſuperiùs explicata nobis fuit, nomina hæc appellantur: atque idem hac prædicitur ſententia, quod poſtea ab eodem Verbo fuit repetitum: Ecce venit hora, & iam venit, vt diſpergamini vnuſquiſque in propria, & me ſolum relinquatis: & non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt. Hæc locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis. In mundo preſſuram habebitis: ſed confidite, Ego vici mundum. Hæc locutus eſt Ieſus, & ſubleuatis oculis in cælum, dixit: Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te. Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, vt omne quod dediſti ei, det eis vitam æternam. Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Ego te clarificaui ſuper terram; opus conſummaui, quod dediſti mihi vt faciam. Et nunc clarifica me Pater apud temetipſum, claritate quam habui priùs quàm mundus fieret, apud te. Manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo.* Ioan. 16. Idem 17.

Iuxta eſt qui iuſtificat me, quis reſiſtet mihi? ſtemus ſimul, quis eſt aduerſarius meus? accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator meus: quis eſt qui condemnet me?

Euangelicæ veritatis victoriam certiſſima prædicit fiducia; cuius conſtantia fretus, ad omne periculum de ſe faciendum, ad quodlibet ſubeundum iudicium præſto ſeſe fore prædicit, vt &, cùm ad rem ventum eſt, conſtanter exhibuit. Quis ex vobis arguet me de peccato? &, ſi veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Huius autem examinis exitum varium futurum ſignificat aliis quidem in vitam, aliis in exitium euaſurum; his qui non crediderint, exitialem. Nam

Euangelicæ veritatis victoria.

Ioan.

Euangelium in vitam & in mortem.

Ecce omnes quaſi veſtimentum conterentur, tinea comedet eos.

Atque ita Euangelij aduerſariis, niſi reſipiſcant, exitialem prædicit euentum: contrà verò, credentibus, ac ritè obſecutis veritatis promiſſorum Dei, conſtantiam ac copiam expectandam, ac demum obtinendã pollicetur.

Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem ſerui ſui, qui ambulauit in tenebris, & non eſt lumen ei? Speret in nomine Domini, & innitatur ſuper Deum ſuum.

Duas auditorum partes alloquitur, alteram eorum, quibus legis notitia Domini timorem crearat, id eſt, Iſraelitarum ſecundùm carnem, & Abrahami patris fidem imitantium; alteram verò eorum, quibus timor quidem Domini erat, verùm ſine legis diſciplina & luce agentibus. Namque hoc præſtat legis cognitio ignorationi, quo lucerna & lãpas obſcuræ nocti præſtat. Omne autem hominum genus in admiſſis per primum parentem tenebris verſatur. In quibus tamen diuina lex lumen porrigit ad boni & mali cognitionem, & boni concipiendum volentibus votum cum legiſlatoris gratia Dei. qui verò lege carent, obſcuratum habentes intellectum, quorſum tendant, quóve collìment, neſciunt. Priorum conditionem ita compellat hoc

Euangelij auditores.

Legis præſtantia.

loco Verbum Dei. Quis in vobis timens Dominum, audiens vocem ſerui ſui. *Seruum, Domini Prophetam vocat à Deo miſſum. Qua in formula ſe ipſum diuinum præcipuè ponit Verbum caro factum; vti iam expoſuimus. poſteriorum verò,* Qui ambulauit [*hactenus*] in tenebris [*ignorationis communis hominibus*] & non eſt lumen [*diuinæ diſciplinæ*] ei.

Timētes Deū etiam inter gentes. Act. 10.

Namque apud hos etiam diuinus timor eſſe poteſt, vt apud centurionē Cornelium, qui Deum timens, & eleemoſynas multas plebi faciens, ac deprecans Deum, commendatur, atq; Apoſtolico teſtimonio acceptus definitur: In „ veritate comperi, quia non eſt acceptor perſonarum Deus: ſed in omni gen„ te, qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. Vtriſq; autem fide ac timore Dei inſtructis pœnitentiæ lege indita & ſubita, diuinorum promiſſorum communicationem pollicetur Euangelium.

Euangelicæ doctrinæ ſumma.

Speret in nomine Domini [*in efficacitate & virtute* MISERICORDIS *&* PRÆSTANTIS] & innitatur [*non ſuper induſtriam propriam, nedum ſuper alia minora, ſed*] ſuper Deum ſuum [FACTOREM *&* GVBERNATOREM SVVM.] *quo monitu certa ſuadetur & commendatur ſpes. Cæteris autem, qui ex contentione ſunt, & veritati non acquieſcunt, ſed iniquitati conſentiunt, quidnam expectandū fuerit, diuino enunciatur verbo; nimirum reprobationem & excæcationem, repudiationem; atque hanc conſequentes calamitates & pœnas.*

Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis, quas ſuccendiſtis: de manu mea factum eſt hoc vobis, in doloribus dormietis.

Euangelij odor in mortem.

Euangelij lumini aduerſatos omnes ad pœnas propria induſtria & violentia magno molimine ſibi ipſis conquiſitas & partas tandem luendas relegat: verùm ita compellat, vt vel hoc pacto ad meliorem frugem recipiendos velit, & optet; pertinaciter tamen contumaces tanto iudicio dignos pronunciet. Itaque vtramq; Euangelij declarat vim: alteram ſalutis piis & probis; alteram verò ignis & inferi atq; æternæ vltionis improbis paratæ.

Euangelij duplex vis.

Accendentes ignem] *Idem verbum eſt, quod in Moſis cantico; ad quod & alludit. Quia ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſsima. Eademq; cum illis Apoſtolicis exprobrationibus ſententia: Ignoras, quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Secundùm autem „ duritiam tuam, & impœnitens cor tuum theſaurizas tibi iram in die iræ „ & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuiq; ſecundùm opera eius: „ iis quidem, qui per patientiam boni operis, gloriam & honorem, & incor„ ruptionem quærunt, vitam æternam: iis autem, qui ſunt ex contentione, & „ qui non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio. Hoc eſt quod prædicitur:* Ambulate in lumine ignis veſtri, & in flāmis quas ſuccendiſtis. de manu mea factum eſt hoc. *Præmonitionem, obteſtationem, & prædictionem tam apertè expoſitam, ac multis dilatatam partibus, à ſe ipſo factam & præſtitam, profitetur diuinum Verbum. Illius hoc ſententiæ eſt: Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non ha„ berent: nunc autem excuſationē non habent de peccato ſuo.* factum eſt hoc.

Deut. 32.

Rom. 2.

Ioan.

Neu-

Neutrum genus hoc loco pro feminino redditur Latinè MIIADAI HAIETHAH ZOD LACHEM. De manu mea fuit hæc [*commonitio & obteſtatio*] vobis, [*quam vbi contemnentes repudiantesq́; ſpreueritis*] in doloribus dormietis. LEMAGHATSEBAH THISCHABVN, ad miſeriam iacebitis. *Summa namq́; miſeria reprobatio definitur.*

ARGVMENTVM VATICINII VIGESIMINONI.

PROMISSAM *ſæpius & in ſuperiore vaticinio celebratam humanæ ſalutis Iſraelitis, atque omnibus terrarum gentibus felicitatem repetito item reſponſo teſtatus, veluti iam inſtantem recolit & confirmat, ac dubitatione ſummota omni, exſpectandam ſuadet, ex liberalitatis dono ac munere Dei: qui, cùm infinitus & ſimpliciſſimus, ac ſingularis omnino ſit; declaratæ ſæpiùs voluntati parem quoque virtutem efficacitatemq́; obtinet. id quod opportunè idem ipſe probabit, mirabilibus edendis rebus & exemplis, non minoribus quàm ea fuerant, quæ antea cum ſummo attendentium ſtupore, ingentiq́; ſui laude ſunt edita. Atque omnia hæc Euangelicæ virtutis efficientiam probatura declarantur piis & fidelibus ad pacem tranquillitatemq́; animorum traducendis; contrà verò horum inimicis & oppreſſoribus exitio & morte mulctandis. (in quo Chriſtiani myſterij ſumma latet.) Hanc autem rerum humanarum admirabilem mutationem non obſcuram aut incertam, ſed manifeſtã fore ait; vtpote quam Euangelij exoptatiſsimus nuncius, isq́; frequens, præuenturus, & præſentem admiranda ſigna & prodigia conſecutura ſint: indeq́; euenturum, vt antiquorum Vatum, quæcunque ſalutem hanc ſpectabant, reſponſa antea per dictionis figuras & imaginum ſubindicata vmbras, re præſente & ad vſuram communicata, iam deinceps beneficij tanti compotibus aperta manifeſtaq́; euadant.*

Euangelii virtus.

Chriſtianum myſterium.

CAPVT LI.

AVDITE me qui ſequimini quod iuſtum eſt, & quæritis Dominum: attendite ad petram vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci, de qua præciſi eſtis.

MAGNARVM *atque vtilium rerum doctrina omnis diſcipulorum aures & mentes attentas exigit; earum præcipuè, quæ propter magnitudinem vel difficultatem ſui in dubium venire potuerũt. De redemptione autem & ſalute publica tam crebris Vatum reſponſis denunciata & promiſſa vnus & alter, itemq́; tertius ad ambigendum ſcrupulus auditorum animis iniici potuit; quin & iniectus eſt. ad quorum vnumquemque eximendum puras aures, & ſingularem quoque mentis attentionem Vates poſtulat: ideoq́; idem, vel eiuſdem ſignificationis verbum tertiò repetit,* Audite me. Attendite ad me. *& non multo pòſt rurſum,* Audite me. *Atque dubitatio prima huiuſmodi argumenti eſſe antiquis potuit, imò & erat.*

De humana ſalute quæ ambigere fecerunt.

Prima dubitatio.

Quînam conueniret communem & publicam ſalutem afferri propter paucos & raros homines, qui in toto terrarum orbe ad accipiendam reperirentur idonei. Nam ſi ad Iſraeliticam gentem ſecundùm carnem referenda fuerit ratio, diſperſos omnes offenſura erat; atque in iis ipſis perpaucos, qui veri Iſraelitæ ſine dolo eſſent, exceptura. Sin verò ad omnes orbis nationes dilatanda, vix vnum aut alterũ in ſingulis reperire eſſet locis, qui in Abrahami familia conſcriberentur: ad quem dictum fuerat, In ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Denique, Dominus de cælo in terram deſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum: Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Hanc itaque primam dubitationem, Deo dictante, ſublaturus Vates, diſcipulorum cum delectu nominandorum, attentionem Diſciplinæ idonei. *exigit: non omnibus promiſcuè & confusè diſciplinæ vocatis cauſa; ſed iis tantùm, qui veri & iuſti cognoſcẽdi ſtudio teneantur: idq́ non tam ex humana ſapientia aucupentur, ſed ex diuinæ virtutis & miſericordiæ contemplatione conſectentur, ac doceri auidè expectent. Hos enim huic doctrinæ idoneos nominat diſcipulos.* Qui ſequimini quod iuſtũ eſt, & quæritis IEHVEH. *Nam quibus iuſtum pariter atque iniuſtum temerè confunditur; quibus præter quod ſemel perperam apprehenſum fuerit, nihil vlteriùs capitur; quibus contentionis ingenium aut ſtudium eſt; iſtis, inquam, ſeges hæc non metitur. Verùm iis, quibus iuſti præcipua ratio eſt, quibusq́ prima ex Dei nomine ac virtute cogitandi elementa petũtur: iſtis noſtram impertimur doctrinam; atq́ prima & maxima, ac certiſſima diſcendi iacimus fundamenta in antiquis exemplis, eorum, à quibus ædificij diuinitus perficiendi exordium factum fuit. Prima enim architecti (poſt propoſitum & conceptum futuri operis exemplar) cura eſt materiæ compa*Materiæ ad ædificia. Gen. *randa copia. Eſt autem materiæ ad muros & ædificia duplex pars; altera lapides, altera cæmentum, ſiue intritum. S.S.E. Et habuerunt lateres pro lapidibus, & bitumen pro cæmento. Lapides ex lapidicina fiſſi ſcinduntur: quam perpetuam eſſe oportet, vtpote futuro ſuffecturam operi. Intritũ verò ſiue cæmentum, quod olim luto plerumque factum nouimus, ſiue calce vel bitumine luti vicem præbente, ex fouea aliqua opportunè terram ſuppedi*Domus, familia. Lapides filij. BENIM. ABANIM. Pater. Mater. *tãte effoditur. Porrò familia omnis in ſacro ſermone domus nomine ſignificatur. vt, Domus Iaghacob, Domus Aaron, Dauidis domus. Filij autem lapidis nomine affini dicuntur vocabulo* BENIM, *quaſi* ABANIM. *In domus autem ſtructura, hoc eſt, familia ſtatuenda, pater petræ, ex quo lapides exſcinduntur; mater verò foſſæ vel foueæ, vnde intritum effoditur, partes præſtant. Oſtendit autem Deus, facillimum & maximè promptũ ſibi eſſe, ex pauciſſimis & raris hominibus, atq́ adeo ex vno ſingulari, regni reipublicaq́ ſuæ frequentiam, atq́ habitationis ſuæ in hominibus domum ſtruere, non minus quàm quendam ex vno grandæuo, atque emortui penè corporis viro, atq́ ex vna ſene & ſterili femina tantam ſobolem procreare, quantam Iſraelitarum fuiſſe compertum eſt. Atque hanc rem rationemq́ exemplarem allegoria primùm, deinde aperta elocutione docet. Allegoria eſt,* Attendite

dite ad petram, vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci, de quæ præciſi eſtis. NVKARTEM defoſſi eſtis. *Ad ſtructuram illius frequentiſsimæ domus Iſrael tranſlationis figuram refert. eo'dem, quos compellat, ac dubio eximere curat, teſtes citat, & producit; vtpote ſeſe Abrahami ſanguinem filiosq́; dictitantes, & interim Abrahami atque Saræ firmiſsimæ admonet fidei: propter quam ex maxima ſterilitate, & ex nullo, vt ita dicamus, cenſu in multitudinem ingentem propagati fuerant; vt & ipſi paterna firmati fide, promiſſum de cælorum regno, atq; frequenti ciuium cœtu diuinum præſtandum crederent, & expectarent. Hæc tranſlationis formula, illa verò è veſtigio ſubiuncta ſimplex & aperta interpretatio eſt.*

Attendite ad Abram patrem veſtum, & ad Saram quæ peperit vos: quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum.

QVID *enim in rebus humanisq́; exemplis magis nouum, magisq́; admirandum ſpectari poteſt, quàm centum annos natum virum (eo tempore, quo rara admodum tanta ætas fuit) patrem fieri: idq́; ex muliere, natura ſterili, & æuo confecta. Id quod vtrique propter ſingularis diuinæ prouidentiæ & efficientiæ fidem, cum admirationis indice riſu, auditum, & exceptum fuit. Erant autem ambo ſenes prouectæq́; ætatis, & deſierant Saræ fieri muliebria: quæ riſit occultè, dicens: Poſtquam conſenui, & dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo? Nihilo itaq; ſecius ex vnico ſemine Abrahami, hoc eſt, Chriſto vnico Filio ſuo, Deus adoptatam in filios, Eccleſiam, mirum in modum aucturus, & frequentiſsimam effecturus hoc ſignificatur vaticinio. Atque ita primam illam ambiguitatem repetendo ſummouet promiſſo.*

Abrahami & Saræ riſus.
Gen. 18.
Iſraelitæ omnes ex vno.

Conſolabitur ergo Dominus Sion, & conſolabitur omnes ruinas eius: ponet deſertum eius quaſi delicias, & ſolitudinem eius quaſi hortum Domini.

Dixerat Deus, Abrahamum à ſe delectum adeò ex natura ſua ſingularem fuiſſe, vt vnitas in numero ſingularis eſſe definitur. namque vnum nullo pacto plura dici poteſt in numerandi ratione. cùm primùm itaq; creatus & ortus fuit Abrahamus, non modò vnicum & ſingulare caput exſtitit, ſicut cæteri exiſtunt homines: ſed, niſi ſingulari prouidentia ad extremum mutaretur, vnus tantùm viueret, atq; vnus vita defungeretur, nullo altero poſt ſe relicto, qui illius nomen, locum, & partes apud poſteros tueretur. Itaque verbum Vocaui, *non modò vocationem illam ſignificat, Exi de terra tua, &c. ſed etiam ipſam hominis creationem. cuius idiotiſmi ac ſignificationis & illud eſt: Omnis qui vocatus eſt in nomine meo, ad gloriã meam creaui eum. Itaq; Abrahamum à natali ſuo vnum vnicumque vocatum, poſtea ſingulari Dei dono & efficientia fœcundum redditum, & ad frequentiſsimæ poſteritatis procreandam ſobolem comparatũ intelligimus. Dixerat enim ille: Domine Deus, quid dabis mihi? ego vadam abſque liberis, & filius procuratoris domus meæ iſte Damaſcus Eliezer; addiditque " Abram, Mihi autem non dediſti ſemen: & ecce vernaculus meus hæres " meus erit. Statimq́; ſermo Domini factus eſt ad eum, dicens: Non erit hic " hæres*

Abrahamus vnu quomodo dictus.
Vocare.

Abrahami fœcundatio.

Gen.

» *hæres tuus, ſed qui egredietur de vtero tuo; ipſum habebis hæredem. Eduxitq́ eum foras, & dixit illi: Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes; & dixit ei, ſic erit ſemen tuum. Credidítq́ Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Quo promiſſo per fidem excepto, ſterilitas illa & ſingularitas, atq́, vt ita loquamur, natiua vnitas, in multitudinis atque ingentis numeri, in propagationis rationem, virtutem, & feracitatem mutata eſt. Hoc eſt quod dicit,* benedixi eum [*in virtute*] & multiplicaui eum [*& veritate*] *per ſobolem ad innumerabiles copias propagatã. Atque hoc ipſum exemplum fuiſſe ait illius maximi exemplaris apud ſe conſtantis, & opportunè demum edendi atq́ ſpectandi, cùm* conſolabitur Sion. *quæ anteà viris deſerta vaſtitatem ac ſolitudinem referebat, querebaturq́ ſe filiis deſtitutam; vt quondam Abrahamus & Sara, quos prole ſufficienda conſolatus eſt Dominus. Ita etiam ſuam* conſolabitur Siona, & ponet deſertum, *ſolitudinem & vaſtitatem eius* quaſi delicias *ſeſe ipſum illis donans, & inſinuans dulciſsimum ac ſuauiſsimum. S. S. E. Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus. Summas autem humani generis ac veras delicias Chriſtum interpretamur, vitæ arborem in medio paradiſi conſtitutã, eundemq́ viam ac veritatem. cuius virtutis quiſquis ex Dei dono compos* » *fuerit, hunc bonorum omnium ſumma frui credimus. S. S. E. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, ſapientia, videlicet, ac virtute Dei, qui Chriſtus eſt. atque hoc loco arcanam illius amœniſsimi ac fertiliſsimi horti ſignificationem indicat per Vatem Deus. Repetitio,* conſolabitur, conſolabitur, *promiſsi conſtantiam aſtruit, & prouidentiam publicam ac ſingularem ſubindicat. quod & genericum nomen,* omnes ruinas, *docet. Quòd verò cum Chriſti dono ac virtute omnia conferantur conſtentq́ vera bona & commoda, ex imagine ipſa declaratur horti illius decantatiſsimi: in quo omnia omnium fructuum, qui ad humanam vitam alendam commodi ſunt, genera abundè ſuppetebant, vitæ ligno medium locum, tanquam centrum, obtinente, ac virtutis propriæ copiam ceteris omnibus communicante arboribus & fructibus. S.S.E. Plantauerat autem Dominus Deus Paradiſum* » *voluptatis à principio; in quo poſuit hominem, quẽ formauerat. Produxitq́* » *Dominus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue;* » *lignum etiam vitæ in medio Paradiſi. Hunc itaq́ Domini hortum in Sione diuinitus ponendum eſſe ait, ad hominum vſum, quotquot Euangelio credentes, ritè obedierint. S.S.E. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis* » *poteſtatem filios Dei fieri; iis, qui credunt in nomine eius. In illo autẽ antiquo terreſtri paradiſo vitæ homini conuenientis & paratæ arborem ſtetiſſe nouimus: cuius tamen vſu homini indignum ſeſe reddẽti, interdictum fuit. eiuſdem verò ligni veritas & præſtantia atq́ ſumma virtus Verbum* » *eſt. S.S.E. In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum. Hæc lux venit in* » *mundum, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternã. Quod idem etiam ipſe huius diuini doni commendator ac ſuaſor ait: Amen* » *dico vobis, quia ego ſum oſtium ouium. Omnes, quotquot venerunt, fures* » *ſunt & latrones; ſed non audierunt eos oues. Ego ſum oſtium: per me ſi quis*

[Margin notes: Sionis fœcundatio & conſolatio. — Pſal. — Humani generis deliciæ Chriſtus. — Paradiſi ſignificatio. — Bona omnia cum Chriſto collata. — Gen. 2. — Ioan. 1. — Ioan. 10.]

quis introierit; ſaluabitur: & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet. Fur non venit niſi vt furetur, & mactet, & perdat. Ego veni vt vitam habeant, & abundantiùs habeant. Vitam quidem habuit homo quàm diu horti, in quo à Deo locatus erat, vſura non caruit: caruit autem propter præcepti præuaricationem. Huiuſmodi vſuram, ſed longè beatiorem, homini non ob ſuam virtutem, verùm propter miſericordiam & veritatem Dei per ſe præſtandam, Chriſtus ait, vt abundantiùs habeant: non quã raptam luctus & miſeria, vt in primis parentibus, conſequantur; ſed quam conceſſam & acceptam ſumma & æterna comitetur lætitia.

Gaudium & lætitia inuenietur in ea, gratiarũ actio, & vox laudis.

Gaudium in Spiritu ſancto.

1. Pet. 1.

HVIVS *celebrati gaudij exemplum vnum ſubiicere oportunum fuerit: Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti; qui ſecundùm miſericordiam ſuam magnã regenerauit nos in ſpem viuam per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam & immarceſſibilem, conſeruatam in cælis in vobis, qui in virtute Dei cuſtodimini per fidem in ſalutem paratam reuelari in tempore nouiſſimo. In quo exultabitis, modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus: vt probatio veſtræ fidei multo pretioſior auro (quod per ignẽ probatur) inueniatur in laudem & gloriam & honorem, in reuelatione Ieſu Chriſti: quem, cùm non videritis, diligitis: in quem nunc quoque, non videntes, creditis; credentes autem, exultatis lætitia inenarrabili & glorificata; reportantes finem fidei veſtræ ſalutem animarum. De qua ſalute exquiſierunt atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt, ſcrutantes in quod, vel quale tempus ſignificaret in eis ſpiritus Chriſti; prænuncians eas, quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias. quibus reuelatum eſt, quia non ſibimetipſis, vobis autem miniſtrabant ea, quæ nunc nunciata ſunt vobis per eos qui Euangelizauerunt vobis, Spiritu ſancto miſſo de cælo, in quem deſiderant Angeli proſpicere. Obiter adnotandũ fuerit verbum* conſolabitur, *priùs in exemplari lingua præteriti formam obtinere, futuriq́; ſignificationem per propheticum Enthuſiaſmon præſtare. Vocabulum verò* quaſi, *non ad minorem referri debet rationem, ſed vel ad maiorem & præſtantiorem, vel minimùm ad parem: reſpondet namque voci* CHE *primæuæ; cuius in loco perfecta ſimilitudo & vehemens aſſeueratio eſt; ita vt per Latinum* quaſi, *non ex æquo reddatur: quod tamen propter linguæ diſpar pondus vſurpare cogimur. Eſt autem tantum diſcrimen inter terreſtrem paradiſum, & illum quem Vates hic à Deo ſtatuendum prædicit, quantum inter terrenum exemplum, & exemplar cæleſte. Itaque* quaſi delicias, quaſi hortum Domini, *vtpote veras delicias, verum hortum Domini, eumq́; certiſſimũ* παραφραστικῶς *interpretamur. Atq; hactenus in primi ſcrupuli exemptione opera poſita, cui ſecundus quoque eximendus adiungitur, itemq́; eximitur. Is autem ille eſt, quem temporis longitudo, atq; expectationis interualla iniicere potuerunt. Nam ſi Dei conſilium, propoſitumq́; certum erat Sionis redimendæ atque ſeruandæ & amplificandæ, quorſum nam tanta ſalutis dilatio pertinuit, quæ nonnullorum*

quaſi. CHE.

Paradiſi cæleſtis præſtantia.

Secunda dubitatio.

Salutis dilatio.

rum

rum ſpem imminuat, & quorundam etiam infringat. Id quod aliquando in diffidentiæ filiis arguit Chriſtus, dicentibus: Moram facit Dominus meus venire. Hanc itaque ambiguitatem ſublaturus vtriuſque partium, quarum res agitur; hoc eſt, eorum qui diuinæ legis doctrina imbuti erant, & gentium etiam, quæ variis diductæ agebant opinionibus, animos ad attentionem excitat; rei cumprimis principio altiùs repetito, declarandæ & promiſſi ſui magnis fidei pignoribus confirmandi & ſtabiliendi.

Attendite ad me, popule meus, & tribus mea me audite.

VTERQVE *populus, Iudæorum & Gentium, ad partes vocatus, argumenti ſolutionem attentè expectare iubetur: idq; duplici nomine, auctoris nempe, atque cauſæ. Auctorem quidem ſeſe nominat primùm Deus. cuius infinitum numen & ſapientia, & virtute atq; benignitate infinita, quidquid propoſuerit, præſtare ac perficere poteſt; ac demum opportunè perficiet.*

Notus in Iſrael Deus.

Primum nomen in ipſo indicatur exordio. Attendite ad me. *Verbum* attendite, *ad Iſraelem ſecundùm carnem refertur: cui ſe iam cognoſcẽdum, multis & admirandis præbuerat modis & exemplis, vt creatorem, vt ſeruatorem ex Ægypto, vt Dominum, Principem, & conſulentem, fauentem; atq; in loco patrem, & iudicem. quamobrem eundem nunc de præſenti cauſa verba facientem, attentè auſcultari conuenit præterita, & ſpectata diu recolentibus exempla. Alteri autem parti, hoc eſt, Gentibus, verbum* HAAZINV, audite, *ſiue,* auſcultate *accommodat; vtpote quibus nondum verbi ſui copia facta erat, per Euangelium tandem abundè facienda. Hos autem*

Gentes. LEVMI.

Deus LEVMI *vocat: quod* gentem meam *interpretari poſſumus. Nam nomen* LEVM, *ab interprete noſtro Latino interdum in* gens, *nonnunquam in* populus, *aliquando in* tribus, *vt hîc, vertitur. Vt enim omnis*

Gentes Dei populus etiã dictæ. Pſal. Deut. 7.

terrarum orbis, ita etiam omnes habitatores Dei ſunt, vel populus ſingularis, vel gens: quamquam non eadem omnes ac pari valeant notitia Dei. S.S.E. Meus eſt enim orbis terræ & plenitudo eius. &, Te elegit Dominus ex omnibus gentibus, quas creauit in laudem & gloriam ſuam. Et quidem gentes omnes, quotquot Adami nomen & genus referunt, in laudem & gloriam Dei creatas, diuina doctrina declarat: vtpote quas præ cæteris animantibus præſtantiſſimas, & res & ratio declararet; atq; adeò diuinorum capaci animo præditas, vt & ſe, & ſui auctorem cognoſcere, & imaginem illius in ſe agnoſcere & excolere poſſint, ac debeant. Quæ tamen, vbi in parentibus primis à ſe degenerarunt, interim dum ex Dei miſericordia non modò reſtituerentur, ſed etiam amplificarentur, in vias ſuas abire dimiſſæ ſunt; vna excepta Abrahami progenie, quam veræ doctrinæ à ſe dictatæ, compotem ac teſtem, ceteriſq; doceri volentibus, magiſtrã eſſe Deus

Iſraelitæ & Gentes duæ orbis partes. Rom. 2.

voluit. Atq; ita in duas partes vniuerſus habitati orbis populus abiit: altera eorum, qui diuina lege ſcripta inſtructi agerent; altera verò eorum, qui, quanquam non ſcripta vterentur lege, tamen legis opus in mentibus animiſq; ſuis probarent, cogitationibus inter ſe accuſantibus, aut etiam defendentibus. Alteram illam diuino verbo & ſcripto conſtantem doctrinam

THORAH. MISPAT.

ſacra lingua THORAH *vocat: hanc verò alterã* MISPAT *nomine indigitat.*

Eſt

Eſt autem MISPAT *idem quod apud Philoſophos humana ratio, in ciuili diſciplina* ius, *apud Poëtas* decens *vocatur. Namque rectè inſtituia vitæ ſecundùm doctrinam norma, humani officij definitionem cum laude meretur. Verùm enimuerò ex humani & antiqui à parentibus contracti vitij culpa, & ex communis hoſtis calliditate & malitia factum eſt, vt nec Iſraelitæ, neque gentes ita ſuas agerent partes, vt ſpectatori probarēt Deo. Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis, non eſt qui faciat bonum: non eſt vſque ad vnum. Vnde & humanæ naturæ ab ſeſe beandū infirmitas & inopia vtraque in parte declarata ac redarguta fuit, & ex conſequenti diuinæ ad eam rem efficacitatis, benignitatis, & opis, quàm neceſſarium eſſet beneficium, declaratum euaſit. Id verò beneficium vbi maximè eſſet opportunum, hoc eſt, vbi humanæ prauitatis vitium in præcipiti eſſet; homini, quem amabat, quemq; ad miſericordiæ ſuæ admirandum exemplum rurſus elegerat, à ſe præſtandum propoſuerat Deus. Id quod in hac ſermonis huius parte vtrique populo declarat. S.S.E. Vſque ad legem peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cùm lex non eſſet. Sed regnauit mors ab Adam vſque ad Moyſen, etiam in eos qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, qui eſt forma futuri. Sed non ſicut delictum, ita & donum. Si enim vnius delicto multi mortui ſunt: multo magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit. Et non ſicut per vnum peccatum, ita & donum. nam iudicium quidem ex vno, in cōdemnationem: gratia autem ex multis delictis, in iuſtificationem. Si enim in vnius delicto mors regnauit per vnum: multo magis abundantiam gratiæ & donationis & iuſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum. Igitur ſicut per vnius delictum, in omnes in condemnationem: ſic & per vnius iuſtitiam, in omnes homines in iuſtificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per vnius obeditionem, iuſti conſtituentur multi. Lex autem ſubintrauit, vt abundaret delictum. Vbi autem abundauit delictum, ſuperabundauit gratia. vt ſicut regnauit peccatum in mortem: ita & gratia regnet per iuſtitiam in vitam æternam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Hoc itaque maximum ac diuinum iuſtitiæ & gratiæ donum certiſſimo Dei propoſito hominibus paratum, tum demum exhibendum & præſtandū eſſe dicitur, cùm propter ſpectatiſſimam neceſſitatem & inopiam ipſi hominum naturæ & neceſſarium prorſus intelligeretur, & maximè deſideratum expeteretur. Ex qua ratione Chriſtus deſideratus & expectatio gentium audit. Hæc ita præfati cauſam ipſam & rem ex Vatis præſente ſermone exponimus.*

[Margin: Humana ratio. Ius. Decens. — Pſal. — Humanæ naturæ infirmitas, & corruptio. — Salutis afferendæ opportunitas. — Rom. 5 — Chriſtus Gentibus deſideratus.]

Quia lex à me exiet, & iudiciū meū in lucē populorū acquieſcet.

Duas res, eaſq; magnas, ante publicam ſalutem ſpectandas orbi à ſe conſtituras ait, legis diuinæ doctrinam, & humanæ rationis examen ſuo iudicio expendendum: ita vt lex voluntatem Dei declaratam quidem ſtatuat, veruntamen obſeruatam requirat. Quia lex à me exiet. *Vox* CHI, *in exemplari tempus & occaſionem cum ratione etiam adnotat. Vbicunq; enim*

[Margin: Legis ſubintratio. — Chi.]

de ſacrificiis generatim præcepta dantur, particula iſta CHI, *primam occupat ſermonis partem. pro qua Latini vel* ſi, *vel* quando, *vel* quia *ſubſtituunt. Eſt itaq; ſenſus: Siquidem à me proditura eſt lex, quando prodierit: item, Si quidem iudicium meum* in lucem populorũ acquieſcet, *quando* acquieſcet, tunc, &c. *Verbum* RAGAGH *turbare, conturbare, ac tremefacere, nec non &* quieſcere *ſignificat; idq; philoſophicè admodum: namq; aquæ vel aëris commotionem & turbationem, quies & ſedatio, atque tranquillitas eveſtigio ſequitur. Atq; ita verbum hoc in maris & cæli commotionibus, rurſusq; in pacatione vſurpatum obſeruamus. Igitur lex homines vitij proprij vehementer accuſatura docuit, atque alio longè maiore auxilio egere admonuit. Gentes verò variis opinionibus diductas ac diſsidentes Euangelij ratio & ius perterrefecit mendaciorum & vanitatis redargutas, ac demum melioris doctrinæ & conditionis fide informatas, & ſpe ſedatas, compoſuit. Cui Euangelio vbi illa pars, quamquam non omnis, primùm obſecuta eſt, & hæc altera* acquieuit, *veritateq; admiſſa obtemperauit; tunc oportunè diuinum de ſalute publica promiſſum veritate atq; efficientia confirmatum conſtitit.* ARGIAGH, tremefacere, & quieſcere faciam. *Hunc locum ita D. Paulus tractat: In quo etiam nos [Iſraelitæ] ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ. Vt ſimus in laudem gloriæ eius, nos, qui antè ſperauimus in Chriſto: in quo & vos cùm audiſſetis verbum veritatis (Euangelium ſalutis veſtræ) in quo & credentes, ſignati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ in redemptionem acquiſitionis in laudem & gloriam ipſius. Huiuſmodi illuminationem & pacationem gentium ſacri Vates* Iudicij *vocabulo indicare ſolent. vt, Et iudicabit gentes, & arguet populos multos: & conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Atque de hac eadem re Zacharias: Lumen ad reuelationem gentium. Itaque hanc, quam indicauimus, geminam opportunitatem promiſſa per Deum ſalus conſecutura prænunciatur. Tunc enim*

[Margin: RAGAGH. — Legis vis & opus. — Euangelium. — Epheſ. 1. — Iudicium. — Sup. — Lucæ]

Propè eſt iuſtus meus, egreſſus eſt ſaluator meus, & brachia mea populos iudicabunt: me inſulæ exſpectabunt, & brachium meum ſuſtinebunt.

Nomina TSIDKI *&* IESVGHATHI *& rem ſignificant, & perſonam ſignificare poſſunt. Declarat autem conſilium ſuũ Deus, atq; efficiendum præmonet, cùm duo illa, quæ præceſſere, peracta fuerint. Tunc enim* propè, *atque pro foribus* Iuſtum ſuum *fore, ait,* multos, *hoc eſt, in ſe credentes, atque ſibi obtemperantes, iuſtificaturum; eundemq;* ſeruatorem, *perpetua ſalute ſuos affecturum, quotquot recipere voluerint. Salutem autem & iuſtitiam ſuam diuinam fore ait, eandem prorſus perfectam & præſtantem, non imputatam, verùm reapſe conſtantem, vtpote ſuo ipſius* brachio *effectam & partam. Vt enim quondam in imagine apud Ægyptios Dextera Domini magnificata eſt in fortitudine, dextera Domini percuſsit inimicum, ita vt ſeſe liberatos Iſraelitæ gratularentur: ſic tunc veræ ſalutis com-*

[Margin: Iuſtus & Saluator Dei. — Iuſtitiæ Dei veritas. — Exodi 15.]

compotes ac diuinæ iuſtitiæ donatos munere, ſancti confitebuntur. S. S. E. Sancti eritis mihi, quoniam ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter. Id quod verè & efficaciter præſtandum eſſe Deus prædicit, hoc eſt, manu valida, & brachij diuini virtute. & brachia mea populos iudicabunt. *Brachium, roboris & virtutis eſt ſymbolum, vt in ſacro docebamus Apparatu. Sua igitur virtute & efficacitate iudicatos populos ad vnius Eccleſiæ communionem, pacem, & conſuetudinem reducendos, non ſolùm eos, qui continẽtes habitant incoluntq́ terras: ſed eos etiã, à quibus inſulæ tenentur. Omnes enim Euangelio audito obtemperaturos, & obtemperando ad ſalutis communionem admiſſum iri, ait.* Me inſulæ expectabunt. *non ampliùs in vanis rebus atque fallacibus doctrinis ſpem figent; ſed me vnicum Seruatorem & iuſtificatorem attendent, & attendentes, demum efficacem cognoſcent.* & brachium meum ſuſtinebunt, *Euangelicam experti virtutem. S. S. E. Vobis enim eſt repromiſsio & filiis veſtris, & omnibus qui longè ſunt, quoſcunque aduocauerit Dominus Deus noſter. Huius porrò tantæ ſalutis re & ratione atque ſerie indicata, ad confirmandam ſpem diuinus procedit ſermo, promiſſum ſuum certiùs & conſtantiùs eſſe aſſeuerans, quamquam futurum prædicatur, quàm quæ & ſua natura firmiſsima, atque ad ſenſum & ad tactum cenſentur certiſsima. Quid enim æquè clarum, æquè apertum, æquè manifeſtum atq́ cælum, quod oculis corporis, non die tantùm, ſed etiam nocte viſitur? quid præſentius terra, qua inferiora cuncta continentur & fulciuntur? Verùm has ipſas mundi partes non æquè fideles, certas, æternas, & ſtabiles, vt verbum promiſſumq́ ſuum Deus aſſeuerat.*

Confeſſio ſanctorum. Leuit.

Brachium. Gentium conuerſio.

Act. 2.

Promiſſi certitudo.

Leuate in cælum oculos veſtros, & videte ſub terra deorſum: quia cæli ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum atteretur, & habitatores eius ſicut hæc interibunt. Salus autem mea in ſempiternũ erit, & iuſtitia mea in generatione & generationẽ.

Quamquam in cæteris minoribus mundi partibus, id eſt, in iis, quæ ſub cælo viſuntur, ſiue illæ in terra, ſiue in mari fuerint, aſsidua ac freques varietas & mutatio ſpectetur; tamen cælorum integra natura, & ſitus atque habitus terræ æterna ac perpetua habentur. S. S. E. Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum ſtat. Nihilominus corpora hæc, vt creata & facta ſunt, ita auctoris ſui voluntate ac decreto futuræ aliquando mutationi ſunt obnoxia. S. S. E. Initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cæli. Ipſi peribunt, tu autem permanes, " & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent. Et ſicut opertorium mutabis eos, " & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Filij ſer- " uorum tuorum habitabunt, & ſemen eorum in ſeculum dirigetur. " Atque hunc cælo ac terræ finem ex Dei conſilio & voluntate imminentem non in chaos, vel in nihilum deſiturum intelligimus; ſed ad virium & ingenij atque efficacitatis, qualia nunc obtinentur, conſumptionem, & abolitionem pertenturũ: quam noua deinceps virtus & affectio conſecutura ſit. Quamobrem ita Vatum effatis de hac re pronunciatur: Quia cæli ſicut fumus

Cælum & terra mutanda aliquãdo. Eccl. 1.

Pſal. 101.

Cæli ac terræ qualis futurus finis.

 liqueſ-

Fumi natura. liqueſcent. *Fumum ex rerum earum quæ vruntur, ſalſugine remitti, ſenſu experimentoq́ nouimus, & naturæ contemplatione didicimus. Eſt au-*
Salis natura. *tem in rerum corporibus firmiſſima portio Sal, quæ conſiſtentiam præbet, ac*
Ignis natura. *durationem adiuuat. Hanc ignis liquefaciens, primùm ſoluit & pellit, vt ipſe reliquam partem, hoc eſt, pinguem ſuccum depaſcatur. qua de re & ratione omni in Magni operis corpore à nobis eſt diſputatum. Vt verò cælum ac terram igne conſumptũ iri ſignificaret ex Deo Vates, eam partem vſurpauit, quæ ſuperſtes relinquenda quidẽ fuerit, tamen ita ſoluta, vt priorem nec rationem, nec nomenclaturam tueatur. Idemq́ de terra præcinuit, quæ exucta & abſumpta pinguedine, ignaua & arida euaſura eſſet, vt veſtimentum longo vſu attritum, & vetuſtate confectum atq́ corruptum. Has itaque naturæ ac mundi partes, quæ & ad ſenſum, & ad tactum veriſſimæ & certiſſimæ probantur, tamen promiſſorum diuinorum veritati comparatas, incertitudinis argutum iri Deus ait. vtpote quas finis ac terminus apud ſe decretus maneat, cùm contrà nullus promiſſæ, & ſuo tempore conferendæ ſalutis & felicitatis compotibus & conſortibus futurus vnquam ſit finis.* Salus autem mea in ſempiternum erit, & iuſtitia mea in ge-
Vita æterna, & eius plura nomina. neratione & generationem. *Hanc æternam ſalutem & iuſtitiam multis nominibus vocant Apoſtoli, vt regnum cælorum, hæreditatem immarceſcibilem & incontaminatam; veſtimenta pura, alba; aurum ignitum & probatum; coronam incorruptam, brauium æternum. Quod verò ad ſalutis il-*
Cælũ & terra in homine. *lius myſterium attinet, ſuum in homine cælũ, ſuaq́ terra definitur. vtrum-*
Regeneratio. *que verò in regeneratione mutandum, & ita conſumendum, vt veteris ac improbi ſucci nihil omnino ſuperſit, vtpote cæleſti igne diſſolutum & abſumptum; reliqua tantùm remanente ſalis antiqui particula, hoc eſt, Adami iampridem à Deo creati ſimplici natura; ea tamen per diuinum refecta*
Pſal. 103. *& perfecta ſpiritum. S.S.E. Auferes ſpiritum eorum, & deficient: & in*
» *puluerem ſuum reuertentur. Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur: & re-*
» *nouabis faciem terræ. Sit gloria Domini in æternum, & in ſeculum ſeculi:*
» *lætabitur Dominus in operibus ſuis. Quam Dei ſuis in operibus lætitiam æternitas temporum, mũdo iam in perpetuum renouato, comitatur. S.S.E.*
Apoc. 21. *Et vidi cælum nouum, & terram nouam. Primum enim cælum, & prima*
» *terra abiit, & mare iam non eſt. Et ego Iohannes vidi ſanctam ciuitatem*
» *Ieruſalem nouam deſcendentem de cælo, à Deo paratam, ſicut ſponſam or-*
» *natam viro ſuo. Et audiui vocem magnam de throno dicentem, Ecce taber-*
» *naculum Dei cum hominibus, & habitabit cũ eis. Et ipſi populus eius erũt:*
» *& ipſe Deus cum eis erit eorum Deus. & abſterget Deus omnem lachry-*
» *mam ab oculis eorum: & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor,*
» *neque dolor erit vltrà, quæ prima abierunt. Et dixit qui ſedebat in throno,*
» *Ecce noua facio omnia. Et dixit mihi, Scribe, quia hæc verba fideliſſima*
» *ſunt & vera. Atque hoc eodem nomine à nobis in hoc myſterium citata in gratiam eorum, quibus Chriſti Ieſu virtus & efficientia vel cognita, vel puris auribus audita & excepta eſt. His enim & nos, & quidquid nobis Deus largitus fuerit, candidè ac ſyncerè deferimus.*

Reliqua

Reliqua autem in hoc ſermone tertia dubitatio adimenda ſupereſt: quam diuturna & grauiſſima diuerſorum ac potentiſſimorum tyrannis dominorum humanis animis ſtruebat. Nam quocunque modo potentiam & vim definiamus humanam: ſiue eam in externis dominis, terrarumq́ principibus & regibus tantùm; ſiue, quod maximum eſt, & maximè ex re, quam agimus, adnotandum, internorum in humano genere tyrannorum ac tyrannidis antiquæ miniſtrorum & poteſtatis tenebrarum vim & opes conſideremus, vel etiam vtroſque miſceamus, vtpote ab eodem ſalo effluentes, corruptionis fluuios; difficillima, atque penè deſperanda videri poſſet ſalutis illa expectatio animis hominum: quibus rerum naturæ ac modi, vel ex proprij ingenij lance, vel ex humanæ ſapientiæ penduntur ponderibus. quorum iudicio cùm nihil bonæ frugis æſtimari poßit, ad diuinum confugere oportet iudicium; vt ſemper verum, purum, & conſtans, atque nulla temporum vel rerum viciſsitudine mutabile. Tertia dubitatio Tyrannidis potentia.

Audite me qui ſcitis iuſtum, populus meus lex mea in corda eorum. Nolite timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum ne metuatis.

Difficillimarum quæſtionum ac dubitationum iudicium nullibi vel certiùs peti, vel expeditiùs reperiri, quàm in lege ſua probè cognita, animóque percepta, Deus ait. vtpote quæ prima & firmiſsima iuſti & æqui elementa doceat, & manifeſta indicet exempla. Namque malorum & iniuriarum vindicem Deum, diuina lex apertè prædicat: atq; veritatis huius exemplis frequentibus confirmat. qualia diluuij, Sodomorum, & Ægyptiorum temporibus ſpectata narrantur. Huius itaque doctrinæ compotes, ac verè ſtudioſos ad propoſiti dubij ſolutionem ex ſe audiendam Deus appellat. Namq; ex cognitione iuſti per legem percepta, id quod e veſtigio promittitur, euenturum expectabitur. Populus meus lex mea in corda eorum. *Duplex in hoc pronunciato ſacræ linguæ familiariſsima figura, perſonarum in verbis mutatio à ſecunda in tertiã eadem re, eodẽ nihilominus modo manente, & relatiui pronominis poſtpoſitio,* populus meus lex mea in corde eorum. *Latiniùs,* in quorum corde lex mea [*conſeruatur.*] *Quod hîc Latinè lex dicitur, commune nomen eſt* THORAH. *quod perfectam & abſolutam doctrinam ſignificat; hoc eſt, hiſtoriis, præceptis, atq; exemplis conſtantem. Hos itaque ſic delectos, & in hunc morem inſtructos auditores conſolatur Deus, hortaturq́ ad inſolentem humanæ ſuperbiæ atq; potentiæ iactationem contemnendam, vtpote quam diuina* IESV *Chriſti virtus & efficacitas turbatura, confectura, ac demum deletura ſit.* Lex difficiliũ dubiorum iudex. Deus iniuriarum vindex. THORAH. Chriſtus vincit mundũ.

Nolite timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum ne metuatis. *Opprobrium & blaſphemia hoc differunt, quòd prius homini miſero & afflicto obiiciatur, poſterius ad irriſionem procedat. vt, Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo reædificas illud. hoc eſt opprobrium, illud verò* GIDVPHAH, *Salua temetipſum. quod hoc loco ad blaſphemiam refertur. Nam* HARAPH *exprobrare Latinè reddere poſſumus;* GADAPH *verò, irridere & contemnere. Vtrumque verbum à Pſalte* Opprobriũ. Blaſphemia. GIDVPHAH. HARAPH. GADAPH.

 vſur-

Pſal. 45. Iſrae'itæ Gẽtibus deſpectui & irriſioni. In oratione de prouinciis conſularibus Pſal.

vſurpatum eſt: A facie exprobrantium & obloquentium. Atqui Iſraelitis cæteræ gentes miſeriam, ignobilitatẽ, & calamitates exprobrare ſolent: id quod Cicero irridens aliquando fecit, Iudæos gentem ad ſeruiendum natam *dicens. Eadem quoque expectatum illis Chriſtum vel venturũ negabant, vel alium à vero & legitimo fore interpretabantur. Cuius rei imaginem in ſe atque Saule expreſſam, Dauid quondam agnoſcens, aiebat: Memor eſto opprobrij ſerui tui Domine, quod exprobrauerunt commutationem Chriſti tui. Ad eundem verò modum ingentem illam internorum dominorum, hoc eſt, mortis, peccati, & inferni vim, & vitiorum potentiam humanæ imbecillitati & humilitati ſapientia carnis obiiciens, perpetuam captiuitatem, & æternum exprobrat ſeruitium, vnde nullam ſperari debere contendit exemptionem. Hæc verò opprobria atq; blaſphemias iſtas, vt vanas & futiles, à ſuis auditoribus contemptas Deus vult; illud conficiendũ pollicitus, quod olim per Moſen Iſraelitis prædicebat: Ægyptios, quos videtis hodie, cras non videbitis. Ad eamq; ſignificandam, vel potiùs exprimendam ac repræſentandam rem, appoſitiſsima ſimilitudine vtitur ingentis veſtimẽti, quod à tinea, exiguo vermiculo exeſum conficitur, idq; etiam exitij in lana deprehendi ſolet.*

Humana imbecillitas à ſapientia carnis irriſa. Ægyptiorũ, id eſt, peccatorum abolitio. Exodi.

Sicut enim veſtimentum, ſic comedet eos vermis: & ſicut lanam, ſic deuorabit eos tinea.

Duo in vermiculorum natura minimæ & in ſpeciem poſtremæ formæ ſunt, quæ ferè immobilia, & ſenſu carentia apparent: quæ tamen vel contextam veſtem, vel rudem adhuc lanam ita conficiunt, vt prorſus nullius reddant vſus. Illud GHAS, *hoc* ZZAM *in ſacra lingua dicitur: pro quibus Latinus interpres* vermem *generale nomen, &* tineam *ſpeciale reddidit. alterum Hiſpani* polilla, *alterum verò* traça *vocant. Ita verò potentiam & vim omnẽ, qua humana oppreſſa laborabat natura, Euangelij, hoc eſt, Chriſti efficientia & virtute confectum iri, declarat per Vatem Deus. id quod aliàs aliter, eadem tamen ſententia, comminatum Dei verbum pronunciabat: Ero mors tua, ô mors, & morſus tuus, ô inferne. Hunc verò arcanum vermem magnas olim veſtium telas, & vitiatam fuco lanam confecturum, ita diuinum ſignificabat verbum de ſe ipſo locutum. Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis. Atque iſtiuſmodi vel potentiſsimorum Iaghacobi à Deo ſuſcepti cùm patentis tum arcani inimicorum fore exitum, Deus prænunciat. Ipſius verò Iaghacobi liberati, & ad Iſraelis traducti amplitudinem, perpetuam, ſtabilem, atque æternam euaſuram ſubiungit ſortem.*

GHAS. ZZAM. Vermis. Tinea. Chriſti virtus. Pſal.

Salus autem mea in ſempiternum erit, & iuſtitia mea in generatione & generationem.

Iudicium mundi ac prœlia Dñi.

Complura quidem diuinæ virtutis in hominum iudicium ab orbe condito ſpectata olim fuere exempla, compluraq; in terris relicta monumẽta, quæ Dei ſapientiam, virtutem, & prouidentiam declararent; verùm ea omnia publicæ & maximæ ſalutis præludia ac velitationes potiùs, quàm extrema Dei prœlia, dicenda, & indicia virtutis diuinæ, non ipſa præcipua exempla appel-

appellanda. Quæ omnia, tametſi maxima, ac ſummè admiranda; tamen, ſi cum hac, de qua agitur expeditione cõferantur, exigua, & veluti rudimenta cenſeri poſsint. Quamobrem ad præſtantiſsimam illam victoriam & ſalutem, cuius adornandæ cauſa cætera omnia præmiſſa & confecta fuerant, diuina appellatur excitaturq́; virtus.

Conſurge, conſurge, induere fortitudinem brachium Domini, conſurge ſicut in diebus antiquis, in generationibus ſeculorum.

EANDEM *ferme attentionis parandæ formulam tertiùm à Deo repetitam obſeruabamus, dum triplex eximeretur ex humanis animis dubitatio. In qua oratione atq; expoſitione diuini brachij, hoc eſt, diuinæ virtutis, & ad vtrumque ſeruandum populum, efficacitatis mentio facta eſt, Me inſulæ expectabunt, & brachium meum ſuſtinebunt. Hanc itaque virtutem à Deo edoctus, ac doctrinæ illius, quæ lex dicitur, peritus Vates, ter etiam in hoc eodem appellat ſermone, eandemq́; ad antiquorum geſtorum & exemplorum expediendas cauſas precatus implorat.* Conſurge, conſurge. *Tranſlatum verbum ab excitatione fortiſsimorum virorum, qui aliquando dormire viſi, ad inſtantis periculi depulſionem; atque ad ſuorum vindicandam vicem, tutelamq́; repetendam & ſtabiliendam excitantur. Verbum* GHVRI, GHVRI, excitare, excitare, *reddi poteſt,* ſicut in diebus antiquis. *Antiqua apud patres edita exempla citat, quæ longè maiore, & magis communi ac publica cauſa ad renouandum poſtulat. quale illud fuit Abrahami ſingularis antea viri ad frequentiſsimam ſobolem amplificati.* in generationibus ſeculorum. *quas multas, & frequentes ab ea tempeſtate, qua Vates hic agebat, ad Abrahamum vſque præceſsiſſe, notum erat: idq́; ſignum fuerat multarum olim gentium in Abrahamicæ benedictionis communionem conſcribendarum. ad quod opus brachium Dei repetito excitatur verbo. Præterea etiam ad tertium illud conficiendi ac perdendi inimicorum ac dominorum potentiam; cuius efficacitatis veritatem, conſtantiam, & præſtantiam complurìbus quondam exemplis ac modis in omni rerum naturæ, parte, ac loco ſpectatis aſſeueret.*

Nunquid non tu percuſſiſti ſuperbum? vulneraſti draconem?

IN *diuinis ex vnico exemplo (nedum ex multis) ad perpetuam virtutem, & æternam veritatem rectè collecta valet ratio. Quare hîc diuini brachij, hoc eſt, verbi Dei virtus iam ſpectata compellatur, & ex confeſsione celebratiſsimæ aduerſus Ægyptios victoriæ, & earum rerum, quæ victoriam illam conſecutæ ornauerunt, ad maiora edenda, votiua ſupplicantis intenditur oratio. Eſt autem tota apoſtrophe ad brachium Domini; à quo Ægyptus, ſuperbum hominum genus peſſundata, illiusq́; rex Pharao, qui* draconis *nomine ſignificatur, confractus fuit. Nilus enim amnis anguſtiorem quondam Ægypti agrum Delta aliquando dictum, ad ſuperbiam vſque inundationibus dilatauit; vnde aquarum & fluuij filia Ægyptus audiebat. Cuius tyrannus* THANIM *etiam, id eſt, draco, & cete poëticè dicitur. Fitq́; alluſio ad Thanim vrbem, Pharaonum quondam regiam & metropolim. vt illud, Qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in campo Thaneos. Cuius etiam*

Argumentũ ab exemplo in diuinis.

Pharao draco.

Nilus.

Delta.

Ægyptus.

Thanis.

Pſal.

Pſal. *etiam ſignificationis illud eſt: Tu confirmaſti in virtute tua mare, contribulaſti capita draconum in aquis. Tu cõfregiſti capita draconis, dediſti eum eſcam populis Æthiopum. Tu dirupiſti fontes & torrentes, tu ſiccaſti fluuios Ethan. Vſus autẽ eſt Vates verbo* vulneraſti, *propter tam multas plagas per totum annum Pharaoni atque Ægyptiis, vſque ad internitionem inflictas. quibus etiam cetera Iſraelitarum ſalutis & libertatis cauſa edita connectuntur miracula.*

Nunquid non tu ſiccaſti mare, aquam abyſſi vehementis? qui poſuiſti profundum maris in viam, vt tranſirent liberati?

Id quod aliàs aliter fieri poterat, hoc eſt, vt Iſraelitæ ex Ægypto migrantes, Chananæam regionem recta peterent via; tamen magnis miraculis & portentis amplificatum Deus voluit, cum certiſſima arcanæ ſalutis imagine ac ſignificatione, maris Oceani parte ſiccata, & ad viæ commoditatẽ comparata, ac veluti inſtrata. Appellatur autẽ in ſacra lingua Oceanus THEHHON RABBAH, *pro quo Latini vertere ſolẽt,* Abyſſus magna, *vel* abyſſus multa, *vel* vehemens abyſſus. *Namque Erythræum ſiue rubrum mare, qui & ſinus Arabicus dicitur, Meridionalis Occeani pars eſt notiſſima & complurium auctorum celebrata monumentis.* vt tranſirent liberati? *ſiccis pedibus, propter duratum repentè ſolum ad tranſeuntium commoditatem. S. S. E. Filij autem Iſrael tranſierunt per ſiccum in medio maris. Igitur ex minori re, & rei narratione, quamquam natura ſua maximi & admirandi exempli, maioris & ſublimioris beneficij, quod aliorum omnium cauſa fuerat, fides, ſpes, & expectatio confirmatur.*

Oceanus. THEHHON. RABBAH. Abyſſus magna. Erythreum mare.

Exodi 15.

Et nunc, qui redempti ſunt à Domino, reuertentur, & venient in Sion laudantes, & lætitia ſempiterna ſuper capita eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt, fugiet dolor & gemitus.

Collectionis vim oratio hæc obtinet ex antecedente figura. id quod ſignificatum eſt inducentis, cum exceptione tamen, eaq; inſigni. Namq; Iſraelitas quondam ex Ægygto per multa miracula & portenta liberatos, in deſertis tamen locis mortuos & conſumptos nouimus; eos præcipuè omnes, qui viceſimum ætatis annum exceſſerant, cùm exirent: quæ tempora non ſine dolore, luctu, & lamentis peracta ſunt, nouis & frequentibus ſubinde funeribus ducendis: quando nulla priuata domus fuit, quin deſideratos lugeret parentes, præter Calebi & Ioſue familias: ſed & Aharonem, & Moſen extinctos, publicis fuiſſe in cauſa luctibus legimus. Id quod in hac altera, quam Vates prædicit, ſalute minimè fuerit metuendum. Quippe venient in Sion laudantes, & lætitia ſempiterna ſuper capita eorũ, &c. *Quod Chriſti virtute factum, Ioannes in Apocalypſi teſtatur: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cũ eis. Et ipſi populus eius erũt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus. Et abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum; & mors vltrà non erit. neque luctus, neque clamor, neque dolor vltrà, quæ prima abierunt. Hæc itaque collectio à Vate inducta, argumentationis pariter atque voti rationem init. qualis illa omnis Habbakuki oratio eſt: Domine audiui auditionem tuam, & timui, & c. In illa enim*

Redẽptionis ſpiritualis ad Aegyptiacã præſtantia.

Apoc. 21.

Habac.

[illegible] in hac publica ac perpetua ſalute [illegible] totum. Quæ quidem [illegible] Deum ipſe expendit.

Ego, ego ipſe conſolabor vos: Quis tu, vt timeres ab homine mortali, & à filio hominis, qui quaſi fœnum ita areſcet?

Piorum recta & vere ſalutaria vota, ea precatio, qua ſalute publica [illegible] ſanctius [illegible] ventur, & exaudita à Deo, & certo firmoque [illegible], declaratur oraculo. Dixerat enim Vates, Conſurge, conſurge, brachium Domini, atque affectum vehementiorem ſui repetitione [illegible] oſtenderat; nunc reſponſum audit, quo Deum nec ſurdum eſſe, nec dormire, [illegible] intelligit repetito ad loquentis Dei pronomine, Ego, ego, & adiuncto HV, id eſt, ipſe, cuius arcanam ſignificationẽ iam antea indicauimus. conſolabor vos. MENAHHEM CHEM, conſolator veſter. Conſolationis [illegible] [illegible], voluntatem, & munus vni ſibi, vtpote auctore [illegible] adſcribit, [illegible] que præſtandam recipit. Et quidem Aegyptiaca ſalus eſt à multis partibus, iiſdemq́; conſtiterat admirandis: verũ aliis vt magno diſcrimine præſtantibus, ita diuerſo incrementi vocabulo commendatis. Namq; miracula primùm ipſa in Aegypto ad exitum vſque Iſraelitarum facta, magna quidem fuere, & quæ nulla alia vel virtus, vel ſapientia potuit imitari. Verùm eadem, ſi cum aliis conferantur, exigua dicenda: vt quæ à fortiſſimo non [illegible] totis viribus incumbente, ſed digitum tantum admouente, edantur. [illegible] Et dixerunt malefici ad Pharaonem: Digitus Dei eſt hic. Iam vero miraculum illud, quod rubro mari diffindendo & exſiccando editũ fuit, [illegible] maius, ita maiori nomine manus definitum fuit. [illegible] Et viderunt Iſrael Aegyptios mortuos, & manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos. Totum autẽ liberationis ac ſalutis illius opus ad brachij diuini [illegible] & efficientiam auctoritatemq́; relatum fuit. Irruat ſuper eos formido & pauor in magnitudine brachij tui. Verùm enimuero ſalutem iſtam alteram de qua ſermo inſtitutus eſt, longè maximã & præſtantiſſimam fore Deus ipſe declarabat; vtpote quam non digito, aut manui, aut brachio ſuo, ſed ſibi ipſi toti adſcribebat, & efficiendam ſuſcipiebat, ſicut aliàs ſcriptũ eſt, Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos. Ipſe, inquam, quia hoc promiſſæ ſalutis ratio diuino conſilio decreta poſtulat. quod in altera illa ſalute expedienda & perficienda etiam poſtulanti Moſi non eſt conceſſum: ſed illud tantùm datũ: Tu vade, & duc populum iſtum, quò locutus ſum tibi; & Angelus meus præcedet te. In hac verò ſalute Deus non Angelum quempiam præceſſorẽ, ſed ſeipſum conſolatorem pollicetur. In illa expeditione dictum: Ego autem in die vltionis viſitabo & hoc peccatum eorum. Percuſſitq́; Dominus populum pro reatu vituli quem fecerat Aharon. In hac verò liberationis beneficio promiſſum, Ego, ego ipſe conſolabor vos: illa videlicet conſolatione quam verbum idem Dei pollicitus indicauit: Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. &, Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, qui maneat vobiſcum in æternũ: Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere; quia non videt eum, nec ſcit eum, vos autem cognoſcetis eũ; quia apud vos manebit, & in vobis erit. Cuius conſolationis [illegible]

Conſolatio Dei.

Aegyptiaca ſalus.

[illegible]

[illegible]

Brachium.

Exodi 15.

Salutis publicæ præſtantia.

Exodi 32.

Conſolatio Spiritus ſancti.

Mat. 5.

Ioan. 14.

2.Theſſ.2. *ex compotibus idemq́; teſtis an, Ipſe autem Dominus noſter Ieſus Chri-*
» *ſtus, & Deus & Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æter-*
» *nam, & ſpem bonam in gratia. Quod quidem teſtimoniũ iiſdem penè ver-*
bis ab hoc oraculo mutuatum apparet. Ego, ego ipſe conſolator veſter,
ſiue, conſolabor vos. *Abſolutam itaque & perfectam conſolationem ſi-*
gnificat per Vatem Deus: cuius non per Angelum, aut alium miniſtrum,
vel terreſtrem, vel cæleſtem, ſed per ipſum exhibendæ & præſtandæ, aucto-
rem ſeſe promittit, ac declarat. Ideoq́; nihil omnino vel ambiguitatis, vel
Pſal. *metus aut ſuſpicionis animis piorum ſecum admiſſuræ. S. S. E. Dominus*
» *mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Ideoq́; reprehenditur hu-*
manum iudicium timoris ac metus perperam ac præposterè definita, cùm
nulla ſit, aut eſſe poſsit tanta inimicorum ſiue manifeſtorũ, ſiue occultorum
vis, quam diuina virtus exiguo temporis momento, ac ne momento quidem
indigens peſſundare, perdere, & abolere non poſsit; idq́; facturũ in ſeſe re-
Rom.8. *ceperit Deus. Quòd ſi Deus pro nobis, quis cõtra nos? ait Apoſtolus. Quis*
Enos. es tu qui timeres ab homine mortali, *externo illo homine* ENOS *ſa-*
2.Theſſ. *cris vocato ſermonibus. Quiq́; ſedet in templo Dei, oſtendens ſe tanquam*
» *ſit Deus, mortalis tamen eſt; quia vetus homo corrumpitur cum actibus &*
concupiſcentiis ſuis. & à filio ADAM, *hominis illius exterioris, qui tan-*
quam fœnum velociter areſcet; nempe diuini ſolis efficientia exſiccatus &
arefactus. Enthuſiaſtica reprehenſio inducta per vaticiniũ animi ſe ipſos
Heb. *lamentati propter ſeruitutem illam in Adamo contractam: quam pelli non*
» *poſſe verebantur ij, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſerui-*
tuti: cùm tamen nec illud malum adeò neceſſarium fuerit, vt penitus pelli
poſſe deſperetur. Nam tametſi propter peccatum illud primi Adami in mi-
nes illius naturaliter prognatos regnare & vigere permiſſum: nihilomi-
nus non ita metuendum tanquam neceſſarium, vti dicimus, verùm potius
Vnus Deus metuendus *vnus metuendus Deus, qui & malum & bellum permittere ob culpam ſo-*
let; & idem bonum, ac beneficium, ac pacem afferre propter ſuam porrò
affert miſericordiam. Quamobrem hunc ſolum ſacra oracula metuendum
Thren.3. *docent. Nam quis iſte qui dixit, vt fieret Domino non iubente? quis etiam*
» *dixit, Ex ore Altiſsimi non egredientur nec mala, nec bona? Quid mur-*
» *murabit homo viuens, vir pro peccatis ſuis? Scrutemur vias noſtras, &*
» *quæramus, & reuertamur ad Dominum: Leuemus corda noſtra cum ma-*
Prou.16. *nibus ad Dominum in cælos. Quandoquidem, In voluntate Domini via*
» *viri. Inimicos quoque eius conuertet ad pacem, ſiue, pacificauit cum illo.*
Hanc de diuina virtute & voluntate fidem ac doctrinam, vt pro ſua vo-
lem, hoc loco repetens Vates indicat, & iis, quos ſeruandos antè videbat, in-
culcat, veritatis agnitione veriſsimam conſeſſuris.

Et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cælos, & fundauit terram: & formidaſti iugiter tota die à facie furoris eius, qui te tribulabat & parauerat ad perdendum. Vbi nunc eſt furor tri-
Deus ſolus vindex. bulantis? VIRTVTEM *efficaciamq́; omnem ad* [illegible] *impium & iniurioſum inimicorum genus, tam apparentium quàm occul-*
torum.

torum, & ad liberandos pios, qui Deo illa adſcribit commemoratio. Qui tetendit cælos & fundauit terram. *Exprobratq; homini aduerſariorum inſolentem metũ; quem potiùs fide & ſpe, atq; obſequio & pietate in Deum oportuit mutari. Id quod iam liberato manifeſtum, & in confeſſo futurum promittit.* Qui te parauerat ad perdendum. *Pertinet hic genus huma-ni.* Vbi nunc eſt furor tribulantis? *Hoc ad id tempus referendum, cùm etiam illud verè dictum, Vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum eſt; virtus vero peccati lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Quem Chriſtum breuiſſimo tempore libertatis ac ſalutis negotium expediturum, ſignificat Vates.* Victoria de peccato. 1. Cor. 15.

Citò veniet gradiens ad aperiendum, & non interficiet vſque ad internitionem, nec deficiet panis eius.

Duo ſumma & maxima diuina beneficia Iſraelitis quondam in figura contigerant: alterum liberatio illa ab Aegyptiaca ſeruitute, quæ tunc accelerata & maturata fuit, cùm maximè & opportuniſſimè expectabatur; hoc eſt, cùm, decreto iam facto, de interitu, vel extremè calamitoſa ſeruitio illorum. Alterum verò fuit ſingularis & perpetua ſuppeditandi cæleſtis panis prouidentia totis quadraginta annis, quibus peregrinatio ad patriam durauit. S. S. E. Et recordaberis cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus quadraginta annis per deſertũ; vt affligeret te atque tentaret, & nota fierent quæ in tuo animo verſabantur, vtrum cuſtodires illius mandata, an non. Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu, & patres tui, vt oſtenderet tibi, quòd non in ſolo pane viuat homo, ſed in omni verbo quod egreditur de ore Domini. Hæc duo verè narrata beneficia; tamen figuram eorum, quæ diuinam ſpectant ſalutem, & fuiſſe, & habenda eſſe, declarat hoc in ſermone Deus: Fore vt publicus hoſtis humanum genus non interficiat vſque ad internitionem, *vtpote maturè ac tempeſtiuè liberandum; neque panis ille* quotidianus, *ſiue* poſt præſens *toto huius vitæ curriculo deficiat. Id quod tum ex virtutis, tum etiam ex iudicij, voluntatis, & ſingularis prouidentiæ Dei rationibus docetur: cuius iudicio factum eſt, vt turbato & rupto rubro mari, inimici perirent Aegyptij, & Iſraelitæ incolumes euaderent. Id quod admiranda illa exodo, quam Ieſus Ieroſolymis completurus venit, effectum & abſolutum fuit.*

Duo maxima beneficia in figura. Deut. 8. Eadem in ſpiritu. Vtraque, ſiue exodus, completa in Ieruſalem.

Ego Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, & intumeſcunt fluctus eius. Dominus exercituum nomen meum.

HVNC *locum plenè ac planè in magni operis Anima tractauimus: quem hic indicare ſat fuerit. Nominis verò* Domini exercituum *appellatio efficacitatem, & præſentiſſimam ad omnia facultatem ſignificat; vt aliàs non obſcurè, ſed in ſacro Apparatu, & in Magni operis corpore luculenter oſtendimus. Hæc verò promiſſa, quoniam præſtare & efficere valens propoſuit; frequenti commemoratione celebranda Vatum officio ac miniſterio dicta, hominibus dictata commemorat Deus.* Lib. 7. Lib. Ioſeph, Lib. 1. de rerum natura.

 Poſui

Poſui verba mea in ore tuo, & in vmbra manus meæ protexi te, vt plantes cælos, & fundes terram: & dicas ad Sion, Populus meus es tu.

Siue Vatem Iſaiam, ſiue Chriſtum, ſiue ipſum qui redimendus eſt populum, illud compellet pronomen in ore tuo; *perinde apertam reddit ſententiam. Verùm ſequaciori ductu ad populũ relata fluit oratio, dummodo verba*, plantes & fundes, *infinitiue explicentur modo; quo & in exemplari pronunciata leguntur. Ipſe (inquit auctor Deus)* poſui verba mea in ore tuo, & *conſeruaui te* vmbra manus meæ, *interim dum rem perficio; verborum autem ſummum argumentum fuerit*, plantare cælos [*nouos in humanæ naturæ regeneratione*] & fundare [*ſtabiliendo*] terram [*nouam*] *nouos fructus benigniùs & vberiùs prolaturam. quod & apud hunc Vatem declaratum, & in Apocalypſi præſtitum conſtat. Ecce enim ego creo cælos nouos, & terram nouam: & non erunt in memoria priora, nõ aſcendent ſuper cor. Atque huius tranſlationis ſignificationem eueſtigio indicatam volens, adiunxit*, & dicere ad Sion, populus meus es tu. *Quod dictum tituli perpetui nomen habiturum ſignificatur. Nam ſi hactenus Sion antiqua illa terreſtris propter vetuſtatem & aſſiduam degenerationem reiecta fuerat, nũc deinceps cum cælis ac terra in melius mutata nomen perpetuum non amittet, quod iam dicto & pronunciato Dei fuerit confirmatum. Itaque beneficij diuini ratio & ſeries illa eſt: Cæli priùs noui plãtandi, terra noſtra benedictionibus Dei augenda & ſtabilienda: ex hoc verò conſequetur ille ſummè optandus titulus*, POPVLVS MEVS ES TV. *Commodè autem promiſſionem hanc diuinam exornauit & auxit populi ad expectationem excitatio & animatio.*

Cæli noui, & terra noua intra hominem.

Inf. 65.

Populus Dei.

Eleuare, eleuare, conſurge Ieruſalem, quæ bibiſti de manu Domini calicem iræ eius: vſque ad fundum calicis ſoporis bibiſti, & potaſti vſque ad feces.

Caſu nihil euenit.

Nihil vnquam humano generi ex caſu aut fortuna creatum eueniſſe, diuina intelleximus doctrina, imò omnia ad certas cauſas referenda, tum ſecunda, tum aduerſa: illa quidem ad bonitatem benignitatemq́; Dei; hæc verò ad iudicium ipſorum hominum vitiis & ſceleribus in ſe prouocatum & ſolicitatum. Atq; ita certæ & conſtantis prouidentiæ rationibus omnia fieri, euenire, & geri cognoſcet quiſquis rebus ac temporibus obſeruandis & conferendis animum aduerterit. Ad quam animaduerſionem & cogitationem Ieroſolyma, quæ humanæ gentis perſonam ſuſtinet, appellatur & excitatur, verbis reciprocis appellata. HITHGHORERI HITHGHORERI, eleuare, eleuare, *ſiue*, excita te, excita te, conſurge. *Qui propter ignauiam & ſocordiam rerum rationibus cognoſcendis non intendunt animum, lethargico ſomno oppreſſis videntur perſimiles: quamobrem acutioribus & vehementioribus velut obiurgati excitantur verbis primùm ſomnum excutere; deinde ſtare, & corporis habitu attentiùs & ſtudioſiùs rem perpendere ac exiſtimare iubentur. Namque miſeriarum oppreſſa & turbata ſenſu, ac gemitibus & queſtibus vacans, non adeò ad cognoſcendas laboris pro-*

prij

prij cauſas mentem animumq́ attendebat. Monetur autem diuina lege lectioni & auditioni auſcultare, in qua planè reperiet verum, ac ſi omnibus iis maledictis & minis, quæ ſcripta fuerant, obnoxiam & obligatam agnoſcet: idq́ non caſu, vel temerè, ſed ex diuini iudicij decreto & euentu omnia perpeſſam, quæcunque violati iuris, atque honeſti proditi cauſa ſibi ferenda ſtatuta fuerant. quia bibiſti de manu Domini calicem iræ eius. *Calicis nomen certo conſilio conſtitutum ac deſtinatum euentum ſignificat, ſiue in ſecundum, ſiue in aduerſum res euadat exitum; ita calicem ſalutaris legimus de diuinis donis & muneribus dictum, rurſusq́ de pœnis, animaduerſionibus, & caſtigatione. Hunc humiliat, & hūc exaltat: quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto. Et inclinauit ex hoc in hoc: veruntamen fex eius non eſt exinanita, bibent omnes peccatores terræ.* Calicē iræ eius. CHVZZ HHAMATHO, calicem caloris eius. *Non frigidum, ſed calidum calicem propinatum ait, cuius potus propter caloris vim interna corporis membra citiùs peruaderet & afficeret. Namq́ ira Dei propter effectum verbis, calorem ſignificantibus, deſcribitur.* vſque ad fundum calicem ſoporis bibiſti. *Vt nullum vitium hominibus non admiſſum, ita nullum caſtigationis genus non illatum ſignificat.* ſoporis. THARCHELAH, *turbationis & nauſeæ, atq́ inquietudinis, quales graui morbo ægrotis propinantur, & quales etiā damnatis morteq́ mulctandis præbebantur olim. Alias Latinus interpres apud Pſalten* calicem compunctionis *interpretatur.* & bibiſti vſque ad feces. *Omnino exhaurire coactus, propter improbitatem & commerita. Quid enim non calamitatis & ærumnarū Ieroſolymitani in illa Babylonienſi captiuitate ſenſerunt? quid in ea conditione, quam poſt Titi victoriam ſubiere, non tulerunt, & perferunt? Sed quid non humanum genus peccati oppreſſum tyrannide malorum & miſeriarum ac laboris exantlauit? A quibus neque hoc, neque illi cuiuſpiam hominis mortalis virtute non ſolùm non liberati, ſed nec idonea conſolatione affecti ſunt.*

Calix.

Calix ſalutaris.

Pſal.

Calix ſoporis

Calix compunctionis.

Non eſt qui ſuſtentet eam ex omnibus filiis quos genuit: & nō eſt qui apprehendat manum eius ex omnibus filiis quos enutriuit.

Nullius hominis tantum fuiſſe meritum, vt ob eam rem remedium laboranti afferretur; nullius tantā fuiſſe caritatem, vt in tātis miſeriis iacenti, daretur leuamen, hoc verè affirmat Vates; vt ad Ieſu Chriſti apud Patrem gratiam, & erga homines caritatem prouocet, & appellet. Namq́ hic ſolus totius gentis pondus & laborem ſuſcepit, & ſolus pro omnibus litauit, ſolus & mortuos ab inferis reuocauit, ſolus Ieroſolymam atque humanum protexit genus.

Duo ſunt quæ occurrerunt tibi: quis contriſtabitur ſuper te? vaſtitas, & contritio, & fames, & gladius, quis conſolabitur te?

Calamitatum & miſeriarum indicatam ſummam in bina genera partitus exponit, eadem quatuor declarat formis: quibus nullum per homines remedium, nullum ſolamen eſt adhibitum; ac ne adhiberi quidem, niſi per ſolum Dei verbum potuit. Primum genus vaſtitas fuit, hoc eſt, rerum ad

Iſraeliticæ, ſiue humanæ miſeriæ.

vitam opportunarum direptio & exſpoliatio. Secundum, contritio, *deſpectio, contemptio, atque oppreſſio. S. S. E. Mulieres in Sion humiliauerũt*

Thren. 5. " *virgines in Ieruſalem: Principes manu ſuſpenſi ſunt: facies ſenum non* " *erubuerunt: adoleſcentibus impudicè abuſi ſunt: & pueri in ligno corruerunt. Hanc Ieremias populi ſui* contritionem *vocat. quæ tamen nullius mortalis commiſeratione excepta ſunt, vel propter facultatis inopiam, vel propter crudelitatis inſolentiam. Duo etiam alia ſubiiciuntur grauiora: quæ non opes ac decus tantùm tangunt, ſed animam etiam & vitam peſſundant, & perdunt,* fames & gladius. *Duo illa ad vnum referuntur, hoc eſt, ad externum commodum vel incommodum. duo hæc altera vnam etiã tangunt animam & vitam. Quare & bina ſunt, & quatuor numerantur. Hoc autem poſterius membrum apertiùs exponitur.*

Filij tui proiecti ſunt, dormierunt in capite omnium viarum, ſicuti oryx illaqueatus: pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui.

Eos, qui fame perierant, proiectos fuiſſe ait, atque inſepultos relictos: quod genus inter non minimas cenſetur miſerias: deinde eos, qui bello & gladio petiti fuerant, fugientes tamen, ferarum ritu inſidiis petitos, & ad viarum compita extrema captos, ac trucidatos, tanquam oryces in retia impulſos. Quæ quidem omnia mala & incommoda, manifeſtam Domini declarabant in illos animaduerſionem. Hanc autem miſeram conditionem ex merito ſubitam & perlatam, ac demum triſti ſenſu cognitã, diuino tandem beneficio mutatam in felicem rerum ſtatum tranſlatum iri, conſolando pollicetur Deus. Quoniam, inquit, nec tu miſeriam iſtam tua virtute exſpuere vales: nec mortalem quemquam reperire potes, cuius conſilio, ope, aut opera, ad tuam ſalutem nitaris.

Idcirco audi hoc paupercula, & ebria non à vino.

Infirmitudinem, viriumq́; defectum prius ſignificat epithetum, poſterius verò, ebria non à vino, *conſilij inopiam. quæ duo opportuniſſima ſunt miſericordiæ diuinæ exercẽdæ materia; quam certis nominatis titulis præſtiturum ſeſe Deus inſinuat, ac promittit.*

Hæc dicit dominator tuus Dominus, & Deus tuus, qui pugnauit pro populo ſuo, Ecce tuli de manu tua calicem ſoporis, fundum calicis indignationis meæ, non adiicies vt bibas illum vltrà.

Chriſti Domini redemptio.

Quo tempore populus vitiis & peccatis obnoxius, caſtigationis pœnas luit, ſub immanibus dominis eſt; non quod bonum velit, hoc agens, verum quod odit malũ, illud faciens; donec fortiſſimus ille redemptor tantis quondam ſignis declaratus accedat. qui, quod antea pro Iſraelitico populo, terra atque mari pugnauit; rurſus verè atque longè digniùs & magnificentiùs præſtet: atque ita populum à ſe liberatum, & ſuum deinceps vltrà voluit, & ſeſe Dominum *ac* Dominatorem *appellari velit: Dominum vtpote redemptorem & liberatorem, qui de poteſtate tenebrarum ereptos, in gloriam & claritatem regni ſui transferat: Dominatorem verò, qui voluntatem ſuam præſtare illos iubeat; nec vltrà degeneraturos, nec à ſe de cætero deſe-*

deferēdos. Hunc bonum nuncium ab illis iam tum auditum, fide exceptum, atq; ſpe [illegible] *quòd velit, audire iubet,* audi paupercula, & ebria non à vino, [illegible] *&* [illegible] *ſenio,* [illegible] *ac turbata.* [illegible] *hoc eſt,* [illegible] *Filio ſuo in terras miſſo in ſimilitudinem carnis peccati, qui de peccato, peccatum in carne ſit damnaturus, & extincturus.*

Et ponam illum in manu eorum qui te humiliauerunt, & dixerūt animæ tuæ, Incuruare, vt tranſeamus: & poſuiſti in terram corpus tuum, & quaſi viam tranſeuntibus.

Extremæ potentiæ, atque ingenii [illegible] *ſuperbiq; factum decretum eſt, ſubiectos in terra procumbere &* [illegible] *iuſſos, calcare, proſſundare, ac proterere.* [illegible] *tamen à victoribus aliquando* [illegible] *narratur. Idem contra extremam ſeruitutis conditionem in ſubiugatis & victis ipſis arguit. Ad quem morem illud pertinet, Coram illo procident Aethiopes, & inimici eius terram lingent. & illud, Et comminuam eos vt puluerem ante faciem venti, vt lutum platearum delebo eos. Ita populi Dei hoſtes & inimicos* [illegible] *, conculcandos, & vt lutum platearum delendos, in ſe Deus recepit. quod & per Filium ſuum effectum in ſanctis ſuis* [illegible] *Nam, qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis ſuis: qui iam non ſecundùm carnem ambulant, ſed ſecundum ſpiritum.* [illegible] *ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati & mortis,* [illegible] *gratulabundus prædicat.* Via, *locus maximè communis & publicus, & nulli non ad calcandum obnoxius, extremæ ſeruitutis refert imaginem.*

Pſal. 71.
Pſal. 17.
Populi Dei hoſtium per Chriſtum abolitio.
Rom. 8.
Via.

CAPVT LII.

CONSVRGE, conſurge, induere fortitudine tua Sion, induere veſtimentis gloriæ tuæ Ieruſalem ciuitas ſancti: quia non adiiciet vltrà vt pertranſeat per te incircumciſus & immūdus.

REDEMPTIONIS *ac ſalutis promiſſæ veritatem & conſtantiam declaraturus ac firmaturus Deus gentis à ſe appellatæ, veluti iam præſentem deſcribit, atque magna vaticinij & ſermonis auctoritate exornat: iiſdemq; vtitur verbis, quibus antea ſe compellari probauerat.* Conſurge, conſurge, induere fortitudinem brachium Domini. [illegible] *nullum rectè ac verè* [illegible] *&* [illegible] *verbum* [illegible] *pronunciari* [illegible] *& benignum habere Deum:* [illegible] *& paſſiones ſuorum ſibi* [illegible] *vel* [illegible] *quod,* [illegible] *cùm* [illegible] *vllam humanarum rerum partem, vllam fortem & conditionem* [illegible] *ex eo docet, quod* [illegible] *oppreſſi populi, & in terra proſtrati,*

[illegible]

atq;

atque inſolenti ſuperbiaq; inimicorũ libidini patentis deſcripſerat, quam cùm ſatis illuſtri expoſitione prædixiſſet, populum ſuum iam apud ſe præſidentem habitum, præſens alloquitur, & ad futuræ felicitatis contemplationem & ſpem atq; fidem hortatur. Dixerat enim paulo antè, & poſuiſti in terra corpus tuum, & quaſi viam tranſeuntibus. *Quam miſeriam in ſummam felicitatẽ non propriis viribus, non cuiuſpiam mortalis operâ aut ope, ſed ſuo ipſius verbo mutatam, ante oculos deſcribens Deus, experimento, ac reapſe comprobare hortatur.* Conſurge, conſurge, GHVRI, GHVRI, excitare, excitare, Induere fortitudine tua. *Duobus nominibus commendata atque celebres fuerant Sion & Ieroſolyma Davidis ætate ac ſeculo: fortitudinis altero propter regem, qui Domini bella prœliatus, & ſinitimis, atq; ſua patriæ infenſis antea hoſtibus, frena iniecit, & iugum impoſuit. Tunc etiam & Ieroſolyma ipſa, in qua templum erat, ſacrorum ritibus purè ſeruandis & colendis* ſancta *audiebat. id quod in ſacris Regum hiſtoriis, ac Davidicæ domus annalibus apertè & luculenter narratur. Atq; vtriuſque laudis imaginem iam nunc deinceps ad verum & viuum prædicandum, auctor ipſe promittit, & præſens hortatur Deus.* fortitudine tua *quod ad hoſtium infenſiſſimorum proſligationem attinet: quos in Ieruſalema & Sione ſpiritali ſpiritales intelligimus carnem & ſanguinem. In externis verò & viſibilibus principatus & poteſtates, & rectores tenebrarum harum. Quod verò vitæ & morum integritatem & honeſtatem ſpectat,* Induere veſtimentis gloriæ tuæ, Ieruſalem ciuitas Sancti, *Dei ſancti & ipſa ſancta: nam vocabulum* HAKODES, *& ad regem, & ad ipſam referri poteſt ciuitatem. alluditq; ad illud, Sancti eritis mihi, quoniam ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter. Et quidem in omni Ieroſolymorum vrbe nullum vnquam cadauer fuiſſe cõditum aut ſepultum, conſtans traditio & hiſtoria eſt, præterquam in ciuitate Dauid, hoc eſt, Sionis arce: in qua ſecretiore quodam loco ad eam tantùm rem comparato regni heredes narrantur inditi. Ceterùm Ieroſolyma omnis nec vno integro die mortuorum corpora apud ſe manere patiebatur; quin ante ſolis occaſum deferrentur. Ad quem ritum Euangeliſta alludit, cùm ait: Multa corpora ſanctorum, qui dormierant, exierunt de monumentis; & venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. id quod ad illius loci pleniorẽ elucidationem obiter placuit adnotare. Illam itaque vitæ in melius mutationẽ, illam puritatem & morum probitatem* gloriæ *ſiue honoris & amplitudinis* veſtimenta *vocat Vates: quam aliàs ſtolam primam, aliàs albæ veſtimenta dici in ſacro ſermone animaduertimus. Duo autem prophanorum genera ab Ieroſolymis protinus excluſum iri ait,* incircũciſus & immundus. *Circunciſio animi ſimplicitatem & integritatem ſignificat, ab intemperatis affectibus vacuam. S. S. E. Circuncidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui; vt diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, vt poſſis viuere. Munditiès autem membrorum exteriorum morum probitatis, & innocentiæ ſignificationem profitetur. Atque ex his duabus partibus conflatur id, quod Sanctum dicimus. de quo Deus,*

Marginal notes: Ieruſalem fortis & ſancta. — Ieruſalem hoſtes. — Cadauer nullum in Ieruſalem præterquam regum. — Mat. locus. Mat 27. — Stola prima, alba veſtimenta. — Circunciſio. — Deut. 30. — Munditiès. — Sanctum.

Deus, Sancti eritis mihi, quoniam ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter."
Vtramque enim partem præſtare oportuit eos, qui in nouam Ieroſolymam Ieruſalem nouæ ciuiũ ſanctitas.
admittendi eſſent. Neque enim altera ſine altera perfectum definit virum.
Hanc autem ſanctitatem Verbi Dei virtute efficiendam, prædicit Vates.
Namque cordis circunciſionem in ſpiritu, non in litera ſolius Dei opus eſſe,
Apoſtolus aſſeuerat, Cuius laus, inquit, non ex hominibus, ſed ex Deo eſt. Rom.
Igitur quales ciues habitura eſſet illa ciuitas, hoſpitum etiã delectus declarat. namq; ex oppoſiti negatione alterius oppoſiti colligitur affirmatio.

Excutere de puluere, conſurge, & ſede Ieruſalem: ſolue vincula colli tui captiua filia Sion.

Vti deditorum atque captiuorum habitus & ſitus iacere, & in puluere volutari eſt, ita libertatis contra ſignum erectus ſtatus, & pulueris excuſſio habetur. Priorem illam vicem Ieruſalem, de qua agimus, propter ſuam culpam ſuſtinens delebat quidem, verùm vlciſci & mutare ſuis non poterat viribus, niſi diuina id efficeret miſericordia & virtus, quæ non modò vicem illam vlta eſt, verùm etiam in alteram omnimo oppoſitam permutauit. Id quod tanquam præſens agere, ſentire, & cognoſcere, &, quanquam futurum, tamen ſperare ac poſcere humanum genus à Deo per Vatem iubetur, atq; excitatur. Filiam Sion *Ieruſalem dici, nemo ignorat, eamq; Chri-* Filia Sion.
ſtianam Eccleſiam eſſe, in arcanis accepimus libris, & ita ſentimus. hoc eſt, humanum genus Chriſti redemptum & ſeruatum ſanguine, morte, ac reſurrectione, atq; ex inimico vel inutili ſaltem ſeruo, in gloriam filiorũ Dei tranſlatum. Solue vincula colli tui captiua, *quæ antè captiua fueras. Oratio Verbi Dei eſt, per Vatem pronunciata, Verbi, inquã, Dei, eiuſdemq; libertatis nunciatoris, & auctoris, & promotoris. Captis quadrupedibus vincula collo iniiciuntur, eandemq; conditionem ſubire coguntur ij, qui extremæ captiuitati, & duræ ſeruituti addicti ſunt.*

Quia hæc dicit Dominus, Gratis venundati eſtis, & ſine argento redimemini.

Meminiſſe perpetuò oportet, ita ab Iſaia Vate noua cum veteribus miſceri, vt omnia ad Chriſti IESV *virtutem & efficientiam, tanquam ad certum totius doctrinæ ſacræ ſcopum referenda ſint. Namq; id inter vetera & noua ſcripta, geſta & acta, quod inter imaginem atq; rem intereſt. Docet* Humana ſeruitus & miſeria.
autem hoc loco Deus humanæ miſeriæ & ſeruitutis cauſas, euenta, & modos. quorum illa ſumma eſt, Publicam calamitatem & miſeriam vltrò ab hominibus aſcitam & ſubitam, ſalutem verò & libertatem à nullo, præterquam ab vnico Deo, repertam, allatam, & collatam. Nam publica miſeria ex peccato orta eſt. cuius cauſa humanum genus Deo ſeſe ipſum ſubductum in hoſtium poteſtatem & ſeruitium tradidit. Deberi autem priori domino ſeruum mancipij ac nexi iure reddi, vtpote cui gratis, & ſine vllo pretio ademptum conſtet. Nihil enim Deo conditori, auctori, atq; poſſeſſori datum ab hoſte fuit pro capto, & in ſuam ſeruitutem traducto humano ge- Redemptionis ratio.
nere. Quare nec quicquam argenti, aut pecuniæ, vel eiuſmodi pretij à priori domino pro redimendo, & poſtliminio reducendo deberi. Tamen redi-

mendum eſſe captiuum, diuino conſilio decretum eſt, quem, cùm vltrò, qui poßidet princeps, reddere nolit propter ingenij ſui contumaciam, cōſequens eſt, vi & prælio atque victoria repetitum iri. Gratis venundati eſtis, *peccato, ac tenebrarum poteſtati, & mundi huius principi.* Venundati eſtis. NIMCHARTHEM, *paßiuum verbum ſine agente ambiguam reddit auctoritatem, atq; ad ipſos venditos potiùs quàm ad quempiam alium referēdam indicat. Vos vltrò* venundati eſtis, *idq;* gratis, *nemine cogente aut vendente, ſed nec emente quidem; quia emptio pretium appellat rei venditæ ab emptore numeratum; nec poteſt emptio gratis fieri, vt venditio gratis dici poteſt, qua quiſpiā vel iuri ſuo cedit vltrò, vel ſe ipſum in alterius ius nullo cogente, nulloq; pretio accepto vel indicato dedit. Et tamen quocunq; modo iam in alterius poteſtatem redactus ceſſerit: neque ſe vltrò eripere ac liberare valet; neque ab alio, niſi vel vi, vel iure, vel aliquo alio pacto redimi poteſt. At cùm argento nullo, vel auro is, qui poßidet, vincitur: tum iure euincendus venit: cui tamen, ſi ob contumaciam & proteruiam nolit concedere, virtutis quoque oportuerit adhibitam rationem & efficientiam. Atq; ita perfecta & abſoluta euadet redemptio, quam iuſtitia ſimul atque vis expedierit & effecerit. Hunc autem locum apertè atq; diuinè D. Petrus tractans, ita expoſuit: Scientes quòd non corruptibilibus auro vel argento* (1. Pet. 1.)
„ *redempti eſtis de vana veſtra cōuerſatione paternæ traditionis, ſed & pre-*
„ *tioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati, præcogni-*
„ *ti quidem ante mundi conſtitutionem, manifeſtati autem nouiſſimis tem-*
„ *poribus propter vos, qui per ipſum fideles eſtis in Deo, qui ſuſcitauit eum à*
„ *mortuis, & dedit ei gloriam, vt fides veſtra & ſpes eſſet in Deo. Atque hactenus Deus cauſam totam complexus, homines vltrò vēditos, nullo humano pretio redimi poſſe, declarauit. quam deinde partitus explicat. Duo autem totius cauſæ ſunt capita; alterum, illos gratis venditos; alterum verò, redimendos eſſe; verùm non argento aut auro. Prius quidem partitione quoque declarat, ac docet.*

Quia hæc dicit Dominus Deus, In Ægyptum deſcendit populus meus in principio, vt colonus eſſet ibi: & Aſſur abſque ulla cauſa calumniatus eſt eum.

Antiquam Iſraelitarum captiuitatem duplicem commemorat, vtramque gratis obitam & perlatam. quarum rectè cognita ratione, de duplici quoque humani generis captiuitate cognoſcenda, facilis erit animaduerſio. (Humani generis duplex captiuitas.) *Nam quod Iſraelitis verè euenit, id omne humanis animis ex arcana veritate quadrat. Principiò ex ſacra hiſtoria conſtat, Iſraelitas quondam non habitandi, ſed famis pellendæ cauſa in Ægyptum hoſpitij nomine deſcendiſſe; veruntamen ſemel illuc vltrò traductos, dura ac diuturna ſeruitute affectos oppreſſosq; fuiſſe. quam, niſi diuinitus liberatos, minimè pellere, vel fugere valuiſſe. Deinde verò eoſdē, quamquā ab illa ſeruitute ereptos, commiſiſſe tamen multa, quamobrem ab Aſſyriis abducti, & partim orbe diſperſi toto, partim apud Babylonem, & alia Chaldæorum loca detēti, aſperiùs quoque & iniurioſiùs tractarentur: neque tamen ob eam rem diuina*

vel

vel apud eoſdem, vel apud alias gentes gloria egregiè luceret, inſigniterque emicaret. Hæc nobis huius bipertiti capitis concinna interpretatio eſt. Quia hæc dicit IEHVEH ELOHIM Dominus *miſericors, benignus, & ſalutifer, idemq́; non Iſraelis modò, ſed totius mundi gubernator ac rector.* In Ægyptum deſcendit [*vltrò*] populus meus in principio [*primæ captiuitatis occaſionem indicat*] vt peregrinaretur ibi. *neque enim in animum anteà induxerat ſuum ibidem perpetuò hærere, ſed peregrinari tantùm. Quid verò inde mali laboris ac ſeruitij ſubierit, ipſe ſatis ſuperq́; ſenſit. deinde verò iterum propter non diſsimiles mores, iis, quos ex Ægypto didicerant, quanquam ipſe non adiret, Aſſyrios tamen dominos accepit, & vehementer duros expertus eſt.* Et Aſſur abſque vlla cauſa calumniatus eſt eum. Abſque vlla cauſa, BEEPHEZZ, in non. *id eſt, quamquam ipſe non deſcenderet, aut adiret illos, vt Aegyptum primò adierat; tamen oppreſsionem ab illis pertulit. Verùm enimuerò vtramque ſeruitutem, genti laborem, & ærumnas attuliſſe ait, nihil præterea commodi. Deo verò ipſi neque cultui, neque gloriæ, neque egregiæ cuipiam laudi fuiſſe. Quippe cùm populus propter oppreſsionem nec pietatis tenetur ſtudiis, nec diuino vacat cultui; vt multum autem, graui laborum ſenſu affectus gemere, dolere, & clamare nouit: idq́; in extremis malis. quorũ neque eos, à quibus vexantur, miſeret: nec de diuina vel prouidentia, vel vindicta cogitatio interdum ſubit, vtpote à quibus non modò non exiſtimentur Deo eſſe cari, ſed contra numini cenſeantur inuiſi; numini, inquam, illi, quod ab oppreſſoribus colitur. Nam veri Dei mentio nulla fit, audita autem contemnitur. Huius rei argumento Aegyptij regis impium reſponſum fuerit. Quis* Exodi. *eſt Dominus, vt audiam vocẽ eius, & dimittam Iſrael? Neſcio Dominum,* “ *& Iſrael non dimittam. Fuerit etiam & illa apud Babylonium regem ſa-* “ *crorum vaſorum prophanatio cum numinis, cui dicata fuerant, contemptu. Ita vt Iſraeli ſemel atque iterum gratis vendito, nihil præter incommoda, ludibria, & opprobria relatum, Deo autem ipſi vero Iſraelis domino nihil fuerit vel ab ipſis, vel ab hoſtibus tributum, dum hi vel Iſraelem Deo curæ non eſſe arbitrantur, vel eundem ſuæ ſeruituti à ſuis, quos falsò colũt diis, addictum credunt. Illi verò propter miſeriarum ſenſum, nec Deo vacant colendo, nec tantùm etiam deferunt, vt perpetuam erga ſe prouidentiam agnoſcant: atque ideo neque vitam in melius reſipiſcentes, corrigant. Hoc eſt quod idem ſubiungit Deus:*

Et nunc quid mihi hîc, dicit Dominus: quod ablatus eſt populus meus gratis?

Quidnam, inquit, mihi tribuitur vel gloriæ, vel gratulationis? quidnam meis laudibus adſcribitur? quid meo accedit cultui vel apud hoſtes, vel apud ipſos Iſraelitas, ex eo quòd populus meus nullo ſuo emolumento, nullo mihi numerato pretio, gratis abductus & ablatus fuerit? niſi illud nimirũ quòd & illis labor duriſsimus addatur, & indies creſcat, & maieſtati ac miſericordiæ meæ apud gentes minuatur fides. Id quod ſtudioſè atque anxiè Pſaltes deprecatur: Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da

Ex captiuitate Iſraelitarũ maieſtas diuini nominis imminuta apud gentes. Pſal.

 gloriam.

gloriam. Super miſericordia tua & veritate tua: nequando dicant Gentes, Vbi eſt Deus eorum?

Dominatores eius iniquè agunt, dicit Dominus, & iugiter tota die nomen meum blaſphematur.

Scilicet hæc in iſtis ſeruitutibus ſucceſſus atq; emolumenti, hæc lucri ſumma eſt, quòd in ſubiectos Domini, & in peregrinos atque miſeros inſolenter, ſuperbè, & crudeliter ſæuiunt, & in nominis mei contemptionem inſaniunt. Nomen enim Dei IEHVEH, *miſericordiam & veritatem ſignificat. quod inimicorum vulgus dum afflictis ac miſeris non parceret, contemnere & eleuare cenſebatur.* MENVATS, contemnitur, *& vilipenditur, id quod negationi proximum eſt. Cuius rei argumento vel illa Ciceronis temeraria ſententia eſt. Sequitur auri illa inuidia Iudaici. Hoc nimirum eſt illud, quòd non longè à gradibus Aureliis hæc cauſa dicitur: ob hoc crimen hic locus abs te, Læli, atq; illa turba quæſita eſt. Scis quanta ſit manus, quanta concordia, quantū valeat in concionibus. Summiſſa voce agam,*

Cicero pro Flacco.
Ciceronis temeraria ſententia de Iudæorum captiuitate.

» *tantùm vt iudices audiant: neque enim deſunt, qui iſtos in me, atque optimum quemque incitēt: quos ego, quo id faciliùs faciant, nō adiuuabo. Cùm aurum Iudæorum nomine quotannis ex Italia, & ex omnibus veſtris prouinciis Ieroſolymam exportari ſoleret, Flaccus ſanxit edicto, ne ex Aſia exportari liceret. Quis eſt, iudices, qui hoc non verè laudare poſſit? Exportari aurum non oportere, cùm ſæpè anteà Senatus, tum me conſule grauiſſimè iudicauit. Huic autem barbaræ ſuperſtitioni reſiſtere, ſeueritatis, multitudinem Iudæorum flagrantem nonnunquam in concionibus pro repub. contemnere, grauitatis ſummæ fuit. At Cn. Pompeius, captis Ieroſolymis, victor ex illo phano nihil attigit. In primis hoc, vt multa alia, ſapienter: qui in tam ſuſpitioſa ac maledica ciuitate locum ſermoni obtrectatorum non reliquit. Non enim credo, religionem & Iudæorum & hoſtium impedimento præſtantiſſimo imperatori, ſed pudorem fuiſſe. Vbi ergo crimen eſt? quoniā quidem furtum nuſquam reprehendis, edictum probas, iudicatum fateris, quæſitum & probatum palàm non negas: actum eſſe per viros primarios, res ipſa declarat. Apameæ manifeſtè comprehenſum, ante pedes prætoris in foro expenſum eſt auri pondo centum, paulo minùs, per Sextum Ceſium equitem Romanum, caſtiſſimum hominem atq; integerrimum. Laodicææ viginti pondo, paulo ampliùs per hunc ipſum L. Peduceum noſtrum iudicē. Adrymeti per Cn. Domitium legatum. Pergami non multum auri. Ratio conſtat; aurum in ærario eſt; furtum non reprehenditur; inuidia quæritur; à iudicibus oratio auertitur; vox in coronam turbamq; effunditur. Sua cuique ciuitati religio, Læli, eſt: noſtra nobis. Stantibus Ieroſolymis, pacatiſq; Iudæis, tamen iſtorum religio ſacrorum à ſplendore huius imperij, grauitate nominis noſtri, maiorum inſtitutis abhorrebat: nunc verò hoc magis, quòd illa gens quid de imperio noſtro ſentiret, oſtendit armis.* QVAM CHARA DIIS *immortalibus eſſet, docuit, quòd eſt victa, quòd elocata, quòd ſeruata. Quamobrem, quoniam quod crimen eſſe voluiſti, id totū vides in laudē eſſe cōuerſum, veniamus iam ad ciuiū Romanorū querelas, &c.*

Quid

Quid apertiùs? quid ad gentium de diuinæ erga Iſraelitas miſericordiæ, ac penè prouidentiæ abnegatione arguendam ſententiam, & ad loci huius interpretationem magis expreſſum peti poßit? niſi & illud forſitan clarius oratoris eiuſdem pronunciatum, Iudæos ac Syros nationes ad ſeruitutẽ natas? Ait ergo Dominus, nomen ſuum IEHVEH *ex populi ſui iniquiore ac diuturna ſeruitute non modò non apud gentes cognoſci, ſed contemni, ſed prophanari. Cuius auctoritatem non illo pacto ac modo, hoc eſt, non calamitatibus & afflictionibus, verùm beneficiis in miſeros ponendis, vendicaturum ſeſe recipit; ita, vt qui hactenus auerſum atq; abalienatum vel negligentem autumauerant, certißimum ac præſentem, propitium ac vltrò benignum ſeſe illis præbentem agnoſcant.* Cic. de prouinc. conſularibus.

Propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipſe ſum qui loquebar, ecce adſum.

Oracula ac reſponſa omnia, quæ de promißis diuinis erga hominum genus fuſa fuerint, non voluntate hominum allata, ſed Spiritu ſancto inſpirante, per Vates pronunciata. Deus ipſe quemadmodum quóque pacto declaraturus ac certiſſimè docturus eſſet, hoc vno præcipuè ſigno & argumento cognoſcendum indicauit. hoc eſt, ſui ipſius admirabili præſentia, & arcana ac verißima efficientia ac virtute ſui nominis IEHVEH*, quã ita iam comparatam, & ad præſtandum promptam, idem commendat ſpiritus, Ego ſitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis. Qui vicerit, poßidebit hæc, & ero illi Deus, & ille erit mihi filius. Vincenti dabo manna abſconditum, & dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen nouum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. Ex his autem diuini oraculi reſponſis docemur, nullis rationibus aut argumentis diuinam virtutem & efficientiam in hominum animis magis innoteſcere, quàm miſericordiæ donis; atq; in his illo omnium præſentiſſimo ſui ipſius per Spiritum ſanctum & inſinuandi, & præbendi. Ecce ego ſto ad oſtium, & pulſo; ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cænabo cum illo, & ipſe mecum. Namque apud Iſraelitas quondam, quamuis plurimis miraculis, virtutibus ac ſignis Dei notitia commendata fuerat, nunquam tamen in eam euaſit claritatis certitudinem, quam poſt eoſdem liberatos ab hoſtibus, & è mari euaſos, atq; in libertatem aſſertos obtinuit. S.S.E. Liberauitq; Dominus in die illa Iſrael de manu Ægyptiorum, & viderunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris, & manum validam quam exercuerat Dominus contra eos. Timuitq; populus Dominum, & crediderunt Domino & Moyſi ſeruo eius. Crediderunt ſalutis illius, quam Deus verè præſtiterat, verum, & veracem Vatem ac miniſtrum fuiſſe Moſen. Ita etiam Eccleſia Dei, poſt acceptum diuinæ regenerationis promiſſum, Dominum oraculorum omnium auctorem, atque ipſum ipſis admirandis modis tanquam Patrem fauentem cognouerunt, atq; illa demum confeſſi ſunt præſtantem. Reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quòd os Domini locutum eſt. &, Non docebit vltrà vir proximum, & vir fratrem ſuum, dicens; Cognoſce Dominum; omnes enim cognoſcent me à minimo eorum, vſque ad*

Promiſſorũ res & veritas exhibita.

Apoc. 21.

Ibid. 2.

Cognitio Dei per Spiritum ſanctum inhabitantis.

Ibid. 3.

Exodi 14.

Cõfeſſiones ſanctorum.

Sup. 40.

Ierem. 31.

» *ad maximum, ait Dominus: quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati* » *eorum non memorabor amplius. Hæc dicit Dominus, qui dat ſolem in lu-* » *mine diei, ordinem lunæ & ſtellarum in lumine noctis: qui turbat mare,* » *& ſonant fluctus eius, Dominus exercituum nomen illi. Si defecerint le-* » *ges iſtæ coram me, dicit Dominus, tunc & ſemen Iſrael deficiet, vt non ſit* » *gens coram me cunctis diebus. Semen Iſraelis, id eſt, potentes Deo cunctis diebus præſentem fore pollicetur. Iam verò quiſquis Chriſti arcanis fuerit* Peccatum originale. *initiatus, facilè intelligit, primùm populi Dei in Ægyptum deſcenſum ad peregrinandum vltrò cœptum, primam ſui deditionem in hoſtis antiqui fidem fuiſſe. quam vanam, fallacem, & ærumnoſam experiri fuerit coactus:* Peccata actualia. *eiuſdem verò ſingularia & priuata ac publica admiſſa (quæ actualia peccata Theologi vocant) cauſas ad Babylonienſem abductionem & ſeruitutem dediſſe. vtriuſque autem calamitatis remedium in ſolius diuinæ miſericordiæ beneficio poſitum, & conſilio diuino decretum, verbo promiſſum, re, ac veritate præſtitum. Vtinam verò hæc prædeſtinatoribus rectè cognita & expenſa, animum ad reſipiſcentiam punxerint.* Ego ipſe, qui loquebar, ecce adſum. *Promiſſorum oraculorumq; ſuorum fidem ſe ipſum præſentis ſalutis auctorem, atq; adeò ipſam ſalutem præſtando, liberaturum ait.* In Pſal. die illa. *de qua verè ac propriè ſcriptum, Hæc dies, quam fecit Dominus:* » *exultemus, & lætemur in ea. Huius feliciſſimi & maximi beneficij inſtantem veritatem, & annunciandum aduentum diuino ſpiritu intuitus Vates, per enthuſiaſmon celebrat, atq; ad expectandum commendat.*

Quàm pulchri ſuper montes pedes annunciantis & prædicantis pacem, annunciantis bonũ, prædicantis ſalutem, dicentis Sion, Regnabit Deus tuus.

Regni Dei Euangelium, id eſt, bonum nuncium, publicè & palàm de- Euangelij præcones. Mat. *clarandum præuidens Vates, laudibus & gratulationibus proſequitur. Cuius nũcij præcones complures fore ait, vt reuera fuiſſe compertum eſt: Cùm* » *primis enim in diebus illis venit Ioannes Baptiſta prædicans in deſerto Iu-* » *dææ, & dicens: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum.* » *Hic eſt enim qui dictus eſt per Iſaiam Prophetam dicentem: Vox clamantis* Marci 1. *in deſerto, Parate viam Domino, rectas facite ſemitas eius. Poſtquam au-* » *tem traditus eſt Ioannes, venit Ieſus in Galilæam prædicans Euangelium* » *regni Dei, & dicens, quoniam impletum eſt tempus, & appropinquauit re-* » *gnum Dei, pœnitemini, & credite Euangelio. Idem verò & muneris, & fidei Apoſtolis creditum, & officij factum conſtat. Quæ omnia per Vatem noſtrum præuiſa, ſic excepta ſunt,* Quàm pulchri ſuper montes pe- Feſtorum denunciationis ritus. des annunciantis pacẽ. *Inter cæteros rituales mores ille quondam ſolennis fuit, feſtorũ dierũ denunciatores & præcones ad montes deſtinare, qui vehementi voce ex edito cacumine cùm neomenias ac cætera feſta tempora, tum præcipuè Iubileum annum præconio adiacentibus nunciarent populis. Ab hoc ritu Vates gratulationis vſurpauit formulam, qua felicem Euangelij prædicationem excepit. Nam felicitatis & fauſtæ rei aduentum pedum pulchritudine per epiphonema ſignificauit, Belgarum ſermone, qui rectè, alacri-*

alacriter, & feliciter, quas inieris, peragit res, witte voeten, *id eſt, candidos pedes habere dicitur. Atq; Euangelij argumentum quatuor nominibus ab hoc Vate declaratum commendatur. quod tamen apud Nahumum vnico tantùm vocabulo ſignificatum legimus, Ecce ſuper montes pedes Euangelizantis & annunciantis pacem. Celebra Iuda feſtiuitates tuas, & redde vota tua: quia non adiiciet vltrà vt pertranſeat in te Beltiaghal. vniuerſus interiit. ſic ille. Noſter verò hic Vates quadrigemino vſus eſt verbo.* Prædicantis pacem, annunciantis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis Sion, Regnauit Deus tuus. *Quæ, quanquam eadem ſint res, tamen vario diducuntur habitudinis reſpectu. Namque Euangelium duobus populis communicandum fuit, gentium omniũ orbis totius, quibus diuina lex nondum admiſſa erat; & iis, quibus hæc fuerat & voce, & ſcripto tradita. illis quidem, vtpote ſenſu ante inimicis Dei, pacis & conciliationis nuncius Euangelium fuit. Id quod ab Angelis Chriſti genethliatum celebrantibus, primum auditum eſt, Gloria in excelſis Deo, & in terra* pax, *in vniuerſa terra pacem ſtabiliendam ſignificantibus. Idem etiam ab hoc ipſo Vate aliàs aliis verbis expolitum. &, Non leuabit gens contra gentẽ gladium, & non diſcent vltrà prælium. Publicam itaque gentibus omnibus apud Deum pacem, primo hoc nuncij membro Iſaias promittit. Atqui votorum ſumma gentibus omnibus, quæ humanitatis valerent ſenſu, in duo tantùm diducebatur capita; alterum pacis publicæ & ſecuritatis; alterum felicitatis tum publicæ, tum etiam priuatæ. Felicitas autem ſummum vocabatur bonũ, idq; non vno à ſingulis definiebatur modo: Omne enim ferè philoſophicarum ſententiarum diſcrimen in certa & vera boni conſtitutione verſabatur. quod pro ſingulorum ingenio variè definitũ offendimus. hinc illud in ſcholis peripateticis celebratiſsimum, Qualis vnuſquiſque eſt, talis finis videtur ei. Itaque præter publicam tranquillitatem, quam* SALOM, *ſiue* pacis *nomine ſignificari intelleximus, ſingulorum hominum beatitatem* TOB, *id eſt, bonum, nominari obſeruauimus. quod cùm variè ab hominibus definitum ſit, vt ſæpè aliàs docuimus, à nullis, præterquam à ſacris auctoribus rectè conſtitutum eſt. Hi enim in vnico ac ſolo Deo, humani generis bonum ſtatuerunt. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam.* TOB ADONAI LECHOL. Bonus, *ſiue ſuauis, Dominus vniuerſis. Bonus eſt Dominus ſperantibus in eum, animæ quærenti illum. Quoniam verò publica hominum pax, & commune omnium atq; ſingulare bonum, hoc eſt, Deus ipſe vltrò ſeſe donans, per Euangelium nunciatur. Prima huius commendationis pars duobus conſtat membris*, prædicantis pacem, annunciantis bonum. *Itaq; felicitatis veræ doctrinam integram gentibus Euangelio communicandam, Vates ait. quam doctrinam, quia Iſraelitæ ante Euangelium ex lege & Prophetis habebant quidẽ, verùm nondum plenè obtinebant ac poſsidebant, nec vſque ad publicæ ſalutis tempus poſsidere poterant, hoc ipſum quod requirebant, id eſt, ſalutis aduentum diuinæ, audituri prædicuntur, ſimulq; illud edocendi, nec ſalutem, nec Dei regnum vni ſibi tantùm, ſed omnibus aliis quoque gentibus cõmunicatum,*

[Margin notes: Euangelij argumentum. — Nahum 2. — Pax in terra. — Sup. — Gentiũ vota — Finis bonorũ — Bonum. — Pſal. — Pſal. 144. — Thren. 3. — Regni Dei euangelizatio.]

&

1.Ioan.2. *& collatum iri. S. S. E. Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, & non pro noſtris tantùm, ſed pro totius mundi. Namq; publica ſalus Chriſti morte effecta, commune verò gentibus omnibus regnum Chriſti reſurrectione*
2.Theſſ.2. *comparatum eſt. Sicut ſcitis, qualiter vnumquemque veſtrum (ſicut pater filios ſuos) deprecantes vos, & conſolantes, teſtificati ſumus, vt ambularetis dignè Deo, qui vocauit vos in ſuum regnum & gloriam. Hunc itaque Iſraelitis diuina iam eruditis doctrina per Euangelium declarãdum nunciandumq; eſſe ait.* Prædicantis ſalutẽ, & dicentis, Sion, regnauit Deus tuus. *Doctrinæ namque veræ notitia non exigua Sioni contigerat. Salutis verò diuinæ beneficium adhuc requirebatur. Hoc autem prædicandum ab Euangelij miniſtris, & dicendum præterea eum, quem ipſa Sion Deum ſuum cognoſcebat, in omnes regnaturum gentes. Nahumi autem oratio Iſraelitas tantùm ſpectat, quocunque pacto Iſraelem definiamus, quibus non vltrà in ſeruitutem agendis perpetua & æterna promittitur pax, quam ſin-*
Nahum 2. *gularem, vti diximus, rationem Vates idem declarat. Celebra Iuda feſtiuitates tuas, & redde vota tua; quia non adiiciet vltrà vt pertranſeat in te Bilial. vniuerſus interiit. Atq; huius Euangelij nunciationem ab Apoſtolis faciendam, publico omnium vaticiniorum ac Vatum conſenſu, & communi gratulatione confirmandam, commendandam, & concelebrandam fore, Vates ait. Id quod apertè factum ſacra noui fœderis teſtãtur ſcripta.*
Act.3. *Omnes Prophetæ à Samuel & deinceps, qui locuti ſunt, annunciauerunt dies iſtos: Vos eſtis filij Prophetarum, & teſtamenti quod diſpoſuit Deus ad patres noſtros, dicens ad Abraham: Et in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ. Hanc itaque communem & conſentaneam Vatum omnium cum Euangelica veritate gratulationem ſignificans Vates, ita aſſeuerat, vtpote quam non verbis & orationibus, aut humanæ ſapientiæ ſpecioſis declarationibus, quin potiùs rei veritate, & certiſſimo ac præſenti Dei beneficio comprobatum iri doceat.*

Vox ſpeculatorum tuorum, leuauerunt vocem, ſimul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt, cùm conuerterit Dñs Sion.

Speculatores hoc loco Vates appellantur, qui, quæ abſentia ſunt & futura etiam, tanquam ex editiſſima contemplabantur ſpecula. Atq; horum prædictionibus conuenientem veritatem ab Apoſtolis eſſe declarãdam, & à Deo præſtandam accepimus. id quod factum multis teſtatum eſt & perſonis &
Ioan.1. *modis: Vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti à Patre, plenum gra-*
Rom.1. *tiæ & veritatis. Non erubeſco Euangelium, virtus enim Dei eſt ad ſalu-*
1.Cor. *tem omni credenti, quæ in eo reuelatur. &, Veniam ad vos, & cognoſcam, non ſermonem, ſed virtutem: Non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in*
1.Ioan.1. *virtute. Quod fuit ab initio [apud Deũ,] quod audiuimus [à Vatibus prædictum, ab Apoſtolis nunciatum] quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ (& vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis) quod vidimus & audiuimus, annunciamus vobis, vt & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocie-*

tas noſtra ſit cum Patre, & cũ Filio eius Ieſu Christo. Oculo ad oculum „
videbunt cum conuerterit Dominus Sion. *Salute publica per* IESVM Viſio noui Teſtamenti qualis.
Chriſtum parta, non iam, vt antea ex parte cognitum, & ex parte prophetatum iri, ſed facie ad faciem videndum eſſe ait: Nam cùm venerit quod 1. Cor.
perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Qui legit, intelligat, & hoc ſibi exoptet, hoc in votis perpetuum habeat. Qui verò ſurdeſcit, vni ſibi fraudi eſto. Namq; digniſsimum hoc diuinum beneficium omni gratulatione & ſupplicatione publica ſubiuncto elogio confirmat Vates.

Gaudete, & laudate ſimul deſerta Ieruſalem: quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, redemit Ieruſalem.

Et quidem hæc non tam terreſtrẽ illam Ieroſolymam, quàm communem Ieruſalem, Eccleſia.
totius orbis Eccleſiam reſpicere, argumento fuerit, quod nec tunc, cum Vates prædiceret, Ieroſolyma deſerta erat, nec cùm Verbum Dei in carne venit, inculta & infrequens manebat, immo omnium Aſiæ ciuitatum habebatur celeberrima: quamobrem non vti ſola, ſed vti regni totius futuri metropolis hoc loco definienda eſt, eademq; dicenda, quam abſque muro habitatum iri, Vates prædicant. Quam inſtituendam ſtabiliendamq; ſibi Dominus conſolatus dicitur præterito verbo, tanquam certiſsimo vſurpato, conſolationisq; cauſam duplicem fore ait, conſolationem, videlicet, populi ad ſalutem Conſolatio Iſrael.
vocati & recepti, & Ieroſolymæ, hoc eſt, Eccleſiæ ſuæ antea ab hoſtibus internis occupatæ redemptionem, Vt deſtruatur corpus peccati, vt vltrà non ſeruiamus peccato. Id quod per Verbum, quod brachium Dei appellari audiebamus, efficiendum declaratur, nec efficiendum tantùm, ſed etiam manifeſtis exemplis apud gentes declarandum, imò & ſpectandum.

Parauit Dominus brachium ſanctum ſuum in oculis omniũ gentium: & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri.

Diuini verbi efficacitas Brachij nomine in arcano ſermone ſignificatur, Brachium Domini.
vti iam diximus. vnde illud ab illius matre feminarum ſanctiſsima dictũ, Fecit potentiam in brachio ſuo. Verùm ita abſolutè pronunciatum virtu- Luc.
tem etiam abſolutam & communem, tum ad beneficium ponendum, tum ad iudicium exercendum pro argumẽti ratione interpretari licet. Verùm cum certis adiunctis, certam quoque vendicat obſeruationem, quippe quod liberationis ac ſalutis cauſa appellatum animaduertimus. vt, Cantate Domino Pſal 97.
canticum nouum, quia mirabilia fecit. Saluauit ſibi dextera eius, & bra- „
chium ſanctum eius. Notum fecit Dominus ſalutare ſuum, in conſpectu „
gentium reuelauit iuſtitiam ſuam. Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, & ve- „
ritatis ſuæ domui Iſrael. Viderunt omnes termini terræ ſalutare Dei no- „
ſtri. Idem dictum, eiuſdemq; ſententiæ à Vate noſtro nunc in publicæ ſalutis manifeſtatione vſurpatur cum ſignificatione maioris miraculi, & præſtantioris beneficij, quàm illud Ægyptiacæ liberationis fuerat. Namque in illa liberatione complures cùm ſerui, tum comites prodierant, qui non erãt ex Iſraelitarum cenſu, atq; in iiſdem ipſis Iſraelitis non pauci vulgares, ac minùs puri, ex populi fece. Verùm enimuerò in hac quam celebramus, liberatione & ſalute cùm populum omnem, tum miniſtros præcipuè publicos,

non niſi tantæ rei idoneos & puros effectum, & ad perpetuæ victoriæ ritè colendam celebrandamq́ laudem comparatum iri ait, vtpote qui è peccati & mortis contage liberati & mundati per brachium ſanctum Domini euaſerint. Id quod gratulabundus agit, & commendat Vates.

Recedite, recedite, exite inde, & pollutum nolite tangere: exite de medio eius, mundamini qui fertis vaſa Domini.

Salutis publicæ ad Aegyptiacam præſtantia.

Qui quondam ex Ægypto liberati ſunt poſt agni Paſchalis eſum, omnes citra vllum diſcrimen prodierunt, atque in via, quæ totis quadraginta annis peracta eſt, varijs modis afflicti ſunt, propterea quòd nec omnes puri, nec omnes eodem animo præditi, iiſdemq́ moribus ornati fuerant, adeò vt ad deferenda tabernaculi monumenta omnia Leuiticam tribum ſeligi, & certis ritibus expiari opus fuerit. Nunc verò in hac maxima & præſtantiſſima ſalute omnes ita puros effectum iri didicimus, vt nihil vulgaris fecis, nihil Ægyptiæ conſuetudinis admiſſuros, aut ſecum retenturos, audiamus: vtpote qui deinceps poſtea genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis dicendi ſint; offerentes ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo. Quamobrem omnes ad puritatem accipiendam exhortatur Vates. Vaſa enim Domini humani animi ſunt, quæ illa tam diſtincta, ac multiplici tabernaculi partium atq́ ornamentorum deſcriptione & enumeratione ſignificantur. S.S.E. Quicumque emundauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem paratum Domino in ſanctificationem. Tabernaculi ſignificatio.

Oportet enim eos, qui ad hanc ſalutem vocantur, ſedato ac deliberato animo iter vitæ capeſſere, fide atq́ obſequio inſtructos, & Euangelij doctrina ritè imbutos, vtpote quos non metus iam, non ſuſpicio, non vlla dubitandi aut hærendi, vel trepidandi cauſa impeditura, vel retardatura, vel aliàs turbatura ſollicitet, vt quondam Iſraelitas ex Ægypto iam iam ceſſuros non parum ſollicitabat metuentes, ne, qui copiam abeundi fecerat, hoſtis conſilium repentè mutaret, atq́ fugientes inſectatus, vel reduceret abeuntes, vel trucidaret. Sic enim ille primus exitus habuit, quare magna feſtinatione ceptus interim, non ſine metu continuatus; donec demerſis in mari inimicis, tranquilla iter agentibus libertas & ſecuritas. Huiuſmodi autem fore ſalutis huius, de qua agimus, rationem & formam Vates ait: non quæ cum trepidatione ac metu ineatur, ſed quæ conſtanter atque abſolutè vnica peragatur expeditione Chriſti IESV, *qui ſuſceptum populum confidenter traduxit, palàm triumphans illos in ſemetipſo.*

Quoniam non in tumultu exibitis, nec in fuga properabitis, præcedet enim vos Dñs, & congregabit vos Deus Iſrael.

Dùm agni tantùm terreſtris carne & ſanguine atq́ ſucco vſus eſt, qui ex Ægypto fugere iubebatur, populus non ſine trepidatione agebat, vtpote qui ſolum Moſen ſalutis illius intuebatur miniſtrum, hominem tantùm, eundemq́ Dei ſeruum, hominẽ tamen; & quamquam per fidem iter cũ duce ſequeretur; tamen, quia neque Angelum præcedentem videbat, nondum omnem exuerat metum, donec, mare ingreſſus, columnam nubem, ſibi fauentem, & inimicorum oculos turbantem, vidit: cuius lumine, & calore, &

& numine alacriter contemptis hoſtibus maris, illum tractum totum nihil ab vndis læſus, peruaſit. Illius autẽ veritatem nobis partim lucidæ, & partim obſcuræ præſtiturus erat Chriſtus: qui abſoluto iam & antiquato terreſtri agno, ſeſe nouum cæleſtem edendum præbuit, vt carne & ſanguine Nouũ Paſcha *ſuis communicantes, ab omni exemptos metu dux ipſe, rector, & auctor, liberos atq; incolumes in littore ſtatueret, tanto præſtãtiore virtute auctos, quanto inter terreſtrem atq; cæleſtem intereſt agnos, quantum inter obſcuram & claram fauentis Dei intereſt notitiam. Hoc eſt quod ait,* præcedet vos Dominus, & congregabit vos. *non Moſes, vt olim, verum* Deus Iſrael, *qui ex timidis ac trepidantibus hominibus Iſraelem, cum Deo valentem reddere & præſtare nouit. Ait verò,* præcedet vos, *quod ducis officium eſt,* & congregabit, *quod ad paſtorem pertinet: id quod aliàs per vnicum virum fieri non poteſt, in magno aliquo exercitu per duos fit, ducem priorem, & poſtremi agminis cuſtodem poſteriorem. vtrumque verò munus ab vno Deo præſtari, nubes illa antiqua declarauit. Magnam verò ſalutis & mutationis huius notitiam, & admirabilem declarationem fore, ait Vates. vtpote quæ non ipſis modò compotibus & participibus conſtitura, ſed aliis etiam gentibus veritatis fidem ſit factura. ita vt certum illud euadat, Omnes qui viderint eos, cognoſcent illos: quia iſti ſunt ſemen cui bene- "dixit Dominus. Neutra verò ex antiquis illis liberationibus, quæ Iſraeli- "tarum populo cõtigerant, metus ac trepidationis expers omnino fuit. Namque priorem illam Ægyptiacam ad maris vſque rubri tentationem non leuis comitatus eſt metus. Nónne iſte eſt ſermo quem loquebamur ad te in* Exodi 14. *Ægypto, dicentes: Recede à nobis, vt ſeruiamus Ægyptiis: multo enim me- "liùs erat ſeruire eis, quàm mori in ſolitudine. Et ait Moyſes ad populum: "Nolite timere, ſtate, & videte magnalia Domini, quæ facturus eſt hodie: "Ægyptios enim quos nunc videtis, nunquam vltrà videbitis in ſempiter- "num. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Poſterior verò libera- "tio, qua ex Babylone reſtitutus eſt populus, aduerſarium quoque Samballatum cum aliis infeſtiſſimis inimicis experta eſt. Nihil verò ſimile his in hac diuinæ ſalutis abſolutiſſima expeditione metuendum ſacra excipiunt oracula.*

ARGVMENTVM VATICINII TRIGESIMI.

REDEMPTI *& ſeruati populi dignitas & ornamenta amplitudóque deſcribuntur, eadémque vni Deo accepta referuntur. Cuius humanitas & benignitas apparuit, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed per ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti, quem effudit ſuper ſuos abundè, vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſint ſecundum ſpem vitæ æternæ per* IESVM *Chriſtum Dominum noſtrum, qui dedit ſemetipſum pro nobis, humiliauitque vſque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in no-*

» *mine* IESV *omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum:*
» *& omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus in gloria eſt Dei Patris.*

Ecce intelliget ſeruus meus, exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valde.

Hvmanæ *ſalutis negotium maximæ admirationis plenum, atque vnius Dei conſilio inſtitutum, Verboq́ caro facto creditum & commiſſum; ita geſtum, expeditū, & confectum fore, vt nemo hominum, quamquam ſapientiſſimus, non ſtupeat. vtpote quod nulli vnquam in mentem venire potuerit, quemadmodū ex exiſtimata ſtultitia, ſapientia, ex ſeruitute; regnū; ex ruditate, prudētia; ex infima humilitate, ingens ac ſublimis gloria orietur. Quæ tamen omnia ita demum facta & effecta conſtabunt per Ieſum Chriſtum Deum Patri æqualem, eundemq́ hominem* ſeruo *ſimillimum, qui, qua parte homo erat, ita diuinitati obtemperauit & ſeruiuit, vt quam per naturarum vnionem dignitatem, quanquam ſerui ſpecie velatam, obtinebat, obedientiæ merito & officio ac iure quoque ex diuino decreto vendicaret. S. S. E. Qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualē Deo: ſed exinaniuit ſemetipſum, formā ſerui accipiens, in ſimilitudinē hominū factus, & habitu inuentus vt homo. Propter quod & Deus exaltauit illum [vt hominem chariſſimum & obſequentiſſimum] & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. Id quod, quamquam ipſe vtpote Deus ſemper intellexit & cognouit; tamen vt homo in ſe ipſo expertus didicit, atque vltra hanc diſciplinam & intelligentiam, triplici exornauit amplitudinis ornamento, nempe quòd* exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimabitur. Exaltabitur, iarvm. *Hoc verbum regiam ſignificat auctoritatem & præſtantiam. ex qua ſignificatione illa ſunt, Exaltabit te vt hæreditate capias terram. &, Exaltauit ſicut vnicornis cornu meum. In his enim locis & argumentis verbi* rvm *frequens obſeruatur vſurpatio.* Eleuabitur, *arcanæ ſapientiæ & prophetiæ munere & facultate, vltrà omnes quotquot fuerint, vnquamq́ futuri ſint Vates. Namq́ verbum* nisa *in hanc rem propriè pronunciatur. vt,* veadonai nasa ghalav eth hamasa hazoth. *Dominus onus hoc leuauerit ſuper eum. Frequensq́ illud apud Vates,* masa adonai. *Quartum porrò ornamentum* & ſublimabitur. veghabah, *ad ſupremos ac diuinos refertur honores. Siquidem vocabulo* ghabah, *quod celſitudinem, ſublimitatem, & maieſtatem ſignificat, cæleſtes animos, atq́ adeò ipſum Deum ſupremum cognominari adnotauimus. Quidquid enim vel Deum, vel diuinitati propinquum dicimus, id* ghobeh, *ſublime & excelſum appellatur. vt, An putas quòd Deus* ghobesamaim, *excelſior cælo ſit? Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat?* hamaghibihi lasebeth, *qui exaltat ad ſedendum. Atque illud apertiſſimum, quo ſuperiorum poteſtatum declaratur ordo, ad ſupremum vſque productus Deum.* chi ghaboah meghal ghaboah somer veghebohim ghalehem. *Quia excelſo excelſior eſt altus, & ſuper hos quoque eminentiores ſunt alij. Atq́ his nominibus*

Margin notes: Myſterium redemptionis abſconditum. — Chriſti hominis obedientia. — Philip. — Chriſti exaltatio. — Chriſtus rex. — Pſal. — Pſal. — Rvm. — Chriſtus Propheta. — Nisa — 4 Reg. 9. — Masa — Chriſti diuini honores. — Ghabah. — Ghobeh. — Iob 22. — Pſal. 112.

bus omnibus Chriſtum amplificatum iri, prædicit vates, idq́; quod ad humanas partes conſecuturum, propter admirabilem & abſolutam obedientiam aduerſus Deum, caritatem aduerſus homines, laborum propter humanum genus tollerantiam, & maximam in ferendis iniuriis ignominiiſque patientiam: denique ad ſuperanda incommoda omnia nunquam victam fortitudinem. Quæ omnia ſubiunctis indicantur ac deſcribuntur in Chriſto factis periculis.

Sicut ſtupuerunt ſuper te multi, ſic inglorius erit inter viros aſpectus eius, & forma eius inter filios hominum.

Frequentiſsima in ſacris libris, atq; in Vatum præcipuè ſermonibus perſonarum de eadem re mutatio & variatio eſt. quam hoc etiam loco vſurpat Vates. Ait autem nunc ſublimitatem & amplitudinem illam humanitati Chriſti diuino iudicio decretam & tributam, propter admirandam & ſtupendam humilitatem. cuius exemplum numquā antea auditum in hoc vno ſpectatiſsimum fuerit: Neminem enim virum innocentem tot tantaq́; probra, opprobria, tormenta atq; incommoda tolleraſſe, auditum vnquam fuit: neminem etiam vel infimum hominem ſimilia perpeſſum. I S, virum ſignificat, eundemq́; ſingularem. Filij Adam *vel infimi quique dicuntur. Nullum itaq; vel clarum & inſignem virum, nullum vel ex infima fece hominem ab hominibus ingrato animo exceptū, adeò iniurioſè tractatum, adeò, vt ſic loquamur, deformatum, atq; hunc hominum omnium, quotquot fuere, quotquot mundus tulerit, in ipſos mortales beneficentiſsimum, deq́; omni humano genere benemerentiſsimum. Id quod Chriſti paßionem à narrationis principio recolētibus, manifeſtum fiet. Verùm illis ipſis contumeliis, probris, iniuriis, cruciatibus, tormentis, & ignominioſa crucis morte ferendis, mirum & ſtupendum quoque quantum effecerit & confecerit vſque rerum: quippe qui hoſtes omnes cum ſuis principatu ac poteſtatibus vicerit, fuderit, ac perdiderit. Id quod futurum prænunciauit Vates.*

Chriſti humilitas & paſſio.

IS.

Chriſti victoria.

Iſte aſperget gentes multas, ſuper ipſum continebunt reges os ſuum

MAGNAM *& admirabilem Dei virtutem & ſapientiam ex eo prædicat Apoſtolus, cùm per ſtultitiam, per ignobilitatem, per modeſtiam & patientiam, per humilitatem, cæterasq́; partes, quæ humano iudicio ingloriæ & contemptibiles cenſentur, mundi ſapientiam, amplitudinē, vim, gloriam, & ſuperbiam, & quæcunque æſtimantur maxima, ſuperata, victa, & peſſundata fuerint. Neque hoc tantùm de arcana & inuiſibili principis mundi huius tyrannide, ſed etiam de viſibili regno, dominatione, & imperio, ſiue per vim, ſiue per induſtriam gerendo, dictum interpretamur. Elegit enim Deus contemptibilia & infirma mundi, vt confundat fortia. Hoc itaq; admiraturos ait tum populos, tum reges præcipuè, neque quid reſpondeant, quídve excipiant, reperturos.*

Quia quibus non eſt narratum de eo, viderunt: & quæ non audierunt, contemplati ſunt.

Quis nam, aut cui vnquam narratum eſt, ex ignobilitate, nobilitatem; ex ignominia, gloriam; ex cruce & morte, vitam & amplitudinem, diuinumq́;

numq́; emanaſſe honorem? Et tamen hæc certiſsima, & manifeſtis exemplis comprobatiſsima euaſiſſe, compertum eſt. quamobrem Paulus, Non erubeſco, inquit, Euangelium: virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti: Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur, &c. Quibus non eſt narratum de eo. *In exemplari legimus*, CHI ASSER LO ZZVPHAR LAHEM RAV. Quia quod non narratum fuit ipſis [*populis & regibus*] viderũt, & quæ non audierant, HITHBONENV, prudenter intellexerunt. *vtpote rebus ipſis & veritate conuicti, atque edocti. Quamquam hæc veritatis notitia non omnibus paſsim contigit, ſed iis qui, nunciato Euangelio, fidem habuerunt.*

Rom. 1.

CAPVT LIII.

QVIS credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt?

Euangelij ſumma.

QVIDNAM *hæc interrogatio ſignificet, & quo in argumento, quáve cauſa à Vate pronuncietur, D. Paulus nos docet, Euangelium nempe indicans, cuius ſumma eſt, Chriſtum in carne veniſſe, & exaltatum fuiſſe, propterea quòd filius hominis eſt, id eſt, propter obedientiam ſummam, ad ſummam fuiſſe prouectum gloriam. Hoc enim mundi ſapientiæ atque ſapientibus* παράδοξον, *tamen Domini brachio, diuinæ, inquam, virtutis efficientia conſtitiſſe, & conſtare, maximis teſtimoniis comprobatum eſt, mirantibus omnibus, qui rem tantam audierint: quam diuino conſilio prouiſam, ac decretam, Vates ait: vt videlicet vnus diuinus homo Dei verbum, idemq́; Deus pro totius mundi cõmunibus & priuatis debitis diuinæ iuſtitiæ ſufficeret. Quale conſilium ita edoctus Vates refert.* Et brachium Domini cui reuelatum eſt? GHAL MINIGLATHAH. ſuper quem manifeſtatum eſt? *Quis nam eſt iſte, inquit, ſuper quem illa Domini virtus, efficacitas, & benignitas admiranda mundo reuelata eſt? Quippe nullus homo, imò neq; vniuerſum hominum genus pariter ac ſimul coniunctum, id efficere potuit, quod hic vnicus & ſingularis homo effectum dabit.*

Et aſcendet ſicut virgultũ coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti: non eſt ſpecies ei neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum.

Euangelij ratio.

Euangelij Chriſti ratio omnis duábus deſcribitur ſimilitudinibus; altera virgulti, altera verò radicis arentis de terra ſitienti extractæ. Namque Chriſti virtus & efficacitas ita coram Deo promotura ac valitura prædicitur, vt virgultum aliquod generoſum & elegans, cui cæli ſingularis temperies, ac diuina faueat benignitas. Cùm tamen ſi terram, ex qua oritur, ſpectes, ſitientem & aridam atq; ſterilem dicas. ſin etiam ipſa virgulti intuearis primordia, radicem cenſeas arentem ac tenuem. Atque de imagine hæc ſatis. cuius illud interpretamur ſignificatum. Chriſtum videlicet, quem è ſterili ac ſitienti naturæ humanæ terra hominem factum, atq; habitu inuentum vt hominem, imò infimam hominum conditionem præ ſe ferẽtem, hoc eſt, ſerui formam, & nulla alterius radicis ac virtutis ope valentẽ præ-

ter

terquam propria diuinitùs arcanè comparata, ita Deus fouit, vt in maximam, præſtantiſſimam, & fertiliſſimam prouexerit arborem. nec diſſimilis huic ſimilitudini illa fuerit: Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis, Mat. 13
quod accipiens homo, ſeminauit in agro ſuo: quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus. cùm autem creuerit, maius eſt omnibus oleribus, & fit arbor; ita vt volucres cæli veniant, & habitent in ramis eius. Atque huius à Vate noſtro inductæ ſimilitudinis idoneam explicationem in illo eleganti Pſalmo reperire eſt: Benedixiſti Domine terram tuam, auertiſti captiui- Pſal.
tatem Iaacob. vbi poſt multa aptiſſimè comparata, illud explicatur: Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cælo proſpexit. Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuũ. Quanta autem fuerit Chriſti humilitas & exinanitio ſerui formam tuentis, oculis hominum teſtibus declarat Vates. Vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus Christi humiliatio.
eum. Iis modis mundo exceptus, tractatus, & ſpectatus eſt, vt minimè videretur expetendus: quippe qui pauper, humilis, atq; ab omni ambitione procul ſemotus, magnatibus & proceribus deſpectui, improbis ludibrio, ſuis etiam cognatis haberetur contemptui, atque interdum odio. Cùm autem ad exitum vitæ deuentum fuerit, nihil minùs nobis deſideratu dignum, quàm illius conditio viſa eſt. In exemplari particula, ſiue coniunctio vau, hoc loco Et cauſalis.
cauſæ vim obtinet. VENIREHV VELO MAREHVENEHH MEDEHV. & vidimus eum, & non forma vt appetamus eum. Quis enim ex iis, qui ex ſenſu tantùm, & præſenti exemplo res atq; facta hominum cenſere ſolent, qualem hanc deſcribit Vates, deſiderandum putaret?

Deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus, vnde nec reputauimus eum.

Humanum iudicium propterea difficile, ac ſæpiſſimè falſum, quòd res è præſenti tantùm exemplo & ſpecie cenſeat, nihil de internis aſſecutum, vel de futuris attentum: quamobrem ex opinionibus, non ex veritate cauſas pendet. Id quod non ſemel ſacra ſcripta monent cauendum. Homo videt ea quæ parent, Dominus autẽ intuetur cor. Et Scenicus philoſophus Euripides: Humanum iudicium. 1 Reg. 16. Euripid. Medea.

Δίκη γαρ οὐκ ἔνεστ᾽ ἐν ὀφθαλμοῖς βροτῶν.
Ὅστις πρὶν ἀνδρὸς πλάγχνον ἐκμαθεῖν σαφῶς
Στυγεῖ δεδορκὼς, οὐδὲν ἠδικημένος. *Id eſt,*
Iuſtum nec eſt in oculis mortalium
Si quis ignotis hominem præcordiis
Odit aſpectum, nil ipſe læſus tamen.

Totus autem Pſalmus, Quam bonus Iſrael Deus, in hoc verſatur argumento. vniuſcuiuſque verò hominis æſtimatio altero ex duobus nominibus vel vtroque initur. nam vel ex habitu proprio & ſpecie, vel ex aliena ſententia æſtimandi ratio initur. Quem enim comptum, ſanum, atq; grauiter & cum auctoritate ſe gerentem ſpectamus, eum honore putamus dignum: idem etiam aliorum ſententias & voces atq; teſtimonia ſecuti facimus, ei laudem deferentes, cui alij tribuant. Hinc omnis cõmunis petitur cenſura,

hinc

hinc pauperum deſpicientia, diuitum quoque gratia & exiſtimatio parantur. Hinc demum præpoſteri iudicij error naſcitur, à Spiritu ſancto vehementer taxatus. Etenim ſi introierit in conuentum veſtrum vir aureũ an-

Iacobi 2.

„ *nulum habens, in veſte candida, introierit autem pauper in ſordido habitu,*
„ *& intendatis in eum qui indutus eſt veſte præclara, & dixeritis ei: Tu ſe-*
„ *de hîc benè; pauperi autem dixeritis: Tu ſta illic; aut, ſede ſub ſcabello pe-*
„ *dum meorum: nónne iudicatis apud vos met ipſos, & facti eſtis iudices co-*
„ *gitationum iniquarum? Audite, fratres dilectiſſimi, nónne Deus elegit*
„ *pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromiſit*
„ *Deus diligentibus ſe? Vos autem exhonoraſtis pauperem. Nónne diuites*
„ *per potentiam opprimunt vos, & ipſi trahunt vos ad iudicia? Atqui ſi Ieſu vita ex habitu & ſpecie, atq; ex faſtu exiſtimãda eſſet, quidnam humiliùs? quid infirmiùs? quid laborioſum, durumq; magis reveriri potuit? Ab ipſis primis incunabulis exulis apud Ægyptum; in infantia matri & patri putato ſubditi, viri iam facti ſeſe Ioanni baptizandum præbentis, à prima ſui oſtenſione pauperiem colentis, viarum laboribus dediti, inuidentum detractionibus & maledictis petiti; denique à ſuis eiecti, & ignominioſa morte ac probris affecti: atq; omnia hæc ſumma conſtantia, maxima patientia, & inaudita vnquam antea modeſtia, lenitate, & manſuetudine perferentis. Si verò aliorum de eodem animaduertamus ſententias, In propria venit, & ſui eum non receperunt: quid ampliùs? Baghalzebub appellarunt, & è vinea paterna eiectum, cruciatibus, ludibriis, uerberibus, & cruce affecerunt. Omnia hæc in vno virorum omnium ſanctiſſimo, innocentiſſimo, beneficentiſſimo ſpectata, hominum oculis talem iudicandum præbuere, qualem Vates hic deſcribit,* Deſpectum & nouiſſimum virorum, *quod ad principum & pontificum cenſuram & iudicium attinet. quod verò ſuum ipſius ſpectat habitum,* virum dolorum, & ſcientem infirmitatem. IS MACHOBOTH VIDVAGH HOLI. Virum laborum, *ſiue* laborioſum, & notum infirmitudinis, *id eſt, quem labores, fatigationes, & laſſitudines, fames, ſitis, ieiunia, curæ, ſollicitudines notum ac veluti familiarẽ habeant. adeò vt ſuis etiam cognatis non modò faſtidio, ſed vilipendio etiam fuerit, dicentibus: In furorẽ verſus eſt. Hoc ſignificat illud,* quaſi abſconditus vultus eius. *Ex exemplari,* VCHMAZZTHER PANIM MIMENV, & ſicut abſcondere facies ab illo, *id eſt, & quem, qui videat, videre diſſimulet, vt pro ignoto habere videatur. Ita enim etiam diſcipuli comprehenſum deſerentes, fugerunt, & Petrus, ſibi cognitum, pernegabat.* vnde nec reputauimus eum. *Hæc itaq; humani iudicij de Ieſu Chriſto ſumma ratio fuit. Quantũ verò à diuino conſilio aliena euaſerit, indicare Vates occipit.*

Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: & nos putauimus eum quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplinam pacis noſtræ ſuper eum, & liuorẹ eius ſanati ſumus.

HVMANÆ *ſalutis rationem hoc loco docet Vates, arcanum verò conſilium*

ſilium in ſuo relinquit ſacrario, vtpote nondum illa tempeſtate aperiri conceſſum. quod à nobis, quādo ita Deo placuit (cui vni maxima gratia) ſi non prorſus reuelare, tamen indicare iam fas fuit; & cùm ſæpè aliàs, tum in lib. generationis ac regenerationis Adami propius indicatum eſt. Rationis autem & iuris, de quo hîc agitur, illa ſumma eſt: Hominum genus à prima parentum prauitate duobus nominibus obnoxium erat; altero quod ſe à diuina gratia abalienarat, atq; iræ filium conſtituerat: altero autem quod inimico Dei, hoc eſt, diabolo vltrò venditum addixerat. vtrique autem nomini ſatisfactum oportuit, hoc eſt, offenſioni diuinæ in gratiam reconciliandæ, & poſſeßioni à Principe huius mundi vſurpatæ. Offenſionem peccantis exacta caſtigatione leuari, & gratiam dignæ perſonæ, abſoluta obedientia, iniri oportuit. poſſeßione aduerſarium deturbare maximæ virtutis ac ſupremæ fuerat fortitudinis. S.S.E. Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt quæ poßidet: ſi autē fortior illo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Atqui nemo homo tantæ fuit, aut eſſe potuit vel dignitatis, vel gratiæ: vt vel totius humani generis perſonam ſolus ageret, agendoq; partes ſuſciperet, ad commune debitum in ſe luendum: quod debitum infinitum eſſet, & infinito exoluendum pretio. Exoluendum verò fuerat per carum & gratum, offenſo Deo, caput: quale nullum erat inter eos omnes, qui natura filij iræ cenſebantur. Quamobrem diuinum Verbum, per quod omnia facta fuerant, reſtituenda inſtaurandaq; ſuſcipere, ſuarum partium eſſe duxit. idq; miſericordia perſuadente, atque iuſtitia probante, conficiendum redemit opus: atq; caro factū, demumq; generis totius perſonam ſuſtinens, tandiu, tantumq; ſe caſtigari paſſus eſt, quoad iudicio diuino nominibus cunctis & ſatisfactū, & iudicatū, ſolutum, & ſatisdatū conſtitit ea ex parte, qua placandam ac ſedandam receperat offenſionem. Qua verò cauſa ſuperandum, ac poſſeßione pellendum hoſtem promiſerat, idem quoque adeò fortiter peregit ac præſtitit, vt verè tandem pronunciarit; Princeps huius mundi iam iudicatus eſt. Verùm enimuerò illud maximè in hoc admirandū negotio, quod vtrumque opus eadem fuerit confectum opera, hoc eſt, quòd laboribus, plagis, verberibus, ludibriis, ac durißima morte ſuſtinendis & perferendis, & paternæ gratiæ conciliator, & potentißimi inimici victor & exſpoliator euaſerit. Atqui ita res habet, & ad diuinæ miſericordiæ ac virtutis laudem peracta eſt, indeq; diuino Verbo æternum redemptoris ac ſeruatoris Dominiq; nomen ab vtroque ductum eſt iure. Vox propter, *hoc in verſu repetita, vicariam ſortitur ſignificationem.* Verè languores noſtros. HHALAIENV morbos noſtros, *quos niſi grauißimis remediis curare non erat: impoßibile hoc enim erat humanæ virtuti; impoßibile etiam legi, in quo infirmabatur per carnem. Igitur Deus Filium ſuum mittens in ſimilitudinē carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, & liberaret eos, qui per totam vitam obnoxij erant ſeruituti.* Et nos [*prudentia & ſapientia carnis*] putauimus eum leproſum & percuſſum à Deo & humiliatum. *Lepra,*

Humanæ ſalutis & arcani de ipſa conſilij ratio

Lucæ 11.

Rom. 8,
Heb. 2.

Lepra ſuperbæ pœna legitima.

Humanum genus leproſum.

cuius in ſacra lege eſt mentio, quemcunque corripuiſſet, ſuperbum anteà & inſolentem fuiſſe, atq; ob id à Deo percuſſum, & ad infimam conditionem arguebat redactum. Cuius conditionis perſonam vniuerſum ſuſtinebat hominum genus à primo naturæ ſuæ honore ad extremam traductum vilitatis miſeriam propter peccatum. Hanc eandem quòd Chriſtus innocentiſſimus ac ſanctiſſimus agnus obierit ſuſceptam diuinæ iræ placādæ cauſa impoſitam à Deo, Sapientiæ conſilio declaratum eſt, idemq; à verbo ipſo opportunè perlaturo, multo antè per Vates commemoratū. Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominū & abiectio plebis: Omnes qui viderunt me, deriſerunt me, locuti ſunt labiis, & mouerunt caput.

Pſal.

Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum. *Caſtigationem, quam diuina iuſtitia pro offenſione poſtulabat, ex qua conciliatio ac pax conſequeretur, illi impoſitā ſignificat agnoſcens Vates. Eſt autem in verborum delectu & ſtructura magna & ſingularis ad ſignificationem adnotatio.* vulneratus propter iniquitates noſtras, MEHHOLAL MIPISGHENV. PESSAGH, *improbitatem Latinè dicere poſſumus, ex inſolentia & ſuperbia natum, cuius curatio vel vltio plagis & vulneribus imponendis paratur. Particula* MIN *& cauſam, & in comparationibus indicat exceſſum: atque ex verbo ſic verti poteſt,* vulneratus eſt propter pluſquam prauitates noſtras. Attritus eſt propter ſcelera noſtra. MEDVCHAH MEGHAVONOTENV, percuſſus propter & vltra prauitates noſtras. *Duobus namque nominibus humanum genus in culpa erat, altero inſolentiæ & improbitatis in ſcelere admittendo, altero contractæ & penitùs penetrantis vitioſitatis, ex qua morum peruerſitas oriebatur. cuius etiam correctio prauitatis plagas & tunſiones exigit, vtpote rei duræ ac diſtortæ, & ad rectum referendæ. Vtraque autem tranſlatione diſtinctè ſignificatur, Chriſti paßione ac morte non ſcelera tantùm humana expiata, ſed vitia etiam correcta, & prauitatem ac deformitatem, ad rectum ac decorum emendatum iri.* & liuore eius ſanati ſumus. VBEHHABVRATHO NIRPELANV. HHABVRAH *id quod liuor à Latinis dicitur, verùm non omnis liuor vocatur* HHABVRAH, *niſi is tantùm, quem inflictæ conficiunt plagæ ſanguine ad percuſſam partem confluente, ibidémque cum tumore etiam propter feruorem exuſto. Id quod aliquando medicinæ arte ad ſanitatem paratur. quod vel plagis, vel torturis, vel etiam cucurbitulis adhibendis fit. atq; ita Chriſti effuſam, tunſum, percuſſum, cunctisq; modis affectum ſanguinem ad medicinam homini faciendam poſtulatum, datum, & idoneum fuiſſe ac profuiſſe intelligimus. Neque verò, vti dicebamus, cuiuſquam alterius hominis vel naturā, vel virtutem, vel ſanguinem id præſtare potuiſſe, Vates ait. Quippe, cùm contraria contrariis curentur, vitium integritate, ægritudinem ſanitate, corruptionem incorruptione, puritate impuritatem, prophanationē ſanctitudine, vita mortem, rectitudine prauitatem curari oportuit. quæ remedia nuſquam, nulláve in hominum conditione, niſi in vno Verbo caro facto conſtare, aut reperiri potuerunt. Namque*

Pessagh.

Min.

Humani generis culpa.

Hhabvrah Liuor.

Humani generis medela

Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declina-

clinauit:& poſuit Dominus in eo iniquitatem omniũ noſtrum.

Commvnem *omnium hominum correctionis & medicinæ neceſ-* Humani generis morbus & error.
ſitatem vnius mortalium atque obnoxiorum quoque agnoſcit ac fatetur Va-
tes. idq́ duabus tranſlationibus declarat. altera à diſperſo grege; altera ab
agriculturæ vſu producta. Humanæ quippe vitæ ratio & conſuetudo viæ Via.
nomine ferè in omnibus dicitur linguis. idq́ in ſacra præcipuè. vt, Vias Pſal.
tuas Domine demonſtra mihi. &, Legem pone mihi Domine, viam iuſti- "
ficationum tuarum. Hæc itaq; ratio cùm ex vero inſtituitur, viæ rectæ no- "
mine commendatur; ſin verò vel incerto conſilio, vel ex libidine agatur,
peruerſa & improba vocatur via. Atque hominum genus omne pecudum Hominũ genus gregi ouiũ ſimile.
gregi dicitur ſimile. Quod animal, niſi idoneum magiſtrũ, quem ſequatur,
agnoſcat; variis diductum erroribus, vario ac multiplici fit obnoxium peri-
culo. quo in errore homines omnes à primo vſque hominum parente alios
aliò à tramite recto diductos fuiſſe verſatos, & hic Vates narrat, & alij
identidem confirmant, Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, Pſal.
vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, ſi- "
mul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. "
Id autem quàm veriſsimum eſſe, diuina docuit lex, quæ ſola diuinarum iu- Lex via iuſtitiæ.
ſtificationum via ne cultores quidem ſuos antiquos ad perfectum adduxit, Pſal. 118.
propter carnis infirmitatem: illos autem, quibus non accepta fuit, erroris,
& peruerſitatis damnauit. Quare diuinæ bonitatis fuit, hunc vnicum pa- Chriſtus paſtor.
ſtorem cõſtituere, qui quæſita pecora, è variisq́ erroribus reuocata in vnius
gregis formam cogeret, coactaq́ idem ipſe regeret & paſceret: Ego ſum pa- Ioan. 10.
ſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis: mercenarius "
autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum ve- "
nientem, & dimittit oues, & fugit; & lupus rapit, & diſpergit oues: Mer- "
cenarius enim fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de oui- "
bus. Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ. "
Sicut nouit me Pater, & ego agnoſco Patrem, & animam meam pono pro "
ouibus meis. Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili; & illas oportet "
me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus paſtor. "
Altera tranſlatio ex plantis arboribusq́ ſumpta, nec minus in ſacro ſer-
mone frequens hominum genus omne ad arborum refert naturam, eámque Homines arboribus comparantur.
multiplicem, propter ingeniorum varietates, ac dona ſingulis hominibus à
conditore conceſſa, idq́ ferendi cauſa fructus: qui ſi requiratur, vel degener
inueniatur, exciſionis & ignis iudicio obnoxias coarguit plantas. Pluri-
mum autem in colendarum arborum ſcientia intereſt, quemadmodũ vna-
quæque planta ab ipſis primum virgultis inſtituatur ac formetur, vt & ipſa
recto creſcat ſtipite, & nulli alij ad creſcendum, ac fructum ferendum im-
pedimento ſit. quare in hunc vſum & valli acuuntur, & furcæ parantur;
quibus à teneris alligatæ plantæ & rectè creſcant, & cæli influentiis opor-
tunè atq; ex æquo fruantur: atque ita fructibus ferendis reddantur idoneæ.
Atqui homines omnes quàm primùm natos, ab huiuſmodi cura neglectos, Hominum deprauatio.
in diuerſaq́ diſtortos ac deprauatos inclinaſſe Vates ait. atque ita à naturæ

Vitæ lignum Chriſtus. Prauitatis humanæ correctio.

ſuæ integritate & bonitate degeneraſſe, ignisq́; ſubiiſſe damnationem, niſi diuinæ ſapientiæ cōſilio vitæ lignum viuidum in paradiſi medio prouiſum & conſtitutum fuiſſet: cui quæcunque adligatæ adniterentur plantæ, à prima ſui prauitate ad rectum reductæ, emendarentur & conualeſcerent. Id autem vt fieret, ipſam mediam & rectiſsimam atq; firmiſsimam vitæ arborem laborare oportuit; vtpote quæ vnica diuerſarum prauitatum reluctantem vim ſuſtineret; & ſuſtinendo, corrigeret. Atq; hoc pacto humani generis gubernandi curam, corrigendi ac dirigendi laborem & negotium integrum huic vni redemptori demandata & ſuſcepta, atq; ſuſtentata eſſe declarantur. Heb. 2. *Eum autem, qui modico quàm Angeli minoratus eſt, videmus*
» *IESVM propter paßionem mortis gloria & honore coronatum, vt gratia*
» *Dei pro omnibus guſtaret mortē. Decebat enim eum, propter quem omnia,*
» *& per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalu-*
» *tis eorum per paßionem conſummare: qui enim ſanctificat & qui ſanctifi-*
» *cantur, ex vno omnes: propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare. Atque in hunc modum interpretamur verbum,* Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum. HIPHGIAH BOETH GHAVON CULANV. obuiare fecit in eo prauitatem omnium noſtrum. *Italicè, Ha fatto riſcontrar in quello il torto di tuti quanti noi. Atque ita huius pontificis atq; redemptoris neceßitatem hominum generi vniuerſo communem, ac diuini conſilÿ magnitudinem, benignitatem, ac miſericordiam Dei erga homines, hactenus commendatam ipſis Ieſu Chriſti voluntatis fidei, atque obedientiæ & patientiæ conſtantiæq; deſcriptio & commendatio ſubſequitur.*

Oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum: ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.

Chriſti ſacrificium.

V T *quondam aris ac ſacrificio deſtinatas oues, placidißimum & innoxium pecus, eorum, pro quibus mactabantur, vicem ſubibant: ita Chriſtum vnicum Dei agnum pro cunctis hominibus ritè litaturum, ac diuinæ iuſtitiæ ſuffecturū, vltrò ſeſe Patris voluntati dediſſe ait. idq́; à principio mundi deliberatum & conſtitutum certumq́; ſignificat. Quare & fortiter, ſimul, atque conſtanter ſubitum non ignaro tum crudeliſsimæ mortis, tum etiam plagarum & contumeliarum, quæ morte ipſa non leuiores addendæ erant. ita eidem prædicta,* Lucæ 18. *Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & conſumma-*
» *buntur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis: Tradetur*
» *enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur, & poſtquam*
» *flagellabitur occident eum. Hæc omnia prædicta à Vatibus, ait. quæ appoſitißima pecudis mitißimæ imagine ab Iſaia ſignificata ſunt.* Oblatus eſt, Ioan. 18. quia ipſe voluit. *IESVS itaque ſciens omnia quæ ventura erant ſuper ſe,*
» *proceßit, & dixit eis, Quem quæritis? Reſponderunt ei, Ieſum Nazare-*
» *num. Dixit eis Ieſus: Ego ſum. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum,*
» *cum ipſis. Vt ergo dixit eis, Ego ſum, abierunt retrorſum, & ceciderunt in*
» *terram. Iterum ergo interrogauit eos, quem quæritis? Illi autem dixerunt,*

Ieſum

Ieſum Nazarenum. Reſpondit Ieſus, Dixi vobis, quia ego ſum: ſi ergo me "
quæritis, ſinite hos abire. Cohors ergo & tribunus, & miniſtri Iudæorum "
comprehenderunt Ieſum, & ligauerunt eum, & adduxerunt eum ad An- "
nam primùm. Sicut ouis ad occiſionem ducetur. *Adducunt ergo Ie-* Indid.
ſum à Caipha in prætorium: erat autem manè, & ipſi non introierunt in "
prætorium vt manducarent Paſcha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & di "
xit, Quam accuſationem affertis aduerſum hominem hunc? Reſponderũt, "
& dixerunt ei, Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum. Et "
quaſi agnus corã tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuũ. *Ob-*
muteſcere eſt, nihil queri, nihil eloqui. Tũc ergo apprehẽdit Pilatus Ieſum, "
& flagellauit, & milites plectẽtes coronã de ſpinis, impoſuerũt capiti eius, "
& veſte purpurea circumdederunt eum; & veniebant ad eum, & dicebãt: "
Aue Rex Iudæorum. & dabant ei alapas. Hanc mentem, hanc fortitudi- "
nem atque patientiam præſtiturum præuidebat ac indicabat Iſaias, idque hominum cauſa laturum, quorum culpa erat non ſua; & tamen laturum iiſdem mortis iudicibus & miniſtris mortis, inquam, per iniuriam, violentiam, & præter omne iudicium inferendæ. Neque enim vel vlla allegari potuit lex, quæ ritè examinata, ſupplicium illi innocenti indiceret, neque in eo ipſo iudicio, quo damnatus eſt, vlla iudicialis ratio aut formula ſeruata eſt, ſed omnia per aſperitatem, & per tumultum acta & tranſacta; imò & perturbata. Hoc illo, qui ſubiunctus eſt, ſignificatur verſu.

De anguſtia & de iudicio ſublatus eſt: generationem eius quis enarrabit? quia abſciſſus eſt de terra viuentium: Propter ſcelus populi mei percuſſi eum.

Huius carminis interpretatio non Latinis modò antiquarum ignaris linguarum, verùm & ipſis primæuam callentibus linguam, negotium facit. illis propter inſolentiam ſignificationis præpoſitionum, De, è, ex, præ, *quæ primæuam præpoſitionem* MIN *referunt. His verò propter vltimum pro-* MIN.
nomen LAMO, *rarò in hanc formulam pronunciatum. Vtriſque verò faciliorem interpretationem rei ipſius notitia reddet. cui etiam fores ipſa carminis verſio ex verbo aperiet.* ME GHOTSER VMI MISPAT LVCAHH, VEETHDORO MI IESOHHEHHA CHI NIGZAR MEERETS HHAIIM, MI PESSAGH GHAMI NEGAGH LAMO. *Ex verbo,* A clauſura & à iudicio ſublatus eſt, & ſtructuram illius quis eloquetur, quòd exciſus eſt de terra viuentiũ? à ſcelere populi mei percuſſus eſt illis ſingulis. *Præpoſitio* MIN *efficientem & finalem cauſam & locum, aut ſtatum, conditionemque rerum ſignificat: interdum etiam comparationis exceſſum adnotat. denique magnum ad ſententiam in omni parte momentum habet: neque vnquam ita ſingulariter vertitur, quin ceterorum indictione officiorum vim retineat. adeò multum refert germanæ ac primæuæ lectionis diligens & attenta conſultatio. Magnum myſterium cauſæ humanæ à Chriſto ſuſceptæ in hoc verſu Vates includit; fore enim ait vt Chriſtus comprehendatur, & iudicetur, vti ſontes comprehendi, vinculis teneri, iudicari, ac in ſupplicium rapi ſolent: cùm tamen ille idem ſit inſons. Sed nihilo-*

minus tamen totius populi vicem agens, pœnas etiam luat, non pro ſuo ſcelere, quod nunquam ipſe vel admiſerit, vel admittere potuerit; ſed pro publico & communi omnium ac pro ſingulorum ex populo priuatis criminibus. Quibus humanum genus (cuius ille expiandi partes ageret) tenebatur. Hoc argumentum ita Vates eloquitur, vt Ieſum non temere, vel caſu aliquo, cacóve tumultu ad ſupplicium raptum ſignificet, quanquam hoc ita exiſtimari poßit iis, quos rei fugerit ratio, ſed de clauſura, *ſiue* anguſtia, & de iudicio ſublatum, & de certa iudicij ratione raptum. *Verùm quemadmodum illud iudicium initum & peractum fuerit, paucis cognitum, ac dictu promptum conſtare, nimirum eum, cuius ſi in mores & vitam inquiratur,*

Ioan. 19. *neceſſariò pronunciandum ſit, Ego nullam inuenio in eo cauſam. Hoc eſt,* ſtructuram, *ſiue* generationem, *illius vitæ & conſuetudini collatam, quis vel cogitatione conſequetur, vel oratione enarrabit, quamobrem* ſublatus *ſit* de terra viuentium, *tanquam maleficus, de quo ſcriptum, ac lege*

„ *ſancitum, Auferes malum de Iſrael. Verùm enimuerò quod nemo hominum, vt par erat, cogitare, aut clarè docere poſſet, Deus ipſe, qui indicet, inducitur,* A ſcelere populi mei percuſſus eſt LAMO, illis ſingulis. *Nam quod cuncti, quod ſinguli debebant, ille vnicus pro omnibus expiando pertulit, nunquam aliàs, niſi ille ſolus procuraret, expiaturis.* LAM, *plurale eſt, & genericum pronomen: vau affixum ſingularis numeri, publica cum priuatis coniungunt. Lamed litera cum datiuo deſeruit, cõmodum vel incommodum arrogat ei cui adiungitur. Idemq; valet atq;* pro *Latinorum, & ad illam refertur formulam, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hanc autem ratione͂, hanc ſonticam inſontis Ieſu cauſam non obſcurè com-*

LAMO.

Ioan. 18. *memoratã olim vnus ex Iudaico populo retulit Caiphas: qui cùm eſſet Pon-*
„ *tifex anni illius, dixit eis [conſulentibus vnà] Vos neſcitis quicquam neque*
„ *cogitatis: quia expedit nobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota*
„ *gens pereat. Hoc autem à ſemetipſo non dixit, ſed cùm eſſet Pontifex anni*
„ *illius, prophetauit, quòd Ieſus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro*
„ *gente; ſed vt filios Dei, qui erant diſperſi, congregaret in vnum. Ab illo ergo*
„ *die cogitauerunt vt interficerent eum. Neque verò probra & ſupplicia atque tormenta viuentem tantummodo perlaturum Chriſtum, præuidere Vates, verùm mortuum etiam & ſepultum iniuria afficiendum; idque ab improbis & opulentis.*

Et dabit impios pro ſepultura, & diuitem pro morte ſua: eo quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius.

Sine primæuæ lectionis ope locus hic difficiles explicatus habet, propter peregrinæ dictionis reliquias. VEIITHEN ETH RESAGHIM KIBRO VEETH GHASIR BEMVTNAV GHALLO HHAMAZZ GHASA VELO MIRMAH BEPIV. *Ex verbo,* Et dabit improbos ſepulcrũ eius, & diuite͂ in mortibus eius; ſuper non iniuriã fecit, & nõ dolus in ore eius. *Nullus hominis ſupplicium cuiquã commodũ vel compendiũ, præterquã tortori, affert: quippe tortor, vltrà operæ mercedem, ſontis quoque veſtimenta detracta vſurpat. id quod Chriſto etiam Ieſu eueniſſe, & Vates præcinuêre, & ſacræ*

Mors & ſepultura Chriſti quæſtuoſa

cræ

cræ narrant hiſtoriæ: Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Et milites quidem hæc fecerunt. Verùm illud extremæ apud homines immanitatis ac ſæuitiæ rariſsimum exemplum fuit, mortuo etiam, etiā ſepulto inſultare ac detrahere, etiam ſeductoris nomen, & notam inurere velle, nec ſumptui ac largitioni ob eam rem parcere. Ita vt militibus prætorianis improbiſsimo hominum generi non modo ſupplicium Ieſu, verùm & ſepulchrum fuerit quæſtuoſum. Altera autem die, quæ eſt poſt Paraſceuen, conuenerunt Principes ſacerdotum & Phariſæi ad Pilatum, dicentes: Domine recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc viuens, Poſt tres dies reſurgam. Iube ergo cuſtodiri ſepulchrum vſque in diem tertium, ne fortè veniant diſcipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi, Surrexit à mortuis: & erit nouiſsimus error peior priori. Ait illis Pilatus, Habetis cuſtodiam: ite cuſtodite ſicut ſcitis. Illi autem abeuntes munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus. Quos cuſtodes pecunia corruptos legimus, ac ſublatum corpus mentiri iuſſos. Quæ cùm abiſſent, ecce quidam de cuſtodibus nunciauerunt Principibus ſacerdotum omnia quæ facta fuerant. Et congregati cum ſenioribus conſilio accepto pecuniam copioſam dederunt militibus, dicentes: Dicite, Quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum, vobis dormientibus. & ſi hoc auditum fuerit à Præſide, nos perſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus. At illi, accepta pecunia, fecerunt ſicut erant edocti. Et diuulgatum eſt verbum iſtud apud Iudæos vſque in hodiernum diem. Atqui omnia hæc Vatibus mōſtrata, & antè viſa & prænunciata conſtabant non modò occiſum iri inſontem Ieſum, pro hominum genere ſontem factum, verùm vt impoſtorem, & ſeductorem in ſepulchro etiam cuſtodiendum, & cuſtodibus propter falſum teſtimonium ditandis, occaſionem futurum; quamquam ex ea re tamen nihil ipſi de ſua veritate detractum fuerit: quippe cùm omnis illa res apud Iudæos vulgata euaſerit, ſe qui dum cuſtodiretur, teſtes etiam reſurrectionis habuerit cuſtodes: qui nunciauerunt Principibus ſacerdotum omnia, quæ facta fuerant, & eo etiam nomine dites præſtiterit, vtpote copioſam pecuniam reportātes in morte illius, quam affirmare nequicquā iuſsi ſunt.

Psal. Ioan. 19. Mat. 27. Mat. 28.

BEMOTHAV, in mortibus ſuis. *Arcana orationis formula: nam prima & vera morte Chriſti milites veſtibus Ieſu aucti fuerant; quas teſtimonium eſſe conſtabat hominis mortui: poſteà verò iuſsi denuò mortuum affirmare, ſed raptum tamen, iterum de morte lucrum fecerant. Itaq; bis vtilem ſibi & quæſtuoſam Ieſu mortem dicere potuerunt. Verùm longè maiore myſterio mortis nomen duali numero hîc pronunciatur, cùm Chriſtus ſemel paſſus & mortuus, vna eademq; expeditione corporis naturalis ac ſui myſtici etiam corporis mortem deglutierit ac tranſegerit. Quod verò ſeductoris nomine etiam in ſepulchro mortuus, ab improbis militibus cuſtodiendus erat, & præuidit Vates, & obiecta depulſione occurrit hoc ſenſu: ille idem feret impios ſepulchri ſui cuſtodes, & morte ſua diuites faciet: à quo nemini vnquam facta fuit iniuria; ſed nec vllum mendacium, vllum doloſum verbum vel dicendo pronunciatum. atque ita vt nocens, vt ſceleratus,*

ratus, vt ſeductor habitus ac tractatus ille, qui vnicus omnium hominum nihil huiuſmoni criminum in ſe admiſerat; ſed omnium aliorum noxas & culpas luiturus expiaturusq́; ſubierat. id quod nullis mortalium conſiliis decerni poterat: vtpote quorum facultatem & cognitionem, ac ſapientiam huiuſmodi ratio maximè lateret. quæ tamen tanta conſtantia, tam recta & continuata ſerie acta, tranſactaq́; fuerint & ante præuiſa ac pronunciata, vt à certo conſilio, & cōſtituto iudicio nullo pacto diſtare poßint. quod cùm non humanum fuiſſe intelligatur, conſequitur planè fuiſſe diuinum, idq́; certißima cauſa, hoc eſt, publicæ et communis omnium ſontiū ſalutis fuiſſe inſtitutum, vt hoc pacto cadens in terram, & mortuum granum in vberrimam promoueatur & proueniat frugem, atque ex vnius morte plurimorum eueniat, & propagetur vita.

Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate: ſi poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.

Cauſas, rem, atque modos indicando ſignificauit ſuperiùs Vates, & conſilium omne contexuerat, nunc auctorem indicat, & negotij totius prædicit ſucceſſum. Fore, inquam, vt huius hominis morte mortalium cunctorū deleatur mors, eiuſdem verò reſurrectione & vita generis humani publica communisq́; ſalus, & æterna proueniat vita. Idq́; mirandum, atque diuino conſilio cum ſumma laude tribuendum euadat, ex infirmitudinis expoſitione æternæ firmitudinis lucrum reportari, ex ſingulari morte multorum extingui mortem, & cum vno reſurgente innumeras hominum myriadas, quotquot illi commori contigerit, eſſe reſurrecturas. Hoc autem non niſi diuinæ ſapientiæ, virtutis ac voluntatis opus eſſe potuit. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate. *In carne mortali, quæ infirma in Chriſto pars primùm fuit. An experimentū quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus: qui in vobis non infirmatur, ſed potens eſt in vobis. Nam ſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei. Hoc autem ita diuino iudicio decretum refert Vates.* Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum. *Ad quod* IESVS *ipſe reſpiciens aiebat: Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Quod hîc Latinè* peccatum *dicitur, in ſacra lingua eſt* ASAM, *à nobis non ſemel definitum & expoſitum, dictumq́; eſſe peccatum à publica perſona admiſſum: cuius exemplum ad alios trahatur. quo nomine nullum pronunciari potuit aptiùs, quo primi hominum parentis ſcelus ad poſteritatem omnem & contage, & imitatione tranſmiſſum exprimeretur. id quod à nemine, præterquam à ſolo Chriſto expiari potuit, animam ſuam in obſequium & ſupplicium tradente, vt ſicut ille vidit ſemen breuis vitæ, atq; adeò morti æternæ addictum: ita contrà hic nouus Adam videat ſemen longæuum, nunquam à morte intercipiendum, vel extinguendum æterna.* Semen longæuum. *Exemplaris oratio maiùs & auguſtiùs multo ſignificat* IAARICH IAMIM, quod producet [*perpetuò*] dies. *quod aliàs ab interprete Latino redditur, in longitudinem*

Margin notes: Mortis Chriſti ſeges ampliſſima. — 2. Cor. 13. — Ioan. — Peccatum. ASAM. — Adam nouus.

nem dierum. quæ longitudo nullum habitura ſit finem. Non legimus, Producet dies ſuos: ita vt determinatum quempiam ſignificet modum; ſed producet dies, *vt nullus dici ſupremus dies poßit; ſed alium atq. alium expectaturi ſint ſinguli. quæ indefinita vox à dialecticis dicitur. Atq. hoc pacto Chriſtus non æternitatem tantummodo, ſed ſanctitatem etiã diuinam cultoribus effecturus erat ſuis. Diuinam, inquam, ſanctitatem non ab humana vel induſtria, vel voluntate profectam, ſed à Deo præſtitam, iis, qui credunt in nomine Filij, qui non ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Atq. ita* voluntas Domini in manu eius dirigetur. *Voluntatem autem Domini ex Apoſtolo interpretamur. Hæc eſt enim voluntas Dei ſanctificatio veſtra. & ex D. Petro clarißimè, Chriſto paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini. Quia qui paſſus eſt in carne, deſiit à peccatis, vt iam non deſideriis hominum, ſed voluntati Dei, quod reliquum eſt in carne, viuat, temporis. Nolite diligere mundum, neque ea quæ ſunt in mundo. Si quis diligit mundum, non eſt caritas Patris in eo. Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non ex Patre, ſed ex mundo eſt. & mundus tranſit, & concupiſcentia eius: Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. Hanc voluntatem in Chriſti paßi manu dirigendam eſſe præcinebat Vates.* in manu eius dirigetur IITSLAHH. proſperabitur. *Sic enim aliàs interpres noſter verbũ* TSALAHH *Latinè reddit. vt, Et omnia quæcunque faciet* IATSLIAHH, *proſperabuntur. Cuius voluntatis declarationem vt ab ipſo pronunciatam Deo atque à Vate relatam, operæpretium fuerit audire.*

[Margin: Sanctitas & æternitas. — Ioan. 1. — Voluntas Dei. — 1. Theſſ. 4. — 1. Pet. 1. — 1 Ioan. 2. — Pſal. 1.]

Pro eo quòd laborauit anima eius, videbit & ſaturabitur: in ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit.

Duæ Chriſti partes in hoc verſu cõmendantur, voluntas & obſequium; ad obſequium verò virtus, & facultas operaq. refertur. Primum quidem humani generis redemptionem & ſalutem anxiè à Chriſto fuiſſe expetitã, non ſecùs atq. ab eo, qui vehementer eſurit, cibus appetitur. pro eo quòd laborauit anima eius. *Anima laborare dicitur cùm eſurit aut ſitit. vt, Eſurientes & ſitientes; anima eorum in ipſis defecit. Interea rogabant eum diſcipuli, dicentes: Rabbi manduca, Ille autem dixit eis, Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis. Dicebant ergo diſcipuli ad inuicẽ, Nunquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis Ieſus, Meus cibus eſt, vt faciam volũtatem eius qui miſit me, vt perficiam opus eius. Hanc famem maxima ac diuina ſaturitate expletum iri, pollicetur Deus, &* ſuum ſeruum iuſtum, *iuſtitia ſua complures affecturum. Iuſtitiam autem alio nomine cognitionem, ſiue* ſcientiam *vocat.* In ſcientia ſua iuſtificabit iuſtus ipſe ſeruus meus multos. *Quam Chriſti ſcientiam tam actiuè quàm paſſiuè interpretamur; nempe qua ipſe & ſuos cognoſcit, & à ſuis cognoſcitur, aliàs etiam Sanctorum ſcientiam dictam: Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ. Hæc eſt autem vita æterna vt cogno-*

[Margin: Chriſti partes. — Chriſti deſiderium & fames. — Animæ labor Pſal. 106. — Ioan. 4. — Iuſtitia. Cognitio. Scientia. — Cognitio, ſiue ſcientia Chriſti. — Scientia ſanctorum. — Ioan. 10. — Ioan. 17.]

ſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Id quod ab
Philip. 3. Apoſtolo planè exponitur. Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus
» ſum propter Chriſtum detrimēta. Veruntamen exiſtimo omnia detrimen-
» tum eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei, propter
» quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucri-
» faciam: & inueniar in illo habens non meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed
» illam quæ ex fide eſt Chriſti, quæ ex Deo eſt iuſtitia in fide, ad cognoſcēdum
» illum, & virtutem reſurrectionis eius, & ſocietatem paſſionum illius, con-
» figuratus morti eius, ſi quomodo occurram in reſurrectionē, quæ eſt ex mor-
tuis. Hanc autem iuſtitiæ communicationem à Chriſto præſtitum iri, ait, à
quo illorum iniquitates expiandæ eſſent. & iniquitates eorum portabit.
Namque res hoc pacto expedienda erat, vt ipſe ſuorum ſuſciperet luiturus
culpas, & ſuam iiſdem communicaret iuſtitiam: atque ita principibus &
poteſtatibus expoliatis, captiuos in libertatem aſſereret, & aſſertos, in filio-
rum Dei conſcriberet gloriam.

Ideò diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia, pro eo quòd
tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus
eſt: & ipſe peccata multorū tulit, & pro tranſgreſſorib. rogauit.

Enthuſiaſmo hæc omnia cantata & ſcripta ſunt, quamobrem ita præter-
ito prænunciantur, ac ſi acta prorſus tranſactaq́ conſtarent, propter diui-
Ioan. 1. næ veritatis fidem. Diſpertiam ei plurimos. Quotquot enim receperunt
» eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine eius.
Heb. 2. Oportebat enim eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos
» filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſum-
» mare [perfectos facere credentes in ſe] & fortium, diaboli, mortis ac pecca-
ti, quibus humanū genus obnoxium fuerat, ſpolia diuidet. S. S. E. O mors,
ego ero mors tua, & morſus tuus, ô inferne. Quorum omnium Chriſtus
per obedientiam, laborum tolerantiam, & mortis atq́ ignominiæ patiētiam
victor & compos euaſit: & pro ſua reuerentia exauditus, humanum genus
à ſe commendatum Deo reconciliauit Patri, in filiosq́ adoptionis tranſtu-
Chriſti fortitudo & patientia. lit. Ipſe peccata multorum [vnus] tulit, & pro tranſgreſſoribus, atque
adeò pro iis, à quibus cruci affixus & irriſus eſt, rogauit. Obedientia autē,
conſtantia, & fortitudine eo vſque magnitudinis proceſſit; vt etiam inno-
centiſſimus & puriſſimus in ſceleratorum, & malefactorum numero ſeſe
reputatum, & cum duobus latronibus productum: tamen neque verbo ex-
Mat. 9. ceperit; ſed illud conſtanter cognitum & pronunciatum pertulerit: Hæc eſt
» hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. & dimicare paranti diſcipulo dixerit,
» Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? Hoc autem eſt,
quod idem ipſe à ſe expectatum referebat: Et quomodo ſcriptum eſt in Fi-
lium hominis, vt multa patiatur, & contemnatur. Atque hic idem ſermo ab
Euangeliſtis vel apertè citatus, vel arcanè indicatus conſtat. vt à Mattheo,
Mat. 8. Veſpere autem facto, obtulerunt ei multos dæmonia habentes; & eiiciebat
ſpiritus verbo: & omnes malè habentes curauit, vt adimpleretur quod di-
1. Cor. 15. ctum eſt per Iſaiam Prophetam dicentem: Ipſe infirmitates noſtras accepit,
&

& ægrotationes portauit. Notum autem vobis facio, fratres, Euangelium, "
quod prædicaui vobis: quod & accepiſtis, in quo & ſtatis, per quod & ſal- "
uamini; qua ratione prædicauerim vobis. Si tenetis, niſi & fruſtra credi- "
diſtis. Tradidi enim vobis in primis quod & accepi, Quoniam Chriſtus "
mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundùm Scripturas, & quia ſepultus eſt, "
& quia reſurrexit tertia die ſecũdùm Scripturas. & Petrus: Hæc eſt enim 1 Pet. 2.
gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias patiens iniuſtè: "
quæ enim eſt gloria, ſi peccantes & colaphizati ſuffertis? ſed ſi bene facien- "
tes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum: in hoc enim vocati eſtis: "
quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſe- "
quamini veſtigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore "
eius. qui, cùm malediceretur, non maledicebat, cùm pateretur, non commi- "
nabatur; tradebat autem iudicanti ſe iniuſtè. qui peccata noſtra ipſe pertu- "
lit in corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus, cuius "
liuore ſanati ſumus. "

ARGVMENTVM VATICINII TRIGESIMIPRIMI.

DVÆ ſunt Ieroſolymæ vrbes, vna in Iebuſum regione quondam ſtructa, & ab Iſraelitis bello capta; atque à Dauide prorſus expugnata, & pacata. in qua Iudæ viguit regnum. Florentiſſima quidem illa aliquando, & ciuibus frequentiſſima: tamen qui legis maledicto obnoxij erant propter peccati ſeruitutem. Altera verò libera, & planè cæleſtis: Eccleſia, inquam, Euangelica, quæ ante Ieſu Chriſti aduentum promiſſa quidem fuerat, ac ſæpè ſæpiùs commendata: tamen cultores omnino requirebat, vtpote quos nondum habuerat, dum illa altera terreſtris maneret. Hanc verò à Deo Chriſti virtute, opera, efficacitate, ac miniſterio denſis ac frequentiſſimis ciuium familiis inſtruendam, & æterna felicitate beandam opportunis tranſlationibus & imaginibus Vates noſter præcinit. Hoc autem huius vaticinij argumentum nos D. Paulus docuit, ipſe à ſancto primùm edoctus Spiritu.

Ieroſolymæ duæ.

Eccleſia.

CAPVT LIV.

LAVDA ſterilis, quæ non paris, decanta laudem & hinni, quæ non pariebas: quoniam multi filij deſertæ, magis quàm eius, quæ habet virum, dicit Dominus.

MATVRÆ *ad generandum & procreandam ſobolem mulieri maximam curam & mæſtitiam ex ſterilitate accidere, argumento & exemplo clariſſimo Rahhel Iaghacobi, & Hanna Elcanæ vxores eſſe poſſunt, eædemque rurſus probare quanta hilaritas, quantaq́ lætitia poſt diutinam ſterilitatem prolis & filiorum afferat copia, eamq́ tanto maiorem, quanto illa & numeroſior, & breuiori contigerit tempore. Et quidem ab Adamo vſque ad Chriſtum cæleſtis vrbs inſtituta quidem ac deſignata fuerat: tamen ci-*

Cæleſtis Ieruſalem ante Chriſtum ſterilitas. Ioan.

uibus carebat liberis, quales cæleſtes eſſe decuit: propterea quod in hominum genere peccatum regnabat. Qui verò facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Seruus autem non poteſt manere in domo in æternum. Verùm enimuerò ab occupata per Iſraelitas in Chananæorum & Iebuſæorum agris terra Ieroſolyma vrbs capta, & coli cœpta; atque Iudææ tribui poſſeſſa fuit, indiesq́ue ad regiæ vſque metropolis dignitatem creuit, & ciuibus, ac multis adaucta fuit ornamentis. quæ tamen, quamquam filios haberet, cæleſtem tamen libertatem ac nomen cæleſtis regni non obtinuit, eo quòd ſub lege ſeruiret. quam legem nihil ad perfectum adduxiſſe, D. Paulus ex re, & ex vero teſtatur. Atqui lex viri coniugis mulieri alligati nomine & iure in arcanis cenſetur ſermonibus. S. S. E. An ignoratis (ſcientibus enim legem loquor)

Lex, vir, ſiue maritus. Rom. 7.

» *quia lex in homine dominatur quanto tempore viuit? Nam, quæ ſub viro*
» *eſt, mulier, viuente viro, alligata eſt legi, ſi autem mortuus eſt vir eius, ſoluta*
» *ta eſt à lege viri. Atque ita Ieroſolymam illam terreſtrem, quamuis ciuibus, & opibus aliquando celebratiſſimam, tamen cum filiis ſuis legis obnoxiam ſeruituti accepimus. Verùm hanc ob altera illa cæleſti, quam iam pridem cogitabat, atque inſtruendam parabat auctor Deus: innumerabili filiorum & ciuium exceſſu & frequentia ſuperatum iri ait Vates. idq́ue ſpectaculum repentè edendum, magna cum gratulatione excipiendum, eidem nouæ ciuitati commendat Vates. quam tam iam deſignatam, atque in æterno conſilio præſcriptã, vt præſentem allocutus, ad multiplicem lætitiam variis canendi & laudandi vocibus ac modis celebrandam incitat.* Gaude ſterilis, quæ non paris. RINI GHAKRAH LOIALDAH. Cantando exulta ſterilis, quæ non peperit. *Repentina perſonarum mutatio in verbis alacritatem animi dicentis indicat.* RANAN, *lætitiæ celebritatem ſignificat, atque laudem decantandam. Apud D. Paulum idem verbũ in* lætare *vertitur. idem verò affectus, idemq́ue lætitiæ & gratulationis ſenſus alio atque alio prodẽdus modo ſuadetur.* Decanta laudem, & hinni quæ non parturis. *Huius celebritatis cauſam ex eo commendat, quòd, cùm cæteræ mulieres, etiam quæ naturam ſunt ſortitæ fœcundiorem, tamen liberos non ſine dolore & infirmitudine edant: hæc altera Ieruſalem, quam alloquitur, plurimorum liberorum repente extitura ſit mater: idq́ue citra vllum cruciatum, citra infirmitatem doloremq́ue omnem. non quòd hoc humana opera aut virtute contingere poßit, aut naturalis aliàs exempli futurum ſit; ſed diuinæ efficientiæ beneficio conſtiturum. S. S. E. Qui non ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Quia multi filij deſertæ magis quàm eius quæ habet virum, dicit Dominus. *Deſerta appellatur Ieruſalem cæleſtis, quam nemo hominum ante Ieſu Chriſti Euangelij virtutem incoluerat: Ieruſalem verò terreſtris propter legis, cui obnoxia erat, ſeruitutem, virum habere dicta eſt. Sic Paulus, Sina, inquit, mons eſt in Arabia, qui coniunctus eſt ei, quæ nunc eſt Ieruſalem, & ſeruit cum*

Ranan.

Ieruſalem nouæ fœcunditas.

Ieruſalem terreſtris vir, & ſeruitus Gal. 4.

» *filiis ſuis. Illa autem quæ ſurſum eſt Ieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater no-*
» *ſtra. Scriptum eſt enim: Lætare ſterilis, quæ non paris: erumpe & clama,*
» *quæ non parturis: quia multi filij deſertæ magis, quàm eius quæ habet virum.*

rum. Nunquam enim terreſtris Ieruſalem tot ciuibus celebris fuit, atque cæleſtis hæc, quæ poſt Euangelij lucem & Chriſti efficientiam frequentari cæpta eſt. Nomen filij *in ſacra lingua myſterium clariùs indicat*, BENEI SEMAMAH, ædificati deſertæ. *qui in deſerta antè vrbe ædificati ſunt.* Filij.
magis quàm eius quæ habet virum. *In exemplari ſignificantiùs*: MIBENEI BEGHVLAH. quàm filij dominatæ, *ſiue* maritatæ. *Seruitutem legis participium* BEGHVLAH *reſpicit. Iam verò ſanctioris huius multitudinem prolis declaraturus Vates argumentum à relatiuis ducit, miráque expolitione rem docet, fore vt non ſolùm ex Iſraelitis ſecundùm carnem, ſed ex omnibus gentibus, nationibus, & linguis hæc inſtruatur & incolatur ciuitas vni Deo ſeruitura ſub vnico rectore & capite regenda Chriſto.*

Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clauos tuos conſolida. Ad dexteram enim, & ad læuam penetrabis, & ſemen tuum gentes hæreditabit.

Ieroſolymæ huius felicitatem duobus nominibus amplificandam ſignificat, frequentiæ & æternitatis. Primas hominum habitationes in tentoriis, pro tempeſtatis & commoditatis vſu mutandis fuiſſe, architectorum hiſtoriis ac diſciplina accepimus. Inde factum eſt, vt tentorij & tabernaculi nomina pro domibus, atq; etiam pro vrbibus vſurparentur. Præterea antiquos patres Abrahamum, Iſaacum, Iaghacobum cum familiis ſuis tentoria tenuiſſe legimus. S. S. E. In caſulis habitans cum Iſaac & Iaghacob cohæredibus repromiſſionis eiuſdem. Tabernacula verò propter durationis & vmbræ atq; protectionis opportunitatem, pellibus commodiſſimè intentis, collocabantur. S. S. E. Sicut tabernacula Cedar, ſicut pelles Madian. Deinde verò vſu receptum eſt, vt carbaſeis & lineis etiam velis conficerentur. Sacrum in ſolitudine tabernaculum quaternis velatum legimus cortinis, lineis primùm, deinde camellotinis, tertiis arietinis pellibus, poſtremis taxinis horridioribus, & ventis, aquæ atq; frigori ſoliq; arcendo aptioribus. Ad primam itaque inſtitutionem alludente oratione, monetur vrbs hæc, de qua ſermo eſt, locum ſibi capaciſſimum optare ac dilatare; idq; ad dexteram & ad læuam, hoc eſt, ad Boream & Auſtrum, quibus ex partibus terræ ſitus minor quàm ab ortu & occaſu eſt. Et tamen nullam fore orbis partem, quo non demum ciuitas hæc pertineat, Vates ait. Quare & capaciſſimum parare iubetur. Et quoniam ex omnibus nationibus vnicam tantùm conſtare Deus vult Eccleſiam, in qua vnum corpus, vnum caput, vnum etiam ſit Chriſti baptiſma, ideo ſingulari numero nominatur, dilata locum tentorij. *Idq; tentorium vnicum quidem collocatione, verùm variis miniſteriis & vſibus diſtinctum iri ſignificatur altero nomine pluraliter pronunciato.* Tabernaculorum tuorum. OHEL, *pro quo Latinus vertit* tentorium, *ſupremum præcipuè tectum, ſiue velamen ſignificat, quod in vna domo & familia vnicum eſſe ſolet.* MISCHAN *verò ab ipſa commoditate, & opportunitate habitandi nomen habet. quam pro familiæ ſingularibus officiis & muneribus variã eſſe oportet. Ita ſub vnico velo plures diuidi manſiones,*

Margin notes: Prima habitatio hominum. — Tabernaculum. — Tentorium. — Cant. 1. — Eccleſiæ vnitas. — OHEL. — MISCHAN.

ſiones, nihil obſtat. In vna autem Eccleſia quoſdam eſſe Apoſtolos, quoſdam Epiſcopos, alios presbyteros, doctores alios, & alios etiam varijs partibus addictos, è reipublicæ huius recta fuerit inſtitutione. Atq; hæc omnia amplificationem ſpectant, durationem verò & æternitatem illa. & Claui taber-naculorum. uos tuos conſolida. Claui in tabernaculo paxilli & cunei ſunt. quibus in terra defixis cortinarum & mallei funes alligati hærent. ij, quo ſolidiores, rigidiores, & altiùs impacti fuerint, eo diuturniorem præſtant habitationem. Cùm autem Iſraelitæ per Arabum vagabantur deſerta, minus perpetuas ac diuturnas habitari ſedes oportuit, vtpote indies nouandas, neque tam altè defixis vtebantur clauis, vnde ſæpè ſoluiſſe narrantur. Nunc verò tabernaculum hoc vnicum optimo ſolo, eodemq; ampliſsimo figendum, & perpetuò hæſiturum promittitur; quod iam collocatum vel Iohanne teſte Apoc. 21. cognouimus. Et vidi cælum nouum, & terram nouam: Primum enim cælum & prima terra abiit, & mare iam non eſt. Et ego Ioannes vidi ſanctā ciuitatem Ieruſalem nouam deſcendentem de cælo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo: & audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus: & habitabit cum eis, & ipſe erit eorum Deus. Cuius regis virtute & beneficio vetera omnia in magnam & nouam, ac planè diuinam felicitatem conuertenda, & ſolitudinem illam ab Adamo vſque durantem, adeò illuſtri frequentia & celebritate mutādam, vt nihil iam prorſus reliquum ſit, quamobrem priora illa commemorentur, nedum excipiantur, aut exprobrentur.

Noli timere, quia non confunderis, nec erubeſces: non enim te pudebit, quia confuſionis adoleſcentiæ tuæ obliuiſceris, & opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis amplius.

Ieruſalē nouæ amplitudo. Templum ab Ezechiele deſcriptum. Celebritatem & frequentiam vrbis huius ex loci amplitudine cognoſcendam docebat Vates. id quod non diſsimili argumento ab Ezechiele prædictum eſt, affirmante fabricandi per Chriſtum templi ſitum, & ſtructuram omnibus modis & partibus pluries ac pluries quàm Salomonis tempore fore maiorem. Qui legit, intelligat. Ideò non ſolùm tabernaculum, ſed ipſum etiam locum dilatare apud hunc Vatem monetur. id quod à Zacharia quoq; Zachar. 9. ſignificatū eſt. Onus verbi Domini in terra Hadrach, & Damaſci requiei eius: quia Domini eſt oculus hominis, & omnium tribuum Iſrael. Emath quoque in terminis eius, & Tyrus, & Sidon. Aſſumpſerunt quippe ſibi ſapientiam valdè: & ædificauit Tyrus munitionem ſuam, & coaceruauit argentum quaſi humum, & aurum lutum platearum. Ecce Dominus poſsidebit eam, & percutiet in mari fortitudinem eius. & hæc igni deuorabitur. Videbit Aſcalon, & timebit, & Gaza, & dolebit nimis, & Accaron, quoniam confuſa eſt ſpes eius: & peribit rex de Gaza; & Aſcalon non habitabitur. Et ſedebit ſeparator in Azoto, & diſperdam ſuperbiam Philiſtinorum, & auferam ſanguinem eius de ore eius, & abominationes eius de medio dentium eius, & relinquetur etiam ipſe Deo noſtro. Quod Ezechiel & Zacharias in vicinis Iſraeli regionibus deſcripſerunt, Iſaias ad omnes orbis terræ produxerat partes. quas in vnam ciuitatem Dei coniunctum iri præui-

prævidit. Hanc verò eandem ciuitatem alloqui pergens, gratulabūdus conſolatur mutatione priſtinæ, ab Adamo vſque ſolitudinis ac deſertionis in expectandam ciuium copiam, & nouæ conditionis felicitatem. vtpote quam ex deſerta & ſola ad cohabitationis Dei dignitatem traductum iri, conſpiceret. Non confunderis, non erubeſces. *Huiuſmodi turbatæ affectiones eos, quibus res eueniunt ſecundæ, minimè tangunt. Id quod Apoſtolus quoque ſignificans, aiebat, Non erubeſco Euangelium: virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti. Quarumdam verò gentium, imò & complurium, receptum eſt moribus, vt quæ puellæ nullum, cui placeant, nanciſcantur virum, probro ac dedecori ducant; veluti ex eo notatæ, quod nihil, quamobrem diligantur, laudis & commendationis obtineant. Quo in ſtatu natura humana ab ipſis adoleſcentiæ primordiis fuiſſe, diuina indicarunt reſponſa. Senſus enim & cogitatio humani cordis in malū prona ſunt ab adoleſcentia ſua. Hanc exprobrationem diuini doni benignitate ſummouendam, Vates ait.* Quia confuſionis adoleſcentiæ tuæ obliuiſcêris, *præ ſtatu felici reconciliationis & receptionis in diuinam gratiam: quem non ex te, tuóve priſco merito, ſed ex Dei demum obtinebis dono. Non enim volentis, neque currentis, verùm Dei miſerentis illud fuerit beneficium.* & opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis amplius. *Non ſolùm autem puellas à nullo diligi probri genus erat, verùm & viduas nulla prole auctas, à viri conſanguineis omnibus negligi, turpe quoque ducebatur. ex quo more illud apud Vatem hunc, Et apprehendent ſeptem mulieres virum vnum in die illa, dicentes: Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur, tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos: aufer opprobrium noſtrum. Huiuſmodi opprobrium à Deo quondā abalienata natura hominum tam diu tulit & ſuſtinuit, quoad eidem & in gratiam reſtituta, &, quod maximæ amplitudinis eſt, in coniugium optata fuit. Id quod ſubiuncto Vates gratulatur verſu.*

[Margin: Humanæ naturæ ſtatus. — Gen, 8. — Rom. — Sup. 4.]

Quia dominabitur tui qui fecit te, Dominus exercituum nomen eius: & redemptor tuus ſanctus Iſrael, Dominus omnis terræ vocabitur.

Multorum in ſacris lectionibus locorum non decor & elegantia ſolùm, ſed genuinus obſcuratur ſenſus, iis qui Latinæ ſanctæ quoque linguæ cognitionem non coniunxerint. Neque enim Latinus interpres noſter ſuæ ſtudioſum verſionis negligentem eſſe voluit in diſquirenda & comparanda germanæ ſententiæ ratione. qui tamen negligere contentiosè perrexerit, nihil à nobis impedietur, quin ſine riuali, ſeq; & ſua ſolus amet, & oſcitantiæ plaudat ſuæ. certè nobis exemplaris lectio pro præſtantiſſimo Latinæ verſionis commento eſt. Nouimus Latinam linguam & nos, Chriſto gratia; quam qui cum ſancta lingua in ſignificationis ratione, pōderibus, ac numeris æquare contenderit, perinde efficiet atque is qui fluminis magni alueum riuulo comparare tentarit. Complura in illa ſacra lingua ſunt verba, pro quibus Latini dominari *reddunt. ea omnia ſi quis ex promiſcua dominij ratione interpretetur, quæſo num idem præſtabit atque is, qui aliud*

[Margin: Linguæ ſanctæ cognitionis vtilitas. — Dominari.]

domi-

dominij genus in RADAH *, aliud in* MASSAL *, in* BAGHAL *ab his diuerſum contineri intellexerit. atq; aliud præterea ſignificari verbo* DVN *, ſiue* DON *; nec idem ea eſſe cum* SARAR *? Sed nos inſtitutum proſequamur noſtrum, integrum cuique ſuum relinquentes conſilium. Verbum* dominabitur tui *, hoc loco ex* BOGHALAICH *interpres noſter tranſtulit eam dominandi rationem ſignificante, quam vir erga vxorem iure habet. cuius illa definitio eſt : Os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: propterea relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erũt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum eſt. ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia; ait Paulus. quem hac in parte Iſaiæ ſubſcripſiſſe arbitramur. Quod ſi receptum apud poëtas verbum in Vatis quoque carmina ſcribentis interpretatione vſurpare licet, pro* BAGHAL *, hoc loco Latinum reponemus* maritare, *atq; arcanam loci huius non impropriè ſubindicabimus ſignificationem : qui in primæua lingua præſenti tempore, atque ferè nominis forma conſtat.* BOGHALAICH GHOSAICH *,* maritans tui factor tuus. *Arcanum adorantes indicamus, non reuelamus.) Eundem qui ſe factorem præſtet, eodem tempore maritum præbere ait. eidem & nos, reuelationis cauſa, ſupplicandum cenſemus: qui ita vt promittit, ſeſe efficere & præſtare poſſe, & præſtiturum: vel vno ex multis, quæ ſibi conſtant cognomentis declarat.*

Viri in vxorẽ ius. Gen. 2. Eccleſia Chriſto maritata.

Dominus exercituum nomen eius. *Conſimili in argumento cognomen hoc à noſtro vſurpatur Vate illi, in quo primùm appellatũ legimus ab Hanna ſterili femina, magni Samuelis matre poſtea facta. Quæ poſtquam diuinorum beneficiorum virtutem experta eſt, vaticinij aucta ſpiritu, in has erupit laudes, Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Dominus pauperem facit & ditat: humiliat, & ſubleuat. Quid autem nomen Domini exercituum, ſiue* TSEBAOTH *ſignificet : quibuſq; in argumentis præcipuè nuncupetur, iam ſæpiùs in noſtris commemorauimus commentariis. Hunc autem Dominum ſingulariùs indicare volens Iſaias, eundem eſſe, qui propter amplificatum Iſraelem,* Sanctus Iſrael *ſæpiſſimè ſalutatur, & prædicatur; eundemq; qui* omnis terræ Dominus *& eſt, & appellatur, idemq; probatũ iri nomen prædicitur, cùm humanã terram benedixerit, ac fæcũdarit. Tunc enim effecturus promittebatur, vt gẽtes omnes nomen illud arcanũ* IEHVEH *puro vocarẽt labio, ſummaq; in pace & quiete inter ſe agerent; vtpote ab vnico & ſolo totius terræ Deo gubernatæ. de quo ſcriptum eſt : Quoniam Dominus Deus veſter ipſe eſt Deus Deorum, & Dominus dominantium. Cuius imperio cùm omnis debetur caro, illud à Vatibus decantatiſſimum eueniet, Et erit Domino regnum. Et quidem vt res humanæ ante Euangelium Chriſti habuere, à Deo deſertæ, ac derelictæ videri quodammodo poterant, atq; eo in ſtatu eſſe, quem defuncto vita viro mulier aliqua tenet, hoc eſt, viduitatis cõditione. quod tamen non ita eſſe aut fuiſſe, à Vate ſignificatur: nullo enim tempore diuinam prouidentiam hominibus defuiſſe, quamquam plenam & abſolutam felicitatem publicè deſideratam, quis excipere poſſit. Verùm enimuerò ita cum humana actum gente docemur, vt cum puella forti & bono ac prudenti coniuncta viro,*

Dominus exercituum. 1. Reg. 2. Abdias. Humanarũ rerum ante Chriſtum ſtatus.

viro, quem cùm in ipſis coniugij vel deſponſionis primordiis graui affecerit offenſa, à ſe digreſſum, iratum, & aliò profectum experitur: cuius tamen ſumptibus & prouidentia certis arcanisq; conſiliis nunquam deficiente alitur, vel per amicos, vel miniſtros, vel per alium quempiam opportunis ac neceſſariis ſuppeditandis ad vitam rebus; donec tandem vltrò miſertum & præteritis ignoſcentem offenſis, ac benignè ſeſe reddentē læta recipit, æternoq; fœdere confirmatum ſibi gratulatur. Sic Deus Vatem deſcribit naturæ humanæ à primæ culpæ temporibus infenſum quidem & iratum, verùm non abalienatum, ſed aſſiduis & opportunis prouidentem conſiliis & beneficiis tum aſſiduæ doctrinæ per ſuperiores & inferiores exercitus communicatæ; tum diſciplinæ atq; inſtitutorum ex lege & Prophetarum opera conſtantium: donec tandem ipſa vltrò Dei benignitas & humanitas apparuit, nō ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed per ſuam miſericordiam "
ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſan- "
cti. Hæc itaq; ſubiuncti verſus explicatio & ſententia eſt. "

Quia vt mulierem derelictam & mærentē ſpiritu vocauit te Dominus, & vxorem ab adoleſcentia abiectam dixit Deus tuus.

IN *coniugij rationibus magnum diſcrimen eſt inter verba* SALAHH, *&* GHAZAB, *id eſt,* dimittere, & deſerere, *ſiue* derelinquere. *Namq; illud abſoluti repudij, hoc offenſæ & correctionis eſt. Prioris rei & ſignificationis exemplum, Si licet dimittere vxorem ex quacunque cauſa. quod Græcis ἀπολύειν dicitur. Poſterioris verò, Vxorem à viro non diſcedere, quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro reconciliari. Hoc ipſum* diſcedere, *quod Græcè χωρισθῆναι dicitur, à viro decretum & initum verbo* GHAZAB *ſignificatur. Ait ergo Vates, Quamquam te viduam putaris, tamen id nunquam fuiſti, quippe cuius vir ſemper viuat & vixerit: nec verò dimiſſam verè dicere potuiſti. vt ſuperiùs exceptum fuerat, Quis eſt iſte libellus repudij, &c. Sed ſi verum tenere nomen, propriusq; vti voles verbis,* vt mulierem derelictam & mærentem ſpiritu. GNATSVBARVAHH, vocauit te Dominus. *Qui vera nomina rebus imponit, & qui nomen illud* IEHVEH *etiam in hoc ipſo conſilio ac negotio probare voluit: idemq; ait, ſibi te vocatam* ESETH NEGHVRIM CHI THIMAEZZ, mulierem adoleſcentiarum quando faſtiditur: *nec tamen à Domini cura & prouidentia deſtituitur. cuius prouidentiæ & curæ etiam ſingularis ac perpetuæ rationes illo comprehenduntur nomine* ELOHICHA, Deus tuus, *qui nunquam Deus gubernator tuus eſſe deſiit. S. S. E. Qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas: & quidem non ſine* "
teſtimonio ſeipſum reliquit benefaciens de cælo, dans pluuias, & tempora "
fructifera, implens cibo & lætitia corda eorum. Et quidem hoc adeò verum "
eſt, vt cùm diuina benignitas & miſericordia beneficiis in homines ponendis declaretur; iuſtitia verò ac ſeueritas in eorundem caſtigandis ſceleribus oſtendatur, Si mundi faſtis euoluendis tempora hominū numerentur cuncta, profectò breuiſſima comperientur ea in quibus homines caſtigati, præ illis, in quibus beneficio ſunt affecti, cùm tamen nunquam illi malè mereri

Offenſionū in coniugiis ratio.
SALAHH.
GHAZAB.
Dimittere vxorem.
Mat.
1. Cor. 7.
Dei erga homines cura, iudicium, & beneficētia.
Act. 14.

deſierint. Ex quo manifeſta Dei euadet voluntas, iam ita non ſemel pro-
Ezech. *feſſi: Non eſt voluntatis meæ vt pereat impius, ſed magis vt conuertatur à*
Dei ira breuis. *via ſua mala, & viuat. Et quidem breuiſſimam eſſe Dei iram, Vates omnes vno ore teſtantur: quem longanimem, tardum ad iram, latum naribus, expectantem ad pœnitentiam, ac multis huiuſmodi cognomentis ac titulis appellant: atque adeo in ipſa propter humanum ſcelus concepta, & ad caſtigandum incitata ira miſericordiæ memorem affirmant, & prædicant.*

Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te.

Exiguum quidem punctum ac momentum æſtimandũ tempus, quo Deus homines in ærumna, & aduerſis relinquit rebus, ſi cum eo comparetur, in quo beneficiis proſecutus eſt aſſiduis, modò beneficiorum atq; correptionum definitiones rectè ineantur; nedum ſi iidem humani labores conferantur cum propoſito Dei humanum genus ad ſe reducere & congregare inſtituentis. Atq; hanc doctrinam & profeſſionem ſubiuncta expoſitione declarat, quando videlicet humanum genus vel in vniuerſum, vel in parte derelinqui à Deo dici quodammodo poſſit, & quo temperamento iſtud ipſum pronunciari phas fuerit.

In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te: & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui, dixit redemptor tuus Dominus.

Dei facies. *Dei facies, quæ in ſacra lingua* PANIM *dicuntur, felicitatis, pacis, ac læ-*
Pſal. *titiæ præſentis efficientiæ ſymbolum ſunt. vt, Oſtende faciem tuam, & ſal-*
» *ui erimus. Quare auertis faciem tuam à me. Illumina faciem tuam ſuper*
» *ſeruum tuum. Auertente te faciem tuam turbabuntur, & in puluerẽ ſuum*
» *reuertentur. Itaque ſingularem prouidentiam hominum fouendis, præſentem rebus faciem Dei vocamus. quæ aduerſa dicitur, cùm propter caſtigationem, aut aliam cauſam res hominum turbantur. Id verò breue ac momentaneum ferè eſſe, iuſtitia quidem exigente, verùm miſericordia intercedente, Deus ipſe ait: ſi cum perpetuis & magnis beneficiorum exemplis, ad rationem conferatur. quippe alias ſæpè cogitationes pacis, & non afflictionis cogitare ſe declarauerit. Hanc breuitatem & exiguitatem delectorum verborum congeries ipſa indicat. Verborum, inquãm, in primæua lingua pronuntiandorum, quæ nullo alio idiomate, eodem ſpiritu ac decore audiri poſſunt. Prior enim huius verſus pars ita ſonat:* BĔSĔTSEPH CHĔTSEPH HIZZTHĂRTHI PĀNĂI RĔGAĞH MĬMĔCH. *Conſtat hemiſtichium ſyllabis quatuordecim, ex quibus tres tantùm longæ, decem verò breues, & vna ſemibreuis eſt. præterea accentus omnes, præter duos, penultimum occupant dictionis locum: ita vt ipſa pronunciationis celeritate ſignificatæ rei breuitas & feſtinatio indicetur. Præterea nominum ipſo-*
Setseph. *rum delectus citiſſimam expeditionem ſignificat.* SETSEPH *punctum, ſiue*
Chetseph *inſtans, quod Latinè* dicto citius. CHĔTSEPH *breuem furorem definire poſſumus, qualem generoſos animos decere, philoſophi docent, vtpote Dei*
Pſal. *imitatores, Qui nec in perpetuum iraſcitur, nec in æternũ comminabitur:*

aut

aut non apponet vltrà vt complacitior ſit adhuc. Abſcōdi faciem meam.
Verbum IZZATHAR *ſimplex, Latinè eſt* latere, *ex quo Græcis* μυςήριον IZZATHAR. μυςήριον.
factum eſt nomen, quod nos arcanum *dicimus. Hoc in loco* HIZZTHARTHI, latere feci, *non ſignificat auerſam Dei, ſed abſconditam & latentem fuiſſe faciem, qualis eorum eſſe ſolet habitus, qui, ne obuio cuiquam agnoſcantur faciei ſuæ, proprias opponunt manus, & abſentiam ſimulant: cùm nihil minùs quàm abſentes dici poßint. Solent & hoc habitu parentes infantibus propriis non modò latere, ſed etiam horrorem & metum facere: qualem Aſtyanacti cælato ſub caßide vultu Hector feciſſe, ab Homero deſcribitur:* Ὣς εἰπὼν οὗ παιδὸς ὀρέξατο φαίδιμος Ἕκτωρ, Ι'.3.ver.466.

Αψ δ' ὁ πάϊς πρὸς κόλπον εὐζώνοιο τιθήνης
Εκλίνθη ἰάχων πατρὸς φίλου ὄψιν ἀτυχθεὶς,
Ταρβήσας χαλκόν τε ἰδὲ λόφον ἱππιοχαίτην,
Δεινὸν ἀπ' ἀκροτάτης κόρυθος νεύοντα νοήσας.
Dixerat, & retrò gnatum clarißimus Hector
Occupat amplecti: cinctæ nutricis at ille
Colla petit clamans, ſpeciem patriſq́ue tueri
Splendentem ære pauet, ſetis atq́ue horret equinis,
Nutantem ſumma in galea per tergaq́ue criſtam.

Hoc pacto ſuam ſe faciem propter humani generis correptionem occultaſſe, & quodam quaſi myſterio velaſſe, Deus ait: idq́ue iterum excipit fuiſſe breuißimum. REGAGH, momento. *Latinus vertit,* parumper, *idq́ue non abſolutè; ſed,* à te: *vt tu me fauentem, non aſpiceres: non tamen vt abſens eſſem; non vt tuas non agerem res; non vt aliò diuerterem, aut faciem auerterem: ſed vt non tibi viderer fauens aut placidus, & arridens. verùm, ſi beneficentiam & miſericordiam requiras, nunquam me tui non miſertum excipere potes: idq́ue conſtanter affirmo nomine appellato* IEHVEH, *quod hanc rationem præcipuè ſpectat.* V̄ḂHḢEZŽEḊ GH̄OLĀM R̆IHHĀMTHĪCH ĀMĀR GŌĖLĒCH ÏEHŌVĀH. *Conſtat alterum hemiſtichium ſexdecim ſyllabis, breuibus quatuor tantùm, ſemibreui vnica, cæteris longis, ac ſeſe mutuò producentibus. vt verborum pronūciatio etiam ſignificationi pondus & vim adiiciat. Addo elementorum ſpiritum internā animi affectionem prodentem, bis vſurpato* HHETH, *quod ex intimo pectore*
eloquendo proficiſcitur. HHEZZED *benefaciendi certam & conſtantem* HHEZZED.
adnotat voluntatem. RAHHAM *verò maternorum viſcerum erga filios* RAHHAM.
affectum exprimit. quæ adeò propria & perpetua Dei laus eſt, vt ferè ſemper à Vatibus commemoretur. Certè Arabica lingua coniunctum atq́ue conſequens diuino nomini hinc ſemper appellat epithetum. ALLAHI AL RAHHANI AL RAHHIMI, *Deus miſerator & miſericors. Hoc autem ſibi certum conſtanſq́ue & fuiſſe, & eſſe, & futurum, tribus vocabulis declarat, & profitetur Deus.* GHOLAM, *quod ſeculum æternitatemq́ue ſignificat, &* GOELECH, redemptor tuus, & IEHVEH. *qui hoc nomen æternum, & à generatione in generationem, vt ipſe aliàs ait, præſtandum, illo etiam cognomento exornat.* GOELECH, *redemptor, liberator, aſſertórque tuus.*

tuus. vt verò plana magis, ac dubitationis omnis expers fiat res, ad prima argumentandi, ac de diuinis ratiocinãdi principia reuocatur, exemplo cum primis notiſſimo ac celebratiſſimo ex antiqua & vera petito hiſtoria. Illud enim in diuinis tractandis rationibus inter prima ponitur axiomata, Ex vno Dei certo exemplo ſimilia omnia in ſimili cauſa deduci. quippe cùm ſcriptum conſtet: Ego Deus, & non mutor. Atque diuinæ tum iuſtitiæ & iræ, tum verò miſericordiæ publicum & illuſtre omniq́; orbi notiſſimum diluuij exemplum ad hanc rem oportuniſſimum producit Deus.

Argumentũ ab exemplo in diuinis.

Sicut in diebus Noë iſtud mihi eſt, cui iuraui ne inducerem aquas Noë vltrà ſuper terram: ſic iuraui vt non iraſcar tibi, & non increpem te.

Si quæ in huius verſus explicationem animaduertentibus nobis tractanda occurrunt, omnia perſequi vacaret, profectò modi oblita commentationis ad ingentem numerum creſceret pagina. Nullum namque verbum eſt, quod non ſibi poſſit iuſtum vendicare volumen. Verùm iſtud opus, digniſſimum quidem ſua ſponte, iis, quibus cum maiore ingenio, & vberiore eloquio maius otium ſuppetet, relinquimus; contenti breui conſideratione tum voluntatis Dei ad beneficium humano generi ponendum, idq́; perpetuò; tum verò ad vitiorum animaduerſiones definitæ & certæ compoſitæq́; moderationis. Namq; hoc verſu ingenij, vt ita loqui fas, moris, conſiliiq́; ſui cõſtantes rationes complexus eſt in ſumma Deus: nempe ſe pacis, & non afflictionis cogitare cogitationes, & id ſemper primum ac præcipuum agere, vt humano generi quàm beatiſſimè prouideatur. Verùm cùm hominum ſcelera & crimina vltionem ac vindictam poſtulant, ſolenne ſibi non ante decernere, quàm qui errauerint, ad pœnitentiam & emendationem vitæ multis reuocentur modis, ac diutius etiam expectentur. quòd ſi non eueniat, tũ verò iudicium exerceri, ita tamen temperatum atq; definitum, vt breuiſſimo abſolutum tempore, deinceps poſteà non idem rurſus repetatur pœnarũ exactis exemplis: imò in ipſa punitione de conſequente etiam beneficentia, atque perpetua agatur miſericordia. Hoc eſt quod breuiſſima oratione ad magnum & illuſtre exemplum relatum, de ſe Deus hîc profitetur. Sicut in diebus Noë iſtud mihi eſt. *Duplex earundem literarum pronunciatio in libris punctorum diſtinctione deſcriptis, hîc iam olim obſeruatur. Literæ autem ſunt* CH IMI. *cum aliis punctis ita leguntur* CHI-MEI, *cum aliis verò* CH-IMEI. *priùs Latinè verti poteſt,* nam aquæ. *hoc verò,* ſicut dies. *vtramque verò & lectionem & verſionem, ita vt literæ præſtant, libenter accipimus, & ſacram ſanctam agnoſcimus.* Nam ſicut aquæ diebus Noahh, iſtud mihi. *Hoc enim ſignificat Deus, operæpretium fore, hiſtoriam illam aquarum Noahhi diebus orbi terræ effuſarum perpetuò commemoratam haberi, atque in promptu teneri ei, qui ſuas de miſericordia à ſe declaratas rationes cognoſcere ſtudeat, cùm hoc ſibi perpetuum ſit* [iſtud mihi.] *Quæ quidem hiſtoria duabus conſtat partibus: altera earum quæ antè diluuium prouiſæ & actæ, & in ipſo diluuio proſpectæ ſunt rerum: altera verò earum quæ poſt diluuium conſtitutæ narrantur. Legimus namq; ante dilu-*

Dei miſericordia & iudicium.

Diluuij hiſtoria.

diluuium creſcente hominum turba ac numero ſcelera, flagitia, & iniuriarum varia genera in terrarũ orbe ſuperaſſe, datamq́; fuiſſe hominibus magnam & longam pœnitentiæ cauſa expectationem: idq́; omne à diuina proſpectum atq; profectum miſericordia. Quibus demùm contumaci peruerſitate duratis, ac diuina abuſis patientia, diluuium immiſſum: idq́; breui tempore, quadraginta nempe diebus, quantum ad purgandas ac delendas terrarum ſordes illas diuina clementia ſatis eſſe conſuluit: ſeruatis tamen cunctis, qui tunc in terris reperiebantur innoxij, ad humani generis meliorem ſufficiendam ſobolem. quam poſteà deinceps procreandam, numquam amplius eodem perditum abolitumq́; modo, ſed ſibi in poſterum conſeruatũ iri, Deus ipſe vltrò iuratus recepit. Atq; hoc diuinum iuramentum, quod aliàs pactum cum Noahbo firmatum dicitur, poſterior illius narrationis pars, ac totius rei exitus eſt. Hoc totum myſterium (quod magnum, quod mirabile, quod prorſus adorandum cenſetur) in maxima illa ac præcipua publicæ hominum ſalutis cauſa ac tractatione obſeruandum, ac ſuis partibus, momentis, & certis finibus in promptu tenendum commendat idem miſericordiarum ditiſſimus Deus. In illa enim imagine humana delicta & ſcelera primùm ab ipſis hominibus, non ab alterius cuiuſpiam culpa, & nata eſſe & creuiſſe ac ſuperaſſe accepimus: Et impleta terra iniquitate à facie eorum: Deum verò de hominibus peſſimis delendis non conſtituiſſe; verùm priùs de emendandis diligenter, patienter, ac ſeriò egiſſe. Dixitq́; Deus, non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum; quia caro eſt: eruntq́; dies illius centum viginti annorum. Tamen peſſimis, & noxiis non emendatis, diluuium demum ex terra delendis immiſſum eſt, præparata priùs arca: in qua, qui Deo crederent & obedirent ſeruarentur: iiſdẽ verò ſeruatis æternæ prouidentiæ, atq; conſeruationis erga humanum genus pactum & iuramentum, vltrà factum. Iſtud idem exemplum ſibi denuò, multò autem illuſtriùs & excellentiùs, inſtaurandum hoc in verſu Deus prædicit, ac docet. Quod priorem partem ſpectat. Sicut in diebus Noë, iſtud mihi. *Declarat humanum genus multis & grauibus criminibus inuolutum, ſibi offenſum, ſicut in Noahbi diebus: deinde & fidem, & pœnitentiam poſtulatum iri, atque demùm arcam conſtituendam Chriſtum: in quo qui credentes, & obſecuti incluſi fuerint; interim lateant, & cuſtodiantur; quoad inundatio illa admirabilis & efficaciſſima baptiſmatis, & mortis Chriſti in ſanguine & aqua peragatur. S. S. E. Aquæ inundabunt, & delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit. (vtinam noſter hoc nobiſcum quoque ſentiat lector.) Illud porrò eueſtigio conſecutum & effectum iri ait.* Cui iuraui, vt non inducerem aquas Noë vltrà ſuper terram. *id eſt, ſimilis cum illis indulij & exempli.* Sic iuraui, vt non iraſcar tibi, & non increpem te. *Namq; ſignum ſignificati cauſa editum, quamquam præclarum & præſtans, longè tamen à ſignificato oportet eſſe ſuperatum.* MIKTSOPH GHAL AICHV MIGARPACH. *Quid verbum* KATSAPH *ſignificet, hoc eſt, breuem iræ furorem, diximus: alterum huic adiungitur* CAGHAR, *pro quo Latinus interpres reddere ſolet,*

Pactum cum Noahbo.

Diluuij hiſtoria ad n. vlteriũ relata.

Gen. 6.

Ind.

Sup.

 incre-

tuus. vt verò plana magis, ac dubitationis omnis expers fiat res, ad prima argumentandi, ac de diuinis ratiocinādi principia reuocatur, exemplo cum primis notiſſimo ac celebratiſſimo ex antiqua & vera petito hiſtoria. Illud enim in diuinis tractandis rationibus inter prima ponitur axiomata, Ex vno Dei certo exemplo ſimilia omnia in ſimili cauſa deduci. quippe cùm ſcriptum conſtet: Ego Deus, & non mutor. Atque diuinæ tum iuſtitiæ & iræ, tum verò miſericordiæ publicum & illuſtre omniq́; orbi notiſſimum diluuij exemplum ad hanc rem oportuniſſimum producit Deus.

Argumentū ab exemplo in diuinis.

Sicut in diebus Noë iſtud mihi eſt, cui iuraui ne inducerem aquas Noë vltrà ſuper terram: ſic iuraui vt non iraſcar tibi, & non increpem te.

Si quæ in huius verſus explicationem animaduertentibus nobis tractanda occurrunt, omnia perſequi vacaret, profectò modi oblita commentationis ad ingentem numerum creſceret pagina. Nullum namque verbum eſt, quod non ſibi poſſit iuſtum vendicare volumen. Verùm iſtud opus, digniſſimum quidem ſua ſponte, iis, quibus cum maiore ingenio, & vberiore eloquio maius otium ſuppetet, relinquimus; contenti breui conſideratione tum voluntatis Dei ad beneficium humano generi ponendum, idq́; perpetuò; tum verò ad vitiorum animaduerſiones definitæ & certæ compoſitæq́; moderationis. Namq́; hoc verſu ingenij, vt ita loqui fas, moris, conſiliiq́; ſui cōſtantes rationes complexus eſt in ſumma Deus: nempe ſe pacis, & non afflictionis cogitare cogitationes, & id ſemper primum ac præcipuum agere, vt humano generi quàm beatiſſimè prouideatur. Verùm cùm hominum ſcelera & crimina vltionem ac vindictam poſtulant, ſolenne ſibi non ante decernere, quàm qui errauerint, ad pœnitentiam & emendationem vitæ multis reuocentur modis, ac diutius etiam expectentur. quòd ſi non eueniat, tū verò iudicium exerceri, ita tamen temperatum atq́; definitum, vt breuiſſimo abſolutum tempore, deinceps poſteà non idem rurſus repetatur pœnarū exactis exemplis: imò in ipſa punitione de conſequente etiam beneficentia, atque perpetua agatur miſericordia. Hoc eſt quod breuiſſima oratione ad magnum & illuſtre exemplum relatum, de ſe Deus hîc profitetur. Sicut in diebus Noë iſtud mihi eſt. *Duplex earundem literarum pronunciatio in libris punctorum diſtinctione deſcriptis, hîc iam olim obſeruatur. Literæ autem ſunt* CH IMI. *cum aliis punctis ita leguntur* CHI-MEI, *cum aliis verò* CH-IMEI. *priùs Latinè verti poteſt,* nam aquæ. *hoc verò,* ſicut dies. *vtramque verò & lectionem & verſionem, ita vt literæ præſtant, libenter accipimus, & ſacram ſanctam agnoſcimus.* Nam ſicut aquæ diebus Noahh, iſtud mihi. *Hoc enim ſignificat Deus, operæpretium fore, hiſtoriam illam aquarum Noahhi diebus orbi terræ effuſarum perpetuò commemoratam haberi, atque in promptu teneri ei, qui ſuas de miſericordia à ſe declaratas rationes cognoſcere ſtudeat, cùm hoc ſibi perpetuum ſit* [iſtud mihi.] *Quæ quidem hiſtoria duabus conſtat partibus: altera earum quæ antè diluuium prouiſæ & actæ, & in ipſo diluuio proſpectæ ſunt rerum: altera verò earum quæ poſt diluuium conſtitutæ narrantur. Legimus namq́; ante dilu-*

Dei miſericordia & iudicium.

Diluuij hiſtoria.

diluuium creſcente hominum turba ac numero ſcelera, flagitia, & iniuriarum varia genera in terrarũ orbe ſuperaſſe, datamq́; fuiſſe hominibus magnam & longam pœnitentiæ cauſa expectationem: idq́; omne à diuina proſpectum atq; profectum miſericordia. Quibus demùm contumaci peruerſitate duratis, ac diuina abuſis patientia, diluuium immiſſum: idq́; breui tempore, quadraginta nempe diebus, quantum ad purgandas ac delendas terrarum ſordes illas diuina clementia ſatis eſſe conſuluit: ſeruatis tamen cunctis, qui tunc in terris reperiebantur innoxij, ad humani generis meliorem ſufficiendam ſobolem. quam poſteà deinceps procreandam, numquam amplius eodem perditum abolitumq́; modo, ſed ſibi in poſterum conſeruatũ iri, Deus ipſe vltrò iuratus recepit. Atq; hoc diuinum iuramentum, quod aliàs pactum cum Noahbo firmatum dicitur, poſterior illius narrationis pars, ac Pactum cum Noahbo. *totius rei exitus eſt. Hoc totum myſterium (quod magnum, quod mirabile,* Diluuij hiſtoria ad n yſteriũ relata. *quod prorſus adorandum cenſetur) in maxima illa ac præcipua publicæ hominum ſalutis cauſa ac tractatione obſeruandum, ac ſuis partibus, momentis, & certis finibus in promptu tenendum commendat idem miſericordiarum ditiſsimus Deus. In illa enim imagine humana delicta & ſcelera primùm ab ipſis hominibus, non ab alterius cuiuſpiam culpa, & nata eſſe & creuiſſe ac ſuperaſſe accepimus: Et impleta terra iniquitate à facie eorum:* Gen. 6. *Deum verò de hominibus peßimis delendis non conſtituiſſe; verùm priùs de emendandis diligenter, patienter, ac ſeriò egiſſe. Dixitq́; Deus, non per-* Ibid. *" manebit ſpiritus meus in homine in æternum; quia caro eſt: eruntq́; dies il-" lius centum viginti annorum. Tamen peßimis, & noxiis non emendatis, diluuium demum ex terra delendis immiſſum eſt, præparata priùs arca: in qua, qui Deo crederent & obedirent ſeruarentur: iiſdẽ verò ſeruatis æternæ prouidentiæ, atq; conſeruationis erga humanum genus pactum & iuramentum, vltrà factum. Iſtud idem exemplum ſibi denuò, multò autem illuſtriùs & excellentiùs, inſtaurandum hoc in verſu Deus prædicit, ac docet. Quod priorem partem ſpectat.* Sicut in diebus Noë, iſtud mihi. *Declarat humanum genus multis & grauibus criminibus inuolutum, ſibi offenſum, ſicut in Noahbi diebus: deinde & fidem, & pœnitentiam poſtulatum iri, atque demùm arcam conſtituendam Chriſtum: in quo qui credentes, & obſecuti incluſi fuerint; interim lateant, & cuſtodiantur; quoad inundatio illa admirabilis & efficaciſsima baptiſmatis, & mortis Chriſti in ſanguine & aqua peragatur. S.S.E. Aquæ inundabunt, & delebitur fœ-* Sup. *" dus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit. (vtinam noſter hoc nobiſcum quoque ſentiat lector.) Illud porrò e veſtigio conſecutum & effectum iri ait.* Cui iuraui, vt non inducerem aquas Noë vltrà ſuper terram. *id eſt ſimilis cum illis indicij & exempli.* Sic iuraui, vt non iraſcar tibi, & non increpem te. *Namq; ſignum ſignificati cauſa editum, quamquam præclarum & præſtans, longè tamen à ſignificato oportet eſſe ſuperatum.* MIKTSOPH GHAL AICHV MIGARPACH. *Quid verbum* KATSAPH *ſignificet, hoc eſt breuem iræ furorem, diximus: alterum huic adiungitur* GAGHAR, *pro quo Latinus interpres reddere ſolet,*

 incre-

Indignationis diuinæ ſeries. increpare. *Eſt autem illa in his affectionibus & actionibus ratio aut ſeries, vt* CHAZZAPH *primam animi impulſionem, hoc eſt, iræ, vel ſtomachi motum intelligamus. quem, vt minimum* GAGHARAH, *hoc eſt, perfidiæ vel ceterorum flagitiorum increpatio ſequitur. Hæc, ſi contemnatur, exitij pœnas exigit. atq; in hunc modum à Pſalte dictum: Increpaſti gentes & periit impius, nomen eorum deleſti in æternum, & in ſeculum ſeculi. Prima autem ante diluuium hominum increpatio fuit, toto tempore dum fabricabatur arca: quam, qui contempſerunt improbi homines, inundatione perierunt: ita vt nec nominum ſuorum vlla reliquerint monimenta. At quamquam idem in humani generis redemptione & ſalute, ſeruandum ſibi eſſe rerum tenorem Deus declaret, quod ad priorem attinet partem; tamen poſteriorem longè benigniùs repræſentandam ait, iure iurando iurato, ſe non vnquam de cætero Eccleſiæ ſuæ ſanctæ iratum, nedum increpationem additurum fore. Quo quidem promiſſo & reſponſo illud ſignificat, ſibi illã ſanctam, puram, & prorſus gratam præſtandam, mundatam lauacro aquæ in verbo: vt exhibeat ipſe ſibi glorioſam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi; ſed vt ſit ſancta & immaculata. Id quod Chriſti opera propediem effectum iri Zacharias canebat: Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis: vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos Oriens ex alto. illuminare iis qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Obiter autem ad interpretationis pondus adnotandum eſt verbum* GAGHAR, *coniungi cum nominibus aliquando, ſine medio aliquo: aliquando verò mediante articulo lamed, interdum præpoſitione Beth interiecta, cui Latinæ reſpondent* in, cum, per, *eſſe verò conſtanter obſeruatum, cùm adſciſcit* Beth, *increpationem tantùm verbis factam ſignificare. aliàs autem cùm aliter conſtruitur, verbis etiam addita verbera adnotari. Atq; hoc loco vt æterna pax & beneuolentia ſignificetur Beth à Deo promittente interpoſitum* VMI GEGHAR BACH. Et ne increpem in te. *Atqui promiſſum & iuramentum ſuum adeò certum, conſtans, & fidele fore Deus ait, vt non ita rati & immutabiles firmiſſimorum montium ſitus, atq; promiſſa ſua euadant, manifeſto declaranda euentu, & validiſſimo fixa conſilio. Id quod duorum nominis & cognominis profeſſione, atque deliberati & certi dicti appellatione confirmat.*

Pſal. · Deus Eccleſiæ ſuæ nunquã iraſcetur. · Eccleſiæ ſanctitas. · Epheſ 5. · Lucæ 1. · GAGHAR. · Promiſſorũ Dei certitudo & firmitas.

Montes enim commouebuntur, & colles contremiſcent: miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur: dixit miſerator tuus Dominus.

Montium ſtabilitas. *Conſtantiſſimam & immutabiliſſimam totius orbis partem montes eſſe ex indito ſibi per conditorem pondere. Sapientia docuit: Nec dum, inquit, montes graui mole conſtiterant. & illud: Librauit in pondere montes. quorum tamen firmitudinem & ſtabilitatem diuinæ miſericordiæ ac veritati, & virtuti concedere, apud eoſdem legimus Vates: Montes exultauerunt*

Prou. 8. · Sup. 40. · Pſal.

ſicut

ſicut arietes, & colles ſicuti agni ouium. Quid eſt tibi mare, quod fugiſti? & tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum? Montes exultaſtis ſicut arietes, & colles ſicuti agni ouium? A facie Domini mota eſt terra, à facie Dei Iaacob. Ad hoc etiam illa Chriſti doctrina pertinet: Si habueritis fidẽ ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, Tranſi hinc illuc, & tranſibit: & nihil impoßibile erit vobis. Atq; ita nullam tantam vel in mundo, atq; mundanis rebus eſſe poſſe difficultatem, quam verbi ſui efficientia non vincat Deus, atq; conſiliis peruiam reddat ſuis. Id quod propediem efficiendum Ioannes Baptiſta prædicabat: Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt praua in directa, & aſpera in vias planas. & videbit omnis caro pariter ſalutare Dei. Solenne autem auctoribus eſt cunctis, vbi certißima rei vel conſilij ratio & promißio firmanda occurrit, immutabilium rerum conuerſionem potiùs admittere, quàm id quod vouetur aut ſuſcipitur, mutandum concedere. vt:

Ante leues ergo paſcentur in æthere cerui,
Et freta deſtituent nudos in littore piſces:
Ante pererratis amborum finibus exul
Aut Ararin Parthus bibet, aut Germania Tigrin:
Quàm noſtro illius labatur pectore vultus.

Sed iſtud ipſum longè certiùs, veriùs, & efficaciùs à ſacris vſurpatur ſcriptoribus. vt illud: Cælum ac terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt. Quid quod reapſe hoc diuini verbi virtute efficiendum præuidebat Iſaias: quod non ſolùm ad veritatis Dei confirmationem dictum audiuit, ac retulit; ſed etiam ad arcanæ illius conuerſionis ac mutationis rerum earum quæ mundo maxima ac firmißima cenſentur. quarum nullam exſtituram aut conſpiciendam arcanæ illæ ſignificabant aquæ diluuij, quas quindecim cubitis altiùs quàm omnes terræ montes creuiſſe legimus. Hoc eſt myſterium. Sed quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt? Certè nos teſtimonio illius fidem habemus, qui hæc etiam ſibi viſa narrat: Et facta ſunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræmotus factus eſt magnus, qualis nunquam fuit; ex quo homines fuerũt ſuper terram, talis terræmotus, ſic magnus. Et facta eſt ciuitas magna in tres partes: & ciuitates gentium ceciderunt: & Babylon magna venit in memoriam ante Deum, Date illi calicem vini indignationis iræ eius. & omnis inſula fugit, & montes non ſunt inuenti. Itaque montes & colles mouendos, mutandos, atque abolendos eſſe Deus ait: miſericordiæ verò ac pacis cum Eccleſia ſua firmandæ fœdus æternis ponderibus firmãdum ſibi pollicetur. Quis verò hæc ita promittit? Dixit miſerator tuus Dominus. MERAHHAMECHA IEHVEH. *de quo ſcriptum: Ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandauit, & creata ſunt. Quantam verò poſtea humanarũ mutationem rerũ, quàm præſtantem amplificationem, quanta, & qualia ornamenta in ſpiritu & veritate effecturus Deus redimat; idem ipſe Eccleſiam ſuam allocutus, deſcribit: vſurpata imaginis deſcriptione ex rebus iis quæ ſenſu atq; cenſu hominum & pulcherrimæ, & habentur pretioſißimæ.*

[Margin: Mat. — Mundi firmiſſimorum arcana conuerſio. — Gen. 7. — Apoc. — Pſal.]

Pau-

Paupercula, tempeſtate conuulſa, abſque vlla conſolatione. Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in ſaphiris, & ponam iaſpidem propugnacula tua: & portas tuas in lapides ſculptos, & omnes terminos tuos in lapides deſiderabiles.

Pacis ſtudia. CERTAM *atque perpetuam pacem, quam ius, æquitas, & innocentia fouent, complures artes, complura ornamenta ad reipub. felicitatem comitari ſolent. Neq; enim humanus animus, quàm diu hæc ducitur vita, quieſcere & otiari poteſt; nam vel ad diripiendas alienas, vel ſuas tutandas res, bello & armis operam nauat: vel ſi hæc per pacē, & per legum ſeueritatem minùs poßit; tamen ad varia applicatur negotia, vel mercaturæ, ad augendas opes; vel artium omnium, quæ vel ad mentis inſtructionem, vel ad vitæ vſum, & ad voluptatem, & iucunditatem ſenſuum faciunt. Ita enim natura & moribus hominum comparatum eſt.*

Horat epiſt. lib. 2. epiſt. 1.

Vt primùm poſitis nugari Græcia bellis
Cœpit, & in vitium fortuna labier æqua:
Nunc athletarum ſtudiis, nunc arſit equorum:
Marmoris, aut eboris fabros, aut æris amauit:
Suſpendit picta vultum, mentemq; tabella:
Nunc tibicinibus, nunc eſt gauiſa tragœdis:
Sub nutrice puella velut ſi luderet infans:
Quod cupidè petiit, maturè plena reliquit.
Quid placet, aut odio eſt, quod non mutabile credas?
Hoc paces habuere bonæ, ventiq; ſecundi.
Romæ dulce diu fuit & ſolenne, recluſa
Mane domo vigilare: clienti promere iura:
Cautos nominibus certis expendere nummos:
Maiores audire: minori dicere, per quæ
Creſcere res poſſet, minui damnoſa libido.
Mutauit mentem populus leuis, & calet vno
Scribendi ſtudio. pueri, patresq; ſeueri
Fronde comas vincti cænant, & carmina dictant.

Verùm enimuerò iſta eadem ſtudia propter humanæ inconſtantiam virtutis ac mentis mutari ſolere, ipſimet auctores teſtantur. Huius verò formæ Eccleſiæ ſtatus feliciſs. *ſtatum Eccleſiæ rempub., Chriſto duce & gubernatore, habiturum; Deus apud Vatem noſtrum pollicetur. verumtamen quod ad omnes partes & ſpecies attinet, longè meliorem, illuſtriorem, atq; vndiquaque feliciorem; vtpote cuius auctorem, conſeruatorem, & amplificatorem ſeſe ipſe præſtiturum polliceatur Deus. Id quod hoc ordine inſtituendum deſcribit, vt primùm locus ponatur, & adornetur; qui tanti regis, & optimorum ciuium regiam deceat vrbem, omnibus inſtructam opibus: quas ipſa etiam indicent ædificia. deinde magnis & ſublimibus vacetur artibus, & ſapientiæ ſtudiis, non ab alio quàm ab eodem Deo dictandis ac tradēdis, maximo cum doctrinæ euentu & prouentu. Alludit autem ratio hæc ad antiqui moris inſtitutum, ita de humanæ vitæ partibus & exercitamentis quondā præſcriptum.*

vt

vt oporteret vnumquemque mortalem, qui humanè ac legitimè viuere decreuiſſet, poſt primam literarum diſciplinam, qua pueri vſque ad pubertatem occupabantur, vineæ plantandæ operam dare: deinde domum ſibi parare vitæ inſtituto commodam; tertiò, vxorem ducere, cui domus & familiæ commendaretur cura, tum demum proprio vnumquemque muneri incumbere cum legitima cognitione earum rerum quæ pro ſuſceptis partibus opportunæ eſſent. atque hoc modo conſtitutam hominum vitam, decus ac laudem ſibi mereri, & reipub. beatitatem iuuare. Igitur quod primam ponendæ ſedis ac domus, & ciuitatis partem ſpectat, Deus operis totius redemptorem ſe præſtat, conditioneſq́ ipſe ſibi præſcribit, non operæ & artis tantummodo; ſed materiæ comparandæ optimæ ac pretioſiſſimæ, & natura ſplendidiſſimæ ac ſummo artificio tractatæ. Atq; ad huius orationis tranſlationem cognoſcendam redemptionum ac redemptorum leges & rationes ex architecturæ diſciplina petitas, tenere oportuerit. Alij enim ex illis operam tantùm & artificium conducunt; materiam verò à Domino accipiunt omnem. Alij verò materiam curandam & comportandam ſuſcipiunt. Deus autē vtramque in hac à ſe ſtruenda & inſtituenda vrbe partem vltrò recipit: eámque non vulgariter præſtandam, ſed quam maximæ futuram eſſe admirationi ſignificet. Nam ſi ex vrbe iam vtcunq; ædificata, ſed partim diruta, partim verò exſtante reſtitutio fieret: felix quidē iſtud opus, verùm non adeò difficile, adeoq́ mirandū, atque ſi ex penitus euerſa redintegretur. Lateritiam vrbem inuentam à ſe, marmoream relictam, non nemo princeps iactauit quondam; verùm illud longè illuſtrius & præſtantius, atque auctoris gloria magis dignum, ex penè deſerto loco pulcherrimam & magnificentiſſimam reddere regiam. Miratur molem Aeneas magalia quondam. Id quod non ſine ſingulari numinis ope fieri antiqui intellexerunt.

Antiquum inſtituū de vinea primū plantāda, & domo ædificanda, &c.

Ciuitatis cæleſtis ædificatio.

Redemptorum leges.

Virgil. 2. Æneid.

O regina, nouam cui condere Iuppiter vrbem,
Imperioq́ dedit gentes frenare ſuperbas.

Indicat autem primùm, Naturæ humanæ ſtatus, qualis ante publicam ſalutem fuerit, ſub imagine tentorij, ſiue magalij cuiuſpiam, quod rectè primùm poſitum ac fixum; tamen procella aliqua tempeſtatis euerterit, nemoq́ deinceps inſtaurauerit: Deus tamen reponendum ſuſceperit; nec reponendum tantummodo, ſed ædificiis ac molibus firmandum, & adornandum ſolidiſſimis & pulcherrimis à fundamento vſque cœptis & conſtabilitis. Priorem tranſlationem intuitus appellat, Paupercula, tempeſtate conuulſa, abſque vlla conſolatione. *Quid enim aliud humanū habuit genus poſtquam à ſuo primo ſtatu peccati turbine conuulſum & euerſum iacuit? Verùm qualem & quantam non reſtitutionem modò, ſed præſtantiam & amplificationem ex Dei miſerentis beneficio, & redemptoris Chriſti virtute atque opera fuerit obtenturum, rurſus docetur. Nam quod ad prima iacienda fundamenta facit,* Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos. *In exemplari lingua* BAPVCH, *ſignificat ſolidiſſimum fundamenti ſolum ſibi primum ſtatuendum. Namque* PVCH *genus lapidis eſt, quod Græcis ςίμμι, nunc ἀντιμόνιον dicitur. cuius variæ ſunt formæ, inter quas Smirin nume-*

Humanæ naturæ ſtatus ante ſalutem publicam.

Humanæ naturæ reſtitutio & amplificatio

PVCH. Antimoniū. Smiris.

ramus, lapidem omnium firmiſſimum, & ſolidiſſimum. Totum autem genus Latinis vocatur Stibium. Hoc lapide in Hiſpania Luſitania conſtare deprehenſa eſt bona pars eius agri & ſoli, quæ inter Emeritam & Trugilium vrbes porrigitur, ea præcipuè portione, qua Alcueſca non ignobile ſitum eſt oppidum. Ita interpretamur vocabulū cum præpoſitione BEPVCH, quod Latinè verſum eſt in ordine, vt vtrumque ſignificet, rectè & in ordine, atque adeò in ſtibio. ita vt vel iaciendo fundamento, non mobile aliquod tentoriū, ſed fixa & perpetua promittatur manſura ſedes, quam quæ, & qualis, quàm pretioſa ſtructura abſolutam ſit poſitura, continuò declaratur: quippe quæ non ex lignis aut aſſeribus ac telis & linteis, verùm ex lapidibus conſtruendam ipſe Deus recipit. Fundabo lapides tuos. Quales autem lapides? nempe pretioſos omnes, & perpulchros; verùm pro corporis & partium ratione & vſu, atque ornamento varios, plurimos quidem, & communiſſimos: non minoris æſtimationis, quàm eos, qui cæleſtis naturæ ſpeciem & colorem præferunt. Fundabo te in ſaphiris. ZZAPHIR, lapis & natura firmiſſimus, ac ſolidiſſimus habetur; vtpote qui vel antiquorum eſt Adamas, vel adamantis congener forma, adeò vt ex colorato Saphiro, colore per artem exucto, is, qui nunc vocatur Adamas, ab artifice repræſentetur. Itaque vrbis huius ac loci muri & opus ipſum totum planè cæleſtem exhibiturum ſit ſpeciem. Conſtat autem ſtructura omnis corpore toto, certis membris, ad vſum & ornamentum diſtributis. qualia ſunt feneſtræ, portæ, ianuæ, & ſupercilia, coronæ, & nonnulla alia, quæ tunc ad diſtinctionē ac pulchritudinem; tum etiam ad vſus oportunitatem ex diuerſo lapidū genere conficere & aptare architecti conſueuere. Primas omnium hoc loco nominat Deus partes eas, per quas ſolis lumen in ædes admittitur, quas Latini feneſtras dicunt, vtpote longè proſpicientibus primùm obiectas; & operis totius genus, ordinem, & artem indicantes. has eſſe intelligimus, quas interpres noſter propugnacula vocat, quod ex feneſtris præcipuè propugnari domus conſuetum ſit. Sacra lingua SIMSOTHIM, id eſt, Solis ingreſſus nominat. Hæc verò ex lapide conſtitura, quem noſter interpres Iaſpidem, ſacra lingua CHADCHOD appellat. Idem autem eſſe CHADCHOD, cum NOPHECH à Chaldæo accepimus interprete. qui, quod apud Ezechielem legimus, NOPHECH ZZAPHIR, CHADCHADINA & ZZAPHIRINA nominat. NOPHECH verò Smaragdum eſſe, quod à memoria iuuanda CHADCHOD, ſiue CHADCHOR appelletur, ex Chaldæo etiam accepimus interprete. Latinus interpres apud Ezechielem integrum nomen huius lapidis reliquit. Byſſum, & ſericum, & chodchod. Habemus itaque in ædificio hoc diuino fundamentum ſtibio ſtratum, muros Saphirinos, & feneſtrarum paraſtatas, ac ſupercilia Smaragdina. reliqua ſunt portæ & coronæ, cum membris ornamentiſq́ ſuis. & portas tuas in lapides ſculptos. LEABNE, AKDAHH. lapidibus AKDAHH, ita ab ardore & ſplendore dictis, quales Carbunculos accepimus, & Rubinos nouimus. Semel tantùm nomen hoc, idq́ apud hunc Vatem inuenitur. & omnes terminos tuos lapides deſiderabiles. LEABNE, HHEPHETS, nullam vel extremam

Margin notes: Stibium. — Saphirus. ZZAPHIR. — Adamas. — Iaſpis. — CHADCHOD — NOPHECH. — Ezech. 27. — Smaragdus. — Exodi 28. — Ezech. 27. — AKDAHH.

mam ædificij, aut ornamentorum partem, & coronam non pulchram, non ſelectam, non denique gratam fore ait. Solent autem coronæ & epiſtylia variis ornari tum imaginibus, tum coloribus interſtingui. Cuius vrbis conſtructio ſi ex materie & artis ratione ſingillatim explicanda eſſet, magnum ſibi ac plenum poſtularet opus, cum multa diuinarum virtutum & efficientiarum notitia, quæ nobis non contigit, contigit autem ei, qui fabricatam non modò intuitus eſt, ſed ingreſſus etiam, atq; aliquanto diſtinctiùs narrauit. Et erat ſtructura & muri eius è lapide Iaſpide, ipſa verò ciuitas aurum mundum, ſimile vitro mundo; & fundamenta muri ciuitatis omni lapide pretioſo ornata, &c. quorum ordines ibidem recenſentur. Igitur conſtituto & adornato habitationis & conſuetudinis communiſq; coniunctionis loco, quænam ſtudia, quæve artes colendæ & exercendæ ſint, indicantur: nempe non vulgares artes, non humanæ induſtriæ inuenta & cogitata; ſed ſapientiæ diuinæ dictata, ac præcepta ipſius Dei vnctione & ſpiritu tradita: idq; vt perpetuum ac proprium conſtet, ſummam pacem & ſecuritatem ait effecturam, tantum ſummi Regis Dei cura, prouidentia, & virtus præſtabit.

Apoc. 21. — Cæleſtis ciuitatis artes, ſtudia & diſciplinæ.

Vniuerſos filios tuos doctos à Dño: & multitudo pacis filiis tuis.

Pace enim ali conſeruariq; diſciplinas compertum eſt: diſciplinas, inquã, ſapientiæ veræ: namq; bellicas, & ad humani generis perniciem inuentas artes, quiduis potiùs quàm ſapientiæ partes appellari conueniat. quæ, ſi quo modo diſcendæ ac tenendæ ſunt, ad ſecuritatẽ potiùs ac defenſionem comparantur eorum qui ſtudiis & rebus honeſtis, & iuſtitiæ adminiſtrandæ atque conſeruandæ reipub. animum intenderint. Sic enim Salomonis pacifici regis ætate equorum equitumq; copiam certis locis deſtinatam accepimus: non vt quicquam belli cuiquam inferretur, ſed vt à finitimis bellis & inſidiis tutiùs viueretur. Verùm enimuerò huius, quam Deus adornabat, reipub. ſecuritatem longè feliciorem & perpetuam fore, oraculum hoc promittit. RABSALOM BANAICH. multa pax filij tui. *Pacẽ in ipſis manſuram, imò eoſdem pacem ipſam fore. Qualis verò doctrina hæc futura eſſet, quam Deus nouæ Ieroſolymæ filiis promittit, promiſſoris filius ipſe aliquando indicatam oportunè demum tradidit. Nolite murmurare inuicem, Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Eſt ſcriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei, Omnis qui audiuit à Patre & didicit, venit ad me. non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is qui eſt à Deo, hic vidit Patrem. Amen, amen dico vobis, qui credit in me habet vitam æternam. Et Ioannes teſtimonium perhibet de ipſo, & clamat, dicens: Hic erat quem dixi, qui poſt me venturus eſt, ante me factus eſt: quia prior me erat, & de plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia. (Quia lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per* IESVM *Chriſtum facta eſt. Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit.) Itaque diſciplinã illam diuinam ſumma pace conſeruatum iri, accepimus: eandem verò pacem perpetua ſecuritate ſtabiliendam & confirmandam eſſe addit.*

Bellicę artes cui maximè vſui. — Cæleſtium ciuium pax, & doctrina. — Ioan. 6. — Ioan. 1.

Et in iuſtitia fundaberis: recede procul à calumnia, quia non timebis, & à pauore, quia non appropinquabit tibi.

Pax quibus turbetur, quibusque conſeruetur. Prou. 15. Amos 1.

Reipub. pax & quies altera duarum partium vel vtraque turbari ſolet, inteſtino diſsidio, vel externa inuaſione: vtrique malo cauſam iniuſtitia affert. Iuſtitiæ enim defectus iniuriæ locum dat; iniuria odium, iram, truces inimicitias, & funebre parit bellum. S. S. E. Domus iuſti plurima fortitudo, & in fructibus impij conturbatio. Qua de re nos aliàs perſæpè, & plenè ſatis in Amoſij commentariis diſſeruimus. Atqui vt neutra ex his partibus publica & communis filiorum Dei, hoc eſt, ciuitatis huius, quam deſcribimus, turbetur ſecuritas, dupliciter prouiſum eſſe docet, tum ex iuſtitiæ perpetua obſeruantia & cultura: tum etiam ex diuina tutela & cuſtodia, quam externorum nemo vnquam hoſtium tentare ſit auſurus. Hæc ita propoſita, ſic etiam promittuntur. In iuſtitia fundaberis. BETSEDAKA THICHONANI, in iuſtitia benigna concinnaberis. *Verbum ab ædificiorum rectè collocatis columnis tranſlatum. quod rectam, benignam, benè tornatam, atque commodè & opportunè locatam confirmatamq; ſignificat iuſtitiam: ita vt nemo quicquam agat, quod vel minimum à iuſtitia diſcrepet: atque ita nullam contrahat culpam quamobrem iure per aliū turbetur. Sed ne vt per calumniam quidem turbari & opprimi poſsit, ex eadem iuſtitia, Deo auctore ac tutore, eueniet.* recede procul à calumnia, quia non timebis. *Procul, inquit, eſto calumniæ, vel à te in alios, vel ab aliis in te ſuſpicio.* Calumniam *hoc loco interpres à nomine* GHOSEK *vertit, quod potentiorū aduerſus infirmiores vim ſignificat. idq; verbi eos tantùm ſpectat: qui in eadem legum, ac publicæ rei cōmunione verſantur. eiuſdemq; ſignificationis eſt cum illo? Nónne diuites per potentiam opprimunt vos, & ipſi trahunt vos ad iudicia? Nónne ipſi blaſphemant bonū nomen, quod inuocatum eſt ſuper vos? Itaque populum hunc Dei nec vllius alterius commodis inuiſurum; neque re vlla egentem fore ait (ad ſpiritum & veritatem, non ad Iudaicam terrenam beatitatem commentamur.) Atque ita nec ſuis metuiturum, nec aliena inuaſurum; ſed neque vicinorum inſidiis aut ab remoti hoſtis violentia tentandum.* & à pauore, quia non appropinquabit tibi, MEHHITHAH, *animi conſternationem, & impotentem pauorem ſignificat. Quod verò ad externi hoſtis ſuſpicionem ac metum attinet, ita excipitur.*

Calumnia. GHOSEK. Iacobi 2.

Ecce accola veniet, qui non erat mecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi.

Ex comparatione ſtrictæ interpretationis huic loco lux dabitur. HEN GOR IAGOR EPHEZZ MEOTHI MEGARITHACH GALAICH IIPOL. Ecce peregrinari peregrinabitur, præter me eſt apud te. Qui peregrinatus ſuper te cadet. *Peregrinus legitimo vocabulo is dicitur, qui certam & ſtatam ſedem non habēs, apud indigenas admiſſus manet. Atque ita duæ peregrinorum conditiones apud antiquos obſeruantur. altera eorum, qui derelicta patrij cultus ſuperſtitione Iſraëliticam legem & religionem ſubibant, prorſusq; pro Iſraëlitis ducti* GER TSEDEK, *id eſt, peregrinus, ſiue hoſpes*

Peregrinus. GER TSEDEK.

hoſpes iuſtitiæ, dicebantur. altera verò eorum, qui hoſpites ita agebant, vt præter vanum ſimulachrorum cultum nihil prætereà ex priſtino ritu mutabant, & ciuiliter tantùm apud Iſraëlitas conuerſabantur, GERTHOSAB, *hoc eſt, aduena, ſiue hoſpes habitationis dicti. Huius autem conditionis nullum in futura Ieroſolyma admiſſum aut cenſitum iri Deus ait, ſed omnes qui eodem pietatis modo ac ritu (vndecunque venerint) viuere inſtituerint & à Deo fuerint admiſſi, eodem iure omnino vſuros, eodemq́ nomine ſine vllo conditionis diſcrimine appellandos. hoc eſt, Non hoſpites & aduenas, ſed ciues ſanctorum & domeſticos Dei, ſuperædificatos ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu Domino. Id quod D. Petrus docet, in veritate ſibi compertum non eſſe perſonarum acceptionem apud Deum, ſed in omni gente qui timet Deum, hunc illi eſſe acceptum. Atque ita ſententiam explanamus.* Ecce peregrinari peregrinabitur præter à me. *nullus peregrinabitur qui idem à me non ſit alienus. Hoc ad poſterius peregrinorum genus pertinet, quos peregrinos habitationis vocari dicebamus, neque abſolutè* GER *dictos. Namque nomen* GER, *ſine adiuncto pronũciatum, vt peregrinum iuſtitiæ (qui aliàs proſelytus vocatur) abſolutè ſignificet, vſus obtinuit. De quo poſterior huius verſus pars exponenda.* Qui peregrinatus eſt apud te, ſuper te cadet. *Qui anteà peregrinabatur apud te, dictus* GER TSEDEK, *tam deinceps in eundem tecum cadet cenſum, & ad eandem referetur hæreditatem. Verbum* cadet, *ad communionem hæreditatum & iuris hoc loco refertur. eſtq́ legitimum. vt, Funes ceciderunt mihi in præclaris. &, Cecidit ſors ſæpius apud Ioſuam repetitum. ac de Iſmaële ſic legimus, Et coram cunctis fratribus ſuis obiit. quod ad hæreditatem declarandam & indicandam ducimus referendum.* obiit hæreditatem. *ex verbo* IIPOL *verſum, id eſt,* cadet *hoc eſt, perpetuò habitabit. Atque his annotatis interpretis noſtri verſio ſatis elucidata manet.* Ecce accola veniet *dicendus,* qui nõ [erat] mecum: Aduena quondã tuus, *qui tibi aduena antè ducebatur, iam deinceps poſthac* adiungetur tibi *in idem ciuitatis ius ac nomen. Quod ſi quis vtrumq́ hemiſtichium de eodem aduena dictum putet, abundet ſanè ſenſu ſuo, nobis genuina lectio diſtinctionem, quam exhibuimus, perſuadet. Hanc demùm ſanctæ ciuitatis pacem, quietem, & ſecuritatem nulla externa vi turbandam, nulla induſtria, ſagacitate atq́ ſapientia & eloquentia hominum, aut principum huius mundi contaminandam, vtpote à ſe iam conſtitutam, fotam, & in æternum conſeruandam, Deus auctor ac tutor ſuſceperit.*

Peregrinus iuſtitiæ. GERTHOSAB. Aduena habitationis. Act. Ger. Aduena iuſtitiæ. Proſelytus. Cadere. Pſal. Ioſue.

Ecce ego creaui fabrum ſufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus ſuum: & ego creaui interfectorem ad diſperdendum.

Nihil in toto orbe incipi, aut fieri, & confici, quod prouidentiam auctoritatemq́ Dei fugere aut latere, vel virtutem & efficacitatem detinere, morari, aut alio quouis pacto poſſit mutare, plurimis in locis diuina mõſtrat & confirmat doctrina: ex quibus vnus hic eſt, quem ad populi ſui ſecuritatem & conſtantiam firmandam in præſentiarum Deus tractat, illud veriſſimè aſſerens: Quidquid in terris fiat, tantum valere aut efficere poſſe, Prouidentia ac virtus Dei

 quan-

quantum ipſe volet aut permittat, nihil præterea ampliùs: quandoquidem non modò facta hominũ diuinæ prouidentiæ ac virtutis legibus terminentur, verùm & ipſi auctores, homines, inquam, nihil quicquam facere, imò neque eſſe & exiſtere, niſi ab ipſo fuerint creati. Quoniam verò ciuitatis huius, quam adornabat parabatq́; Deus, filios omnes à ſe docendos, diuinæ doctrinæ ſapientiæq́; admirabilis compotes euaſuros: atque ita in ſumma pace & ſecuritate Chriſti, quæ omnem ſuperat ſenſum, victuros, ac ſemper acturos promiſerat, vnum, quod reliquum fuerat, ſubiungit, Pacem & ſecuritatem illam atque ſapientiæ doctrinæq́; conſtantiam nulla vi, nulla fore hominum induſtria dimouendam aut labefactandam. Duo autem ſunt potiſſimùm hominibus inſtrumentorum & apparatus genera, quibus mundus ad receptam alicubi doctrinam, euertendam vſus fuit, quibuſq́; perpetuò vtitur. alterum ad vim, alterum ad induſtriam & ſagacitatem pertinet. Vis armis & ferro atque igne exercetur. Induſtria ſcientiæ diſciplinis & artibus armatur, & lingua atque eloquio expeditur. His modis atq; partibus gentium principes ac ſapientes Chriſti doctrinam expugnare & euertere conati ſunt, fruſtrà tamen tentarunt & contenderunt: quandoquidem irrita omnia & vana ſunt experti. imò iiſdem, quibus vincere certabant, artibus laſſi & feſſi ipſi creuiſſe, & proceſſiſſe Chriſtianæ ſimplicitatis victoriam, ſuamq́; factionem imminui & aboleri ſenſerunt. Quam vel efficacitatem, vel infirmitatem cùm rerum tum perſonarum momentis & legibus ac modis rationibusq́; à diuina prouidentia conſtitutis obnoxiam eſſe, ex eo docemur, quod non modò artis nullum vſum, ſed neque artificem ipſum extare, aut conſtare poſſe, niſi ſua ipſius voluntate ac virtute, Deus dicit: Ecce ego creaui fabrum. *qui non ſolùm hominem, ſed neque fabrum ſe eſſe potuiſſe citra meam virtutem allegare poſſit. Nam à quo naturam, ab eodem ingenium accepit, ſpiritum item & idoneum ad condiſcendã artem, ſenſum, & membra manusq́; ad opus faciendum oportunas: induſtriã præterea ad ſingulorum operum & inſtrumentorum paranda & aptanda genera. Atqui non eadem omnibus ratio operibus, nec idem vel par eſt vſus. Quando idem artifex gladium alium longè alio acutiorem & penetrantiorem; idem etiam variis ad iaciendũ viribus componere poteſt varios arcus. Quod cùm non ſine Deo præſtare poſſit, conſequens eſt, vt id etiam parari poſſit inſtrumentum, quo vel nihil conficiatur, vel contrariũ prorſus vtentis menti ac propoſito id quod conficitur, euadat; ita vt eum potiùs lædat, à quo, quàm eum, in quem fuerit vſurpatũ, atque ei victoriam pariat, qui victum & ſuperatũ iri putabatur: idq́; non modò ex artis, & artificis à Deo directo temperamento ac modo, ſed etiam ex ipſa materia, ac deſtinatis, & inſtrumentis ab eodem Deo aliter quàm pro communi & vſitato exemplo affectis & immutatis. Omnia hæc à ſe creari ac temperari, Deus ait.* Inſufflantem in igne prunas, & proferenté vas in opus ſuum. *Nomen* CHELI, *quod in vas perſæpè Latinus vertit, inſtrumentum omne ac ſupellectilem cunctam in genere ſignificat. atque ita non modò artificis opus & mentem, vel ſecundare, vel fruſtrare; ſed ipſum quoque ignem, carbones, ventum,*

Sanctorum ſecuritas.

Mũdi arma.

Chriſtianæ doctrinæ victoria:

CHELI. Vas.

tum, flammam, & cetera omnia pro arbitrio componere, tranſmutare, & inuertere ſe poſſe ait. Cui ſententiæ & illa adſtipulantur. Cùm tranſieris Sup.43.
" *per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaueris in igne,*
" *non combureris, & flamma non ardebit in te: Quia ego Dominus Deus*
" *tuus, Sanctus Iſraël ſaluator tuus. Nec verò armorum fabrum & artem, atque apparatum omnem ſibi, vt auctori ſubiecta & addicta eſſe, Deus ait: ſed eum etiam, quiſquis eſt, qui his ad nocendum vtatur, à ſe creatum; & nihil ſe inuito, quod valeat aut eueniat, poſſe efficere.* Et ego creaui interfectorem ad diſperdendũ. *Ex quibus omnibus colligitur nihil quicquam vel commodi, vel incommodi in orbe toto euenire, quod præter diuinam notitiam, virtutem, & efficientiam fiat. non vt mali facti Deus auctor ſit, ſed vt facti nihil ſine Dei auctoritate conſtare poſſit. quod Theologi dicere ſolent, Deum ad naturam, non autem ad malitiam rerum concurrere. Quod cùm ita ſit, conſulturum, curaturũ, & præſtiturum pollicetur Deus, vt quidquid ad perdendam ciuitatem ſuam vel armorum, vel potentiæ, vel cuiuſcunque noxij & exitialis generis apparatum fuerit: tamen irritum demum euadat, effectuq; careat conſueto. Atque ita nihil vnquam rerum ciuitatis Dei pacem, quietem, ac ſecuritatem turbare poſſe, per hunc, aliosq; Vates Deus aſſerit. Neque verò alterum expugnationis & nocumenti genus ciuitati huic ſanctæ minùs etiam contemnendum fore ait. id nimirum quod generoſis animis grauius ac durius quàm vel ferrum, vel ignis exiſtimatur, hoc eſt malum ac peſtilens humanæ linguæ virus: quæ duobus officere ſolet modis: altero contentionis & calumniæ, maledicentiæ ac detractionis altero. Namq; huiuſmodi artibus inſtructa humana induſtria veritatem impugnare contendit, controuerſia primũ ac diſputatione non veri cognoſcendi ſtudio, ſed vel extinguendi, vel obſcurandi propoſito ſuſcepta. quæ ſi minùs valere, atque infirmari & ſuperari conatis videtur, ad maledictorum, irriſionum, probrorum, criminum, contumeliarumq; recurritur auxilia. quorum frequentiſſimas comparare copias, in promptu fuerit. propterea quòd his fingendis & inſtruendis vel vulgaria, & vilia abiectiſſimaq; ingenia idonea comperiantur, & quo impudentior quiſque ſit, eo ad iſtas habilior ſit artes. quas honeſto religionis atq; reipub. nomine ac prætextu cõmendatas, vulgus omne reliquum magno plauſu proſequi, & etiam ſuffragiis omnibus promouere ſolet. Atque ita duabus è partibus veræ atq; honeſtæ cæleſtium ciuium reipublicæ bellum ab vſque mundi conſtitutione illatum narratur, nimirum armatæ manus; in qua vis, atque malæ linguæ, ex qua calliditas, calumnia, & maledicentia, ceteræq; falſi comites peſtes oriuntur. Alterum genus* laquei venantium, *alterum verò* verbi aſperi *vocabulis complexus eſt Pſaltes: Qui habitat in adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei cæli commorabitur: dicet Domino, Suſceptor meus es tu, Deus meus, & ſperabo in eum. Quoniam ipſe liberabit me de laqueo venantium, & à verbo aſpero. Vtramque verò incommodi atque importuni iſtius mali partem ciuitati ſuæ ſanctæ minimè horrendam, imò & contemnendam, vtpote* vanam, *irritam, & inefficacem prorſus redditurum ſe Deus dicit.*

Humanæ linguę virus

Humanæ induſtriæ artes.

Laqueus venantium verbum aſperum.

Ac

Ac priori quidem, quæ corporibus nocere moleſtaq́ꝫ eſſe putatur, declaratæ & exceptæ poſteriorem, quæ animos præcipuè tangit, ſubiunxit. vtramque verò eodem complexus eſt verſu.

Omne vas quod fictum eſt contra te, non dirigetur: & omnem linguam reſiſtentem tibi in iudicio, iudicabis.

Tormentorum & cruciatuum noua genera in ſanctos inuenta.

Diximus armorum ac inſtrumentorum genus omne vaſis nomine communiter definiri. Significat autem Deus hoc loco, non modò communibus ac vulgatis nocendi & lædendi inſtrumentis Eccleſiæ ſuæ inimicos ad expugnandum vſuros, verùm quamplurima inuenturos & adhibituros tormentorum, armorum, telorum, & cruciatuum ac ſuppliciorum, qualia in martyres & ſanctos Dei excogitata narrantur genera: verùm ea tandem ad diuinam expugnandam Euangelij veritatem irrita & manca ac debilia eſſe experturos. ideò illa vſus eſt dicendi formula, Omne vas quod fictum eſt contra te. *Namque ex induſtria & ſtudio nulla ſuppliciorum, & inferendæ mortis artes ab humana peruerſitate excogitatas legimus, nunquam anteà vel fama cognitas, ſed in Chriſtianæ veritatis inuidiam atq́ꝫ damnationem Euangelij, fruſtrà tamen vſurpatas; vtpote quarum partem iis ipſis qui vſurparent, malum intuliſſe, nullas verò id quod intendebatur, obtinuiſſe; hoc eſt, Euangelicæ doctrinæ apud eos, qui rectè compotes erant, horrorem, deteſtationem, vel abiectionem. Hoc eſt quod ait:* non dirigetur. LOHTSLAHH, non proſperabitur, non ſuccedet. *Neque verò in linguæ præſidio plus hominibus inimicis aduerſus ſanctos ciues vel vſus, vel efficientia, vel roboris ad ſucceſſum repertum iri prædicit: quippe quod vbi ad veri iudicij examen, aut ad rectè inſtitutam diſputationem referatur, vanum & mendoſum prorſus deprehendendum fuerit. Ex quo etiam eueniet vt contumeliæ, maledicta, probra, & cetera peſtilentis linguæ venena euaneſcant.* & omnem linguam reſiſtentem tibi, in iudicio iudicabis.

RASAGH.

LAMISPAT THARSIGHI, iudicio condemnabis. *Nam* RASAGH, *iuridicum verbum malam cuiuſuis cauſam notare & damnare ſignificat. Id quod Euãgelij auctor ipſe, atque huius ciuitatis caput ciuibus ſuis præſtiturum ſeſe recipiebat: Sed ante hæc omnia iniicient vobis manus ſuas, & per-*

Lucæ 21.

„ ſequentur, tradentes in ſynagogas & cuſtodias, trahentes ad reges & præ- „ ſides propter nomen meum. Continget autem vobis in teſtimonium. Ponite „ ergo in cordibus veſtris non præmeditari quemadmodum reſpondeatis: Ego „ enim dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterũt reſiſtere, & contradicere „ omnes aduerſarij veſtri. Trademini autem à parentibus, & fratribus, „ & cognatis, & amicis, & morte afficient ex vobis, & eritis odio homini- „ bus propter nomen meum, & capillus de capite veſtro non peribit. In pa- „ tientia veſtra poßidebitis animas veſtras. Porrò hanc adeò inſuetam rerum nouitatem, & à communibus diuerſam exemplis ad prouidentiã ſuam erga ciuitatis ſanctæ ciues ſingularibus agentẽ modis, adſcribendam Deus docet. Nam quod aliàs nocere poteſt & ſolet, quod propoſitum vrgere & aſſequi conſueuit, quod ex natura eodem pacto vſurpatum, idem ſemper effecerit, vt vel mutetur, vel inuertatur, vel irritum euadat & vanum, quod

porrò

porrò humanos animos perterrefacit aliàs, quod opprimit mẽtes, quod metu afficit; denique quod vincit & ſuperat, vt pro terrore & horrore vires addat, pro metu ſpem augeat, pro diffidentia fiduciam & conſtantiam efficiat, ad nullam naturæ efficacitatem referri iure poſsit. Quinimò Dei tantummodo tributum oportet virtuti, qui omnia ita temperat, vt quæ lædere nata ſint, vel nihil prorſus lædant, vel etiam lædendo contrarias prorſus iuuent & promoueant partes. Animis verò hominum eam mentem firmare, eam indere fortitudinẽ, eam ſapientiã ſuggerere, quæ in omnes hominum occurſus valeat, nihilq́ offendat quod vel veritate non vincat, vel fortitudine & patientia non contemnat & ſuperet? Atq; ita non dubitandum, mirabilia, & à communibus exemplis nimium diſtãtia ſpectari in iis, quibus peculiari iure & amore patrem, regem, ac dominum præbere, & ſingulariter fauere inſtituerit Deus: Quippe

Hæc eſt hæreditas ſeruorum Domini, & iuſtitia eorum apud me, dicit Dominus.

I D *quod certo iure cuiquam per legitimum auctorem tributum eſt*, NAHHALAH *in exemplari, in Latina verò lingua* hæreditas *dicitur. atque idem à communi & publico vſu eodem diſtinguitur iure, ex cuius hæreditatis poſſeſsione & vſucapione poſsidentis cenſetur conditio. Atque diuino conſilio ac propoſito decretum, dicto etiam declaratum fuerat, eos, qui Domino ritè ac legitimè ſeruierint, ſancta illa ciuitate fore donandos, atq; ex boni ſerui nomine & conditione in filiorum Dei gloriam & hæreditatem adoptandos, à qua hæreditate nulla vi pelli, nulla lite aut intentata cauſa ab aduerſariis deturbari poſsint, præſertim cùm ante iudicem peragenda res fuerit, non hominem quempiam, cuius vel iudicio refragari, vel integritate abrogari, detrahíve poſsit: imò ante Deum, qui, cùm omnium Dominus auctorq; ſit vnicus, iſtud iuris & beneficij ſuis legitimis voluerit ſeruis largiri.* Et iuſtitia eorum apud me. *In exemplari eſt*, VETSIDKATHAM ME ITHINEVM IEHOVAH. & iuſtitia eorum de apud me, dictum Domini. *Significat ius illud, quo Dei ſerui ſuperiores in iudicio euadent, non humana virtute partum & acquiſitum, ſed miſericordiæ ac liberalitati diuinæ acceptum ferendum. namq; vt ex ſeruo in filium adoptetur quiſquã non volentis, nec currentis, ſed miſerentis eſt Dei. qua de re Apoſtoli ſæpiſsimè diuinæ voluntati gratulabundi agunt, Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio. Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius. Atque hanc admirandam ſanctorum ciuium ac Dei domeſticorum ex cunctis periculis, difficultatibus, pugnis, & aduerſariis, inimicorumq́ artibus ac partibus victoriam ab iiſdem ipſis cum ſumma Dei fauẽtis laude celebratam audire operæpretium fuerit. Quid ergo dicemus? Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat. Quis eſt qui cõdemnet? Chriſtus Ieſus*

[Margin notes: NAHHALAH hæreditas. — Bonus ſeruus adoptatur. — Victoria ſanctorum ex gratia Dei. — Iacobi 1. — Rom. 8.]

» *qui mortuus eſt, imò qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam*
» *interpellat pro nobis? Quis ergo nos ſeparabit à Caritate Chriſti? tribula-*
» *tio, an anguſtia, an fames, an nuditas, an periculum, an perſecutio, an gla-*
» *dius? ſicut ſcriptum eſt: Quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſu-*
» *mus ſicut oues occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui*
» *dilexit nos. Certus ſum enim quia neque mors, neque vita, neque angeli,*
» *neque principatus, neque virtutes, neque inſtātia, neque futura, neque for-*
» *titudo, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura poterit nos*
» *ſeparare à caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. nempe*
» *quòd* Hæc eſt hæreditas ſeruorum Domini, & iuſtitia eorum de apud
» me, dicit Dominus. *quia quod ſtultum eſt Dei, fortius eſt hominibus. Vi-*
1. Cor. 1. *dete enim vocationem veſtrā, fratres: quia non multi ſapientes ſecundùm*
» *carnem, non multi potentes, non multi nobiles; ſed quæ ſtulta ſunt mundi,*
» *elegit Deus, vt confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt con-*
» *fundat fortia, & ignobilia mundi, & contēptibilia elegit Deus, & ea quæ*
» *non ſunt, vt ea quæ ſunt, deſtrueret; vt non glorietur omnis caro in conſpe-*
» *ctu eius. Ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis ſapien-*
» *tia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. vt, quemadmodum*
» *ſcriptum eſt, Qui gloriatur, in Domino glorietur. & apud eundem Apo-*
Philip. 3. *ſtolum: Veruntamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem*
» *ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei; propter quem omnia detrimentū feci,*
» *& arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam, & inueniar in illo ha-*
» *bens non meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti,*
» *quæ ex Deo eſt iuſtitia in fide, ad cognoſcendum illum, & virtutem reſur-*
» *rectionis eius, & ſocietatem paſſionum illius, configuratus morti eius, ſi*
» *quomodo occurram in reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis.*

CAPVT LV.

OMNES ſitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, & comedite: venite emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum & lac.

Doni perfecti præſtātia. DIVINI *illius dati ac perfecti doni, quod ſeruis ſuis Deus parauerat, quod idem donare & largiri voluit, quodq́; demùm largitus præſtitit, neceſſitatem, oportunitatem, vtilitatem, & commoda innumera commendare nunquam deſinunt Vates. Verùm enimuerò quibus verbis, quibus nominibus declarent, nunquam ſatis inuenire aut eloqui valent, cùm res ipſa eius naturæ, eiusq́; ſit generis, quod nec oculus vidit; nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Quamobrem nec humana oratione deſcribi vnquam vel pro dignitate poſſit exprimi. Ne verò id, quod tanti ad veram hominum felicitatem intereſt, cum ſummo ignorātium damno taceatur prorſus, earum rerum imaginibus ac vocabulis indicatur, quas mortalis hæc vita cōmodiſſimas, vtiliſſimas, & omnino experitur præſtātiſſimas. Ex illarum autem genere ac numero quatuor nunc à Vate noſtro vſurpantur, quæ, quòd notiſſimæ,*

tiſſimæ, & maximo in vſu omnibus habentur hominibus, propter communem vtilitatis & commodi ſenſum nulli non ſua ſponte commendanda & probanda, atq; egentibus maximè appetenda & quærenda cenſentur. eæ verò ſunt aqua, panis, vinum, & lac. De quarum natura & vſu nonnihil nobis fuerit ſingillatim dicendum, quantum ad ſalutandum huius maximi arcani limen lectorem noſtrum deducere poſſit, plura, maiora, imò plurima & maxima, & plurimum admiranda vbi interiùs admitti Deus dignetur edocendum & prædicaturum. Principio autem adnotandum eſt, tria auditorum genera à Vate hîc ſtatui, vnum eorum qui ſiti ac fame laborant; non quidem ſiti aquæ, aut fame panis, id eſt, cibi ac potus, qui pereunt, ſed qui permanent in vitam æternam, hoc eſt, verbi viui & efficacis Dei: de quibus ſcriptum eſt: Omnis qui bibit ex hac aqua, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego daturus ſum, non ſitiet iterum; ſed fiet in eo fons aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam. & alio loco, Amen, amen dico vobis, non Moyſes dedit vobis panem de cælo, ſed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Alterum verò auditorum ordinem ſtatuit eos, qui non adeò ſcire & intelligere cupiunt. vtpote quidnam ſapientia ſit, quidq; præſtet ignorantes. quales maxima pars hominum ſunt, aliis potiùs rebus, quàm ſapientiæ dediti ſtudiis. Tertius ordo, ſiue tertium genus eorum eſt, qui literarum ſtudia, & artium diſciplinas vel ipſarum met, vel priuati cuiuſpiam commodi cauſa colunt, & frequentant. Iam verò humani animi duplicem eſſe portionem nemo vel mediocriter eruditus eſt, qui neſciat, alteramq; in cognitione, alteram verò in rerum vſu verſari: illam intellectum, ſiue rationem, ſiue animum propriè, hanc appetitum, ſiue appetitionem, vel animam dici: illam de veri indagatione & notitia, hanc de boni poſſeſſione & vſura agere. Vtrumq; autem ſapientiæ facultate præſtari. Porrò ſapientiam diuinarum atq; humanarum cognitionem rerum definiri: Diuina dici, quæ æterna, & ſua ſponte optima & præſtantiſſima beatiſſimaq; ſunt. Humana verò, quæ fluxa, caduca, minimumq; beata, aut beantia ducuntur. Atq; hac definitione & partitione contineri in ſumma omnia, quibus humanus expleri ac perfici poſſit animus, omnium doctorum hominum ſententiis & iudiciis comprobatum eſt. Verùm enimuerò de eo controuerſia inter homines eſt, quod in vero & falſo, & bono ac malo dignoſcendis, non vnum & idem omnibus iudicium fuerit, ſed vnicuique pro ingenij, aut inſtituti ac propoſiti priuati ratione ſuus ipſius ſenſus, ſuum inuentum, vel ſuus error placuerit. vnde infinita opinionum, ſententiarum, ſectarum, ac factionum, diſſenſionumq; varietas ornata. quæ plus mali & incommodi hominum publicæ & communi ſocietati, quàm commodi demùm peperiſſe, comperta eſt. Atq; ita qui hoc pacto curari & ſanari poſſe credebatur animus, quo plura humanæ ſapientiæ ſibi comparauit momenta, plura etiam incommoda & nocumẽta attuliſſe deprehenſus eſt. Nam præter innumera dubitationum & ambiguitatum genera, quibus veri ac boni cognitio impeditur ac turbatur, inſolens quidem ac peſtifer arrogantiæ, ſuperbiæ, & contẽtionis exoritur, ex eo magis cæco obnoxius periculo, quòd ſpecie ſui bonam

Auditorum tria genera.

Ioan. 4.

Ioan. 6.

Humani animi portiones duæ.

Intellectus.

Appetitus.

Sapientia.

Diuina.

Humana.

Opinionum & diſſenſionum origo.

Scientiæ humanæ inutilitas & nocumentum.

 imi-

imitatur habitudinem. De priore diſcrimine ita ſenſit ac pronunciauit Sapiens: Dediq́; cor meum vt ſcirem prudentiam atque doctrinam, erroresq́; Eccl.1.
» & ſtultitiam: & cognoui, quòd in his quoque eſſet labor & afflictio ſpiritus: eo quod in multa ſapientia multa ſit indignatio, & qui addit ſcientiam,
» addit & laborem. De altero verò periculo atq; incommodo ita Apoſtolus & ſenſit, & canit: O Timothee depoſitum cuſtodi, deuitans prophanas vocum 1.Cor.
» nouitates & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ. quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. namq; vt idem aliàs ait, Scientia inflat. Atqui periculis his omnibus occurri & obſiſti, vel contractis iam pridem ægritudinibus ac malis medicinam fieri, vnus Deus hominum auctor, & amator ſapientiæ ſuæ communicatione curauit. Eamq́; ob rem legis ac vaticiniorum doctrinam multis prodigiis, miraculis, & aliis diuinis confirmauit exornauitq́; ſignis. quo munere atq; dono Dei quantū boni & commodi, quantoq́; compendio obtinendi terris allatū fuerit, infiniti penè operis eſſet enarrare. ex parte tamen à nobis in magno indicatum eſt opere. Nihil enim in ſacræ legis lectione, quod vel ad veri & boni cognitionem, vel ad prudētiæ & conſiliorum copiam pertineat, requiri conſcius & compos teſtatur Pſaltes: Quomodo dilexi legem tuam Domine, tota die meditatio mea eſt. Super
Sapientiæ Dei in lege & Prophetis vtilitas.
Pſal. 118.
» inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo: quia in æternum mihi
» eſt. Super omnes docentes me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea eſt. Super ſenes intellexi, quia mandata tua quæſiui. Omnis ſcriptura Tim. 2.
» diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corrigēdum,
» ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus. Verùm enimuerò quamquam ſacra ac diuina legis ac vatū ſcripta ſic, vti diximus, ipſa in ſe habeāt, propter maximam eius, à quo inſpirata dictataq́; fuerunt auctoritatem, atque etiam propter contentæ doctrinæ veritatem, puritatem, & præſtantiam; tamen quia diſcipulum ſuum, hoc eſt, hominem, ad tantæ ſapientiæ exactam cognitionem, atque ad virtutis veræ cuſtodiam & exercitationem longè minùs quàm par fuerat, idoneum & aptum offenderunt, euenit, vt non tantum, quantum oportuit, præſtarent: & ex conſequenti, puriorē & ſanctiorem in homine ſpiritum, ad ſui plenam notitiam, & oportunam atque alacrem exercendi expeditionem requiſierint. Oportebat nouæ & humanum exemplum ſuperantis diſciplinæ vulgaribus ingeniis, & communibus auribus præſtantiores auditores, ac ſectatores parari. id quod nulla inferiore virtute præſtari & effici potuit, præterquam vnius Dei Verbi ac Filij, per quem omnia, & à quo omnia, qui ex diuina liberalitate vltrò oblatus, atq; à Patre promiſſus quondam fuerat, ac demum in carne natus, apparuit omnibus hominibus, erudiens nos,
Legis infirmitas per carnem.
Chriſti fructus atque opus.
Tit. 2.
» vt abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, ſobriè, & iuſtè, & piè
» viuamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem & aduentum gloriæ ma-
» gni Dei, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Cuius virtute & opera, & efficacitate bonum illum atq; optandum expetendumq́; ſpiritum, quem ſacra oracula multis nobilitant cognomentis hominum generi donaturum ſeſe, Deus pollicitus perſæpe fuit. iis, inquam, ex humana ſobole, quos communis

ac vulgaris, veteriſq; conditionis humanæ pœnitentes, melioris & ſublimioris atque liberioris votum, & ſpes & expectatio animaret ac teneret. Quale votum antiqui ſancti viri omnes nuncupaſſe obſeruantur. idq́; comprimis magnus ille rex ac Vates exprimere non ſemel eſt auditus: Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me. Adhæſi teſtimoniis tuis Domine, noli me confundere. Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilataſti cor meum. Hoc noui & recti ſpiritus donum, quod aliàs dilatationē cordis idem vocat Pſaltes, compluribus nominibus ac vocabulis apud alios & alios celebratum, cunctis expetendum votis ac precibus poſtulandum, & ſtudiis omnibus, omniq́; opera, diligentia, & contentione quærendum Vates docet, & expectare præſtandum, paratum porrò, ac demum oblatum, ſumma alacritate, & ardenti fide atq; auiditate maxima à donante monet accipere. Id quod omnium hominum cōditionibus perſuadere ſtudet: tam eorum qui ſapere auent, quàm eorum qui minus propter inſcitiam cupiunt; atq; eorum etiam, qui ſummo cum labore & ſtudio exiſtimatæ ſapientiæ doctrinis incumbentes, aut nullum, aut perexiguum, nec beare valentem percipiunt fructum. Iam verò iis quæ paulò altius repetita præfati ſumus animaduerſis rerum earum, quarum imagine, tranſlatione, & vocabulis diuinum iſtud donum ſapientiæ ſubindicatur, naturas, virtutes, & vſus breui commentatione percurramus. Omnes ſitientes venite ad aquas. *In exemplari lingua adhortationis & liberalis huius inuitationis initium ab excitandi & vocandi particula* HOI *inchoatur.* HOI CHOL TSAME LECHV LEMAIM, O omnis ſitiens venite ad aquas.

Pſal. 51. / Pſal. 118. (margin)

Cum ſingulari nomine conſtructum plurale verbum nullum hominem, qui modò verè ſitiat, à vocante exceptum, vel excludendū ſignificat à Deo, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Beati autem qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Qua ſententia arcana iſta nomina aquæ & panis, quemadmodum interpretari conueniat, ſummus ille nos docuit Præceptor. Idem verò aliàs id, quod apud hunc Vatem promiſſum fuerat, præſtabundus in publico ac frequentiſſimo loco celeberrimi feſti die clamabat: Qui ſitit veniat ad me. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dicebat (ait Euangeliſta) de ſpiritu, quem accepturi erant credentes in nomine eius: Nondum enim Spiritus ſanctus erat datus, quia nondum Chriſtus erat clarificatus. Atque has eaſdem eſſe aquas intelligimus, quarum affluentem copiam Vates alius præcognitam cecinit: Et erit, in die illa exibunt aquæ viuæ de Ieruſalem; medium earum ad mare orientale, & medium earum ad mare nouiſſimum, in æſtate & hyeme erunt. Et erit Dominus Rex ſuper omnem terram. In die illa erit Dominus vnus, & nomen eius vnum. Has aquas itaq;, Euangeliſta interprete, ſapientiæ, obedientiæ, atq; efficacitatis ſpiritum à Chriſto promiſſum & communicatum intelligimus: quale ij accepere, qui ex mera Galilaïca barbarie, & piſcatoria ruditate ad ſummam ſapientiam, & multiplicem facundiam repentè fuere

Hoi. / 1 Tim. 2. / Mat. 5. / Aquæ Euangelizatæ. / Ioan. 7. / Zachar. 14. / Apoſtoli. (margin)

tranſlati. id quod non modò admirabili vitæ ſanctitate & exemplo atque ſignis editis; verùm etiam diuinæ doctrinæ refertis actionibus probarunt.

Act. 2. *S. S. E. Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui variis*
» *linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis. Quanam verò illorũ ſer-*
» *monum fuerint argumenta, auditores ipſi indicarunt: Audiuimus, in-*
» *quiunt, eos loquentes magnalia Dei. Scriptum enim antea fuerat, De Sion exibit lex.* Aquarum natura. *Aquarum natura cæleſti adeò affinis eſt, vt puritatis atq; tenuitatis diſcrimine, vt locis, ita etiam virtute diſtinguantur. vnde apud medicos & philoſophos, quæ ex imbre defluunt aquæ, modò tempeſtiuè deſcendant, & idoneo excipiantur ac teneantur loco, præ ceteris omnibus ad potum commendantur.* Aquæ pluuiæ potui optimæ. *Primas enim in hoc genere pluuialis aqua, ſecundas fontes, tertias verò flumina tenent.*

Prou. *S. S. E. Bibe aquam de ciſterna tua,*
» *& fluenta putei tui; deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas diuide. Inter omnes etiam aquarum differentias, quod ad fruges & agriculturam attinet, pluuialis præcipuè ac maximè commendatur, vt quæ non ſolùm ſata nutrire, ſed etiam terræ contractum emendare vitium valet. S. S. E.*

Pſal. *Pluuiam voluntariam ſegregabis Domine hæreditati tuæ, & infirmata eſt,*
Deut. 28. *tu verò perfeciſti eam. Aperiet Deus theſaurum ſuum optimum, cælum, vt*
» *tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore ſuo, benedicetq; cunctis operibus ma-*
» *nuum tuarum. Eſt autem illud aquæ proprium, à ſummo ad imum defluere, & in infimo loco libenter quieſcere. Quamobrem, quantum ex ſe eſt, omnes aquæ in mare defluere appetunt, quod infimum terræ locum occupare, experimento, & ſacris nouimus documentis: Omnia flumina intrant in mare. Præterea aquæ ſimpliciſſimis ac fictilibus vaſis potiùs quàm auro, argento, aut ære ſeruantur. Nullum verò liquidorum corporum propter ſimplicitatem diutius quàm aqua durare obſeruatur, præcipuè ſi pura ſit, nulliq; aut liquidæ aut aridæ commixta ſit rei; adeò vt hæc vnica æterna putetur. Adde quod nulli ex his corporibus, quæ elementa vocantur, nedum liquentibus aliis, vllo pacto vitæ conueniat epitheton, præterquam vni aquæ. Quippe aquarum viuentium frequens in ſacris libris, & ſemper adnotanda mentio eſt. Nec verò animantibus tantummodo vtilem & communem potum aquæ præbent, ſed plantis cunctis maximas ad incrementum, & ad*

Pſal. 1. *fructus ferendos commoditates præſtant. S. S. E. Et erit tanquam lignum*
» *quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in*
» *tempore ſuo, & folia eius non defluent: & omnia quæcunque faciet, pro-*
» *ſperabuntur. Illud præterea ingenuitatis aquas nobilitat, vt ſitienti quemlibet vel ſummum & grauiſſimum virum à minimo & humillimo poſcere non pudeat. Legimus enim procuratorem Abrahami Eleazarum à puella potum aquæ petiiſſe: legimus Chriſtum Ieſum nihil aliud per totam vitam à quoquam poſcentem; tamen à Samaritana muliere aquam rogaſſe. Nec verò prætereunda nobis fuerit geminæ, quæ ex aquæ potu percipitur vtilitas: altera eſt caloris intemperatioris mitigatio vtiliſſima, vnà cum importunæ ſalſuginis imminutione. ex quo fit vt non rarò feruentiſſima febris frigidæ copioſo curetur hauſtu, ea præcipuè, quæ ex æſtuante incéditur ſanguine.*

guine. Altera verò, quæ ex epota aqua vtilitas percipitur ad cibi in ventriculo concoctionem, & concocti attenuationem ac diſtributionem facit. quæ cibo tantùm citra potum vſis, non ita facile & commodè contingunt. At verò vinum, quanquam minus ad potum ex naturæ inſtitutione iuuat, niſi aqua fuerit probè temperatum; tamen hilaritatem efficit, & mæſtitiæ ægrimoniæq́ leuandæ præcipuè medetur. S.S.E. Date ſiceram mœrentibus, & vinum iis qui amaro ſunt animo. Bibant, & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur ampliùs. Nullum enim ex his quæ ſumuntur, vel ferculum, vel poculum, humanum cor magis quàm vinum exhilarare dicitur: Et vinum lætificat cor hominis. Verùm enimuerò niſi vel modicè ſumatur, vel aqua diluatur ac miſceatur vinum, ſenſum ac mentem vincit, ac turbat maximè. S.S.E. Contritum eſt cor meum in medio mei, contremuerunt omnia oſſa mea, factus ſum quaſi vir ebrius, quaſi homo madidus à vino. Iam verò lactis primam originem à matris vel nutricis vbere duci, nemo eſt qui neſciat, quandoquidem & hoc mutæ quoque nouerunt animantes. Idem liquorum omnium candore & colore primas obtinere cenſetur, quòd nullum ſecum vel colorem, vel ſaporem admittet, quin ſtatim ſua ſponte prodat. Si quid enim ſuaue ac ſimplex guſtatu eſt, id maximè lac præſtat: namq́ dulcedinis melli, ſuauitatis lacti prærogatiuam damus. Ex lacte verò caſeus concreſcit, qui natûra quidem lactea omnino conſtat; verùm craſſior iam, & ad eſcæ potiùs quàm ad potus vſum comparatus. S.S.E. Et facti eſtis, quibus lacte opus ſit, & non ſolido cibo. Solidiſſimus autem omnium ciborum, & maximè ad alendum comparatus, panis dicitur: cuius naturam pinguioris & lactei ſuccis in ſe concreti plurimum, ſalis verò immixti, minimum habere experimur: ideoq́ viribus humanis conſeruandis, & vitæ alendæ præcipuè commodam accepimus, vel Pſalte canente: Et panis cor hominis confirmat. illo altero ſubſcribente auctore: Principium (ſiue ſufficientia) vitæ hominis in pane & aqua. Atqui panis primùm efficiens principium cæleſtis virtus & efficientia creditur: cui excipiendæ virtuti, terreſtris pinguedo, veluti materni vteri vis idonea ſubiicitur. S.S.E. Sicuti deſcendit imber & nix de cælo, & illuc vltrà non reuertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti. Quæ omnia à nobis in aquam, vinum, lac, & panem prænotata, atq́ ex imaginis ratione apud hunc vſurpata Vatem, diuini illius doni, (quam ſpiritualem ſapientiam, ſiue ſpiritum ſanctificationis, vel ſpiritum rectum atq́ bonum appellari diximus) vim, efficacitatem, & in hominibus efficientiam atq́ euenta, eò quo diximus modo, indicant. Quod quidem donum de ſurſum, & cælitus à Patre luminum datum, & aquæ & panis nomen vendicat, & vtriuſque naturæ virtutē & efficientiam diuino ac ſpirituali præſtat modo. Lætitiam verò, vt vinum, ſed inenarrabilem, ſed planè diuinam his, quibus contigit, efficit. S.S.E. Meliora ſunt vbera tua vino. Quod verò animi ſordes eluat, aquæ in corporibus abundè influentis inſtar præbet. longè tamen iſtis, quas nouimus, aquis præſtantiùs; vtpote ſpirituali lotione & regeneratione. qua de re ita Chriſtus

[Margin notes: Vini natura & vtilitas. — Prou. 31. — Ierem. 23. — De lacte. — Heb. 5. — Panis. — Pſal. 103. — Eccl. — Iſa. 55. — Diuini doni vis & efficientia. — Cant.]

Ioan.2. *ſtus pronunciauit: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non*
" *poteſt videre regnum Dei.* Porrò ſitim illam hæc aqua ſedat, quam expleri
Pſal. Vates ille auens, maximè ſuſpirabat: *Quemadmodum deſiderat cerua fon-*
Pſal. *tes aquarum; ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad*
Deum fontem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei. Viuæ
autem aquæ laſsis & feſsis recreandis maximam & præſentiſsimam vim,
& animantes experiuntur omnes, & ſacra commendat philoſophia: *Super*
aquam refectionis educauit me, & animam meam conuertit. Id quod cum
illius legis commendatione & præconio maximè quadrat, quam immacula-
tam definit Vates, & animas conuertere, ſapientiamq́ paruulis præſtare
prædicat. Atque hæc etiam vis ad immodicum calorem leuandum, atque ad
animi curandam febrem facit. Id quod ab agno illo diuino prouiſum, & ve-
" rè præſtitum Ioannes videbat: *Non eſurient neque ſitient amplius: nec ca-*
" *det ſuper illos ſol, aut vllus æſtus; quoniam agnus qui in medio throni eſt,*
" *reget illos: & deducet eos ad vitæ fontes aquarum.* Demùm his aquis diui-
narum ac ſublimium rerum temperata notitia, maximam ſine vllo nocu-
mento contemplanti animo afferre poteſt lætitiam. Summo etiam iure do-
num idem lactis indicatur nomine, quod ex diuinæ ſapientiæ vbertate pro-
ductum, ab omnium conditore & gubernatore alendis & nutriendis filiis
ſuggeritur: idq́ puriſsimum & candidiſsimum. de quo ſcriptũ eſt: *Propter*
" *quod abiicientes omnẽ immunditiã & abundantiã malitiæ, in mãſuetudi-*
" *ne ſuſcipite inſitũ verbũ, quod poteſt ſaluare animas veſtras. Et erit in die*
Ioel.3. *illa, & ſtillabũt montes dulcedinẽ, & colles fluent lacte, & per omnes riuos*
" *Iuda ibunt aquæ, & fons de domo Dñi egredietur, & irrigabit torrentem*
" *ſpinarũ.* Atq; hoc illud arcanũ eſt, quod à Sapiente decantatum celebratur:
Cant.5. *Veni in hortum meũ ſoror mea ſponſa, meſſui myrrhã meam cũ aromatibus*
" *meis: comedi fauum cũ melle meo: bibi vinũ meum cũ lacte meo. Comedite*
" *amici & bibite, & inebriamini cariſsimi.* Id quod à Petro quoq; expetendũ
1 Pet.2. & auidè ad vitæ vſurã accipiendum cõmendatur: *Deponentes igitur om-*
" *nem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & inuidias, & omnes*
" *detractiones, ſicut modò geniti infantes, rationabile, ſine dolo, lac concupiſci-*
te. Quod verò de caſeo ex lacte lactis omnino naturam repreſentante com-
mentabamur: ita exponimus; vt duplicem doni huius, hoc eſt, diuinæ ſapien-
tiæ hominibus communicatæ portionem ſtatuamus: alteram, quæ ad meram
cognitionem; alteram verò, quæ ad opera & officia refertur. Vtrumque au-
tem ita ſecum conuenire intelligimus, ex eodem vbere, & ab vna ſapientia
profectam, priorem tamen magis vſu præſtantem, vtpote in mente tantùm
& animo; poſteriorem verò, vt ita loqui liceat, craſsiorem, quæ ad exterioris
hominis informandam faciat naturam, eandemq́ cum interiori concilian-
dam & componendã homine: ita vt nihil operis & vſus eſſe cenſeatur pro-
bandi, quod non ex prioris cognitionis ratione & concinnitate fuerit iudi-
Panis. catum. Reliqua porrò panis laus & commendatio eſt, quam diuinum, de
quo loquimur, donum; ita vt vmbra rem, cuius eſt vmbra, exprimit. Non
enim tantùm vſitato iſto, & quotidiano pane corpus alitur, & confirmatur
cor-

cor, quantum illo altero ὑπερουσίῳ *apud D. Lucam dicto, animus reficitur,*
viuit, & confirmatur. Dixit ergo eis Ieſus, Amen, amen dico vobis, Non Ioan. 6.
Moyſes dedit vobis panem de cælo, ſed Pater meus dat vobis panem de cælo “
verum. Panis enim Dei eſt, qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo. Di- “
xerunt ergo ad eum, Domine, ſemper da nobis panem hunc. Dixit autem eis “
Ieſus, Ego ſum panis vitæ: qui venit ad me, non eſuriet: & qui credit in me “
non ſitiet vnquam. Tres autem diximus auditorum ordines à Vate hoc in Auditores.
ſermone appellari, primum eorum, qui ſitiunt, hoc eſt, qui veri & boni noti-
tia & facultate, qua carent, inſtrui & informari auent. atq; hi primi vo-
cantur, vtpote quorum votum euentu atq; ſucceſſu ſua ſpõte digniſſimum,
& miſericordiæ obtinendæ proximè cenſetur idoneum. O omnes ſitien-
tes venite ad aquas. *Alterum verò eorum qui propter inſcitiam bonũ mi-*
nus appetunt. Hos miſeros ac miſerandos diuinus vocat, monet, & inuitat
Spiritus. qui ſi ſemel quicquam de hoc mirabili guſtarint beneficio Dei, mi-
rum quãtum non ſe diuelli, non abſterreri patientur. de quo ordine ſic pro-
nunciauit Chriſtus: Dico autem vobis, quod multi ab Oriente & Occi- Mat. 8.
dente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cælo- “
rum; filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores. Hos verò Vates ita “
appellat: Qui non habetis argentum, venite, emite, & comedite.
Difficiliores aliquanto explicatus lectio hæc habere videtur, propter Lati-
norum verborum in ſpecie pugnantiam impedimentumq́; mutuum: quæ an-
tiquiſſimas linguas callentibus, nihil negotij faciunt, Germanam præcipuè
obſeruantibus vocabulorum vim, eorum præſertim, pro quibus Latinus in-
terpres argentum & emite *reddidit. Namq; Latinis auribus illa pugnãt,*
non habere argentum, & emere, *ſi Latina verba ſua tantùm æſtimen-*
tur ſignificatione: nec ad exemplaria referantur. Ac priùs quidem vocabu-
lum CHEZZEPH *cupiditatem ac deſiderium propriè ſignificat, à verbo* CHEZZEPH.
CHAZZAPH *deductum. Quoniam verò vulgaris cupiditatis irritamentũ,*
& veluti materia argentũ eſt, euenit vt non ex rei natura, ſed ex hominum
moribus metallo illi nomen CHEZZEPH *inderetur, quod in ſua lingua au-*
ditum, cupiditatem priùs quàm argentum ſignificat. Quamobrem à Chal-
dæo paraphraſte hoc in loco idem nomen, vtpote Vatis mentẽ callente, vſur-
patum eſt CHEZZAPH; *ab eodem rurſus hoc in verſu repetitum in* DA-
MIN, *quod pretium ſignificat, fuit conuerſum. Namq; bis idem nomen hîc*
à Vate ſcriptum, vtramque ſignificationem, priorem quidem, & propriam
priore, tranſlatam verò poſteriore loco præſtat. Atque hoc pacto nulla in
rebus, aut in ſermone ſpectatur pugnantia. Tum verò verbum SABAR, SABAR.
pro quo Græcus interpres ἀγορᾶν, *Latinus* emere *ſcripſerunt, frangere,*
& impertiri propriè ſignificat, & in frumẽtario negotio frequentiſſimum
eſt. atq; in eaſdem res à Latinis interdum propriè verti, nonnunquam ad
emptionem traduci ſolet. Priorem ſignificationem illic obtinet. Iamq́; propè
erat, vt effringerent fores. Poſteriorem verò illic, Frange eſurienti panem Gen. 19.
tuum. Atq; ita frumenti, ſiue panis fractionem interpretamur, idem quod
apud Hiſpanos repartimiento *dicitur, ſiue ea fractio pretio, ſiue largitio-*

ne, vel congiario, vt apud Romanos, fiat. Atq; ita duobus his vocabulis in vtramque partem diſtinctis ac declaratis, facilis, & ſibi conſentanea huius carminis interpretatio eſt & qui nõ habetis argentum, properate, emite, & comedite. VEAſER AIN LO CHAZZEPH LECHV SIBRV VEACHLV. & quiſquis non illi deſiderium, venite, frangite, & comedite. *Quo ſermone ac monitu illi, quos minus antea ſciendi, & veri ac boni cognoſcendi cupidos dicebamus, inuitantur; & vel ex eo ſuadentur, quòd nullo indicato, aut exponendo pretio, & largitionis vſufructu communicare poſſint, modò animum aduertant, & non adeò laborioſum adhibeant conatum, tantùm venire velint: vt multos ab Oriente & Occidente venturos, Chriſtus prædixit. Magna verò culpa eorum fuerit, qui ſolùm venire poſtulati recuſarint, & tanto beneficio vti neglexerint. quod nullo pretio (neque enim tam diuini doni vllum humanum eſſe poteſt pretium) nulla commutatione duo vtiliſſima alimentorum genera, vinum, & lac, gratuito impertienda recuſauerint.* Venite, emite abſque argento, & abſq; vlla commutatione vinum & lac. SIBERV BELO CHEZZEPH. frangite in non CHEZZEPH. *quo loco res ipſa nomen* CHEZZEPH *in poſteriore vſurpatum ſignificato indicat: tantamq; eſſe beneficij huius magnitudinem, vt nec pretium, nec permutatio vlla æquet; nec alio nomine, quàm ex diuina liberalitate, poſcere, ſperare, aut accipere quiſquam poſſit; idq; vltrò à deferente vltrò accipere volentibus, donandum eſſe. Tertius porrò auditorum & inuitatorum ordo ſubiicitur: eorum, inquam, qui in ſapientia comparanda, tempus, ſtudium, & operam, atq; adeò non exiguum impendunt ſumptum: nequicquam tamen, quoniam ſemper addiſcentes, tamen ad veritatis puram ſcientiam nunquam perueniunt. quo in cenſu non philoſophorum vulgus modò, ſed Scribarum illorum & Phariſæorum claſſes illæ veteres cum imitatoribus ponendæ.*

Humanæ diſciplinæ inutilitas.

Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate.

Quæcunque plus iuſto, vel nimio plus conſtare alicui dicuntur, atque æſtimationis exuperant normam, non numerata, ſed appenſa pecunia, empta narrari ſolent. Hæc enim formula eò ſpectat, vt vel emptoris auiditatem, vel pretij arguat iniquitatem. Sic ille:

Quincti progenies Arri par nobile fratrum,
Nequitia & nugis, & prauorum amore gemellum,
Luscinias ſoliti impenſo prandere coëmptas.

Vtrumq; huiuſmodi emptionis vitiũ à noſtro arguitur Vate, hoc eſt, nimiũ ſtudium, nimiumq; in re leui impẽdium. ſine quo tamen impendio veri boni conditio & ſpes conſtare, ac liberali largitione demum poſſit contingere. Hoc autem in verſu nomen CHEZZEPH *vtramque interpretationem admittit, propriam videlicet, qua cupiditatem & auiditatem ſtudiumq; ſignificat, & poſteriorem, pro qua pecuniam, ſiue argentum Latinè reddere ſolent. Immenſum, inquit, ſtudium impenſumq; temporis ac laboris, item & ſumptus pretium in re ponis, quæ nec cibi, nec potus egenti præſtat vicem.*

&

& laborem veſtrum in non ſaturitate? Laborem, *curam, & anxietatem, aßiduam quoque operam interpretamur. Hæc enim nomen* IGAGH *ſignificat; atque etiam illam, quam ſitis afferre ſolet, moleſtiam: quamq. ij ſentiunt, qui aqua intercute laborant, eo magis affecti ſiti, minusq. rectè habentes, quo magis biberint. atque ita ſubindicatur tumoris affectio, qua, qui ſibi plus videntur ſapere, miserè tamen vexantur. Omnes igitur, atque iſti præcipuè poſtremi, à Vate rectiùs ſibi conſulere monentur, & meliori via ad ſapientiam comparandam inſiſtere, hoc eſt, vt Apoſtolus ait, à Deo poſtulare: qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* IGAGH. Iac. 1. "

Audite audientes me, & comedite bonum: & delectabitur in craſſitudine anima veſtra.

In magno opere, vbi de naturæ hiſtoria agimus, quidquid in cibi & potus vſum venire poteſt, duo in genera tantùm diuidimus: alimenti alterum, guſtus verò alterum. quæ, quamquam in eodem cibo mixta, & coniuncta ſæpè conueniant; non tamen eadem ad animantis nutritionem pollent facultate. Duplex enim rerum omnium, quæ comeduntur, elementum, vt ita vocemus, eſt. pingue vnum, vnum item quod ſalis refert naturam. in illo propriè alendi vis. in hoc verò pelliciendi guſtus materia & opportunitas ineſt. vtrumque autem mixtum, ac probè temperatum, confert quidem ad appetitionem mouendam, & ventriculum explendum: verùm qua parte ſalſum eſt, minimè nutrire poteſt; tametſi quidquam aliud, præter nutrimentum præſtet. Qua de re, vti indicauimus, aliàs plura & exactiùs: nũc enim pro commentationis vſu nonnulla & ſtrictim ſat fuerit adnotare. Multa autem ex his quæ ſumuntur, plurimum ſalſæ illius qualitatis, variè tamen affectæ habent; quæ quidem guſtatui voluptatem afferunt: vitæ tamen alendæ & conſeruãdæ vel noxia prorſus, vel minimum vtilia ſunt. In his primas mel obtinet, omnium dulcium dulciſsima natura. cuius nimius non modò nocet vſus; verùm etiam voluptatis immodicè perceptæ pœnas demùm exigit. S.S.E. Mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi, ne fortè ſatiatus, euomas illud. Denique doctrinæ huius illud caput eſt. Cetera omnia ad ſuauitatis, ſiue voluptatis pertinere ſenſum, nutriendi verò materiam, opportunitatem & fomentum vnico pingui liquori natura eſſe tributum. Illud etiam adnotandum, eam noſtri portionem, qua ſapimus, mentem animumq. propriè vocari, qua verò viuimus, nutrimur, & alimur, animam dici. quæ, quamquam vnica ſit in homine pars, quod ad naturam attinet; tamen munere, facultate, efficacitate, & efficientia multiplex habetur, & pro officiorum diuerſitate interdũ animus vel ſpiritus, interdum verò nominatur anima. Itaque eſurire, ſitire, appetere, deſiderare, ſatiari, faſtidire, euomere animus non dicitur, ſed anima. S.S.E. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. &, Quia ſatiauit animam inanem, & animam eſurientem ſatiauit bonis. Aqua frigida animæ ſitienti. Anima ſaturata calcabit fauum, & anima eſuriens etiam amarum pro dulci ſumet. Equidem vtrique ſiue portioni, ſiue facultati ſuum propriè impoſitum nomen, non modò ſacræ linguæ ſcriptoribus, verùm etiam Latinæ exactè

Cibi & potus duo genera.

Ciborum duæ partes.

Nutritionis ratio.

Mel

Prou. 25. "

Animi humani portiones duæ. Anima.

Pſal 40. Pſal. Prou 2. Ibid. 27.

Spiritus. NESEMAH. NEPHES. Animus. Anima. Iuuenal. Sat. Quis neſcit.

peritis obſeruatur. Nam quod animum dicimus, quodq́; homines à brutis dirimit, NESEMAH; quod verò ad appetitionem facit, NEPHES vocatur. Apud Romanos verò auctores ita hoc adnotatur diſcrimen. mundi

Principio indulſit communis conditor illis [mutis]
Tantum animas, nobis animum quoque, & cet.

Iam verò anima, quamquam dulcibus & ſuauioribus afficiatur; tamen iis non ad corporis alimentum, ſed ad voluptatem vtitur, pinguioribus verò propriè ac verè fruitur, quibus membra fouere, & corpus omne poteſt alere. quod ſi nihil cibi, niſi guſtum præſtent, euenit, vt cùm officio functa ſuo fuerit anima, nullo tamen cum fructu defuncta, nequicquam ſe exercitam ac deluſam demum ſentiat: cùm verò vtile ſimul cum dulci mixtum perceperit, maximè propterea gaudeat, quod cum honeſta voluptate alendæ vitæ, atq; ſanguini conficiendo oportuniſſimum fomentum, hoc eſt, pinguem & lenem liquorem nacta fuerit. vtriuſque autem naturæ vim, opportunitatem, & veritatem in hoc, quod promittitur, quodq́; donatur à Deo, ſapientiæ dono experturos quicunque acceperint, prædicit, & confirmat Vates; à quibus nihil pretij exigitur, præter aſſenſum & obſequium atque vſum, hoc eſt, præter fidem & obeditionem. Audite audientes me. SIMGHV SAMVAGH ELAI. Audite auditionem ad me. Bis pronunciatum verbum priori loco fidem, poſteriore obſequium exigit. Nam verbum SAMAGH cum præpoſitione EL coniunctum, eiuſdem ſignificationis eſt cuius apud Latinos audire, cum tertio caſu. Poſtulat itaque fidem vocanti habendam. namque accedentem ad Deum, primùm oportet credere quod eſt, & quòd inquirentibus ſe, remunerator ſit. Per fidem ad conuiuium acceditur: verùm non ſatis fuerit venire, ſi tamen ſine veſte veniatur nuptiis & conuiuio digna. Veſtem autem, non qualem quis eligat, ſed qualem inuitator probet, afferre oportuerit; hoc eſt, nuptialem. S. S. E. Intrauit autem rex, vt videret diſcumbentes: & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali, & ait illi: Amice, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? & ille obmutuit. Ideo hîc dicitur, Audite audientes me. Atq; huiuſmodi auditoribus illud tribuitur, Comedite bonum. quod proprium epithetum eſt epularum, quas Deus conuiuis parauit ſuis: Ecce prandium meum paratum eſt, tauri mei & altilia occiſa, & omnia parata. Taurorum & altilium nominibus, obſoniorum præſtantiſſima, & ad ſaturitatem atq; alimentum commodiſſima ſignificantur. quod verò ad condimentum attinet: & omnia parata eſſe ait: atq; ita condita, vt cum honeſta delectatione ſuccũ, alendis conuiuis, idoneum præſtent. id quod nutritionis & alendi efficax anima non modò probet, ſed iucundè ac ſuauiter tractet. delectabitur, non voluptate tantùm inani, verùm BADESEM, in illa craſſitudine, ac pinguedine. cum ſingulari articulo coniunctum eſt nomen DESEM, præſtantiæ adnotandæ cauſa. Huius porrò, de qua nunc agimus, diuinæ ſapientiæ, hoc eſt, legis non in lapide, ſed in tabulis cordis carneis ſcriptæ, magnam, propriam, & perpetuam vim eſſe ad alendam & ſuſtentandam humani animi vitam, idem ille veteris fœderis miniſter, arcanæq́; ſignificationis egregiè compos, docuit: Poni-

Margin notes: Fides & obſequium requiſita. — SAMACH. — Heb. — Mat. 22. — Indid. — Legis nouæ vis.

Ponite corda veſtra in omnia verba quæ ego teſtificor vobis hodie, vt mandetis ea filiis veſtris cuſtodire & facere, & implere vniuerſa quæ ſcripta ſunt legis huius: Quia non incaſſum præcepta ſunt vobis, SED VT SINGVLI IN EIS VIVERENT. *Et quidem vt panis corpori, ita ſapientia animo pro vitæ alimento eſt. Cuius comparandæ ſtudio quicunque ſeſe aliis dedunt diſciplinis, perinde agunt atq; ij qui dulcioribus aut ſalibus expleti, nihil ſucci pinguis particeps comedũt. Atqui panis hoc ſingulariter præ cunctis eſt ſortitus cibis, vt ipſe ſolus cum aqua vitam alere ſufficiat, quemadmodum & poëta ille teſtatus docet:*

Deut. 32. — Humanarũ diſciplinarũ ad vitam inutilitas. — Panis.

Ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι πλὴν δυοῖν μόνον,
Δήμητρος ἀκτῆς πόματος θ' ὑδρηχόου,
Ἅπερ πάρεστι, καὶ πέφυχ' ἡμᾶς τρέφειν;
Numquid præter duo opus ſunt mortalibus,
Frangendi panis pars, & aquæ poculum?
Contingunt verò, atq; alere nos hæc valent.

Euripid. apud Athenæum lib 4.

Atq; aliis commixtus vel prodeſſe, vel minus nocere præſtet edulibus. id quod ſapientiæ diuinæ maximè proprium eſt. quæ ſola perfectum reddere poteſt hominem Dei ad omne opus bonum inſtructum; quæq; aliis diſciplinis, quemadmodum & quatenus oportunè ac legitimè vti oporteat, & docet, & monſtrat. Hoc itaque eſt quod ſe præſtiturum pollicetur, quod hominum conditionibus cunctis perſuaſum Deus vult, quódque prædicandum commendandumq; Vatibus dictat ſuis.

Sapientia diuina.

Inclinate aurem veſtram, & venite ad me: audite, & viuet anima veſtra: & feriam vobiſcum pactum ſempiternum, miſericordias Dauid fideles.

Duplicem eſſe pio homini conſtitutam vitam: contráque, duplicem improbis atque impiis mortem, arcana tradunt ac docent volumina: alteram hanc mortalem & caducam quamplurimis incommodis plenam, laboribus, & ærumnis, egeſtatibusq; obnoxiam. alteram verò vitam æternam, non animo tantùm, ſed corpori quoque communicandam: atq; hanc vnicam prioris vitæ veram & legitimam duci cauſam. Vtramque communem antiquis & antiquorum poſteris intelligimus: hoc tamen diſcrimine, quòd priorem antiquis non adeò lætam, adeò iucundam; atq; illorum poſteris contigiſſe intellexerimus: vtpote quibus aquarum, vini, lactis, ac panis arcani alimẽti copia facta conſtiterit: quæ antiquis optata & requiſita; non tamen ita benignè ſuppeditata fuerat. Hanc autem copiam promiſſam & oblatam, ſuperiori accepimus verſu, atq; ita in ſumma commendatam, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra. *Illam verò alteram, & antiquis pariter & poſteris præſtitam, quamquam poſteris præſtari cæptam: primis enim noui Teſtamenti fidelibus obtinendi cum Chriſto regni poſſeſſio ſecundùm promiſſi diuini tabulas, data narratur. Primus latro in cruce Chriſtum precatus, Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum. audiuit, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo. Hoc autem poſterioris vitæ æternum donum, hoc in verſu arcanè ſignificatum, promittitur. quod ad æternitatem*

Vita duplex. Mors duplex — Inter veteres ac nouos Dei cultores diſcrimen. — Luc.

cæleſtis poßidendi regni referimus. Inclinate aurem veſtram *ad fidem promißis meis adhibendam,* & venite ad me *obſequio atq; officio operam dantes,* & viuet *demum* anima veſtra. *Hoc loci animæ nomen pro tota illa altera hominis parte, quæ à corpore diſtincta eſt, vſurpatur: nam ſi illa vel ea ratione qua anima dicitur, viuet; & ſpiritus, qui animus propriè vocatur, æternum etiam viuet: vtpote vt nomine, ita dignitate præſtantior, & eodem iure vitæ æternæ magis idoneus. cuius vitæ communio ad corpus etiam pertentura, arcanè indicatur.* & feriam vobiſcum pactum ſempiternum. *quódnam verò pactum, cuiusq; rationis ac modi futurum ſit, ex imagine & exemplo declaratur.* miſericordias Dauid fideles. *Appo-*

Miſericordię Dauid. *ſitionis figura, quæ definitionis inſtar habere ſolet.* Miſericordias, *beneficium non debitum, ſed vltrò ac benignè factum & poſitum interpretamur. Cuius exemplum in Dauide ſtatutum eſt. quam minimum ac poſtremum inter fratres è gregibus & caulis pecorum, ad regnum Iſraelis totius delectum, ac ſublatum legimus: S.S.E.*

Pſal. 77. *Et ſuſtulit eum de gregibus ouium, de* » *poſt fœtantes accepit eum paſcere Iaacob populum ſuum, Iſrael hæreditatem ſuam. Verùm enimuerò regni illius terreſtris fœdus propter terrenarũ rerum fluxam & caducam naturam, nec æternum, nec perpetuum eſſe potuit.*

Chriſti regnum. *Spirituale verò & cæleſte regnum Dauidi ſecundo optimo maximo, id eſt, Chriſto, promiſſum: id verò æternitate conſtabiliendum, & apud priorem Dauidem, & apud hunc Vatem Deus recepit. Atq; has eſſe miſericordias fideles accepimus.*

Pſal. 88. *Et veritas mea, & miſericordia mea cum eo: & in no-* » *mine meo exaltabitur cornu eius. Et ponam in mari manum eius: & in* » *fluminibus dexteram eius. Ipſe inuocabit me, Pater meus es tu: Deus* » *Deus, & ſuſceptor ſalutis meæ. Et ego primogenitum ponam illum, ex-* » *celſum præ regibus terræ. In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam:* » *teſtamentum meum fidele ipſi. Ad quam rationem & illud pertinet:* » *Miſericordias Domini in æternum cantabo. In generatione & genera-* » *tionem annunciabo veritatem tuam in ore meo. Quoniam dixiſti, In æter-* » *num miſericordia ædificabitur in cælis: præparabitur veritas tua in eis.* » *Diſpoſui teſtamentum electis meis, iuraui Dauid ſeruo meo, vſque in æter-* » *num præparabo ſemen tuum. Has itaq; miſericordias Dauid, fideles vocat Vates, quas Pſaltes antea teſtamentum ſuum fidele à Deo nominatum cantauerat. Atque huius interpretationis nobis dux idem, qui & vaticinij au-*

Act. 13. *ctor Spiritus fuit ſanctus: quem verba faciente Paulo, ita exponẽtem, acce-* » *pimus: Et nos vobis annunciamus eam, quæ ad patres noſtros repromißio* » *facta eſt: quoniam hãc Deus adimpleuit filiis noſtris reſuſcitans eum. ſicut* » *& in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* » *Quod autem ſuſcitauit eum à mortuis, amplius non reuerſurum in corru-* » *ptionẽ, ita dixit: Quia dabo vobis ſancta Dauid fidelia. Atq; huius maximi promißi, & veri atque præſtandi doni teſtem & prædicatorem ipſum Dauidem, à ſe conſtitutum docet, & laudat. quem non ſemel de hac re id cecinisſe comperimus: verùm iterum ac ſæpius ea dixiſſe, quæ apud omnes orbis nationes, quibus diuinum communicatum eſt eloquium, per-*

uulga-

uulgata celebrantur. Hoc eſt quod in myſterio quoque ſubiungitur:

Ecce teſtem gentibus dedi eum, ducem ac præceptorẽ gentibus.

QVIS *enim neſcit Dauidis doctrinam in Pſalmis traditam omnibus terrarum ferè orbi eſſe communicatam. Verùm enimuero in ipſo prioris Dauidis nomine, munere, & officio illi alteri optimo ac maximo Dauidi regnum, fœdus, diſciplinam, oracula, reſponſa, denique partes omnes peragendas; tanquam in exemplo vero, viuum & præſtantiſſimum exemplar ſignificari intellexìmus. id quod expoliendo ſermone apertiùs etiam Deus indicat, Eccleſiam allocutus, quam per Chriſtum, & propter Chriſtum totius terræ orbis matrem, nutricem, & inſtitutricem fore pollicetur.*

David Chriſti figura.

Ecce gentem quam neſciebas, vocabis: & gentes quæ te non cognouerunt, ad te current: propter Dominum Deum tuum, & ſanctum Iſrael, quia glorificabit te.

Magno & admirabili myſterio ſermonem hunc Iſaias abſoluit: quod attentè conſiderandum animaduerſionis vocabulo ECCE, *præmonuit. Significat autem futurum, vt quæ gẽtes & nationes nec rationibus, nec orationibus, nec etiam ſignis & miraculis adduci potuerant; vt verum cognoſcerent colerentq́; Deum, propter magnam in iis qui crediderint factam & ſpectatam in melius mutationem, tenebris erroribusq́; relictis, ac prorſus damnatis, diuinam ſequantur & amplexentur veritatem; & ſacroſanctæ ciuitatis, hoc eſt, Eccleſiæ, communionem exoptent, ac Dei beneficio obtineant. Namq́; omnibus hominibus id proprium innatumq́; eſt, vt ad naturæ conditionisq́; ſuæ beatitatem, animum, ac mentem intendentes, votis etiam aſpirent: verùm in illo vno diſcrepant, quòd in ſtatuenda beatitatis definitione, nec alij cum aliis concordent: perſæpe etiam nec iidem ſibi ipſis conſtent. Huic quidem publico mentis morbo curando, diuina lex antiqua illa ſcripta medicinam prouidit. quæ tamen non omnibus hominibus recepta fuit; ſed neque ij etiam, quibus placuit, deſideratam illam felicitatem plenè contulit propter internam, veterem, & penitus inhærentem morbi malitiam; cui prorſus expurgandæ ſcriptæ legis vis minus erat idonea. Itaq́; neminem ad perfectum adduxit lex, eorum etiam, quibus accepta & culta fuerat; nedum aliorum, quibus, vt acciperetur, nec æquitatis atque decori ſui pulchritudine ſuaſit: nec miraculis etiam, ſignis, & portentis effecit. Quippe cùm illi parti innumerabiles opinionum ac ſententiarum ſectæ, quominus aſſentiretur, obſtabant: huic verò, miraculorum inquam, varia etiam de Diis Deorumq́; numinibus & efficientiis, deq́; incantamentis & magicis artibus doctrina tenebras cæcasq́; nubes obiiciebat. Illud etiam vel plurimum oberat, quòd gentes aliæ, quibus lex non obſeruabatur, nihil præter ceteros mortales egregium, ſummeq́; laudandum in eorum qui ſub lege erant, moribus atque animis publicè ſpectatum animaduertebant, præterquam in paucis & raris viris; in quibus quid exciperetur, vel requireretur non deerat: vel quibus etiam ſuos, quos compararent aut opponerẽt, & nonnunquam anteponerent, habebant. His & illud acceſſit, quod ſcriptæ legis profeſſores & cultores vnà tantùm orbis regione, eaq́; mediterranea cõtenti religio-*

Gentium conuerſio.

Commune hominibus beatitatis votũ, & diſcors de ea ſententia.

Legis infirmitas.

Lex gentibus cui non accepta.

Miraculorũ fidei quid obſtet.

religionis ac ſapientiæ ſuæ myſteria adeò intra priuatos cancellos concluſerant, & interiectis occultauerāt vallis, vt nullis exteris communicata vellent; niſi iis tantum, qui ad ſe vltrò accederent, rari & pauci admodum, certiſq; conditionibus admittendi, cæteris verò omnibus cùm priuatè tum publicè non modò inuidiam facerent; ſed apertas indicerent inimicitias: illud nimirum ſtrictè ac inuidioſè nimis interpretati mandatum: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Id quod & verè & amarè admodum apud alias gentes plerumque audiebant.

Iudæi gentibus infenſi.

Iuuenal.

Quidam ſortiti metuentem ſabbatha patrem
Nil præter nubes & cæli numen adorant,
Romanas autem ſoliti contemnere leges,
Iudaicum ediſcunt & ſeruant ac metuunt ius,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moſes:
Non monſtrare viam eadem niſi ſacra colentes,
Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.

Malach. 1.

Ita factum eſt, vt quæ in lucem gentium data fuerat, lex apud vnam tātùm nationem priuata maneret, apud quam nec ritè quidem obſeruaretur. quod & ipſis etiam illius profeſſoribus à Deo inſimulatum & exprobratum fuit. Non eſt voluntas mea in vobis, dicit Dominus, & munus non ſuſcipiam „ de manu veſtra: Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen „ meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo ob- „ latio munda: quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus „ exercituum, & vos polluiſtis illud in eo quod dicitis, Menſa Domini con- „ taminata eſt, & quod ſuperponitur contemptibile, cum igne, qui illud deuorat. Atque ita ante legem, & lege etiam illa ſancta promulgata: non tamen omnibus communicata, nec iis, apud quos manebat, rectè culta, vno eodemq; fere modo humanæ res habere viſæ ſunt. vnde factum, vt nec alteri ſuos deponerēt errores, nec alteri, hoc eſt, legis gnari, ſuos, vt par erat, corrigerent mores. atq; ita neutræ hominum partes extra culpam eſſent. Dixe- „ runt in corde ſuo cognatio eorū ſimul, quieſcere faciamus omnes feſtos Dei „ à terra. Signa noſtra non vidimus, iam non eſt Propheta, & nos non cog- „ noſcet amplius. Has autem errorum tenebras, & iſtas etiam in vmbra legali nebulas atq; temporum illorum caliginem diuina Euangelij virtute & efficientia ac luce ita diſcuſſum iri vatum reſponſis promiſſum eſt, vt ab iis, quibus primùm nunciata fuerat, veritas recepta & agnita, ad alias etiam gentes propagaretur vocandas, & vocationi obſecuturas, atque in ſe etiam idem diuinum experturas beneficium. Quale autem illud futurum eſſet, ex imagine ipſa indicatur: nempe quòd eam in omnium gentium ſanctificādis hominibus promotionem & amplificationem probaret in ſpiritali ac exemplari veritate, quam in figura & exemplo in Iaghacobum ad Iſraelis dignitatem promotum Deus olim probauerat. Tunc enim illa vetere extincta inuidia, inimicitiiſq; antiquis compoſitis, qui primi lucis compotes eſſent, ceteros ad communionem vocaturi, facilè obſequentes experturi erant. atq; vtrique ſimul in vnam conuenturi fidem, in vnum corpus, vno baptiſmate ablu-

Iudæi & gentes omnes ſub peccato.

Pſal. 77.

ablutum & ſanctificatum confirmandi erant. Hæc itaq; nobis huius poſtremi in hoc ſermone verſus explicatio ſumma eſt, fore vt manifeſtis iam & conſtantibus diuinæ virtutis in hominũ ſanctificatione ſpectatis exemplis ac Euangelij præconio vocatæ & inuitatæ gẽtes ad illius beneficij cõmunionem alacres procurrerẽt, quo Iſraelem Dei affectũ & ornatũ admirabantur. atque ita vocationis & obſecundationis cauſam illam exprimit Vates, propter Dñm Deum tuum, & ſanctum Iſrael, qui glorificauit te. *Pronomina* tuũ *&* te, *quater in hoc verſu repetita, partim femininam, partim verò maſculinam exhibent formam propter communem Chriſti & populi fidelis cum ciuitate ſancta, quæ eadem Eccleſia eſt, rationem. Atq; vaticinij huius ac promiſſi iam præſtiti, complura exſtant teſtimonia, è quibus illud præclarum. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui be-* Ephes. 1.
nedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto: ſicut “
elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & imma- “
culati in conſpectu eius in caritate. Qui prædeſtinauit nos in adoptionem “
filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundùm propoſitum voluntatis “
ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto: In “
quo habemus redemptionem per ſanguinem eius (remiſſionem peccatorum) “
ſecũdùm diuitias gratiæ eius: quæ ſuperabundauit in nobis in omni ſapien- “
tia & prudentia, vt notum faceret nobis ſacramentum voluntatis ſuæ, ſe- “
cundùm beneplacitum eius, quod propoſuit in eo, in diſpenſatione plenitudi- “
nis temporum inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cælis, & quæ in terra “
ſunt in ipſo. In quo etiam nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm “
propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ. vt “
ſimus in laudem gloriæ eius nos, qui antè ſperauimus in Chriſto: in quo & “
vos, cùm audiſſetis verbum veritatis (Euangelium ſalutis veſtræ) in quo “
& credentes ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hære- “
ditatis noſtræ in redemptionem acquiſitionis in laudem gloriæ ipſius. “

ARGVMENTVM VATICINII TRIGESIMISECVNDI.

HVMANÆ *ſalutis ratio dupliciter conſideratur, vti ſemel à Deo conſolidata in communem totius generis humani rem & vtilitatem: & vt ſingillatim hominibus diſpenſatur ac diſtribuitur. & quamquam vtraque diuinum donum ex mera liberalitate ac miſericordia profectum prædiuet, neque certum declaratum diſtributionis præſcribat tempus: tamen non longis admodum interuallis differendum: imò etiam in horas attentè, accuratè, & vigilanter expectandum, Vates monet. quippe quod vltrò ac libenter præſtare & communicare Deus velit, non tamen imparatis aut oſcitantibus, vel dormientibus daturus. Quare eos, quibus tantæ felicitatis conditio & ſpes fuerit, oportere fide inſtructos & firmatos, pœnitentiæ officiis perpetuò faciendis intentos eſſe, certos ac perſuaſos voluntatis Dei: qui, quod ſemel pollicitus eſt, publicè & communiter ſemel in conſummationem ſeculorum perficere decreuerit. &*

Salutis conferendæ & obtinendæ ratio.

priuatim ſingulis ad eam rem ritè ac legitimè inſtructis & cõparatis impertiri, atque hanc diuinam voluntatem & largitatem ab ipſis qui experiri exoptent, eſt poſſe ſolicitari, incenſo nempe & conſtante ſtudio, & nũquam intermiſſa obſeruantia legum, quas ad tantum obtinendum bonum cognitas & obſeruatas, auctor ipſe voluit, & quas quicunque cuſtodierit, vtiles dubio procul ſit experturus, nemine, cuiuſcunque gentis, nominis, conditionis, aut ordinis excepto: quandoquidem non hoc priuatè vnicuiquam populo vel nationi, ſed vniuerſo ſit orbi promiſſum & paratũ beneficium. à quo nemo hominum, ſenſu ac mente præditus, niſi propria culpa, fuerit excludendus. Cuiuſmodi excluſionem Iſraelitæ ſecundùm carnem, & quicunq; eorundem prauitatem imitati fuerint, præcipuè cõmerituri à Vate præuidentur: ideoq; obiurgantur, & ad meliorem vocantur mentem. Horũ autem accuſatio ſumma illa eſt, quòd omnia cùm priuata, tum publica munia & officia malis conſiliis, impuris moribus, frequentibus iniuriis, ac peruerſis doctrinis & inſtitutis deprauata fuerint; nec deprauata ſolum, ſed falſos & fallaces doctores & magiſtros atque patronos nacta, quorum induſtria, auctoritate, ac potentia defendantur & conſtabiliantur cum ſumma eorum pernitie & clade, qui ſapientiùs videantur ſentire, aut melius docere, ſeriò magis agere, ac prudentiùs conſulere curauerint. Contrà verò, magnis applauſibus, ingentiq; non à vulgò modò, ſed à magnatibus quoque comprobatione eorum, qui externa religionis & ſeueritatis ſpecie vitiorum omnium, & corruptionis ac ſcelerum internam & altam ſentinam velantes, populo imponunt. quorum fucum & fallacias ac ſimulationẽ veræ pietatis definitione, & à falſæ & hiſtrionicæ perſonæ diſtinctione Vates redarguit. docetq; veræ vitæ rationem, formam, & viam: quam quocunque ex animo inſiſtere iuuerit, & pergere non piguerit, dubio procul Deum ſibi occurrentem experturos ait, veraciſſimum & efficaciſſimum, diuitemq; miſericordiarum, & vltrò proximum, imò & præſentem cunctis, qui ſeſe legitimè quæſierint. Quòd quiſquis non talem ac tantum nanciſcetur, nulli alij rei quàm vitiis & peccatis imputet ſuis; quibus contaminatus, imbutus & occupatus, diuino capiendo beneficio locum non reliquerit: id quod tamdiu durabit, quoad veri lumine communiter & publicè lucente, quamplurimi in rectam redeuntes viam, ad ſalutis communionem reconciliati admittantur, & ad cæleſtium ciuium ſplendorem & amplificationem, cum ſumma pace ac ſecuritate ex priſtina conditione traducantur, hoſtibus, inuidis, & inimicis omnibus diuina virtute victis, fractis, ac diſſipatis, ac porrò profligatis.

Iſraelitarum excluſio & accuſatio.

QVÆRITE Dominum, dum inueniri poteſt: inuocate eum, dum propè eſt.

Controuerſia vetus de loco hoc & altero.

Deut 4.

LEGIMVS *in antiquis controuerſiis, Manaſſem improbum regem, Iſaiæ Vati diſſimilem ac diuerſam à Moſe ſententiam ex hoc loco obieciſſe, dicenti:* Quærite Dominum, dum inueniri poteſt. *cùm à Moſe ſcriptum exſtet: Neque eſt alia natio tam grandis, vt habeat Deos appropinquan-*

quantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. Quæ ‹‹
in controuerſia dirimenda diligenter à quibuſdā ex verborum ſignificatio-
ne laboratū, ab aliis verò ingenioſè diſſertum, & ſcholaſtica arte diſputa-
tum fuiſſe comperimus. quorum explicationes enumerare inſtituti noſtri
non permittit ratio, atq; in aliud nos iubet differre tempus, interim cōmen-
tationem noſtram ex rei natura & obſeruatione texere contentos. Rem au-
tem ipſam ſic habere intelligimus, vt omnibus, quæ in mundo aguntur, &
fiunt, certum conſtiterit, & conſtet opportunum tempus. S. S. E. Omnia Eccl. 3.
tempus habent, & ſuis ſpaciis tranſeunt vniuerſa ſub cælo. quod vniuersè ‹‹
dictum, cùm per enumerationem explicare ſapiens tendit, illa præter cete-
ra, recenſet. Tempus dilectionis, & tempus odij; tempus belli, & tempus pa- ‹‹
cis. Et quidem publicæ ſalutis efficiendæ ac præſtandæ certa à Deo conſtitu- Salutis afferendæ & conferendæ tēpus.
ta oportunitas fuit; quam temporum plenitudinem, & ſeculorum conſum-
mationem ſacri vocant auctores. Eiuſdem autem ſalutis iam publicè præ- Plenitudo tem, oris.
ſtitæ, ſingularem diſpēſationem ac diſtributionē non paſſim aut promiſcuè, Fines ſeculorum.
non ex humanæ voluntatis arbitrio, aut libidine, vel conditione ac lege, ſed
ex diuinæ miſericordiæ libertate & inſtitutione expectari oportere, ipſe ſa-
lutis Pontifex, atq; vnicus diſpenſator docuit. De die autem illa & hora ne- Mat 27.
mo ſcit; neque Angeli cælorum, niſi ſolus Pater. Sicut autē in diebus Noë, ‹‹
ita erit & aduentus Filij hominis: Sicut enim erant in diebus ante diluuiū, ‹‹
comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradētes, vſque ad eum diem ‹‹
quo intrauit Noë in arcam; & non cognouerunt donec venit diluuium, & ‹‹
tulit omnes: ita erit & aduentus Filij hominis. Tunc duo erunt in agro, ‹‹
vnus aſſumetur, & vnus relinquetur; duæ molentes in mola, vna aſſume- ‹‹
tur, & vna relinquetur. Vigilate itaque quia neſcitis qua hora Dominus ‹‹
veſter vēturus ſit. Illud autem ſcitote, quoniam ſi ſciret pater familias, qua ‹‹
hora fur venturus eſt, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domū ſuam. ‹‹
Ideo & vos eſtote parati, quia neſcitis qua hora Filius hominis venturus ‹‹
eſt. Quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ‹‹
ſuper familiam, vt det illis cibum in tempore. Beatus ille ſeruus, quē cùm ‹‹
venerit Dominus eius, inuenerit ſic facientem. Amen dico vobis, quoniam ‹‹
ſuper omnia bona ſua conſtituet eum. Si autem dixerit malus ſeruus ille in ‹‹
corde ſuo, Moram facit Dominus meus venire: & cœperit percutere con- ‹‹
ſeruos ſuos, manducet autem & bibat cum ebrioſis, veniet Dominus ſerui ‹‹
illius in die qua non ſperat, & hora qua ignorat, & diuidet eum, partemq; ‹‹
eius ponet cum hypocritis: illic erit fletus & ſtridor dentium. Atque hanc ‹‹
eandem rationem à Spiritu ſancto Vates noſter edoctus hoc loco inſinuat,
eademq; opera duo indicat, & obſeruanda commendat. alterū Iſraeliticam
gentem ſecundùm carnem tangit, quod ad omnes etiam totius orbis natio-
nes extendit; alterum verò vnumquemque deinceps mortalium, ſuæ modò
ſalutis non negligentem, reſpicit & commonet. Priori autem parti Euan-
gelij aduenientis & inſtantis publicæ ſalutis tempus attentè obſeruandum,
& ſtudioſè captandum, atque oportunè arripiendum conſulit & commen-
dat, cum prædictione & obteſtatione incommodiſſimæ & exitialis negli-

 gen-

gentiæ vel repulſæ. Poſteriori, hoc eſt, hominibus ſingulis, idem conſilij ſtudioſè & amicè dat ad propriam optandam, curandam, expectandam, ac demum obtinendam ſalutem. Significat verò cumprimis certam Deo & conſtantem voluntatem eſſe publicæ ſalutis hominum generi, commodè tamen, ac tempeſtiuè efficiendæ. id quod & ſummus ipſe Pontifex profeſſus, atque docens ait: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt ardeat? & baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor donec perficiam illud? Eandem quoque porrò voluntatem ac mentem erga vnumquemque mortalium ad ſalutem & regni communicationem admittendum, certiſſimam eſſe. certum tamen tempus prouidentiæ ſuæ conſiliis ad vtramque præſtandam partem conſtitutum, cuius oportunitatem prænoſcere non cuiuis hominum contingat, expectare tamen, & parato operiri his quorum intereſt, omnibus integrum ſit, & conſultum Vates velit, & ſuadeat. Quam quidem doctrinam ad naturæ ſimilitudinem & imaginem refert, id eſt, ad oportunā arationis agrorum & ſatus tempeſtatem, quam ſi quis prætermiſerit, fruſtrà in intempeſtiuas horas ſibi dilatam, vel cum ſuo ingenti damno neglectam demùm ſenſerit. Tempeſtiuè autem coluntur agri, quos priores & oportunè commodeq́; cælitus demiſſæ pluuiæ, aratos, & ad ſationem idoneos, atq; adeò iam ſatos offenderint. Cùm enim duas potiſſimas, & præcipuè laudatas pluuiarum imbriumq́; irrigationes eſſe conſtet: alteram, quæ temporanea ſiue voluntaria: alteram verò, quæ ſerotina dicitur. vtriuſuis occaſionem & oportunitatem vel prætermittere, vel omittere incommodiſſimum fuerit: contrà verò expectare, & inſtantem operiri, præſentemq́; excipere, beatum, & omnino compendioſum euadet. Atq; ita ſuadet vates, & conſulit tum Iſraelitis, tum etiam ceteris omnibus, quibus & publica, & ſua vniuſcuiusſque beatitas cordi eſt. Deum vltrò, benignè, & liberaliter proſpicientem, ac beneficij ſui copiam faciendi propoſito inſtantem, & iam ad fores, vti dicitur, accedentem, expetere, vocare, excipere & admittere, præcipuè verò iam obteſtatum: Ego ſto ad oſtium & pulſo: ſi quis aperuerit mihi, intrabo ad eum, & cænabo cum eo, & ipſe mecum. Aliàs autem vel non admiſſum, vel excluſum, vel cauſationibus detentum, aut vocatorum & inuitatorum longam deliberationem attendere & expectare iuſſum vel rogatum, poſteà aut comperturis auerſum, ac nequicquam deinceps doliturıs. Quod & celebratiſſimo illo decem virginum exemplo, appoſitè & apertè declarauit Chriſtus. Hac autem temporum atq; oportunitatum diſtinctio, magnam huiuſmodi controuerſiis dirimendis dat lucem. quam & ab ipſo eodem, quem Manaſſes opponebat, Moſe porrectam quoque accipere eſt. Nam apud quem illud legitur: Nulla eſt alia tam grandis natio, vt habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt cunctis obſecrationibus noſtris. apud eundem quoque legimus: Dixit quoque Dominus ad Moyſen: Ecce tu dormies cum patribus tuis, & populus iſte conſurgens, fornicabitur poſt Deos alienos in terra, ad quam ingreditur, vt habitet in ea: ibi derelinquet me, & irritum faciet fœdus quod pepigi cum eo. & iraſcetur furor meus contra eum in die illo, & derelinquam eum, & abſcondi faciem meam

[Margin notes: Volūtas Dei. — Lucæ 12. — Sationis tempus. — Pluuia temporanea & ſerotina. — Apoc. — Deut. 4. — Indid. 31.]

meam ab eo, & erit in deuorationem. Inuenient eum omnia mala & afflictiones: ita vt dicat in die illo, Verè quia non eſt Dominus mecum inuenerunt me hæc mala. Ego autem abſcondam & celabo faciem meam in die illo propter omnia mala quæ fecit. Vides quàm diſertè Dn̄s apud Moſen tempora, temporumq́; oportunitates partiatur, declaretq́; amoris, expectationis, & odij tempora, propter cauſæ diuerſitatem variari? Amoris namque & expectationis cauſam in diuina benignitate & miſericordia conſiſtere. S. S. E. Propterea expectat Dominus, vt miſereatur veſtri. At verò hominum ſcelera & flagitia ad deſertionem & abdicationem cauſas dare. quod etiam ſæpè Deus declarauit: Perditio tua ex te Iſrael. Ideo autē in hac ipſa diuina apud Moſen prædictione adnotatio IN DIE ILLA *iterū atq; iterum repetita, obſeruatur. Igitur tēpus eſſe, ait Vates,* quærendi Dn̄m dum inueniri poteſt. BEHIMTSEO, in ſuo inueniri, *id eſt, inuentu oportunum. Duo autē ſuadet, quærere Deum inuētu (vt interpretamur) oportunum, & eundē etiam vocare* dum propè eſt. *Propè eſt autem Dn̄s omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, vt ſaluos faciat eos. Cuſtodit Dominus omnes diligentes ſe, & omnes peccatores diſperdet. Eſt verò ſuaſoriæ huius orationis tranſlatio ſumpta ab iis, qui beneficio cuiuſpiam alterius hominis natura & ſtudio munifici egent, quem non modò quærere & adire, ſed vt ſe reſpiciat, & maneat; vel vltrò etiam obuiam det vocare ſolent. Vocant autem cùm vel propè eſſe, vel non procul abeſſe intellexerint. Hoc autem prædictum ad Iudæos pertinuit ab eo tempore quo primùm diuina Euangelij lux exorta eſt, vſque ad illud, quo per Apoſtolos obteſtatum fuit: Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes: ſic enim præcepit nobis Dominus, Poſui te in lucem gentium, vt ſis in ſalutem vſque ad extremum terræ. qua in obteſtatione tēporis rationem habitam, ac diſceſſionis cauſam ab hominum culpa profectam, adnotare eſt. Tunc conſtanter Paulus & Barnabas dixerunt. Chaldæi autem Ionathæ in hunc locum interpretationem ſiue explicationem, & pulchram ducimus, & cognitu dignam; verùm ſingularem vniuſcuiuſque hominis rem ſpectare intelligimus. cuius illud eſt exemplū:* Quærite Dominum dum vos viuitis, orate illum dum vos manetis. *Eam verò interpreti huic ex illo Sapientis monitu productam autumamus, Quodcunque facere poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſcientia, nec ſapientia erunt apud inferos, quo tu properas. Igitur quamquam Deum vltrò benignum, & beneficium ponere in hominibus curantē veriſſimè ſtatuamus; tamen & quæri, & orari oportere docemur: id quod ipſa beneficij dignitas & amplitudo, & humanæ indigentiæ ratio, ac donantis præcipuè auctoritas & maieſtas iure poſtulant ſummo. Id quod maximi quoque doctoris, ac beneficiorum diuinorum diſpenſatoris & Pontificis doctrina adſtruitur: Dicebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet ſemper orare, & non deficere, dicens: Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat,*

Margin notes: Pſal. — Act. 13. — Eccl. 9. — Quærendus Deus & orandus. — Luc. 18.

" *mebat, & hominem non reuerebatur. Vidua autem quædam erat in ciuitate*
" *illa, & veniebat ad eum, dicens: Vindica me de aduerſario meo: & nolebat*
" *per multum tempus. Poſt hæc autem dixit intra ſe: Etſi Deum non timeo,*
" *nec hominem reuereor: tamen quia moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo*
" *illam; ne in nouiſsimo veniens ſugillet me. Ait autem Dominus, Audite*
" *quid iudex iniquitatis dicit, Deus autem non faciet vindictam electorum*
" *ſuorum, & patientiã habebit in illis? dico vobis: quia citò faciet vindictam*
" *illorum: Veruntamen Filius hominis veniens, putáſne inueniet fidem in*
terra? Idem verò Vates, qui quærendum Dominum monuerat & ſuaſerat,

Via Domini. *quemadmodũ quæri oporteat, exponit ac docet: permagni enim refert, qualis nam ad quærendum ineunda via ſit, prænoſcere; num ea, quæ ex præſcripto inſtructa eſt; an alia quæuis, quam vel ex priuato conſilio, vel ex æmulatione aut contentione humana ſibi optauerit vnuſquiſque, vel finxerit, &* Via arcta. Pœnitentia. *inſtruxerit. Veram autem & certam viam eſſe ait, eandem quam Chriſtus arctam cognominauit, hoc eſt, pœnitentiam, quamq́; emendatæ vitæ ac Deo probandæ conſuetudinis inſtitutionem definimus.*

Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius: & ad Deum noſtrum, quia multus eſt ad ignoſcendum.

Pœnitentiæ virtutis ratio. *Emendatæ vitæ (quam pœnitentiam virtutem dicimus) inſtitutionem veram ac ſolidam duabus partibus inchoari ſignificat Vates: altera deteſtatione ſcelerum, altera conſilij & mentis atq; ſententiarum, quæ à vero & honeſto diſcrepant, depoſitione ac mutatione: idq́; propter Deum: à quo per mentis prauitatem, atq; ſuſcepta flagitia diſceſsiſſe, dolere oportuerit: atque ita dolentem & correptum, vnumquemque Dominum ſuum repetere, placandumq́; curare, cum magna miſericordiæ impetrandæ fide atq; ſpe. quod* Miſericordia Dei. *idem ipſe vates, ac vades, repetito ſpondet promiſſo.* & miſerebitur eius: & ad Deum [*gubernatorem*] noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum. *Vtrumque verbum in futuro tempore pronunciatum, non modò rei veritatem, ſed proprietatem & æternitatem adſcribit.* quia multiplicabit ad ignoſcendum. *Prius verbum* IRAHHAMEHV, miſerabitur eum, *intimum & vehementiſsimum, ac maternum miſericordiæ affectum indicat. ex quo illud alterum euenire ait, vt* multiplicet ad ignoſcendum, *quanquam plurimis ac maximis ſceleribus offenſum & prouocatum, quanquam peſsimis mente, animo, & conſiliis irritatum; tamen ad ſe conuerſis, non modò placatum iri, ſed etiam maximopere parciturum confirmat, non hominum more atq; inſtar. qui conceptam offenſam, quamquam exorati, vix deponunt, vix animo leniuntur; ſed ſuo more, qui magnum laudis decus tum ob multa alia, tum uerò ex incomparabili miſericordiæ & lenitatis atque patientiæ magnitudine vendicat: nec præteritorum criminum in verè cõuerſis recordatur amplius: nec vllo etiam vel prænotionis impedimento à miſericordia detinetur præſtanda. Quatuor autem vocabula cum delectu pronunciata, hîc obſeruamus.* impius viam ſuam, vir iniquus cogitationes ſuas. Impius. Impius, *quiſquis alij conſulto nocet, vti adnotauimus,*

R E-

RESAGH *dicitur; atque ad mores propriè nomen refertur: quos via nomine ſignificari ſæpè monuimus. Latinis vitium hoc improbitas plerumque vocatur.* IS *verò, pro quo virum Latinè dicimus, & virum, & vnumquemque ſignificat. valetq́ idem quod vnuſquiſque vir. atque ita non omnes modò in vniuerſum, ſed ſingulos etiam hoc tangit, atq́ admonet Vatis conſilium.* Iniquus, ISAVEN, vir curuitatis. *quem mala ſtultitia, & quæcunque inſcitia veri cæcum agit, hunc* virum curuitatis *lingua vocat ſacra. Ad quam notam illud optimi Satyrici videtur alludere:*

RESAGH. Vir. Improbitas. Is. Vir. Iniquus.

O curuæ in terras animæ & cæleſtium inanes, Perſius 2.
Quid iuuat hoc, noſtros templis immittere mores,
Et bona Diis ex hac ſcelerata ducere pulpa?

Itaque quiſquis vel in credendis, vel in agendis à vero & honeſto deflectit, is vir prauitatis, ſiue vir iniquus nominatur. Atque prauitas quòd in opinionibus notetur, e veſtigio indicatur, cogitationes ſuas. *Atqui homines, vti notauimus, offenſi ſemel non miſerentur: vel ſi aliquando parcunt; tamen conceptum animo retinent, & fouent odium, certisq́ à ſe excogitatis ducuntur opinionibus. quas etiam Deo arrogare perperam ſtudent, & intendunt. Horum verò mores & animos à ſe alieniſſimos declarat, & profitetur Deus, aſſeritq́ tanto eſſe remotiores, quanto minùs completè & profundè miſericordiæ diuinæ rationes capiunt: vtpote exiles mente, anguſti & exigui, ac minimi, planeq́ feminea voluptas vltio: contrà verò, patientia, benignitas, tolerantia, lenitas, ac miſericordia & beneficientia maſculæ & maximæ virtutis, ac diuinæ amplitudinis dignæ laudes. id quod vel ex ipſo nulli non conſtare poteſt, quòd ſolem ſuum Deus oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Quamobrem quiſquis ex moribus, legibus, præceptis, inſtitutis, & conſuetudinibus humanis, quiſquis etiam ex philoſophiæ terreſtris elementis, ac regulis de diuina præſcientia, ſapientia, miſericordia, & lenitate, ac de propoſito Dei erga hominum ſalutem ratiocinatur: perinde agit atque ſi cælum terræ non modis tantùm comparare, ſed locis etiam velit componere & ſociare, & ſumma ac ſuprema, eadem cum infimis eſſe contendat. cùm ſcriptum ſit: Cælum ſurſum & terra deorſum, & cor regis inſcrutabile. Et quidem terræ ambitus, quamquam certis iam æſtimatus conſtare dicatur modis; tamen qua ratione cum ſupremo cæli orbe comparetur, nulli mortalium contigit cognoſcere.*

Vltio. Prou. 25

Quia ſicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris.

Humanæ temeritatis ad iudicandum ac diſputandum de rebus diuinis, improbam & ſtultam audaciam hoc dicto notat ac damnat ſummus ille ſapientiſſimusq́ Deus: docetq́ quàm tēperatè ac religiosè tractare oporteat ea quæ aſſequi omnino impoſſibile, atque ex conſequenti definire velle nefarium ſit. Et quoniam vt ſacra & ſancta, ita etiam omni ex parte obſeruanda hæc doctrina eſt, quemadmodum in exemplari pronuncietur lingua, audire, & ex verbo reddere operæpretium fuerit. CHI GHABAHV SAMAIIM MEARETS CHEN GHABAHV DARCHAI MIDARCHECHEM VMAHH.

VMAHHSEBOTHAI MIMAHHSEBOTHECHEM. Quòd eminuere cæli à terra, ita certè conſtanter verè ad amuſſim [*Namque hæc omnia vocula* CHEN *ſignificat*] eminuere viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. Viæ, *ſiue* DERECH *nomine mores & conſuetudinem ſignificari, ſæpè docuimus: æſtimationes verò, ratiocinationes, comparationes, propoſita, conſilia: denique quidquid in mentem cadit, etiam numeri, & numerorum ſummæ & partitiones dicuntur* MAHHSEBOTHH. *Et quidem naturæ ſerie cogitatio viâ prior habetur: quippe ad animi impulſum* MAHHASEBAH, DERECH *verò ad factum, ſiue* πρᾶξιν *refertur. Quæcunque itaq́ humano ingenio ac iudicio, & philoſophicis rationibus de diuina mente, deq́ Dei actionibus diſputantur; tantùm cum vero certoq́, quantum ſummè ſublimia & celſa cum ſummè infimis, cæli ſitus cum cæli extimo ambitu, mundi centrum cum ſupremo orbe, hoc eſt, quantum ea quæ inter ſe prorſus oppoſita ſunt, conueniunt. Nam ſi cælum ſurſum, ac terra deorſum, quidquid ab hominibus deorſum demiſſum, Dei verò cogitata ſurſum ſublata, quonam pacto, aut quando componentur, vel in comparationem venient? Et tamen audet humana inſolentia Dei notitiam & ſapientiam cogitationesq́ Dialecticæ ac philoſophiæ ſuæ definire modis, atq́ de futuris perinde atq́ ipſa exiſtimat, Deum prænoſcentem & agentem pronunciare. quam nos verè affirmamus tanto ſapere inferiùs, quanto plura inuenire, diſputare, aut decernere libido inceſſerit, audaciaq́ impulerit: tum in ceteris omnibus, quæ ad naturam & mentem atq́ viam Dei ſpectent; tum præcipuè in iis quæ ad lenitatem, bonitatē, ac miſericordiam referuntur. S. S. E. Suauis Dominus vniuerſis, & miſericordia eius ſuper omnia opera eius. Namq́ reſponſum hoc de immenſa & impenetrabili mente Dei cum argumenta omnia cetera, quæcunque diuinas res attinēt, complectatur; ſingulari tamen & notatione & prærogatiua hunc obtinet, ac tuetur locum, in quo venia, conciliatio, & gratia pœnitentibus, cum tot, tamq́ magnificis & ampliſſimis nominibus, epithetis, ac verbis promittitur. Nihil ergo de prænotione diuina, de præſcientia, de prædeſtinatione, nihil de materia ac ſubiecto iuſtitiæ exercendæ, nihil de corrupta Adami maſſa diſputabunt homines? nihil agent, nullóne tali argumento ingenij exercebunt & conſument vires? Reſpondemus nos nunc nō magiſtros, non doctores, verùm commētatores agere ſimplices; tamen has reſpondendi partes à D. Paulo interim commodato petere. Videte ne quis vos decipiat per
» philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundùm traditionem hominum, ſe-
» cundùm elementa mundi, & non ſecundùm Chriſtum. Si quiſquam verò eſt qui vel Ariſtotelis, vel Platonis, vel Zenonis viam ſequi optauerit, huic nos minimè contentiosè adlatrabimus, ſed pergenti & vrgenti propoſitum Deum audire ſuadebimus clamantem. Sicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris. *Igitur nunquam hominibus huiuſmodi argumenta ad tractandum conceſſa aut permiſſa? Imò non permiſſa modò, ſed cumprimis tradita, & commendata; tamen ad eum, quo ab auctore Spiritu ſancto* expo-

Marginal notes: CHEN. / Via. / MAHHSEBOTH Cogitatio. / Humana audacia in diſputatione de rebus diuinis / Pſal. Dei miſericordia. / Prædeſtinatio Dei. / Coloſſ. 2.

expoſita ac declarata fuerint, & modum & ſcopum. hoc eſt, vt Paulus indicabat, Secundùm Chriſtum. qui non venit peccatores perdere, ſed ad pœnitentiam vocare, & vocatos, cum gaudio & gratulatione in gratiam recipere. Venit enim Filius hominis quærere, & ſaluum facere quod perierat. quod perierat, inquit, non autẽ ait, retinere aut relinquere Adami corruptam maſſam in ſua corruptione. Abſit: Perditio tua ex te Iſrael, tãtummodo ex me auxilium tuum. Ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis. Hæc nobis noſter diligens diſputator agat, hoc meditetur, hæc defendat & propugnet. imò hoc hominibus amanter perſuadeat, Quæcunque ſunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iuſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus, hæc cogitate, quæ didiciſtis & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc agite, & Deus pacis erit vobiſcum. Quænam porrò iſta ſunt, quæ vera, pudica, iuſta, ſancta, & amabilia nominat Apoſtolus? Nobis quidem quæcunque à Deo dictata, & ad noſtram doctrinam ideò ſcripta ſunt, vt per patientiam & cõſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Atq; in hoc eodem, quod agimus, conſolationis argumento ſexcenta locorum, & eo amplius millia ſunt, in quibus Chriſtianus & pius ac diſertus diſputator cum ſumma ſui & aliorum vtilitate verſari poterit. è quibus & hic vnus aſſidua commemoratione repetendus, & perpetua gratulatione celebrandus conſtat.

Lucæ 19.

Philip. 4.

Et quomodo deſcendit imber & nix de cælo, & illuc vltrà non reuertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti: ſicut verbum meũ quod egreditur de ore meo non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcunque volui, & proſperabitur in iis, ad quæ miſi illud.

Propoſiti, conſilÿ, ac promiſſi ſui veritatem, conſtantiam, & efficacitatem, atque adeò certiſſimum euentum, appoſitiſſimè ſimilitudinis contentione Deus declarat & confirmat, tantoq; magis excipi tenenda & vſurpanda commendat, quanto diuina omnia & naturæ modos excedentia dignitate & maieſtate naturalibus præſtant rebus. Eſt autem doctrinæ argumentum & ſumma ratio huiuſmodi. Nullum diuinum dictum & effatum otioſum eſſe poteſt. quare & nullum promiſſum vel ex natura ſua, vel ex promittentis conſilio, propoſito, atque efficacitate inane, aut otioſum, aut fruſtrà pronunciatum euadere, dummodo ritè exceptum, & legitimè admiſſum fuerit. Quippe donorum Dei omnium hoc proprium eſt, vt nullum ſuo in loco minùs efficax deprehendatur. Idq; manifeſto & vulgato, nulliſq; hominũ incomperto exemplo adſtruitur imbris, & pluuiæ in planum, vel decliue ſolum, & niuis in editiſſimos montes cælitus demiſſæ, atq; ideo inter Dei corporea dona & communia commoda computatæ. quæ ſuis temporibus & oportunitatibus defluentia terram primùm inebriant, hoc eſt, ad producendæ herbæ vim & efficientiam comparant. germinare eam facit. *deinde verò oportunè rurſus deſcendens, quidquid rectè germinatum virens & productum reperit, fecundum reddit. quæ ſerotinæ pluuiæ vis & efficа-*

Propoſiti & promiſſi diuini conſtantia & certitudo.

efficacitas eſt. dat ſemen. *quo frumenti vniuſcuiuſque genus proſeminetur, ac præter hoc etiam in plurium quàm ſatoris & agricolæ vſum & commodum panem ſuggerit.* ſemen ſerenti, & panem comedenti. *atque ita commoda omnium amplificat.* Sic [*quod ad imaginem & ſimilitudinē facit*] erit verbum meum [*omne omnino quodcunque ponendi in homines beneficij cauſa pronunciatum eſt, quale promiſſa diuina nominātur*] quod procedit de ore meo: *quod verè diuinum, non humanum fuerit promiſſum. vt enim imber & pluuia non inefficaciter deſcendit, nec ſine euentu rurſus cælum verſus reuertitur, niſi prius ea, quæ commemorata ſunt, effecerit:* ita verbum meum *efficaciſsimæ ac diuinæ virtutis compos* non reuertetur ad me RIKAM, vacuum, *& euentu caſſum vel fruſtratum, ſed*

Facere. faciet quæcunque volui. *Verbum* facere *agricolarum ſermone produ-*

Proſperare. *cere, fructumq́ ferre,* proſperare *verò eſt perficere, ad maturitatē perferre, atque ad cumulū vſque amplificare, & vſibus præſtare opportuniſsimum.*

Pſal. 1. *Vtrumque verbum illo in hemiſtichio obſeruatur. Et omnia quæcunque faciet proſperabuntur.* Faciet *itaq;* quæcunque volui. *Voluit autem Deus*

Volūtas Dei. *omnes homines ſaluos fieri, & omnes ad agnitionem veritatis venire. Hæc*
" *eſt autem voluntas Dei ſanctificatio veſtra. &, Non eſt voluntatis meæ vt*
" *pereat impius, ſed vt conuertatur, & viuat. &, Conuertimini à vijs ve-*
" *ſtris peſsimis, & quare moriemini domus Iſrael, ait Dominus. faciet ergo ſalutem* & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud. *Relatiua* his, ad quæ, *& rem & locum connotant ſimul. ea, inquam, ad perfectum atque ad cumulum & vſum euenient, quæcunque ipſe promiſerim iis, quibus promiſerim, atq; adnuncianda curauerim. hoc eſt, in terra bona, quæ ſimplici & certo animo promiſſis exceptis obſecundauerit. peccatoribus, inquam, ad me conuerſis, non veniam tantùm, ſed magnam etiam felicitatem præſtiturū, nihil obſtantibus quæcunque hominum oculis ac mentibus ardua, quæcunq; exiſtimentur difficillima, modò mites animos, modò pœnitentia excultos & aratos, atque in correctionis labore ſudantes homines reperiat. S. S. E.*

Pſal. *Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent. Euntes ibant & flebāt*
" *mittentes ſemina ſua: venientes autem venient cum exultatione, portantes*
" *manipulos ſuos. Ita vt ex ſeminibus rectè iactis manipulos admiratos, & gratulabundos reportaturos prædixerit Pſaltes. Atq; hæc felicitatis deſcriptio eſt, quam & apud hunc etiam Vatem Deus declarat, & indicat.*

Quia in lætitia egrediemini, & in pace deducemini.

Non modò parcendum eſſe peccatoribus pollicetur; verùm etiam magno honore, multiſq́ animi bonis ac donis conſultum & prouiſum iri ait. Alludit verò ad exitum ex Ægypto, non qualem victis & metuentibus, aut fugitiuis: non denique qualem ſeruis furtim euaſis affingere quis poſsit, ſed qualem liberis, victoribus, & hoſtium ſpolio ac præda onuſtis & locupleti-

Exodi 12. *bus. Surrexitq́ Pharao nocte, & omnes ſerui eius, cunctaq́ Ægyptus: &*
" *ortus eſt clamor magnus in Ægypto: neq; enim erat domus in qua nō iace-*
" *ret mortuus. Vocatiſq́ Pharao Moyſe & Aharone nocte, ait: Surgite, &*
" *egredimini à populo meo vos, & filij Iſrael: Ite immolate Domino ſicut dicitis:*

citis: Oues veſtras & armenta aſſumite, vt petieratis, & abeuntes benedi- "
cite mihi. Vrgebantq́. Ægypiÿ populum de terra exire velociter, dicentes: "
Omnes moriemur. Tulit igitur populus conſperſam farinam ante quā fer- "
mentaretur, & ligans in palliis, poſuit ſuper humeros ſuos. Feceruntq́. filÿ "
Iſrael ſicut præceperat Dominus Moyſi, & petierunt ab Ægyptiis vaſa ar- "
gentea & aurea, veſtemq́. plurimam. Dominus autē dedit gratiam populo "
coram Ægyptiis, vt commodarent eis: & ſpoliauerunt Ægyptios. Profe-
ctiq́. ſunt filÿ Iſrael de Raghameſſe in Socoth ſexcenta ferè millia peditum
virorum, abſque paruulis & mulieribus. Sed & vulgus promiſcuum in-
numerabile aſcendit cum eis. Oues, & armenta, & animantia diuerſi ge-
neris multa nimis. En diuini promiſsi efficientiæ & proſperationis illuſtre Exod. 1.
exemplum. ex ſatu ſeptuaginta animarum, quæ ex fœmore Iaghacobi exie-
rant, apud Ægyptum in lachrymis, id eſt, fame vrgente, facto tot armato- Indid. 14.
rum hominum myriadas, alacriter ac libere, ingenti cum lætitia prodeun-
tium. id quod ibidem adnotatū fuerat. At illi egreſsi erant in manu excelſa Exodi locus.
qui victorum & alacrium, atq́. lætitia exultantium eſt habitus. Quam om-
nem hiſtoriam ad veras cauſas, & ad libertatem filiorum Dei relatā, breui
apud hunc Vatem carmine Spiritus ſanctus concluſit. In lætitia egredie-
mini, & in pace deducemini. *Qualem nam lætitiam hîc declarare opor-*
teat, Diuus nobis indicat Paulus: Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gau- Gal. 5.
dium, pax, patientia. Duplex autem beneficium ſalutis veræ participibus Salutis beneficiū duplex.
hominibus à Deo præſtandum accepimus: alterum peccatorum venia &
remiſsio: alterū adoptio in filios, & tranſlatio à maledicto legis ad gloriam
& ordinem liberorum & ingenuorum, qui ſpiritu Dei aguntur. Atque
hoc ſummū interpretamur gaudium, quod publica omnium partium orbis
lætitia proſequatur. S.S.E. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bo- Rom. 8.
num, iis, qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti.

Montes & colles cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu.

Longè feliciorem hanc libertatem fore longeq́. lætiorem illa antiqua & Diuinæ liberationis felicitas.
priori, quam huius imaginē accepimus fuiſſe, ex conſequentibus argumen-
tis ac ſignis docemur, hoc eſt, ex publica lætitia communiq́. plauſu terræ to-
tius, cum partibus ſuis. quas per tranſlationem ad regna, populos, nationes,
atque ſingulos etiam ſignificandos homines nominat. Solenne autem omni-
bus nationibus eſt, victorias ac triumphos dulcibus ac lætis celebrare car-
minibus, & publicis proſequi gratulationibus. S.S.E. Tunc cecinit Moy- Exodi 15.
ſes, & omnis Iſrael carmen hoc Domino: Cantemus Domino, glorioſè 1 Reg. 18.
enim magnificatus eſt. &, Porrò cùm reuerteretur, percuſſo Philiſtæo Da-
uid, & ferret caput eius in Ieruſalem, egreſſæ ſunt mulieres de vniuerſis
vrbibus Iſrael cantantes, chorosq́. ducentes in occurſum Saul regis, in tym-
panis lætitiæ, & in ſiſtris: & præcinebant mulieres ludentes, atque dicen-
tes, Percuſsit Saul mille, & Dauid decem millia. Huiuſmodi gratulatoria
carmina in illo feliciſsimo exitu à montibus cantanda, & ab arboribus cum
plauſu excipienda poeticè ſimul & figuratè prædicit Vates. Ita enim Vatum

 ſermo-

ſermone vſurpata verba & ad inanimatas res tranſlata ſæpe videmus, non ſine magna ſignificatione. quod & poëtica quoque ſublimis imitatur oratio. Dum canimus ſyluis, reſpondent omnia ſyluæ. Magnum autem inter antiquæ illius, & huius victoriæ celebrationem diſcrimen indicatur, quod illa mundi partibus metum, pauorem, ac trepidationem iniecerit; hæc lætitiam & cantum effectura prædicitur. De illa ſcriptum: Mare vidit, & fugit, Pſal.
» *Iordanis conuerſus eſt retrorſum. Montes exultauerũt vt arietes, & colles*
» *ſicut agni ouium. Quid eſt tibi mare, quod fugiſti? & tu Iordanis, quia*
» *conuerſus es retrorſum? Montes exultaſtis vt arietes, & colles ſicut agni*
» *ouium? A facie Domini mota eſt terra, à facie Dei Iaghacob. De hac verò*
» *prædictum:* Montes & colles cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu. *Magnates, principes, principatus, & poteſtates montium & collium ſignificari nominibus & imaginibus, iam aliàs docuimus, reliquum verò populum arborum variarum & naturam imitari, & nomen vindicare.* Ligna regionis. GHETSE HASADEH, *Conſilia, robora, virtuteſq́; ſufficientiæ ex arcano etymo interpretamur. Gaudium enim eſt in cælo coram Angelis Dei ſuper vno peccatore pœni-* Lucæ.
» *tentiam agente, quàm ſuper nonagintanouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia. Atq; huius lætitiæ cauſam ex maxima & incomparabili præſentis conditionis felicitate orituram, ſignificat vates. quæ tanto præſtantior erit, quanto timoris ac ſeruitutis ſpiritui adoptionis filiorum præſtat ſpiritus. Illa quidem ex Ægypto egreſſio læta profectò fuerat: verùm quæ ad legis accipiendum tendebat iugum, quod quàm graue ac durum euaſerit, ſæpiùs iam narratum & notatum fuit; hæc verò ad Euangelij gloriæ Dei, & virtutis Chriſtianæ iugum, quod ſuaue & iucundum prædicatur; illa ad dãnationem hominum propter carnem, hæc ad ſanctificationem propter ſpiritum: ex illa in metus, pauoris, ac doloris, & ſuſpicionum ſtatum deuentum eſt, ex hac verò ad perfectam charitatẽ timoris omnino expertem euaſum.*

Spiritualis liberationis præſtantia.

In reuelatione Ieſu Chriſti, quem, cum non videritis, diligitis; in quẽ nunc 1. Pet. 1.
» *quoque non videntes creditis; credentes autem [ſecundùm operationem po-*
» *tentiæ virtutis Dei] exultatis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei veſtræ ſalutem animarum. Mulier cùm parit, triſtitiã ha-* Ioan. 16.
» *bet, quia venit hora eius: cùm autem pepererit puerũ, iam nõ meminit preſ-*
» *ſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Et vos igitur nunc*
» *quidem triſtitiam habetis: iterum autem videbo vos, & gaudebit cor ve-*
» *ſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis. Amen, amen dico vobis, ſi*
» *quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. vſque modò non petiſtis quicquam in nomine meo. Petite, & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit ple-*
» *num. Hæc in prouerbiis locutus ſum vobis: Venit hora cùm iam non in pro-*
» *uerbiis loquar vobis, ſed palàm de Patre meo annunciabo vobis. Vt ille, quo-*
» *ad hora illa veniret, in prouerbiis loqui conſueuit propter auditorum tarditatem adhuc, quam his modis, qui ferri & cognoſci poterant, tamquam rudimentis tunc corrigere oportunum fuit; ita & Vates ſuos prouerbiis inſtruxit, earumq́; rerum informauit imaginibus; quæ, quamuis in vtramq;*

par-

partem apud homines magnæ habentur; tamen aliarum, quas veritatis nomine ſacra doctrina complectitur, vmbram tantùm referebant. Atq; hanc inſiſtens viam Vates noſter lætitiæ iſtius, quam prænunciat ſeruatis futuram, ex figuris ac tranſlationibus cauſas & rationes indicat.

Pro ſaliunca aſcendet abies, & pro vrtica creſcet myrtus: & erit Dñs nominatus in ſignum æternum, quod non auferetur.

Publicam lætitiam non ad montes & colles modò, ſed ad ſylueſtria quoque arbuſta pertenturam, ex felici rerum in melius mutatione, prædixerat; eandem verò perſecutus tranſlationem declarat, cuiuſmodi nam illa futura ſit mutatio: nempe euenturum vt nihil in toto humano agro oriatur & creſcat, quod non ſuo in genere honeſtatis & vtilitatis nomine placeat & probetur: ita vt maledictum & omen illud quondam pronunciatum, iam deinceps certo fine, & admirabili ſucceſſu maneat abrogatum: illud, inquam, Maledicta terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi. Ab illa verò ſalutis hora, ac deinceps poſteà non modò quæ fructus ferre natæ ſunt arbores, plurimos atque optimos ferent in Chriſto, ſed & ſyluæ ac dumeta, & quæ ruſticis & ſterilibus fructetis atque ſpinis horrebant antea loca, iucundas & pulchras, odoratas, & ad vſum hominum oportunas perpetuò alent plantas. Huiuſmodi imaginibus publicam felicitatem deſcribere æmulati auctores quoque exteri vtuntur. Humanæ terræ benedictio. Gen. 2.

Occidet & ſerpens, & fallax herba veneni
Occidet, Aſſyrium vulgò naſcetur amomum. Virg. Eclog. Sicelides.

Quod ad ſermonis rationem attinet, bina plantarum nomina, alterum incommodarum & ſterilium, alterum vtilium & iucundarũ pro totis vſurpantur generibus. Quæ, vti in magno opere diſſeruimus, quatuor ſunt; duo videlicet in arborum; duo altera in aliarum plantarum, ſiue herbarum natura. In priore genere NAGHATSVTS *inutilium ſenſum ſubit, quam eodem apud Arabes vocabulo nominatam albam ſpinam Saadias interpretatur, certè ab inferendo puncturæ dolore nomen ſortitam. Huic autẽ abolitæ plantæ* BEROS *vtilem, ac ſpecie gratam ſucceſſuram docet, quæ inter cedrorum genera frequenter commemoratur, nonnullis buxus, aliis abies exiſtimata: quod ex vtraque haſtilia parentur optima. In poſteriore autem natura* ZZIRPAD *nomen admittitur, quam in vrticam interpres vertit noſter. nobis vocabulũ Latinorum Cirpo maximè affine eſt, & rem ipſam indicare videtur, præcipuè ſucceſſionis oppoſitioni comparatum. Siquidem cirpus planta eſt foliis prorſus nudata, & fructu carens: nullius vel in hominum ſeruitute, vel in medicina vſus: nec animantum, aut iumentorum pabulo idonea; ſed nec aſpectu iucunda, & quæ in acutum aculeum deſinens tractata nocere, prodeſſe autem nulla ex parte poſſit: imò nec igni incendendo aut fouendo oportuna, quæq; ſolum occupans aliarum herbarum ferè ſterile reddit. Huic nunc* HHADAZZ *opponitur ſucceſſura, quam eandem cum Latinorum myrto eſſe, exploratum conſtat: non tamen omni myrto conuenit nomen; ſed ei quæ firmiſſima in illo genere ſolidiſſimaq; eſt, & virore præcipuè grata perpetuò, quæq; ſeſe foliis totam veſtit, iiſdem quoque amœniſſi-* NAGHATSVTS. Spina alba. BEROS. ZZIRPAD. Cirpus. HHADAZZ. Myrtus.

nißimis, & per mediam etiam brumam baccis non inutilibus aut viſu ingratis abundat; ac non ſolùm foliis & floribus, verùm & ligno ex ipſo ſuauem ſpirat odorem, & ſeorſum ſimpliciter, & cum aliis mixtum commendabilem. atq; ita euenturum ait; vt quæ in hominibus improbabantur, paſſiones membrorum, quæ cooperabantur in morte, vt fructificarent morti, in ſanctas & vtiles atq; iucundas animi affectiones mutentur; vt mortificati legi per corpus Christi (ait vnus ex illis) ſimus alterius, qui ex mortuis reſurrexit, vt fructificemus Deo. Hanc verò feliciſsimam rerum conuerſionem & mutationem nullis humanæ viribus naturæ, nulli aſtrorum efficientiæ, nec temporum viciſsitudini aut varietati, nulli denique aut cælesti aut terreſtri nomini adſcribendam, vel tribuendam; ſed vnicæ Dei voluntati & liberalitati acceptam referendam, & perpetuis laudum monimẽtis conſecrandam eſſe ait, eo nomine quo miſericordia, benignitas, promiſſorum conſtantia & veritas efficacitasq́; ſignificatur. Et erit Dominus nominatus in ſignum æternum, quod non auferetur. Conſueuere olim duces imperatoresq́; magni, cùm primùm vel vacuas occupauerint, vel debellandas fuerint ingreßi terras, rei memoriam erectis lapidibus, & ſignis conſtitutis dicare: atq; iidem quoque poſt partam victoriam, confectamq́; rem, perpetuis monumentis ad poſteritatis mandare famam & gloriam. Ex quo more à Ioſua certos lapides primum erectos legimus, præter tumulos, vel aceruos illos lapidum, quos ex medio Iordanis alueo Deus tolli, & conſtrui componiq́; mandauerat. Ex eodem etiam iure & genere altare illud inſigne & conſpicuum à Reubenitis & Gaditis citra Iordanem poſitum, ad cõmunis religionis ac ſocietatis teſtimoniũ. Quæ tamen monumenta omnia temporum, hominum, locorum, geſtarumq́; rerum, cùm per mortales facta & locata fuerint, temporum vetuſtati & mutationi, atq; hoſtium & æmulorum inuidiæ obnoxia tandem antiquata, deleta, ac demum abolita periere. quod niſi eueniret, non tam accuratè ab hiſtoricis indicarentur, hac formula teſtari ſolitis. Et manet vſque in hodiernum diem:

Rom. 6.

Hor. in arte.

Debemur morti nos noſtraq́; ſiue receptus
Terra Neptunus claßeis Aquilonibus arcet,
Regis opus, ſterilíſue diu palus aptaq́; remis
Vicinas vrbes alit, & graue ſentit aratrum:
Seu curſum mutauit iniquum frugibus amnis
Doctus iter melius. Mortalia facta peribunt.

Longè verò ab iſtiuſmodi conditione & euentu diuerſum huius, quam vaticinatus eſt, victoriæ ac tranſmigrationis & liberæ ſecuritatis, ac perpetuæ pacis monumentum fore, Vates ait.

Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poßit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries & fuga temporum.

vtpote quod nõ lapides, aut metalla, aurum, argentum, æs, aut montes, aut flumina, aut quidquam aliud ſub cælo contentum repræſentabit, ſed is, cuius natura, vis, duratio cælo maior, ſublimior, ac robuſtior; atq; vltra vllam comparationem præſtantior,

nempe Deus ipſe omnipotens, æternus, & immutabilis: qui, quam ſeſe hominibus inſinuando ac donando ſalutem, victoriam, felicitatemq́ effecerit, immortalem, ſolidam, & æternam præſtabit. Atque hoc pacto nominis & virtutis ac beneficij tanti à ſe exhibiti, immortalem famam, gloriam, atque laudem æternis conſecratam monumentis, hoc eſt, in ſe ipſo perduraturam ſtatuet: illudq́ ſibi proprium tuebitur, Sit gloria Domini in ſeculum ſeculi: Pſal. *Lætabitur Dñs in operibus ſuis.* in ſignum æternũ quod non auferetur.

Capvt lvi.

HÆc dicit Dominus, Cuſtodite iudicium, & facite iuſtitiam: quia iuxta eſt ſalus mea vt veniat, & iuſtitia mea vt reueletur.

In *omni quæ à recto conſilio ſuſcipitur actione, quatuor potiſsimùm ſpectantur, agentis animus & voluntas, agendi tempus, actio, incommoda & opportunitas, & idoneus locus. quem ſubiectum vocant artifices. Omnium verò quæ à Deo in mundo facta ſunt operum, humani generis redemptio* Dei præſtantiſſimũ opus. *præſtantiſsima & excellentiſsima creditur; vtpote magnæ miſericordiæ maximum donum vocatum, cui aptiſsimè illud conueniat: Suauis Dominus* Pſal. *vniuerſis, & miſericordia eius ſuper omnia opera eius. Huius autem beneficij faciendi, & in homines ponendi voluntatem ſibi certam, perpetuã, conſtantemq́ eſſe Deus quamplurimis apud hunc, & alios Vates reſponſis teſtatam immutabilem manere nunc repetit & confirmat, opportunitatem verò ac maturitatem communiter & in vniuerſum conficiendi, iam iam inſtare prædicat. quod cùm factum publicè fuerit, ſingillatim præſtandi locum & commoditatem parare, tum ſuarum, tum etiam eorum quibus conferendum fuerit, partium eſſe docet. Significat præterea, ſuarum nullã fore dubitationem, moram, ambiguitatémve vllam, quo minùs frequentia, aut quo minùs certa conſtent exempla: reliquum verò eſſe, eorum partes conſtare, & non deeſſe oportere, quorum in hoc negotio res agitur: ideoq́ monere, ſuadere, vt vrgere non ceſſat, & ad ſe præparandos & aptandos communiter cunctos & ſingulos etiam appellare pergit, artemq́ id agendi, ne quis ignoret, iam ſæpiùs monſtratam & inculcatam repetere, commemorare, & in breue compendium coactam, iterum atq́ iterum & frequenter relegere, atq́ interdum per membra & præcepta explicare intendit. Id quod nunc in hoc vnico verſu agit, rationem, quam diximus, operis huius totã complexus, ab ea re inchoatam, in qua maius moræ periculum eſſe poteſt, hoc eſt, à comparatione & commoditate vaſis eius, in quo maximum iſtud ponendum locandumq́ ſit beneficium ac donum, quod ipſius vaſis, hoc eſt, hominis partes & officium ſpectat: nam quod ad beneficij auctorem Deum attinet, nihil cunctationis eſſe, ipſa prædictio, admonitio, excitatio, ac perſuaſio opportunam gratiam & opem præſto eſſe comprobant. quamobrem ſui cumprimis nominis, conſilij, ac numinis præſentiam, & auctoritatem profitetur.* Hæc dicit Dominus. *Ex verbo* CHOAMAR IEHOVAH, Sic dicit Dominus [miſericors, benignus, & fidelis] *Sic dicit vt res veritasq́ habet, & vt crede-*

Marginalia: Salutis conferẽdæ opportunitas. — Via iuſtificationum Dñi.

credere agereq́; oportet, ac decet, & per ipſum met liquet. Quod verò dicit huiuſmodi rationis & ſententiæ eſt, quam in magnis operibus & ædificiis ponendis periti ineunt & inſiſtunt artifices; hoc eſt, vt totius faciendi operis animo ac mente architecti priùs conceptum & inſtitutum exemplũ loci, in quo conſtruendum ſit, area præmuniatur, & fundamentis iaciendis firmum vel inueniatur, vel arte & operis datis ac poſitis, firmetur ſolum. Hoc autem, de quo nunc agimus opus, domum vocamus, quam habitaturus Deus ipſe ſibi conſtruere decreuit, iam iamq́; faciendam parat, optatq́; ſolum inuenire ad ponendam idoneum. quod quidem ſolum, cùm ipſi homines ſint, (Templum ſanctum Domini, quod eſtis vos) & ſeſe diuinæ gratiæ ope præſtare poßint, oportuna facientes, ad ſui probandam ædificationem, vt id ſerio præſtent, monẽtur. quod non diſsimili tranſlatione ab Apoſtolo declaratum eſt: Si quis emundauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum Domino, ad omne opus bonum paratum. Duplicem in parando loco curam eſſe oportet; alteram remouendi & auferendi ea, quæ ponendo & faciundo operi obeſſe poßint. vt in ædificiis aquam, arenam, ſabulum, & quæ his incommoditatibus non dißimilia ſint: alteram aptandi, æquandi, & firmandi ex arte ſoli adferenda & ſuſtinenda fundamenta; atq́; cetera omnia ad perfectum vſque producenda. Vtramque rationem & curã tum incommodi vitandi, tum commodi quærẽdi, Præceptor ſummus gemina cõplexus

Mat. 7. *eſt ſimilitudine: Omnis qui audit verba mea hæc, & facit ea, aßimilabitur*
» *viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſuper petram: & deſcendit plu-*
» *uia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum il-*
» *lam, & non cecidit: fundata enim erat ſupra petram. Et omnis qui audit*
» *verba mea hæc, & non facit ea, ſimilis eſt viro ſtulto, qui ædificauit domum*
» *ſuam ſuper arenam; & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flaue-*
» *runt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit; & fuit ruina illius*
magna. Atq́; priorem huius, quam diximus, curæ partem, hoc eſt, incommodorum remotionem, in ſuperiore capite, Deus auctor & conſiliarius, commendarat, Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & conuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum; quoniam multus eſt ad ignoſcendum. Poſteriorem verò, & proximam operi inchoando atq́; ponendo rationem & operam, hoc eſt, loci cõplanationem: &, vt ita ex arte loquamur, cementationem iam nunc præcipit: quæ morum ac vitæ correctione & emendatione, atque probanda inſtitutione præſtatur. Ea autem duabus è partibus conſtat, iudicio, inquam, & iuſtitia, id eſt, rectæ rationis norma ex certo inſtituto petenda, & in omnem vitæ partem adhibẽda, ac beneficio in eos, qui indiguerint, oportunè ponendo. Namque homo non ad ſui ipſius commodum tantummodo effectus; ſed ad ſui generis etiam vtilitatem inſtitutus à Deo fuit. S. S. E. Non eſt bonum hominem eſſe ſolum. Ex quo fit, vt non ſolùm ſuis cõmodis, verùm aliorum etiam vtilitatibus ſtudere, conſulere, & operam dare debeat. Quanquam verò totius humanæ vitæ inſtitutum viæ nomine, vti iam declaratum eſt, ſignificetur; tamen quia plerumque altera inſtituti pars, hoc eſt, quæ priuatam

[Margin notes: Vitæ probandæ partes. — Iudicium. Iuſtitia. — Homo non ſibi ſoli natus. — Gen. 2. — Via.]

tam ſingulorum animam & vitam cernit, hoc putatur dici vocabulo, omne tum erga ſe ipſum ſeorſim, tum erga quemlibet aliũ ex mortalibus officium comprehendi & contineri declaratur, cùm non ſatis eſſe oſtenditur ad viæ malæ deſertionem, & iniquarum cogitationum depoſitionem, vt ſibi vnuſquiſque contineat, & benè conſulat ac ſtudeat: niſi etiam quantum ſibi aduerſus alios agere & facere expedierit, diligenter, alacriter, & ſtudioſè edoceatur, & præſtet. Faciendi autem erga alios officij, duæ ſunt partes, altera in innocẽtia, altera verò in beneficientia ſpectatur. Innocentiam definimus, conſtantem animi virtutem, qua cauetur & proſpicitur, ne quid cuiquam iniuriæ publicè vel priuatè inferatur aut damni. Beneficientiam verò qua ſtudemus & curamus, vt quamplurimis, vbi id fieri poſſit, non egentibus etiam, vel ſi minus poſſit, indigentibus, conſulatur, & commodetur. Illam autem partem MISPAT, hanc verò TSEDAKAH ſacra nominat lingua. pro quibus verbis Latinus interpres plerumque iudicium & iuſtitiam reddit. nos verò explicationis cauſa rationem, ſiue ius potiùs, & beneficium, ſiue beneficientiam vocamus. Nam iuſtitiæ nomine nõ modò iudicis aut prætoris officium, quod non pauci autumant, ſed etiam, immo potiùs, liberalitatem ſignificari Chriſtus docuit: Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem veſtrum qui in cælis eſt: Cùm ergo facis eleemoſynam, noli tuba canere, &c. Itaq; fideles, ac promiſſo credentes ſuo, propriæq; ſalutis cupidos, quemadmodum ſeſe ad illud maximum accipiendum, & excipiendum donum comparare oporteat, docet, monet, & ſedulò agere iubet; atq; ita ſuas præſtare partes, cùm ſpe certiſſima, non voluntatis modò diuinæ, ſed maturationis etiam & propediem faciendæ copiæ, vtpote qui iam id publicè exhibere adornet; quod ſua ſponte conficiendum, & egentibus exhibendum recipit, & pollicitus eſt. quia iuxta eſt ſalus mea, vt veniat, & iuſtitia mea, vt reueletur. Hoc autem illo vatis æuo pronunciatũ, cùm omnes ab ea ad Ieſu Chriſti vſque ætatem & præſentiam fideles homines, imò & mortales cunctos, propriæ ſalutis modò non negligẽtes, tangebat; tum præcipuè ad alios pertinet, quotquot à Chriſti morte & reſurrectione exſtiterint. ſi tamen benè ſibi conſultum velint: Quoniam, vt Apoſtolus prædicat, Nunc propior eſt noſtra ſalus, quam cùm credidimus. Atq; diuinum iſtud, tot nominibus celebratum, & Chriſti virtute atque opera expeditum ac præſtitum beneficium, duabus conſtitit & conſtat partibus, peccatorum venia, remiſſione & abolitione; & iuſtitiæ ac ſanctitatis Dei communicatione. quæ morte & ſepultura, nec non reſurrectione Filij hominis, id eſt, verbi Dei caro facti, expeditæ, & perfectæ, ac demùm quinquageſimo poſt reſurrectionem die publicè reuelatæ ſunt: deincepsq; in ſacroſancta Eccleſia aſſiduis & oportunis declaratæ, & comprobatæ declarantur exemplis. Alteram partem ſalutem, alteram verò iuſtitiam ſuam, Deus hoc loco, & aliàs ſæpè vocat, & Chriſtus Apoſtoliq; omnes celebrando appellant. ad quam diſtinctionem illud pertinet, Corde creditur ad iuſtitiam, & ore fit confeſſio ad ſalutem. & illud quoque: Nunc autem ſine

[Margin: Innocentia. Beneficiẽtia. — Mispat. Tsedakah. Iudicium. Iuſtitia. — Mat. 6. — Rom. — Diuini doni partes duæ. — Salus. Iuſtitia. — Rom. 3.]

„ lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt, teſtificata à lege & Prophetis: iuſtitia au-
„ tem Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in
„ eum. Non enim eſt diſtinctio: Omnes enim peccauerunt, & egent gloria
„ Dei, iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionē quæ eſt in Chri-
„ ſto Ieſu: quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius,
„ ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorū,
„ in ſuſtentatione Dei, ad oſtenſionem iuſtitiæ eius in hoc tempore, vt ſit ipſe
„ iuſtus, & iuſtificans eum qui eſt ex fide Ieſu Chriſti. Quam oſtenſionem,
„ cùm à ſe certiſſimam fore Deus receperit, ne ex humanæ præparationis defectu deſiderare cogantur homines: iterum atq; iterum edocti fide & pœnitentia, qualem iam declarauimus, expectare monentur.

Beatus vir qui facit hoc, & filius hominis qui apprehendet iſtud, cuſtodiens ſabbathum ne polluat illud: cuſtodiens manus ſuas ne faciat omne malum.

Conſilium ac promiſſum hoc non ad Iſraelem ſecundùm carnem tantùm, ſed ad omnes pertinere mortales, manifeſtè declarant nomina duo in hoc appellata carmine. alterum ENOS, *pro quo Latinus interpres hîc reddit* vir; *alterum verò* BENADAM *à Latino in* filius hominis *verſum. illud quidem humanæ fragilitatem naturæ & imbecillitatem ſignificans, cui* mortalis *apud Latinos concinit: hoc verò eiuſdem naturæ, præter ceteras animantes præſtantiam & excellentiam, hoc eſt, animo & mente præditæ, atq; ideo cognitione valentis, & ex conſequenti, de beatitate ſui cogitantis. Nam priore nomine cùm ſe mortalem, caducum, atque ideo ceteris animantibus agnoſcat ſimilem; poſteriore ſe excellere, & præſtare cunctis intelligit, illudq; verè experitur:*

Enos. Benadam.

Gen. 1.

„ *Et creauit Deus hominem in imagine, & ad ſimilitudinem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum, maſculum & feminam*
„ *creauit eos. Benedixitq; illis Deus, & ait: Creſcite & multiplicamini, &*
„ *replete terram, & ſubiicite eam, & dominamini piſcibus maris & volati-*
„ *libus cæli, & vniuerſis animantibus quæ mouentur ſuper terram.*

Id quod cùm verè experiatur homo, prudenteq; animo & intellectione agitet, intelligit profectò felicitatem ſuam eſſe non poſſe cum morte coniunctam: cum morte, inquam, ceteris animantibus ex æquo pari & communi. quamobrem aliud quippiam illi vt vitæ præſtantioris compoti morte etiam communi eſſe paratū præſtantiùs. & quidem communionem fragilitatis cum animantibus aliis agnoſcit; præſtantiam verò illam beatitatis cùm inquirit, nec omnino ex ſe exploratam habet: nec etiam quemadmodum conſequatur, quáve ratione aſſequatur, ſatis intelligit. Verùm enimuerò cæleſti diſciplina, ac diuinis reſponſis, quænam vera felicitas, & quemadmodum quærēda fuerit, edocetur. Id quod hoc in verſu agitur. Beatus vir [mortalis] qui facit hoc, *quod iam explicatum conſtat, & mox etiam repetetur.* & filius hominis qui apprehendet iſtud. VBENADAM IAHHAZIKBAH. *Quod Latinus vertit in* filius, *in ſacra lingua dicitur* BEN, *quod à verbo* BANAH, *id eſt, ædificare, deducitur; & cùm nomini* ADAM *adiungitur, affinitatem etiam cum verbo* BVN *tuetur. Significat autem* BVN *prudenter, cordatè, &*

Ben. Bvn.

& conſideratè agere, quod vni in animantibus homini conceſſum eſt. Itaq; BENADAM, *idem hoc loco valet cum* ædificans, repræſentans *non naturam tantùm, ſed prudentiam & intellectionem ad imaginem Dei facti Adami. Porrò verbum* apprehendit, *tenere, cuſtodire, atq; verè & fortiter ad extremum vſque præſtare interpretamur, ex primæuo* IAHHAZIK *futuri forma pronunciato, atque ideo perpetuitatem indicante. Quiſquis igitur is fuerit quocunque ex loco ac genere & populo, modò mortalem ſe agnoſcens, modò nomen & virtutem Adami tutatus, qui hoc fecerit, atq; hæc ſapiēter tenuerit, ac fortiter obtinuerit, is profectò beatus demùm euadit. Iam verò agendarum à beatitudinis expetente quouis homine rerum rationem & omnibus cognitu facilem, & præſtitu etiam ex Dei docētis & fauentis gratia non difficilem rationem, & ſummam, commodum fuerit audire.* Cuſtodiens ſabbathum ne polluat illud: cuſtodiens manus ſuas ne faciat malum. *Cùm ſuperiùs expoſita doctrina, & quæ hic exponitur, in eundē dirigatur ſcopum, pronominibus illis* hoc & iſtud *vtrumque indicari commodè poteſt. Eſt autem doctrinæ huius ſumma illa ratio.*

Beatitas quibus præſtanda.

Beatitatem Dei donum eſſe iis promiſſum & præſtandum, qui datam homini legem obſeruauerint. legem, inquam, homini datam, vel ſcriptam, vel in rectè æſtimantium, & prudenter ſentientium animis poſitam. Namque

Rom. 2.

non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabūtur: Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt: huiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationum accuſantium, aut etiam defendentium.

Legis ſumma

Totius autem ſcriptæ legis ratio duobus ex nominibus ad ſummam deducitur. Alterum eſt eorum, quæ credi; alterum verò eorum quæ vitari, quæq; fieri oportet. Credendorum partes omnes apud ſcriptam legem in vna ſabbathi obſeruatione & cuſtodia continentur: quippe cuius conſideratio mundum, reſq; omnes Deo conditore exſtitiſſe commemorat. S. S. E. Quia ſex diebus fecit Dominus cælū & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt, & ſeptimo die quieuit.

Sabbathi obſeruatione fides contenta.

Exodi.

Eadem quoque ratione diuinæ ſingularitas cognoſcitur naturæ. Quippe vnius mundi vnicum conditorem & ſupremū oportet eſſe gubernatorem. Spiritualis etiam Dei aſtruitur natura: quæ, ſi corporea eſſet, diuiſioni maneret obnoxia: quod à ſingularitate & ſimplicitate naturæ prorſus arguitur alienum. Æternitatem etiam Dei ex eadem ratione cognoſci licet: cùm ante mundum conditum, nullum potuerit exiſtere tempus. quod verò tempori præſtat, æternitas dicitur. Quibus ex rebus omnibus Deus ipſe, vt naturis cunctis auctor, ita hominibus colendus probatur, & confirmatur. Atque hanc doctrinæ in ſabbatho contentæ partem ratio ipſa hominibus rectè ſe cum cogitantibus inſita indicat, & inſinuat. Verùm complura etiam alia ſabbathi inſcripta lege commendati accurata conſideratio credentibus ad fidem commonſtrat: vt legis docendorum hominum cauſa latæ, & in Sina declaratæ, magnum & admirabile beneficium; quo & Deum eſſe non ex traditione tantùm, non ex naturæ contemplatione,

Deus vnus.

Spiritualis.

Aeternus.

tione, vt philoſophis; verùm ex certo ſenſu & allocutione auditioneq́; contigit. Præterea humanas à Deo res curari, vel ex eo notiſsimum, quòd legibus ornari & componi compertum. & illud etiam omni gratulatione excipiendum, vaticinij ſpiritum hominibus dari, vt Moſi Dei interpreti. Ad hæc legem ab æterno & immortali datam Deo, æternam etiam hominum generi eſſe. S.S.E. Donec tranſeat cælum & terra, iota vnũ, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant [in ſpiritu & veritate.] Denique Sabbathum nouum. *ſabbathi conſideratio promiſsi Chriſti, qui ſabbatho veteri finem, & nouo initium effecturus eſſet, arcanum tegit, & callentibus detegit; expectari videlicet perpetuum ſabbathiſmum Dei celebrandum, & ſanctificandum populo. Atque ita in vnica ſabbathi rectè ac diligenter expenſa ratione credendorum capita omnia tradita obſeruare eſt. Quod in hoc Vatis carmine ſignificatum interpretamur.* Cuſtodiens ſabbathum ne polluat illud. *ne profanet illud.* MEHHALELO, *vt non profano modo & ritu intelligat, vt vulgus hominum; quorum pars ieiuna & nuda tantùm ceremonia colendum ſuſcipit. contra quos dictum: Neomenias veſtras & ſabbatha* Sup. 1. *veſtra odiuit anima mea. Pars verò contemnendum prorſus ac irridendum tanquam vanum & ſuperſtitioſum ducit. vt ille:*

Horatius.

Hodie triceſima ſabbatha, vin tu
Curtis Iudæis oppedere? Aduerſus hos dictum, Cuſtodiens ſabbathum, ne polluat illud. *Supereſt verò altera eorum, quæ vitanda, quæq́; facienda ſunt homini, cura & pars, quam innocentia & beneficentia dicebamus præſtari. Hanc ita declarat Vates,* cuſtodiens manus ſuas, ne faciat omne malum. *idem valet,* ne faciat omne malum, *ex primææ linguæ vſu, atq; Latinis, Vt nullum faciat malum. Ex quo conſequitur, non maleficio tantùm abſtinendum, ſed beneficiis operam eſſe dandam. non enim dicitur,* continens manus ſuas ne faciat omne malum, *ſed,* cuſtodiens ne faciat malum. *vt exercitandas quidem ſignificet manus; verùm à malo faciendo exceptas & cuſtoditas. Fieri autem nequit vt viuens homo nihil omnino faciat: quoniam, vt ille ait, Ipſum viuere eſt quoddam operari. Quamobrem eum, qui nihil mali fecerit, benefacturum eſſe conſequitur. vt contrà monitor ille arguebat: Si non*

Beneficentia cum innocentia coniungenda ad ſalutem.

Horat. 1. Epiſt. 3.

Intendis animum curis & rebus honeſtis,
Inuidia vel amore vigil torquebere. Quo breui ſermone omne vitiorum & ſcelerum genus doctus hic auctor eſt complexus. Huius verò ſalutis & iuſtitiæ communicatione neminem excluſum iri mortaliũ, Deus ipſe declarat, nullum excipiendum caput, modò ſeruari cupidum, modò legibus & inſtitutis diuinis deditum. id quod extremis duobus ordinibus hominũ propoſitis, & à beneficio illo minimè excludendis oſtendit. quorum vtrumq; diſpari à ceteris Iſraelitis conditione quondam vſos accepimus.

Non dicat filius aduenæ qui adhæret Domino, dicens: Separatione ſeparauit me Dominus à populo ſuo. Et non dicat Eunuchus, Ecce ego lignum aridum.

Duos quondam aduenarum fuiſſe ordines, iam aliàs in his narrauimus

ac

ac diſtinximus commentariis; alterum eorum, qui GERTHOSAB, *id eſt, aduena incola; alterum verò eorum, qui* GERTSEDEK, *hoc eſt, aduena iuſtitiæ dictitabantur. quē omnibus in rebus Iſraeliticis legitimis part vſum ac frui ſolitum nomine ac iure, præterquam hæreditate cernenda in terra Chanaghan, quam vndecim tantùm tribubus conceſſam & aßignatam, legimus. Huiuſmodi aduena hoc loco illa adnotatione ſignificatur,* qui adhęret Domino, *id eſt, qui Domini fidem ac legem ſuſcepit. Atque hac vnica exceptione iſtorum poſteri notabantur, à ceteriſq; dignoſcebantur Iſraelitis; quòd nullum in terra fundum poßiderent. atque ita diſtinctionis conſeruabatur opprobrium. Cuiuſmodi anſas homines ad diſcordiam & contemptionem facilè arripiunt & vſurpant. Alter etiam exceptorum hominum, ſiue gradus, ſiue ordo dicendus, eunuchorum erat. De quorum diſtinctione & ratione ad Euangelij interpretationem oportunà plura aliàs, & exactiùs dicemus: nunc verò illud, quod clarißimum eſt, huic elucidando ſat fuerit loco; videlicet, nullum eunuchis in ſacerdotum miniſteriis permiſſum fuiſſe locum, nullum publicum demandatum munus, nullum etiam in familiari hæreditatis ordine & ſerie deſcriptum, aut recenſitum conſtitiſſe nomen: perinde habitis, ac ductis, ac ſi natis eſſe non contigiſſet, vtpote ſterilibus, & ad propagandum Iſraelis nomen & genus; minimè idoneis. At verò in noua hac, quam Deus inſtituturus parabat, ciuitatis reipub. neminem, quamuis remotißimis terrarum locis natum hominem, hæreditate cariturum confirmat; neminem nomine, iure, & miniſteriorum munere & honore, nec eunuchum etiam excludendum. quippe cùm reipublicæ huius leges & conditiones non ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex ratione eorum, qui ex Deo nati fuerint, conſtituendæ, ac ſeruandæ eſſent.*

Aduena incola. Aduena iuſtitiæ. Eunuchi.

Quia hæc dicit Dominus Eunuchis, Qui cuſtodierint ſabbatha mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo mea & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus: nomen ſempiternum dabo eis, quod nō peribit.

Eunuchorum prior ad reſpondendum, & ad promiſſum accipiendum appellatur pars ex rhetorico ſchemate, quo proximis perſonis, vt magis vrgentibus, recto ordine ſatisfieri ſolet; deinde iis qui & voce & loco reſponſuris remotiores fuerant. & quoniam Eunuchi etiam ex eadem gente orti, vti familiares magis reſponſi prærogatiuam vindicare videntur. Hi autem ſe ſe ipſos ritè ac legitimè ad beneficij diuini communionem comparantes, in Dei domo ac templo ad regale ſacerdotium ſeſe receptum iri, audiunt, Qui cuſtodierint ſabbatha mea, *non ſua, non priuato cōſilio & peruerſo more obſeruata, ſed qua ratione à me fuerint inſtituta.* & elegerint quæ volui. *Contra quam improbè homines agunt, ſuum ſibi fingentes Dei colendi ritum & modum, atq; legibus & viis inſiſtentes, quas ipſi prauas optarint.* & tenuerint fœdus meum, *fidei & pœnitentiæ pactum atq; præceptorum meorum obſeruantiam.* & nomen melius à filiis & filiabus. *Paterni nominis ius & monumentum tueri & propagare legitimū olim fuit: id quod*

per hæreditatis fiebat ſucceſsionem inter filios mares hercíſcũdæ, ſi illi contigiſſent; ſin minùs, inter feminas. qui mos ex diuino decreto in cauſa filiarum TSALPHAHHATH *facto & pronunciato obtinuit. Verùm enimuerò nomen à Deo Eunuchis donandum, filiorum, inquam, Dei nomen, tum appellatione ipſa illuſtriſsimum, tum etiam natura ac virtute durationeq; æternum; quod nemo ſcit, niſi qui accipit. At Eunuchorum quidem, qui lignum aridum ſibi eſſe videbantur, hæc ſors declarata & promiſſa, maximè verò præſtanda iis, qui ſeſe caſtrauerint propter regnum Dei. Aduenarum verò illa e veſtigio declaranda repetitur.*

Et filios aduenæ qui adhærent Domino, vt colant eum, & diligant nomen eius, vt ſint ei in ſeruos: omnem cuſtodientem ſabbathum, ne polluat illud, & tenentem fœdus meum.

Hæ leges conditionesq; aduenis iuſtitiæ indictæ, iam breuiter nobis declaratæ, latiùs aliquando explicandæ venient. Tantùm hoc obiter adnotaſſe retulerit, aduenam THOSAB *dictum ſabbathi cuſtodia & obſeruantia non teneri ſolitum: alterum verò aduenam vel maximè fuiſſe obligatum.* & vt ſint ei in ſeruos. *Ad Gabaonitas fit alluſio, qui, quamquam ſeſe in ſeruos Iſraelitis ad templi ſeruitutem deſtinatos dediderant; nunquam tamen in Iſraelitarum recepti fuere cenſum, ſed tantùm lignis & aquæ ad ſacra ſuppeditandis addicti. Eorum verò qui vndique confluentes, in Dei ſeruitutem nomen dederint, operámque præſtiterint, qualis nam futura ſors eſſet, apertè declaratur.*

Adducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ: holocauſta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi ſuper altari meo.

Antiqui templi aditum & frequentationem, non omnibus hominibus communem, & æquè permiſſam declarabant quatuor illa atria, vt locis & muris, ita cognominibus diſtincta. Primum & extimum omnium gẽtium atrium; ſecundum feminarum, Iſraelis tertiũ, quartum porrò ſacerdotum dictitatum. Nemini autem vltrà conditionis & cognominationis propriæ atrium penetrare fas fuerat. Ad illius verò quod à Deo inſtruendum fuit, templi frequentationem non modò maceries nulla intericienda erat, ſed etiam velum inter ſanctum & ſancta ſanctorum extenſum, ruptum demùm, diuina benignitas & gratia voluit. Atq; inde effectum eſt, vt non ſit
„ *Iudæus neque Græcus, non ſit ſeruus neque liber, non ſit maſculus neque*
„ *femina. Omnes enim vos vnum eſtis in Chriſto Ieſu, ait Apoſtolus, Si*
„ *autem vos Chriſti, ergo ſemen Abrahæ eſtis ſecundùm promiſsionem heredes. Quod verò ad arcanum illud ſpiritus attinet: ita Apoſtolus à Spiritu pronunciauit ſancto. Vos genus electum, regale ſacerdotium, gens ſan-*
„ *cta, populus acquiſitionis, offerẽtes ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per*
„ *Ieſum Chriſtum. Hoc eſt quod legimus:* holocauſta eorum & victimæ eorum [*ſpiritales*] placebunt mihi ſuper altari meo [*humano corde.*] *Adnotatione autem dignum quod in aduenarum examen indicatur.* vt colant eum, & diligant nomen eius. *Nam qui gloriæ humanæ vel vtilitatis*

Tẽpli atria.

Templi noui aditu & adito nemo prohibitus.

Gal. 3.

1 Pet.

tis terrenæ ſpe, opinione, & voto, aut alias ob cauſas Deum quærunt, niſi tantùm vt colant eum, & diligant nomen eius, *promiſſi huius vt conditionem violant; ita fidem auertunt, & ſacerdotij promiſſi ſeſe indignos reddunt. Itaque gentes etiam ad populi Dei, ad hæreditatis, ad templi, ad ſanctorum quoque communionem admittendas, diuina recipit benignitas. quod & aliàs apud hunc eundem Vatem confirmat: Veniet omnis caro vt adoret coram facie mea, dicit Dominus.* Iſa.66. *Nec myſterio carere ducimus nouam illam ſermonis formulam,* Lætificabo eos in domo orationis meę. *Orationem ſuam vocare videtur, quam ipſe exauditurus, excepturus, probaturusq́; ſit.* Oratio Dei. *Sed vlteriùs etiam interpretamur eam, quam ipſemet Deus per Spiritum ſanctum in ſanctorum dictaturus animis fuerit gemitibus inenarrabilibus inſtructam, & offerendam, quamq́; Dei Filius aliquando diſcipulis indicabat: In illo die me non rogabitis quicquam: Amen, amen* Ioan. 16. *dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Vſque modò non petiſtis quicquam in nomine meo. Petite, & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum. Gaudium plenum pollicetur iis qui in ſuo petituri erãt nomine. id quod iiſdem ferè verbis hîc promiſſum legimus.* Lætificabo eos in domo orationis meæ. *& quidem antiquum illud templum orationis domum dictum accepimus; veruntamen* orationis meæ domus *ea à* Orationis domus. *Patre Deo dicta eſt, quam Filius aliquando indicauit: Mulier crede mihi,* Orationis Dei domus. *quia veniet hora, quando neque in mõte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis Patrem.* Ioan. 4. *Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus; quia ſalus ex Iudæis eſt. Sed venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. nam Pater tales quærit qui adorãt eum. Spiritus eſt Deus, & ij qui adorant, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Hunc autem ſpiritalem & arcanum orationis adorationisq́; locum ſibi Deus vendicat, & communem gentibus omnibus proponit, ſibiq́; proprium in ſedem dedicat futurum.*

Quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.

Non ait ſingulis hominibus vndiquaque Ieroſolymam confluentibus: qui Gentes omnes ad domũ orationis Dei admiſſæ. *tamen hoc pacto nec plurimi, nec frequentes vnquã concurrerint; ſed* cunctis populis. LECHOL HAGHAMIM, in omnes ipſos populos. *Populos plenos & integros duæ indicant voces* LE *&* HA, *quos, volentes modò, quamquam in propriis manentes locis (quod etiam vox* H A *adnotat) nihilominus ad domum orationis Dei admitti nihil obſtabit. quandoquidem domus ipſa in populos vocanda eſſe dicitur. atq; ad omnes perferenda ſignificatur. Nam* vocare *verbum nomen dicere & aſciſcere, atq; adducere ſignificat.* Vocare. *Quod ſi regnum Dei intra homines eſſe affirmat Filius, Deus autem vniuerſa tenet & complet; conſequens eſt, ipſum domum ſuam apud omnes populos, ingredi tamen ſtudentes, poſiturum & vocaturum, adoratoribus veris admiſſis, & confertim pariter orantibus cunctis. quæ etiam ſanctorum appellatur cõmunio, atque ita celebratur à Pſalte: Particeps ego* Communio Sanctorum. *ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua. &, Miſericordia tua plena eſt terra.* Pſal. 118. *Hanc verò communicationis gratiam & beni-*

gni-

gnitatem vt ſibi decretam & certam, certo & firmo dicti auctoramẽto pronunciandam Vati ſuo Deus auctor dictauit, & conſilij ſui rationem, atque præſtandi modum ſimul declarauit.

Ait Dominus Deus, qui congregat diſperſos Iſrael, & adhuc congregabo ad eum congregatos eius.

Nevm. *Vocabulum* NEVM, *pro quo Latinus interpres plerumque reddit* dicit, *decretum, certum, atq; irreuocabile Dei pronunciatum ſignificat: atque in promiſſorum præcipuè argumentis vſurpatur, maximè cum nomine illo arcano* IEHVEH *coniunctum. Ait igitur Deus, id quod ſibi certum eſt, pronunciandum dictaſſe: nempe non modò Iſraelis diſperſiones collecturum, & in ſuam recepturum gratiam, tutelam, & gubernationẽ; verùm etiam vnà pariter admiſſurum gentium omnium populos & nationes, quotquot in eandem Eccleſiam vocati, conuenire voluerint; iiſdemq; ac paribus affecturum commodis ac beneficiis. Alludit autem promiſſum hoc ad antiquam illam Iſraeliticæ ex Ægypto liberationis figuram. de qua ſcriptum legimus:* Exodi 12. *Sed & vulgus promiſcuũ innumerabile aſcendit cum eis. Tamen hoc præſtituram hanc declarauit communicationem, quod non ſolùm gentes in populi cenſu, imò & ad ſacrorum conſortium conſcriptum iri prædixerit, ſed etiam victorum & occiſorum hoſtium ſpoliis locupletatas, & prædiis abundè expletas velit. id quod multitudini illi ex Ægypto cum Iſraelitis migranti non contigerat.* Adhuc congregabo ad eum congregatos eius.

Act. 10. *Vos ſcitis (Petrus aiebat) quomodo abominatum ſit viro Iudæo coniungi,* ,, *aut accedere ad alienigenam: Sed mihi oſtendit Deus, neminem commu-* ,, *nem aut immundum dicere hominem. Idemq; aperiens os ſuum, dixit: In* ,, *veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ſed in omni gen-* ,, *te qui timet eum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. Atqui gentes olim* Gentes feræ dictæ. Pſal. *ferarum & immanium brutorum inſtar ducebantur, atque huiuſcemodi nuncupabantur nominibus. vt, Deſtruxerunt eam omnes beſtiæ ſyluæ; & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. & eidem, quẽ citauimus, Petro oſtenſum* Act. 10. *eſt vas quoddam velut linteum magnum quatuor initiis ſumitti de cælo in* ,, *terram: in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia* ,, *cæli. & facta eſt vox ad eum, Surge Petre, occide, & manduca. Ait autem* ,, *Petrus, Abſit Domine, quia nunquam manducaui omne commune &* ,, *immundum. Et vox iterum ſecundò ad eum, Quod Deus mundauit, tu* ,, *commune ne dixeris. Hoc autem factum eſt per ter.*

Omnes beſtiæ agri venite ad deuorandum, vniuerſæ beſtiæ ſaltus.

Poſtrema huius verſus pars ita in exemplari legitur, CHOL HHAIETHO BAIAGHAR. Omnem feram in ſylua. *Namque accuſandi caſum* Terreſtrium animantum genera. BEHEMAH HHAIATHHASADEH. HHAIATHIAGHAR. SERETS. Bellua. *verbum* LEECHOL, ad comedendum, *ſiue* ad deuorandum, *aſciſcit. Tota autem oratio ex tranſlationis perpetuæ, ſiue allegoriæ ratione pronunciata conſtat. Rei autem natura ſic habet. Terreſtrium animantum natura omnis, vt in Magno opere diſſerimus, in quatuor ſumma diducitur genera,* BEHEMAH, HHAIATHHASADEH, HHAIATHIAGHAR, SERETS, *hoc eſt, belluam, beſtiam agri, feram ſyluæ, & reptile. Bellua dicitur, quæ huma-*

humanis vſibus in eſcam, vel in ſeruitutem facilè cedit. vt bos, ouis, capra, & iumentum. Beſtia agri, quæ libertate quidem gaudet, nec humana ope indiget; tamen capi ac domari poteſt, & in ciborum etiam vſum hominibus venire. quales cerui, damæ, capreæ, & quæ his congenera ſunt. Syluæ feræ dicuntur, quæcunque ex raptu & præda viuunt, indomitoq́; ac feroci ſunt ingenio, vt lupi, leones, ac tigrides. Quidquid prætereà animalium eſt, ſiue repat id, ſiue ſerpat, SERETS nomen complectitur. Ad allegoriam verò traducto ſermone, Iſraelitas olim populum à Deo familiariter delectum ac deductum, ouium & boum, atq; huiuſmodi nominibus ad BEHEMAH referendis vocatos, ac ſignificatos accepimus. vt, Quoniam ipſe eſt Dominus Deus noſter, nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius. Ceteros autem homines, quatenus hominis nomen ingeniumq; tuetur humanum HHAIATHHASADEH, id eſt, beſtiarum agri vocabulo ſignificatos: illos verò, qui humanitate exuta, feritatem & barbariem, crudelitatemq́; moribus retuliſſent (quo animali nullum ceteris animantibus, nullum homini nocentius & importunius reperitur aut malignius) omnes HHAIAHIAGHAR dictos. ad quam rationem illud facit: Exterminauit eam aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. & illud: Libera me de ore leonis, & à cornibus vnicornium vnicam meam. De SERETS autem nunc quia nulla fit mentio, dicere nihil attinet. Significat autem hoc loco Vates, omnium gentium homines, qui modò humanitatis habeant ſenſum, ſeſe in domeſticam Dei conſuetudinem dedituros, atq; ab his ceteros, qui feritate horribiles & immanes nocentiſſimosq́; ſuo ſe præbere ſolent generi vincendos, & conſumendos, diuinæ virtutis atque Euangelicæ facultatis efficientia traditos. id quod non per Apoſtolos modò ex Iudæis delectos, verùm etiam per alios Euangelij miniſtros & operarios actum, exactum, & confectum eſt: Vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati; ſed conſenſerunt iniquitati. qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius. cùm venerit glorificari in ſanctis ſuis, & admirabilis fieri in iis qui crediderunt. &, Chriſti bonus odor ſumus in iis qui ſalui fiunt, & iis qui pereunt; aliis quidem odor vitæ in vitam: aliis odor mortis in mortem. Igitur beſtiæ agri, hoc eſt, humaniores, atq; modeſtiore ingenio ex gentibus ad familiaritatis Dei, & ad Eccleſiæ communionem adducti, alios peruerſorum atq; efferatorum in nationibus morum Euangelij virtute ſuperaturi & conſumpturi ad partes vocantur. Sed & in eadem quoque vocatione myſterium latet victoriæ internæ, ab humanitatis compotibus ſpiritibus & viribus intra hominis animum agentibus, de potentiſſimis nequitiæ ſpiritibus reportandæ. quæ prima in humanæ beatitudinis rationibus pars eſt. Qui legit intelligat. Atque hactenus Iſaias doctrinam de diuino publicæ ſalutis promiſſo, de communicatione eiuſdem ſalutis, cum totius orbis nationibus, atq; etiam de humanorum animorum ad illius opportunitatem beneficij tum bonis cogitationibus, tum honeſtis & legitimis officiis diligente & neceſſaria præparatione plenè & luculenter perſecutus, peruerſorum doctorum & ſcribarum, atq; etiam publicorũ magiſtratuum

Beſtia agri.
Feræ ſyluæ.
Reptile.
Animantum per allegoriã ſignificatio.
Pſal.
Pſal.
Euangelij victoria.
2. Cor.

ſocordiam, negligentiam, & ignauiam, temeritatem & inſcitiam, denique culpam omnem redarguens, deinceps reprehendit. vtpote quos nihil minùs egiſſe arguat, quàm vt hanc ad homines erudiendos, atq; ſalutis ergo inſtituendos, inſiſterent via. Ideoq́; in cauſa fuerint calamitatum & miſeriarum, atq; caſtigationum plurimarum: quibus ceteri homines affecti fuerint propter veræ diſciplinæ vel contemptum, vel neglectum, vel etiam ignorationem. Cuius, qui vindices eſſe debuiſſent, auctores potiùs, atq; cæcorũ ſeſe cæcos præbuere duces. Iſtos autem quibus notet, non ſolùm audire expediet, verùm & horrere, animaduertere, & cauere maximè retulerit.

Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi: canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia.

NEC vlla in ſacris Vatum oraculis vel minutiſſima verba nobis non certam & ſingularem, atq; adeò magnam tractationem poſtulare, ac vendicare exiſtimantur: nec ſingula indicare, nedum euoluere & explicare vacat aut liquet. Licebit enim attento & benè animato, diuinæq́; veritatis cupido lectori ex iis quæ explicata fuerint, alia æſtimare, & vt cognoſcere contingat, ex Deo petere; atq; diligentia, vti aportet adhibita, magno cum vſufructu capere. Nos vero, quoniam huius, iam pridem cœpti operis, optatum ſpectamus finem, complura, quæ moram poſtulabant, conſultò prætermittimus, ætatis iam progreſſæ, & alienorum negotiorũ impedimentis detenti, ac præcipuè ad alia, quæ orditi ſumus, cõtexenda & abſoluenda, Deo nobis propitio, intenti. Appoſitiſſimis verborum ac nominum antithetis magiſtratuum atq; doctorum populi prauitatem & peruerſitatem notat, & arguit Vates: quorum ſingula quæ cognoſcuntur, oppoſiti ſui ſignificationem ex

Speculatorũ munus, eorumque.i. magiſtrorũ & cõſiliariorum accuſatio.

aduerſo indicant. Primi autem omnium ſpeculatores ad partes vocãtur, quorum munus & officium eſt, certo ex loco attentè & vigilanter intueri, ac proſpicere ne quid imprudenti, & incauto populo mali vel incommodi ab hoſtibus & inimicis afferatur: idq́; procul etiam, ſi aduentare intelligatur, propulſandum, clamare, & monere. Horum autem primam virtutem proſpicientiam & prænotionem, atque damni aut incommodi iudicationem eſſe oportuerit. Cuius virtutis oppoſitum vitium, populi cuſtodibus exprobrat Vates. Atqui huiuſmodi partes boni ſpeculatoris eſſe, nempe attentionem, cognitionem, vigilantiam, & perpetuam proſpicientiam ex hoc eodem

Sup.21.

Vate, & Ezechiele habemus: Hæc enim dixit Dominus mihi, Vade, & po-
» ne ſpeculatorem; & quodcunque viderit, annunciet. Et vidit currum duo-
» rum equitum aſcenſorem aſini, & aſcenſorem cameli, & contemplatus eſt
» diligenter multo intuitu. Et clamauit Leo, Super ſpeculam Domini ego ſum
» ſtans iugiter per diem: & ſuper cuſtodiam meam ego ſum ſtans totis nocti-
» bus. Ecce iſte venit aſcenſor equitum. Quo ex loco fidem, vigilantiam, attentionem, & prudentiam boni exploratoris intelligere eſt. qui procul venientis periculi magnitudinem, ſigna, modos, & argumenta omnia diſtinctè videt, & nunciat. Currum duorum equitum, aſcenſorem cameli, & aſcenſorem aſini: idq́; diligenter multo intuitu, & nulla officij ceſſatione, aut diuerſione, ſtans iugiter per diem, & ſuper cuſtodiam ſuam ſtans totis noctibus.

noctibus. Talem quoque miniſtrum ſeſe erga Iſraelem præbere Ezechielem imperator Deus iubebat: Factum eſt verbum Domini ad me, dicens: Fili Ezech. 3.
hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael; & audies de ore meo verbum, "
& annunciabis eis ex me. Si dicente me ad impium, Morte morieris; non "
annunciaueris ei, neque locutus fueris ei, vt conuertatur à via ſua impia, "
& viuat: ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de "
manu tua requiram. Rurſus etiam: Et tu fili hominis ſpeculatorem dedi te Idem 33.
domui Iſrael, audiens ergo ex ore meo ſermonem, annunciabis eis ex me. "
Probandi itaque ſpeculatoris quæ partes, quod ſit officium, ex his præceptis intelliguntur; nempe attentio, prudentia, & rerum cognitio, ac diſtinctio, mandatorum fidelis ac libera denunciatio. quibus partibus omnibus populi ſpeculatores, quos hîc reprehendit Vates, deſtitutos arguit. Nam quæ prima in illis exigebatur ad videndum, prouidendum, ac dignoſcendum perſpicacitas, ea primùm requiſita notatur. Cæci omnes. *vt qui qua parte malum populo inferretur, vnde morum inuaderet corruptela (quæ malorũ omnium origo eſt) quid publicè, quid priuatè ageretur, nec attenderent, nec etiam cernerent. Id verò vitium non vni vel alteri imputari, ſed cunctis prorſus commune eſſe.* Cæci omnes. *ſiue ea cæcitas ex ſingulorum laborante ſenſu, ſiue ex imitationis aut æmulationis contage, & populari graſſatione allata fuerit, nihil differt. quippe quod ad officium facit, æquè in cunctis requireretur illa pars. Cæcitatem autem cùm viſus defectum definiamus, æqualem omnibus ineſſe conſentaneum fuerit. Quippe hæc huiuſmodi priuationum ratio & natura eſt. ſed & in nonnullis cæcis & oculorum ſenſu orbatis; tamen rerum cognitio, & prudentiæ pars aliqua reperitur, hoc eſt, in iis qui ad artium & ſcientiæ diſciplinas mentem animumq́ue appulerunt. namque hos & iudicio æſtimationeq́ue valere, & conſilio prodeſſe compertũ eſt, atq́ue legum & morum magiſtros nonnullos fuiſſe accepimus. Nihil verò in iſtis ſpeculatoribus ſpectari, ſaltem vt ex iis, quæ alij aſpexerint, ipſi, quid euenturum fuerit, prænoſcant, & moneant: quippe qui* neſcierunt vniuerſi. *& tamen tanta cæcitate, tanta veri ignoratione & imperitia ſtupidi ſpeculatorum titulis & honoribus aucti, & præmiis commodisq́ue ornati & amplificati magiſtratuum publicorum ordines, cathedras, & gradus, ac ſubſellia occupant. Quod autem iſtos ſcire oportuit, hoc eſt, diuinæ legis doctrinam, rationes, & explicationes promiſſorum, & comminationum, prædictionum, id eſt, expectandorum Dei beneficiorum, vel horrendarum animaduerſionum, antecedentia & conſequentia initia, cauſas, modóſque omnes. cuncta hæc* neſcierunt vniuerſi. *Huiuſmodi virtutibus carentes non paucos inueniri, qui tamen ceterorum hominum vitia corrigendi munus & officia vſurparent, & alij etiam ſcriptores notauere.*

Indocti primùm, quanquam plena omnia gypſo Iuuenal. Sat. 2.
Chryſippi inuenias: Nam perfectiſsimus horum
Si quis Ariſtotelem ſimilem vel Pythacum emit,
Et iubet archetypos pluteum ſeruare Cleanthas.

Iſtos verò primùm cæcos omnes, qui nihil, quod præmonere & indicare

 poſſint,

poſſint, vident: deinde etiam & rerum imperitos, & veræ atque ſolidæ doctrinæ expertes, vnà omnes Iſaias notat. Primam autem illis oportuit conſtare videndi ac cernendi perſpicacitatem, & dignoſcendarum rerum diſcretionem, cui etiam legum, iuris, atq; diuinæ doctrinæ ad iudicandum, conſulendum, & prouidendum peritia, lumen, & argumenta, æſtimationem, atq; cenſuram ſuggereret. Deinde verò dicendi, monendi, ſuadendi, ac diſſuadendi, laudandi, ac improbandi, damnandi, & vindicandi facultatem & copiam, dicendæq; ſententiæ expeditam & liberam, promptamq; auctoritatem. Quæ tamen omnia nihilo minùs, quàm quæ notata iam ſunt, in iſtorum perſonis requiſita, Vates arguit. Canes muti non valentes latrare. *Quo defectu nullus in cane ad ouiũ, vel domus, vel fundi cuſtodiam, nutrito peior eſſe poteſt. Atqui canum officium latratus eſt. Iſq; cùm ad multa vtilis habetur, tum his præcipuè cauſis, quòd latrante cane, & admonentur domini, & qui dominis damnum vel malum allaturi veniunt, vel deterriti, reuertuntur; vel ſibi paratam dimicationem verentur. Miſerrimam verò conditionem eſſe neceſſe eſt reipublicæ eius, cui qui præſunt, imperant, & anteeunt: nec curâ præditi ſunt, nec rerum notitia valent: nec legis diuinæ ac veræ ſapientiæ præceptis & inſtitutis abundant: demum nec verbo ac ſermone conſulunt & præcipiunt, aut aliàs incommodis, turpibus ac pernitioſis obſtant moribus. maximè verò in iſtis perditi, qui propter malefactorum ac ſcelerum conſcientiam nec mutire quidem vel poſſunt, vel audent. Atque huiuſmodi in canibus vitium, ex ſaturitate plerumque creatur: Saturitas namque deſidiam; deſidia, ignauiam; ignauia, quietem & ſecuritatem; ſecuritas porrò, ſomni conciliat appetentiam. Sic enim natura comparatum eſt. Cùm verò huiuſmodi vitiis affecti ſunt canes, cubandi opportunitatem omni in tempore, quocunque in loco paſſim captant & vſurpant. dormientes autem, propter cerebri & cordis à vaporibus varia tentamenta ſomniis frequentibus, iiſdemq; vanis, infeſtati, ac deluſi, ex eo arguuntur, quòd ſuſpiria, gemitus, & voces edunt exiles; ac tremoribus aguntur: interdum iſtis motibus excitati, rurſus oſcitantes decumbũt, quoad concocto & conſumto cibo, fame coacti ſurgunt; & vrbem, loca, domos ambientes, atq; iis, à quibus quicquam ſperant, adulati, ſeſe rurſus auidè explent. denique iſtis moribus totum peragunt atq; otiantur tẽpus. quibus iſtos præpoſitos, cuſtodes, & ſpeculatores, conſiliarioſq; perſimiles eſſe Vates ait.* Videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia. HHOZIM SOCHBIM OHABE LANVM. Videntes, cubantes, amãtes ad dormitandum. *Nam verbum* NVM *in dormitare vertere aliàs Latinus obſeruatur interpres. vt, Ecce non dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſrael. &, Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem. Nec verò paſtores ipſos canibus meliores moribus, aut diſciplina inſtructiores, conſilio vel iudicio præſtantiores ſeſe præbere. Sed omnium vnum votum, ſimileſq; viuendi & agendi cauſas eſſe narrat, hoc eſt, ſibi indulgere, cuticulamq; curare, ait. atq; in ipſo accuſationis contextu à tranſlatione ad rerum & perſonarum indicationem redit.*

[Margin: Canis latratus. — Canum deſidum & inutilium mores. — NVM. — Paſtorum .i. principum & magiſtratuũ accuſatio.]

Et

Et canes impudentiſſimi neſcierunt ſaturitatem.

Exemplar habet, VEHACHELABIM GHAZEI NEPHES. *&* iſti canes fortes anima. *quo tropo perpetua illa & infeſtiſſima, quæ canina appellatur, fames deſcribitur. Namq́ NEPHES ea animæ portio dicitur, quæ brutis omnibus communis eſt, appetitionemq́ vendicat. Hoc ſignificare voluit interpres noſter pro* fortes anima, impudentiſſimi vertendo. *Nam propter famis vehementiam importuni, impudentesq́ nimium atque quærendo cibo intenti ſemper ſunt. nec tamen vnquam ſe ſaturos norunt. quamobrem, tametſi quid ex præſenti paſtu ſupereſt, aliis etiam congeneribus & ſecum verſatis relinquere inuident, ideoq́ & abſcondere, humiq́ defodere conſueuere. Huiuſmodi itaque mores iſtamq́ auiditatem & inexplebilem auaritiam conſiliariis, doctoribus, & concionatoribus populi ſui Deus per Vatem exprobrat. vbi verò talis animus, talis mens, & ſimilis cupido, nec minor ambitio viget, quæ ſapientiæ, quis diſciplinæ, quis veræ pietatis amori, ſtudio & curæ, quis dicendæ ſententiæ conſiliiq́ petendi ac dandi libertati locus erit? Atq́ de cenſoribus, de iis qui moribus præfecti diſciplinæ veteris, & ſeueritatis magiſtros agunt, ita Deus pronunciat. Nec tamen meliora in ipſis principibus ſummisq́ magiſtratibus officia reperiri declarat. quorum partes in ſumma fuerant, populi commoda, & ſalutem, ac rectum ſtatum propriis rebus poſthabitis, communi conſilio, & mutua ope curare, curandiq́ rationem ex diuinis inſtitutis in promptu habere; tamen*

Doctorum & conſiliariorum auaritia. NEPHES.

Principum & magiſtratuum accuſatio.

Ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam: omnes in viam ſuam declinauerunt, vnuſquiſque ad auaritiam ſuam à ſummo vſque ad nouiſſimum.

Quamquam, vt aliàs indicauimus, diuinæ legis & præceptorum notitia regibus, principibus, & ſummis magiſtratibus imperata, perpetuumq́ commendatum fuerit ſtudium; non tamen illis tantùm proprium hoc, quando & etiam ad ſummos ſacerdotes præcipuè, & ad populi doctores pertinet. Propria autem & peculiaris principum virtus prudentia habetur: cui in ſacra lingua nomen BINAH *eſt: eaq́ agendarum ac gerendarum ratio rerum eſt; quæ in propriis rebus domeſtica, in publicis verò ciuilis appellatur; præcipueq́ erga futura verſatur: nec tam memoria & comprehenſione plurium legum, inſtitutorum, & præceptorum, quàm diligẽti animaduerſione temporum, locorum, & perſonarum, & cautione eorum quæ cuique parti opportuna & vtilia fuerint ſpectatur. atque vt ſummatim omnia complectamur, ſcientia mens ad cognitionem ac diſtinctionem, prudentia cor animusq́ ad conſilium capiendum, & gerendas res informatur. S.S.E.* LEHHACHAM LEB IIKARE NABON. *Sapiens corde vocabitur* NABON, *prudens. Eſt enim nomen ex eodem verbo cum* BINAH *deductum, eiq́ conuenire dicitur, qui ad coniecturam rerum futurarum ſapiens, & ad propulſandum metũ diligens habetur. Hanc virtutem non modò requiri, ſed omnino deeſſe, in paſtoribus Deus ait.* Ignorauerunt intelligentiam. LO IADGHV HABIN, non nouerunt prudentari (*vt ita fingere verbum liceat.*) *Quo tropo atq́ dicto, illos ad ea, quorum maximè compotes eſſe oportebat, prorſus*

Diuinæ legis notitia principibus imperata.

Principũ propria virtus. Prudentia. BINAH.

NABON.

ineptos & ſtupidos notat, nihilq́ minus agere gnaros, quàm vt vtilia & commoda atque oportuna populo conſulant & proſpiciant; imò totis mente, animo, conatibus, ſtudiis & actionibus iſtorum ſingulos ad priuatum ſui ipſorum commodum eſſe intentos; atque adeo omnes munerum, honorum & potentiæ cauſas in ambitione & magnifica luxuria conſtituiſſe ac definiſſe. Denique vnam eſſe omnium communem ſententiam, ſibi ſoli vnumquemque quærere & prodeſſe oportere; dumq́ id fieri per fraudem, per vim & calliditatem liqueat, an etiam deceat, an liceat, nihil eſſe curandum: ita fit vt nihil in commune conſulatur: ſed conſiliorum omnis ratio, ac mentis intentio à publico bono ad priuatam augendam rem, & ad ſua ſuorumq́ commoda, quocumque modo paranda, declinarit. Ex quo fieri nequit, vt magnæ inter ipſos diſcordiæ, cõtentiones maximæ, cum ſumma populi pernicie non exiſtant. &, Quidquid delirant reges, plectuntur Achiui. Omnes in viam ſuam declinauerunt. *Viam ſuam appellat, quam vnuſquiſque ſibi muniuit, non quidem ad reipub. ſalutem & commoditatem. quod etſi ita eſſet; tamen propter diſcordias & contentiones perniciem non exiguam populo afferret, etiamſi de gloria, de populari arctaretur gratia; nedum ſi ad priuatam augendam amplificandamq́ rem conſilia omnia actionesq́ intendantur.* vnuſquiſque ad auaritiam ſuam. *Superiori parte dixerat, vnam omnium eſſe mentem, conſilia, conatus, inſtitutaq́ omnia ſua à populi bono ad priuatum conuertendi inſtitutum: id quod certis & excogitatis ab initio conſiliis iniri ſignificat verbũ* declinauerunt. PANV, diuerterunt. *quod, quàm damnoſum, quamq́ ſumptuoſum, atq́ ideo etiam grauiſſimum populo euadat, quis non animaduertit? Si principes & iudices, quamquam pauci ſint, de re ſua familiari tantùm augenda agant, deq́ hoc vno certẽt? Quippe cùm cupiditas malorum omnium verè habeatur dicaturq́ radix: Quid verò ſi plures fuerint, ſinguliq́ nullo admiſſo conſorte, ſibi nummos, diuitias, & opes cumulare ſtudeant.* à ſummo, *inquit*, vſque ad nouiſſimum. *Primæuum vocabulum* MIKATSEHV, *id quod Latinè legimus, ſignificat, ſimul etiam & priuatam ſingulorum vtilitatem tantùm ſpectari indicat. Gallicè, de ſa part, ex parte ſua, vt apud Satyricum.* (Horat. 2. Serm. 4.) *Verùm enimuerò in hac tam exquiſita & pertinaci ſingulorum auaritia, qua nemo alij cedere velit, illud omnium votum commune, vt ſibi ventriq́ indulgeant ſuo, etſi in aliis agendis rebus maximè diſsimiles, in hoc ſimillimi, & velut conſpirantes, vt æmulatione luxuriæ nomen famamq́ captent; atq́ ideo ſeſe mutuis commeſſationibus prouocent, & guloſis fictilibus conduiis, atq́ indies auctis, nomini ac famæ, & ſermonũ confabulationumq́ materiæ dandæ conſulant. Quamobrem illa communis omnibus & frequens in ore vox & adhortatio, ac tanquam ad victoriæ palmam animatio eſt.* (Principum luxus.)

Venite, ſumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit ſicut hodie, ſic & cras, & multo amplius.

Hæc opera ſcilicet, hæc boni & generoſi principis & conſtituti in populo Dei paſtoris ac iudicis artes, inter duo peſſima, atque adeo turpiſsima vitia auaritiam & luxum, per omnem verſari vitam; atq́ de conuiuiis, de vini gene-

generibus, de poculorum numero, apparatu, & instructione epularum, demum de his nugis magnificè ſemper loqui & diſputare, quo longiùs ac nitidiùs quiſque conuiuas acceperit, quo magis exhilarauerit, eò magnificentiorem, & celebratione ac fama digniorem, vereq́ generoſum haberi & ſalutari, diebus & temporibus epulorum adnotatis, tanquam magnæ geſtæ rei teſtibus ac ſignis certis, & in acta referendis. Hoc ſignificat illa exhortatio. & erit ſicut hodie, ſic & cras, & multo amplius. *Noſtra memoria hoſpes quidam Antuerpiæ, non quidem princeps vir, Principi conuiuæ ſemel futuro toto ante conſtitutam diem anno epulum inſtruxiſſe, atque conquiſitos vndique, & ab vſque India, & nouo etiam orbe comportatas dapes appoſuiſſe memoratur. Titulo res digna ſepulchri.* & multo amplius. *Conuiuiorum contentioſa certamina colloquiis & ſermonibus vulgò etiam celebrata verborum, nominum, ac dictionum exaggeratio κατὰ μίμωσιν inducta indicat: quæ Latinè vehemens, in exemplari verò lingua longè vehementior auditur.* VEHAIAH CHAZEHIOM MAHHAR GADOL IETHER MEOD. Erit autem ſicut hoc dies cras magnus amplius multo. *Non enim apparatu & magnificentia tantummodo, ſed etiam prolixitate cœnæ hodiernum à craſtino conuiuio ſuperatum iri dicitur. Atque ita contentionem indies fouendam, vnoquoque antecedente epulo à ſubſequente poculis, dapibus, & horis à lucifero ad ſeras vſque lucernas vincendo.*

CAPVT LVII.

IVSTVS perit, & non eſt qui recogitet in corde ſuo: & viri miſericordiæ colliguntur, quia non eſt qui intelligat: à facie enim malitiæ collectus eſt iuſtus.

HVIVS *capitis partitio nihil obſtare ſermonis perpetuitati poteſt, quo minùs rerum continuata defluat, decurratq́ ſeries: quippe quod Latinis in codicibus ad lectionum commoditatem diuiſum eſt, ſuis exemplaribus perpetuò contexitur filo, ad ſermonis vſque ſiue vaticinij finem deducto. Igitur in hoc ſermone Vates doctorum, principum, ac magiſtratuum ingenia, mores & conſilia, acta quoque & facta peruerſa omnia arguebat & notabat: quibusq́ nugis, imò quibus in vitiis iſtorum conſummaretur æuum, referebat; pergit autem in oſtendendis euentibus atq́ periculis: quæ interim in hoc genere morum creantur, atq́ opinionibus falſis, & corruptis conſuetudinibus: quæ, dum ſic viuitur, enaſcuntur, pullulant, repunt, & ſerpunt, demumq́ adoleſcunt & crebreſcunt; ac tandem ita humanæ vitæ ac pietatis turbant, confundunt, & obruunt culturam, humanasq́ corrumpunt mentes, vt diuinam irritent iram, & iuſtitiam ad vlciſcendum prouocet. Cùm primis autem hominum omnium in reipub ſtatu conditiones in tres centuriarum à Vate noſtro diſtribuuntur claſſes, potentiorum videlicet, & modeſtorum ac bonorum ſimplicitumq́ ciuium, & plebis, infimaq́ multitudinis. Primæ quidem claſſis quales viri, quantique cenſeantur, & quàm vtiles & proſpicientes reipub. ſeſe præbeant, ad viuum deſcripti depictiq́ ſuis colori-*

Tres in reipub hominum claſſes.

Virorum bonorum vtilitas & æſtimatio apud Deū.

coloribus iam ſpectati ſunt. Secundæ autem claſsis centurias pauciſsimas
eſſe ſubindicat Vates: quas eiuſmodi tamen eſſe pretij, ac tanti à Deo fieri
notum eſt, vt horum exempla non parum ad iniiciendum aliis pudorem va-
leant, vel illud boni & commodi afferant, vt ſuperſtitibus illis ex diuino iu-
dicio conſtituta & parata publicorum ſcelerum differatur vltio: iiſdem ve-
rò de medio ſublatis, quàm celerrimè maturetur: maximè quod horum ex
moribus iam abolita imagine, & interceſsione etiam deſiderata, cùm prin-
cipum & magnatum corruptela, tum etiam infimorum, & vulgarium te-
meraria & inſolens petulantia, & inſaniæ peſtis vſque adeò augeantur &
graſſentur, vt ſine vllo periculi auertendi indice, vel deprecatore, vel ſalutis
patrono id efficiatur, vt repentina imparatos, & ſecuros opprimat ruina.
Nouimus Deum cum Abrahamo de venia quatuor frequentibus & opu-
lentis ciuitatibus danda decidiſſe, ſi modò decem pij ac boni adeſſent viri,
quorum cauſa vaſtando ac perdendo parceretur loco: quibus non repertis,
vnico viro bono, eidemq́ hoſpiti, cum duabus tantùm filiabus fuiſſe conſul-
tum. Tanti eſt vel bonis ciuibus non omnino deſtitutam, vel prorſus caren-
tem offendi rempub. Et tamen in peruerſis moribus & vitioſis reipub. tem-
poribus illud maximè peruerſum horrendumq́ eſt bonorum ciuium, quam-
quam exiguam, copiam nec vllo in pretio haberi: nec defectum, inopiam, &
abductionem publicè ſentiri aut curari. Hoc eſt quod hoc loco ab Iſaia, ſuæ,
imò communis ciuitatis tum principibus & magnatibus, tum verò ceteris
exprobrat omnibus: quòd ſubductorum ac ſublatorum iuſtorum non ſolùm
deſiderium ſuperſit nullum; ſed neque de tanta iactura vlla cuiquam cogi-
tatio aut cura in mentem veniat: nec ſi omnes quidem pariter, atq; vna die
ſubducantur, quotquot inter ipſos rectè, piè, & innocenter viuunt; tamen
quantum detrimenti publicæ rei afferatur; quantum periculi certè immi-
neat, quiſquam inter curas & ſeria ducat ponendum, quid mirum? quando
ex duabus aliis, quæ reſtant claſsibus altera illis, quæ iam notata ſunt, vacet
omnino ſtudiis; altera verò iis rebus & corruptelis, quæ mox indicabũtur,
tota occupetur ac teneatur. Iuſtus perit. ABAD, deſiderari, deſinere, ſubla-
tum eſſe, ac deficere verbum ſignificat. & non eſt qui recogitet in corde
ſuo. VEAIN ISSAM GHAL LEB. Et non quiſquam vir ponens ſuper
cor. Nemo eorum, qui ſe viros putant, ad hoc animum aduertit, videlicet:
Quocunque modo ſubductus fuerit iuſtus, vel naturæ iam cedens, vel ſub-
itò raptus à Deo, ne malitia peruerteret cor eius, vel etiam iniuria oppreſſus
& ſublatus, magno reipub. damno & incommodo periret. Sed hoc perinde
iſtis eſt, & æquè leue id, atq; à ſe alienum vnicuique putatur. Et quidem ſi
omnes pariter, quotquot boni ac pij viri fuerint, è medio tollantur, atque in
ſuas, parentumq́ ſuorum, aliorumq́ iuſtorum migrẽt ſedes; tamen nullum
ſui relinquere videntur deſiderium iſtis, inter quos viuebant & lucebant,
quorumq́ grauis & importuna putabatur lux in vitiorum ac ſcelerum no-
cte libenter agentibus, & verſatis; cùm tamen illud certiſsimum, & maxi-
ma animaduerſione, atq; ex conſequenti, multa conſideratione agitandum,
ingentiq́ cauendum cura; quòd eiuſmodi conſilium, id iudicium, ea mens
Deo

Deo ſemper fuerit, pios & integros ſanctosq́; viros antè excipere & colli-
gere, quàm publica communisq́; cæterorum hominum caſtigetur improbi-
tas. id quod in Noabhi, Loti, & aliorum exemplis manifeſtè ſpectatū con-
ſtat. Hoc eſt quod ſubiungit Vates. & viri miſericordiæ colliguntur. quia
non eſt qui intelligat: à facie enim malitiæ collectus eſt iuſtus. Sen-
tentiæ filum ſatis rectè deductum & contextum videtur: cuius germanam
vim verſio ex verbo indicabit. ANSEIH HEZZED NEETSAPHIM BEEIN
MABIN CHI MIPENEI HARAGHAH NEEZZAPH HATSADIK. viri ſin-
guli miſericordes colliguntur in non intelligente [nemine tamen ob-
ſeruante] quòd ante malum [publicè afferendum] collectus fuit iuſtus.
Ad Noabhi & Loti hiſtorias animaduerſio hæc refertur: Alteri enim im-
peratum narratur, Dixitq́; Dominus ad eum, Ingredere tu, & omnis do- Gen. 7.
mus tua in arcam: te enim vidi iuſtū coram me in generatione hac. & pau "
lo pòſt: Adhuc enim & poſt dies ſeptem ego pluam ſuper terram quadra- "
ginta diebus & quadraginta noctibus; & delebo omnem ſubſtantiā quam "
feci de ſub terra. & poſt nonnulla: Et concluſit eum Dominus de foris. Fa- "
ctumq́; eſt diluuium quadraginta diebus ſuper terrā, & multiplicatæ ſunt "
aquæ, & eleuauerunt arcam in ſublime à terra. Ita cum Noabho actum: "
cum Loto verò ſic. Cùmq́; eſſet manè, cogebant eum Angeli, dicentes: Sur- "
ge, tolle vxorem tuam, & duas filias quas habes, ne & tu pariter pereas in "
ſcelere ciuitatis. Diſſimulante eo, apprehenderunt manum eius, & manum "
vxoris, ac manum duarum filiarum eius, eo quòd parceret Dominus eis. "
Duxeruntq́; eum, & poſuerunt extra ciuitatem; ibiq́; locuti ſunt ad eum, "
dicentes: Salua animam tuam, noli reſpicere poſt tergum, nec ſtes in omni "
circa regione, ſed in monte ſaluum te fac, ne & tu ſimul pereas, &c. Itaque "
piis & bonis ex ciuitate quocunq́; pacto ſublatis, diuinæ vltionis periculum
iam iam adeſſe atque imminere, prudenter metuendum fuerit: quippe cum
hæc diſcernendi & probos ab improbis excipiendi conſtans Deo ratio &
cura perpetua eſt. à qua ratione & illud profectum eſt monitum. Tunc qui Mat 24.
in Iudæa ſunt, fugiant ad montes; & qui in tecto, non deſcendat tollere "
aliquid de domo ſua; & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam ſuam. "
Verbum colliguntur, & collectus eſt, migrationem hominū ex hac mor- Colligi, & colligi ad pa-
tali vita ſignificat. quod aliquando abſolutum, & ſine adiunctis vſurpatur; tres, ſiue ad
nonnunquam verò cum illis adiunctis, ad patres ſuos, ſiue, ad populum populū ſuū.
ſuum. Atque ſimili ratione ac ſignificatione illud Ioſiæ pio regi inter alia
Holdæ Prophetidis mandata denunciatū quoque legimus. Regi autem Iuda 4 Reg. 22.
qui miſit vos vt conſuleretis Dominum, ſic dicetis: Hæc dicit Dominus "
Deus Iſrael, Pro eo quòd audiſti verba voluminis, & perterritum eſt cor "
tuum, & humiliatus es coram Domino, auditis ſermonibus contra locum "
iſtum, & habitatores eius, quod videlicet fierent in ſtuporem, & in male- "
dictum: & ſcidiſti veſtimenta tua, & fleuiſti coram me; & ego audiui, ait "
Dominus. Iccirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad ſepulchrū tuum "
in pace; & non videbunt oculi tui omnia mala, quæ introducturus ſum ſu- "
per locum iſtum. Pulchrè verò antiquiores ſcribæ in hunc locū commentati "

 ſunt,

ſunt, dicentes: Verbum periit, *non ad iuſtum referendum eſſe, verùm ad populum, cui ex morte iuſti ingens accidit iactura. quomodo, vt illi aiunt, dicere ſolemus, Periiſſe margaritas, illis, inquiūt, periiſſe, quibus vſui fuerant. Iam verò quod ſtatim à Vate ſubiungitur, niſi perſonæ intelligatur inductio, difficiliorem contextum præfert.*

Veniat pax, requieſcat in cubiculo ſuo, qui ambulat in directione ſua. *Exemplaris lectio geminam admittit ſignificationem, vtramque veram ac rebus ipſis congruentē. Latina verſio alteram tantùm, quam conformatio ſiue* μίμησις *concinnabit. Eſt enim populi & mendacium Vatum oratio atq; communis etiam aſſentatio ad mutuā gratiam ex libertatis ac ſecuritatis publicæ perſuaſione poſt iuſtorū deceſſum vulgò ſparſa. Namq; & vanos illos doctores, & populum illud viuentibus & incolumibus iuſtis male habere videtur, quòd vel vitæ probatæ exemplum aßiduum, ac veræ pietatis viua imago aliud, omninoq; diuerſum iter ingreſſos cōfunderet, pudoreq; affectos turbaret, vel etiam monita & conſilia, atq; adeò correptiones & auocationes aut commiſerationes & prædictiones, ſi non abſterrerēt, nonnihil tamen impedirent, aut retardarent: quamobrem ſublatos è medio iuſtos è ſuo ipſorum commodo eſſe interpretati, & ſibi inuicem gratulabantur, & libertatem ſibi factam exiſtimabant ſic viuendi, vt quiſque vellet, &, quod etiam peruerſarum iudicium eſt mentium, pij importunitatē morte extinctā, vel mulctatam potiùs gaudebant; atq; prædictionum & comminationum omen vel auerſum, vel in ipſos auctores cenſebant conuerſum. quo ex iudicio & vanorum vatum omnia certa referentium reſponſis illud vulgò in ore erat omnium.* Veniat pax [*iam iſtis mali ominatoribus extinctis*] requieſcat in cubili ſuo, qui ambulauit in directione ſua. *Viuat, inquiunt, vnuſquiſque eo quo inſtituit modo, ſecurusq; dormiat; quandoquidem hic pacis ac libertatis & tranquilli reipub. ſtatus, hic etiam fructus eſt.* in directione ſua. *In exemplari* NECHOHO, è regione ſui. *Hiſpanè, ſegun ſu antojo. Atq; ita contemnenda piorum & exempla & monita cenſebantur, eorumdemq; morte demùm dictitabantur interiiſſe. Horum igitur centurias frequentes illas, & variis erroribus diductas, atq; ſuperſtitionibus multis imbutas, poſtremo loco arguendas increpandasq; arripit vates, eoſdemq; ſuis ornat inſignitq; titulis & imaginibus, non dißimiles, aut degeneres eſſe ſignificans perditis & impuris, à quibus prognati fuerint, parentibus.*

Impiorum ex morte iuſtorū gaudiū

Vos autem accedite huc filij auguratricis, ſemen adulteri, & fornicariæ.

Criminis populo exprobrandi exordium ab vberrimo argumentorum fonte petitum primùm eſt. quo reperto & patefacto, non modò quæ obiiciuntur, hauſta euincuntur, ſed longè etiam plura hauriri poſſe indicantur. Eſt autem accuſationis à genere & origine ductum initium, hoc eſt, à parentibus & maioribus, quorum prauitas ab ipſa vſq; prima infantia mentibus creata, & cum matris lacte exucta familiari doctrina ac traditione dureſcit; deinde verò conſuetudine ita inualeſcit, vt correctionis euadat impa-

Educationis vis

impatiens, ac demùm legis occupet vſurpetq́; auctoritatem & vim. Iuuenal.

Plurima ſunt Fuſcine & fama digna ſiniſtra,
Et nitidis rugam ac labem figentia rebus,
Quæ monſtrant ipſi pueris traduntq́; parentes.

Superſtitionis igitur & idolomaniæ atq; impiarum opinionum plebẽ vulgumq́; omnem accuſaturus Vates, iis parentibus editam atq; educatam primùm indicat. à quibus nihil niſi falſas animi opiniones erroresq́; turbulentos, & ſuperſtitiones plus quàm aniles accepiſſe, ac didiciſſe conſentaneum ac penè fuerit naturale, κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν. Quamquam verò non omnia crimina & ſcelera in parentibus fuerint notata, ad promouendam amplificandamq́; flagitiorum peſtem, ſatis ſuperq́; fuerit, animis labem ac maculam à parentum vitio & imitatione primùm fuiſſe illatam, & non modò impunitate turpitudinis penitiùs inhæſiſſe, ſed conſuetudine & contentione vltra omnem ſerpendi modum excreuiſſe adeò, vt nec diuturnitate vaneſcere, nec vllis humanis manibus poßit elui. Id eſt, mali corui malũ ouum.

Sic natura iubet, velocius ac citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica, magnis
Cùm ſubeant animos auctoribus; vnus & alter
Forſitan hæc ſpernant iuuenes, quibus arte benigna
Et meliore luto finxit præcordia Titan:
Sed reliquos fugienda patrum veſtigia ducunt,
Et monſtrata diu veteris trahit orbita culpæ.

Vitiorum omnium genera ad duo velut capita referuntur: alterius origo & ſedes in animo, alterius verò in anima eſt. Animum eam, qua ſapimus, vocamus portionem noſtri; animam verò, qua viuimus & appetimus: hanc femineæ, maſculinæ, vt ita loquamur, naturæ illam adſcribimus. Ex vtriuſuis portionis rectitudine vel deprauatione ſimiles expectari exitus, conſentaneum fuerit. Animum falſis opinionibus ac ſententiis, animam effrenatis appetentiis, ex libidine ortis, deprauari deprehenſum eſt. In actionibus autẽ humanis animus paternas, maternas verò partes anima gerit. ex quibus altero vitiato, neceſſe eſt vitioſum produci fœtum: ex quo deinde tota futura ſoboles probro obnoxia euadat. Quid ſi vtraque portio vitio primùm deformata fuerit? nihil profectò niſi tetra monſtra inde venerint expectanda. In multiplici autem ſuperſtitionũ & falſæ religionis forma vnum auguriorum numeratur genus. Auguria autem hoc loco appellamus diuinationem de futuris, vel de abſentibus rebus omnem, ex alia parte, quàm ex Dei reſponſis, vel recta naturæ rerum ratione & efficacitate petitam. de cuius varia ſpecie non pauca in Magni operis corpore tradidimus; plura, Chriſto duce, in veſtibus tradituri. Et quamquam apud gentes hoc ſuperſtitionis genus non moribus tantùm receptum, ſed etiam in magiſtratuum claſſes conſcriptum, atq; ad artem diſciplinamq́; redactum acceperimus, tamen præter hunc modum, qui vanus etiam deprehenſus, ac ſæpius argutus fuit, vulgò vſurpatum notatur; idq́; promiſcuè à viris & pueris, verùm frequentiùs ac vehementiùs à feminis; à quibus ad veneficia etiam exten- Vitiorum duo capita. Animus. Anima. Augurium. Veneficia.

ſum eſt. quorum crebra apud poëtas, alioſq́; ſcriptores paßim reperitur mentio. Nequitia. *Inter crebras verò ex libidine ortas appetentias, nequitia magnum & amplum longè latéq; occupat locum: quæ multorum flagitiorum officina eſt.* Adulterium. *Ex quibus vnum adulterium inſigne ſcelus tam viris quam feminis exprobratum. Atq; adulterij infami nomine in ſacris libris & ſermonibus omne* Superſtitio. *ſuperſtitionis notatur ac ſignificatur genus. Superſtitionem verò hîc nominamus, quidquid pietatis vel religionis titulo ac prætextu, præter Dei iuſſum vel mandatum ſuſcipiatur ineaturq́;. quam definitionem ex veracißimo atq; integerrimo accepimus Vate.* 1.Reg 15. *Numquid vult Deus holocauſta & „ victimas, & non potiùs vt obediatur voci Domini? Melior eſt enim obe- „ dientia quàm victima, & auſcultare magis quàm offerre adipem arietum. „ Quoniam quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idolola- „ triæ nolle acquieſcere. Ex hac igitur naturæ ac rerum conſecutione & ſerie ſuperſtitionum omnium vitioſam conſuetudinem veluti natiuam, & paternis probris congenerem plebi ac multitudini obiicit Vates; plebi, inquam, iſtiuſmodi cognomentis, titulis, & imaginibus ornatæ.* Filij auguratricis, ſemen adulteri, & fornicariæ. *Irrepſiſſe, imò graſſatam fuiſſe in Iudæorum gentem iſtam auguriorum ſuperſtitionem ſæpeſæpius legimus, vſque adeò verò graſſatam, vt etiam ſeueris edictis, & graui mulcta à Saule, & aliis regibus coercitam & vindicatam conſtet; numquam tamen prorſus* Iudæi diuinatores. *abolitam, illa anus ab eodem Saule petita, coarguat. Atque adeò non in ſua regione tantùm, dum res manerent, integraq́; eſſent; ſed etiam apud alias gentes captiuis & abductis iſtiuſmodi abuſus obtentos, & ad auaritiam, imò & mendicitatem nouimus frequentatos.*

Iuuen. Sat. 6.

Cùm dedit ille locum, cophino fœnoq́; relicto
Arcanam Iudæa tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum, & magna ſacerdos
Arboris ac ſummi fida internuncia cæli,
Implet & illa manum, ſed parcius ære minuto,
Qualiacunq; voles Iudæi ſomnia vendunt.

Atqui iam primùm iſti plebi domeſtica & familiaris exprobratur auguriorum ac maleficij ſuperſtitio. Filij auguratricis. *quam culpam ex animi deprauationis indicabamus oriundam. Ex qua etiam cetera ſuperſtitionis flagitia omnia conſequi & propagari conſentaneum eſt. Namq; animum à diuina veritate diductū, animi libido imitatur, à diuinis legibus deflectere auſæ, atq; ad grauißima vſque flagitia, quale adulterium eſt, debacchatæ ac progreſſæ. Namq; principibus & paſtoribus, vino, epulis, & ſomno vacantibus, canibuſq́; mutis ac ſilentibus reliquam pecoris multitudinem quis pudor aut metus à petulantia ac libidine, etiam profligatißima auocarit? quæ generis, muneris, conditionis ve ſanctitas, quæ fuerit reuerētia? quibus nec hoſpitij ius violare, nec naturæ ac publicæ honeſtatis rationem prodere & contaminare dubitatum fuiſſe, & ſceleſtißimum Gabaitarum facinus declarauit, & Amoſi Vatis accuſatio indicauit:* Iudic. 19. *Et filius & pater eius ierunt „ ad puellam, vt violarent nomen ſanctum meum. Non ergo mirandum ſi talibus*

libus nati parentibus, atque educati magiſtris, deteriores longè euaſerint, maioresq́; ſuos flagitiorum numero & immanitate ſuperauerint.

Nemo ſatis credit tantum delinquere, quantum
Permittas, adeò indulgent ſibi latiùs ipſi,
Quos natos proprio exemplo inſtituere parentes.

Quosq́; legum ſanctitate per ſummam turpitudinem violata & contempta proauum ſuis ab auctore legis Deo adulterinis inſtitutis ac ſuperſtitionibus furtim primùm atq; occultè, deinde palàm impudenterq́; abalienari. quod quàm nefariè, quàm petulanter communiter admiſſum fuerit, enarrat Vates, exprobrata primùm ac damnata communi irriſione & contemptione, quam de piis & honeſtis viris extinctis, ac de medio ſublatis, à principibus ac populo vſurpatam retulerat.

Super quem luſiſtis? ſuper quem dilataſtis os, & eieciſtis linguam?

Sanctorum ac proborum, vel emendatè agentium vitam, doctrinam, exempla, & mores, conſuetudinemq́; ſimplicem ab improbis & corruptis hominibus irriſa, & pro ludibrio habita, imò & contumeliis interdum affecta, antiquæ & veteris notæ, ac ferè per omne durantis æuum, ſpectaculi ludus eſt, quem præcipuè nebulones, atque horum corruptos mores & ritus imitatum reliquum vulgus exercet, magnatibus vel iuuantibus & applaudentibus, vel vt minimum conniuentibus. Irridentium autem varij ac deformes notantur ac deprehenduntur geſtus; præcipuè autem communes ferè gentibus omnibus ij ſunt, qui capite, oculis, lingua & manu quoque interdum aguntur. Namq; hiſce partibus animi illudentis manifeſta ſigna, & quædam corporis quaſi pronunciatio eduntur. S. S. E. Homo apoſtata, vir inutilis annuit oculis, terit pede, digito loquitur. & illud, Dilatauerunt ſuper me os ſuum, dixerunt, Euge, euge, viderunt oculi noſtri. & , Omnes videntes me, deriſerunt me, locuti ſunt labiis, & miſerunt caput. Apud exteros quoque bonos auctores.

Sanctorum vita & mores irriſioni & ludibrio.

Irridentium geſtus.

Prou. 6
Pſal. 34.
Pſal. 21.
"

Perſ. Sat. 1.

O Iane, à tergo quem nulla ciconia pinſit,
Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas,
Nec linguæ quantum ſitiat canis Apula tantum.

Iſtiuſmodi irriſionibus populum aduerſus pios ac ſimplices viros, etiam vita functos, atque aduerſus eos, qui ſe ad meliora monendo vocarent, ludere ſolitum ſeuerè obiurgat Vates. Super quem luſiſtis. CHALMI THITHGHANANV. contra quem ſoletis illudere? *Namq; hanc perpetuam conſuetudinẽ futuri verbum hoc loco adnotat, vt & in reliquis duobus verbis* dilatabitis os, & exereris linguam? *Namq; ita aduerſus improbos & perditos agere iis, qui ſimilibus flagitiis nobilitati fuerint, turpiſſimum & intolerabile prorſus fuerit; nedum ſi hoc aduerſus puros ac ſimplices & innocentes per nebulones, perq́; vulgares homines agatur, quorum inſolentia, inſania, ac temeritas non riſu modò & cachinnis, verùm carcere, flagris, & grauioribus etiam digna pœnis. Eſt itaq; argumentatio ex antitheto deducta, quod virtus & probitas, animorum candor, atque honeſtas morum impuriſſimis, & bellua deterioribus ioco ludibrioq́; habeatur. Namque*

vnquam bellua in eam, quam eueſtigio deſcribet, ſtupiditatem ſenſus & animi feritatem, atque ingenij & conſuetudinis prauæ contumaciam degenerare, vel ſpectata, vel audita?

Nunquid non vos filij ſceleſti, ſemen mendax?

Extremam populi impudentiam vrget; qui maximis ſceleribus, iiſdemq́ patentibus inſignes & infames à naturæ humanæ generis antiqua ſtirpe ad maximam degenerarint auerſionem, & acceptam ab electis patribus quondam doctrinam ſuccedenti indies & continuata ſobolis corruptela prorſus perdiderint. Filij ſceleſti. IALDEI PESSAGH, geniti proditionis. *quos ex proditoribus prognatos leges notant, paternæ etiam hæredes culpæ cenſent.* ſemen mendax ZERAGH SEKER, ſemen mendacij. *Ex malo ſemine ſegetem expectare emendatam atq; probandam, contra omnem agriculturæ artem rationemq́ fuerit. imò hoc malo proprium eſt ſemini, vt deteriore ſemper ſuccedatur. Nam ſi, vt ille ſapienter monebat,*

Virg. Georg. *Vidi lecta diu & multo ſpectata labore*
Degenerare tamen, ni vis humana quotannis
Maxima quæq; manu legeret; ſic omnia fatis
In peius ruere & retro ſublapſa referre.
Non aliter quàm qui aduerſo vix flumine lembum
Remigiis ſubigit, ſi brachia fortè remiſit,
Atq; illum in præceps prono rapit alueus amne.

Si hoc, inquã, bono ſemini accidit, niſi cura & induſtria ſuccurratur, quidnam ex mendacij expectandum ſemine, niſi mendax in omnem partem iudicium, ſententiarum opinionumq́ falſitas, & actionum atque ſtudiorum peruerſitas omnium? Hac argumentatione peruerſa æmulorum ac detractorum ſibiq́ inſidiantium iudicia & maledicta atq; probra ſummus inſectabatur Magiſter. Ioan. 8. *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri » vultis facere: ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit: quia non » eſt veritas in eo: cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quia men» dax eſt & pater eius. Huius mendacij ſemen ſeſe iſtos reddidiſſe, Iſaias ait. Id quod ſtatim ex progenerati mendacij infinita & varia copia, atq; ex illius euentis confirmat.*

Qui conſolamini in diis ſuper omne lignum frondoſum: immolantes paruulos in torrentibus ſuper eminentes petras.

Vnicum ſeſe numen eſſe, nullumq́ alium à ſe pro Deo habendum, aut vllo pacto cenſendum, ſibiq́ vni diuinos deberi honores, atq; vt vnico patrono ac Domino reddi, idq́ in vnico à ſe deligendo loco, Deus docuerat & edixerat. A qua veritate, honeſtate ac pietate quantum mendax iſtud ſemen deſciuerit, primùm ex peruerſis placitis arguitur: vt qui plures Deos, plures potentes, plura demum numina probarint, libenterq́ admiſerint. Qui conſolamini. *Honeſtè Latinus interpres verbum* conſolari *pro* adulterari *hoc loco poſuit. Namque primæuum vocabulum* NAHHAMIM *paſſi-* IAHHAM. *uum eſt verbi* IAHHAH, *quod paſtorali ſermone pecorũ & armentorum ad conceptum impotentem ardorem ſignificat. abſolutè enim ſuccendi calefie-*

leſieriq; Latinè dicitur. idq; à Moſe in Iaghacobi vſurpatur hiſtoria, vbi Latinè legimus: Factumq; eſt, vt in ipſo calore coitus oues intuerentur virgas, & parerent maculoſa & varia. Huiuſmodi idolomaniæ ac ſuperſtitionis rabioſam libidinem populo Vates obiicit: cuius explendæ cauſa illos ſubter omnem frondoſam arborem conſolari, *ſiue* caleſcere, *& exardere ait, meretricum & ſcortorum ritu atq; impudente exemplo. Superſtitionis vaniq; cultus flagitiũ adulterij vocabulis notari, ſæpius obſeruare eſt. Quod verò Latinè legimus* in diis, *in exemplari lingua* BEELIM *dicitur, non ſine ſingulari ſignificati exceptione. Namque Dei* IEHVEH *nomen, atque etiam* ELOHIM *titulus nunquam ab Iſraelitis repudiata & abolita narrantur; vtpote ſeſe ſemper* ADONAI *populum ac gentem iactantibus & appellantibus, Domini, inquam, atq; gubernatoris Dei ſummi, optimi & maximi. Quid ergo toties ſuperſtitionis notatos, accuſatos, ac damnatos legimus? Ita quidem eſt, quoniam ſuperſtitionis ſcelus non ſolùm negatione aut repudiatione veri Dei admittitur; quæ potiùs diſceſſio, ſiue ἀποςασία propriè dicenda. Sed propriè id ſuſcipitur cùm vel Deo numinis, efficacitatis, ac virtutis collegæ et ſocij adſcribuntur: tametſi illi à Deo conditi & putentur facti. Prætereà etiam cum & ipſi Deo vnico alij quàm deſcripti, imperati, atque legitimè exacti, decernuntur; vel aliter exhibentur honores & cultus. Atq; hoc poſteriùs ex Samuelis reſponſo definitum conſtat: illud verò in vetitis cautum: Noli adorare Deum alienum: Dominus zelotes nomen eius. Caue ne quando obliuiſcaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum, & facias tibi ſculptam ſimilitudinem corũ, quæ fieri Dominus prohibuit. Quia Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt, Deus æmulator. Pacti autem de hac re illa ſumma fuerat ratio, ne præter ſe vnicum quiſquam haberetur aut putaretur Deus, non modò ex iis qui ab aliis colerētur gentibus, ſed neque ex iis naturis etiam, quæ ab eodem Deo conditæ, & cuicunque muneri vel efficientiæ addictæ exiſtimarentur, ſiue illæ caleſtem, ſiue terreſtrem aut marinam vendicarent naturam. Hæc enim omnia illo vetita comprehenduntur edicto. Non habebis Deos alienos coram me [nec quocunque modo alienos, nec eos etiam quos coram me eſſe exiſtimabis, & gubernandi orbis partem aliquam ſortitos credideris.] Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum neque eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea, neque coles. Ego ſum Dominus Deus tuus* FORTIS, *zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem, eorum qui oderunt me: & faciens miſericordiam in millia, iis qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea. Quoniam verò fieri poterat (quod & certè accidit) vt ſublimibus & cæleſtibus naturis propter efficientiæ terra mariq; ſpectatæ ſenſum & vtilitatem, communicati à ſupremo rectore & auctore Deo numinis partem aliquam tribuendam crederet; atq; in ea re gentium opinionibus aſſentiens honorem etiam tribuendum gratiamq; habendam putaret, aut ex neglecto iſtorum cultu metuendum ſibi duceret; ab iſtiuſmodi ſententiis & opinionibus præſenti cautione deterretur populus: Cuſtodite igitur ſolicitè*

Gen. 31.

Idolomania

Idololatria adulterium dicta.

Iſraelitarum idololatria qualis.

Exodi 34.

Deut. 4.

Exodi 20.

Deut. 4. ctè animas veſtras. Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die, qua locu-
" tus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis: ne fortè decepti faciatis
" vobis ſculptam ſimilitudinem aut imaginem maſculi vel feminæ, ſimilitu-
" dinem omnium iumentorum quæ ſunt ſuper terram, vel auium ſub cælo vo-
" lantium, atq; reptilium quæ mouentur in terra, ſiue piſcium qui ſub terra
" morantur in aquis. ne fortè eleuatis oculis ad cælū, videas ſolem & lunam,
" & omnia aſtra cæli, & errore deceptus adores ea & colas [illo nimirum
" nomine atq; argumento deceptus] quæ creauit Dominus Deus tuus in mi-
" niſterium cunctis gentibus, quæ ſub cælo ſunt. Namq; hoc philoſophico ar-
gumento decepti homines rebus atque naturis iſtis, non vt ſupremis numi-
nibus, verùm vt ſupremi numinis participibus & miniſtris honorem tri-
buendum, & vtilitatis publicæ cauſa ſupplicandum putarunt; atq; pertina-
citer hanc ſuperſtitionem tenentes vati vera & oportuna ſuadenti, reſpon-
Ierem 44. derunt Ieremiæ omnes viri, ſcientes quòd ſacrificarent vxores eorum diis
" alienis, & vniuerſæ mulieres, quarum ſtabat multitudo grandis, & omnis
" populus habitantium in terra Ægypti in Phatures, dicentes; Sermonem
" quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te; ſed facien-
" tes faciemus omne verbum quod egredietur de ore noſtro, vt ſacrificemus
" reginæ cæli, & libemus ei libamina; ſicut fecimus nos & patres noſtri, re-
" ges noſtri, & principes noſtri in vrbibus Iuda, & in plateis Ieruſalem; &
" ſaturati ſumus panibus, & bene nobis erat, malumq; non vidimus: Ex eo
" autem tempore, quo ceſſauimus ſacrificare reginæ cæli, & libare ei libami-
" na, indigemus omnibus, gladio & fame conſumpti ſumus. Ecce humani iu-
dicij peruerſitatem & effrenatam ſuperſtitionis libidinem; propter conce-
ptas opiniones vtilitatis ex illis capiendæ naturis. Cuius vtilitatis efficaci-
tatem nomen EL ſignificat à nobis iam ſæpè aliàs explicatum, atque hoc lo-
co à Vate κατὰ μίμωσιν vſurpatum. Namq; vulgari populi ſermone & cau-
ta exceptionis ac defenſionis prudentia iſtis qui pro numinibus colebantur,
Elim. non IEHVEH, non ELOHIM, non etiam ADONAI; ſed ELIM nomen
tribuere conſueuerant: id eſt, non gubernatoribus atq; dominis ſupremis,
ſed tamen efficacibus ſuas cuiuſque in mundo partes præſtare valentibus.
Numen. has autem partes à nuendo & volendo numinis vocabulo Latini ſignifica-
Virg. 1. Aen. runt. vt, Aſt ego, quæ diuum incedo regina Iouiſq;

Et ſoror & coniux, vnà cum gente tot annos
Bella gero; & quiſquam numen Iunonis adoret
Præterea, ac ſupplex aris imponat honores? & illud:
Termine, ſiue lapis, ſiue es defixus in agro
Stipes ab antiquis, tu quoque numen habes.

Hanc rationem cultusq; cauſam ELIM appellando nomine, iſtis, quos re-
Calefio. prehendit vates, prætenſam arguit. qui conſolamini, ſiue caleſcitis in
ELIM. Calefaciendi autem verbum etiam à Latinis ad libidinis vſurpari
Terent. Eunuch. ſignificationem apud Comicum adnotatur. Accede, inquit, ad ignem iſtum,
Arbores diis ſacræ. & calefies plus ſatis. Illud præterea vulgatiſſimū eſt, certas arborū naturas
propriis numinibus quaſi tutelaribus fuiſſe tributas ſacraſq; habitas.

Nemo-

Nemorumq́ Ioui, quæ maxima ſurgit, Georg. 2.
Æſculus, atq́ habitæ Grais oracula quercus,
Populus Alcidæ gratiſſima, vitis Iaccho, Bucol.
Formoſæ myrtus Veneri, ſua laurea Phœbo. quo verò vnaquæque arbor feliciorem ſeſe ſuo in genere & amœniorem exhibebat, ea magis religionis augebat opinionem deluſis illis cæcis hominum veri ſterilĩ animis. quamobrem loca illa ſtudioſiùs ac frequentiùs celebrabantur; vtpote quæ numinibus propriis cariora eſſe putabantur. Atque ad hoc etiam ſuperſtitionis genus fluuij & fontes referebantur; ij præcipuè qui medicatis, aut aliàs ſalubribus commendabantur aquis. Qua de omni re ſic Latinus Stoicus. Si tibi occurrit vetuſtis arboribus & ſolitam altitudinem egreſſis, frequens lucus, & conſpectum cæli denſitate ramorum, aliorum alios protegentium ſubmouens, illa proceritas ſyluæ & ſecretum loci, & admiratio vmbræ in aperto tam denſæ atq́ continuæ, fidem tibi numinis facit. Et ſi quis ſpecus ſaxis penitus exeſis, montem ſuſpenderit, non manufactus, ſed naturalibus cauſis in tantam laxitatem excauatus, animum tuum quadam religionis ſuſpicione percutiet. Magnorum fluminum capita veneramur: ſubita ex abdito vaſti amnis eruptio aras habet. Coluntur aquarum calentium fontes: & ſtagna quædam vel opacitas, vel immẽſa altitudo ſacrauit. Quod & Vitruuius inſignis architectus indicat, dum ſacella, fana, ac templa ſecundùm celebres fontes ædificari præcipit. vt, quæ naturæ efficacitas eſt, eam facilè credulum vulgus vicino tribuat numini. Atq́ hoc in numinibus illis vanis colendis auidè petebatur, quod à meretricibus & impudicis feminis per ſyluas & nemora factitatum, poëtæ ad fabulas retulerunt: nec enim aliud Dryadum & Hamadryadum nomina habuiſſe arbitramur initium. ad quod & vehemens ille Satyrarum ſcriptor alluſiſſe videtur:

Frondoſæ arbores, nemora denſa, flumina, ſpecus, & alia ſacra habita.

Senec. lib. 5. Epiſt. 41.

Vitruuius.

Dryades & Hamadryades.

Quis tamen affirmat nil actum in montibus, aut in
Speluncis? adeò ſenuerunt Iuppiter & Mars?

Quare his verbis & rebus, quæ ad adulteria & ſtupra ſignificanda vſurpantur, Vates in populo reprehendendo vſus eſt, quem eodem adulterij crimine inuolutum cognouerat. Id quod apud alios etiam Vates compluribus obſeruatur in locis. vt apud Hoſeam & Hieremiam ſæpiſſimè. Vſque adeò verò inſana iſta ſuperſtitionum libido in populo creuit & inualuit: vt nec à propriorum liberorum iugulatione temperatum fuerit. Cùm Taurica ſacra ceteris damnata gentibus, hoſpites tantùm immolare dicta fuerint; ſed vt nec propriis parceretur filiis, præter vnum Iphigeniæ exemplum, idq́ à prudentibus damnatum, nullum inter barbaras (Chartaginenſes excipio) etiam ſpectatum nationes. Ex quo facinore animaduertere cõueniat, quantas in tenebras demum incidatur ab iis qui à ſana doctrina, atq́ à declarata Dei voluntate ad alios mores deſciuerint. quibus demùm naturæ iura omnia contemnere & violare ſummæ pietatis putetur officium. id quod apud Ezechielem deteſtatur Deus, atq́ vtrique genti, Iſraelitis & Iudæis, exprobrat; quos & adulterij quoque crimine damnat. Quia adulteratæ ſunt & ſanguis in manibus earum, & cum idolis ſuis fornicatæ ſunt, inſuper

Liberi proprij numinibus immolati.

Ezech. 23.

& filios ſuos, quos genuerunt mihi, obtulerunt eis ad deuorandum. Atq́ huiuſmodi mactandis hoſtiis certa oportuna ducebantur loca, nempe torrentes, quibus ęditiſsima imminerent ſaxa, eaq́ natiua, atque ob id ab ipſis numinibus delecta ac ſibi dicata, tanquam naturæ aras Diis conſecratas. Filiorum verò cruore torrentum aquis mixto atque rapto, vnaq́ defluente efficaciſsimæ expiationis adſcribebatur litationi. Quæcunque verò huiuſmodi viſuntur loca, præter rapidum aquæ curſum, vehementi quoque perflantur vento. atq́ ita quidquid illis deuouebatur locis, vna cum vento & aquis raptum & expiatum abolitumq́ iri credebatur. Namq́ hoc ſymbolo diſſolutio, abolitio, ac diſsipatio in arcano ſignificatur ſermone, vt apud poëtam:

Dicit, ſed cupido quod femina dicit amanti,
In vento & rapida ſcribere oportet aqua.

& apud Græcum Tragicum Talthibius:

Euripid. Tradib.

Αργεῖ ὀνείδη κ᾽ Φρυγῶν ἐπαινέσεις
Ανέμοις φέρεσθαι παραδίδωμι.

Ideſt, *Phrygumq́ laudes & Argiuorum probra [quæ dixiſti]*
Ventis ferenda trado.

In torrentibus ſubter eminentes petras. THAHHATH ZZEGHIPHE HAZZELAGHIM, ſubter dentes petrarum, *ideſt, editiſsimos, & acutiſſimos ſaxorum ſcopulos. quæ propter ſublimitatem religioſi habebantur. vt,*

Virg. Aen. 1.

Saxa vocant Itali mediis quæ in fluctibus aras. *quæ loca plerumque, imo ſemper ventoſa eſſe, apud eundem indicantur Vatem, Regat ille immania ſaxa, Veſtras Eure domos. Atq́ huiuſmodi ſacra non apparet promiſcuè & paſsim fuiſſe frequentata, ſed cùm quid horrendum, ac metuendi diſcriminis inſtare videretur: quod hoc ritu expiari, & in ventos aquasq́ diſsipari putabatur. id quod non tam ex priuata libidine, quàm ex ſorte ac religione factitari ſolitum videtur; quòd voluntatis diuinæ fides legitimè iacta, ſorti fieret; ſiue ſors illa ex alea, aut vrna, ſiue ex ſacrificulorum reſponſo quæſita fuerit. Cuicumque autem ederetur, eum à diis poſtulatum & felicem eſſe dictitabant, vtpote pro ceteris omnibus abundè ſuffecturum: ideoq́ nec lugendum, nec vlla parentum pietate aut mora à cultris vel ſubducendum, vel differendum putabant. Sic Chorus apud Euripidem de immolanda Macaria.*

Sortes.

Heraclidis.

ἀλλὰ σὺ
μὴ προσπίτνει τὰ θεῶν ὕπερ,
μήδ᾽ ὑπεράλγει φροντίδα λύπᾳ.
εὐδόκιμον γὰρ ἔχει θανάτου μέρος
ἁ μελέα πρὸς ἀδελφῶν κᾳὶ γᾶς.
οὐδ᾽ ἀκλεής νιν
δόξα πρὸς ἀνθρώπων ὑποδέξεται.
ἁ δ᾽ ἀρετὰ βαίνει διὰ μόχθων.

Et quæ eodem ſenſu ſubiunguntur alia. Hæc Agamenonum, hæc Deciorum, & complurium aliorum, quos fama deuotos narrat, fides. Niſi fortè etiã ambitioſa inſania fuit. quorum exempla ad hunc locum explicandum commemorari oportunum duximus, aliàs difficilem, & non leuiter commentatores torquentem.

In

In partibus torrentis pars tua, hæc eſt ſors tua: & ipſis effudiſti libamen, obtuliſti ſacrificium.

Deliberatum & certum conſilium animum & facinus eorum, qui talia agerent, atque ideo manifeſtam culpam ex antecedentibus & coniunctis pactionibus, atq; ex oratione etiam & pronunciato arguit. Partem autem patris filium eſſe natura iuſsit rerum: partē etiam familiæ certiſsimam, ideò pro cunctis damnatam conſolationi potiùs quàm dolori tributum, ait. atq; ita in deuotione expreſſum apparet, partem ſui ſacrare ac deuouere aliquem torrentis partibus, hoc eſt, donatam & traditam non torrenti omni, ſed iis partibus, quibus mactati & iugulati filij commiſcebatur cruor. Atq; huiuſmodi formula à Vate recitata, illis in ritibus videtur vſurpata; deinde ceremoniæ ſubſecutæ immolationis, & ceterorum ſacrorum. Cuius in Agamemnonis ſacrificio fit mentio.

Tu cùm pro vitula ſtatuis dulcem Aulide gnatam
Ante aras, ſpargisq; mola caput improbè ſalſa,
Stas animo? & purum eſt vitio tibi cùm tumidum eſt cor.

Horat. lib. 2. Sat. 3. vide Euripid. Iphigeniam in Aulide ad finē tragœd.

& ipſis [*partibus torrentis atque diis efficacibus ipſis*] effudiſti libamen, obtuliſti ſacrificium. *nec verò hoc deliberatè tantùm & fortiter factitatum, ſed pronunciata etiam oratione declaratum ac teſtatum. nam cùm pater quiſpiam de facinore cogitabat, ſortem vicemq; ſuam natura cogente dolens illa tantum ratione conſolationem ſibi capturus videbatur, quòd ipſe vltrò miniſter ſacrorum eſſet, ipſe filiū iugularet, iugulandumq; mola ſpargeret, mactati cruorem ipſe in flumen funderet, atq; in ſcopulum inſpergeret, iſtisq; ritibus ac modis numen ſibi placatum propitiumq; fore, & ſe æquiore animo filij deſiderium exiſtimaret laturum. Hoc eſt quod per imitationem refert Vates.* Libamen, *molam, ſacrificium*, MINHAH. *thura, & ſuffitus interpretamur. quorum generum diſtinctam haberi oportet notitiam ad germanam interpretationem multorum locorum.* MINHAH.

Nunquid ſuper his non indignabor?

Verba hæc patris potiùs filium mactantis, quam Dei vel Vatis eſſe, res ipſa indicat. Neque enim indignatum iri ſe, Deus ait, propterea quæ cōmemorata ſunt: quandoquidem & quæ his addentur, omnia ſcelerata, funeſta, & nefaria, quæq; diuinam iram indignationemq; mereantur. Sed, vti indicauimus, patris rem, quamquam grauiſsimam, tamen propter ſuperſtitionis errorem patienter & fortiter peragentis oratio eſt, & ſui ipſius conſolatio, quod & ſibi & aliis illud facinus, diis propitiis, vtile eſſet, euaſurum. Orationis autem explicatio ex exemplari lingua planior fit. HAGHAL ELEHENNAHHEM. An ſuper iſtis conſolationem accipiam. *Tentantis, & ſpe aliqua affecti; atq; ideo rem æquiore animo ferentis oratio nobis eſt, qualē in ſimili argumento Agamemnon proferens inducitur, qui ſceleris & inſaniæ inſimulatus propter mactatam filiam ſeſe ita defendebat.*

Verùm ego vt hærenteis aduerſo in littore naueis
Eriperem, prudens placaui ſanguine Diuos.
Nempe tuo furioſe; meo, ſed non furioſus.

Horatius. Ser. 3. Sat. 3.

Iſtiuſmodi autem ſuperſtitioſorum atq; deteſtandorum rituum, & ſacrorum horrenda ſpectacula, vſque adeò quorundam virorum aliàs eruditorum oculos animosq́; offenderunt, vt ad religionis inuidiam prorſus impulerint, nimirum propter odij turbationem inter ſuperſtitionem, atq; puram religionem nihil diſcernentes. Atque ex iſtiuſmodi nefandorum ſacrificiorum deteſtatione & odio Epicureorum aduerſus pietatem inſana ſecta ortum habuit. quod vnus ex illius diſcipulis teſtatum reliquit:

Lucretius Lib. 1.

Illud in his rebus vereor, ne fortè rearis,
Impia te rationis inire elementa, viamq́;
Indagredi ſceleris; quod contra ſæpiùs olim
Religio peperit ſceleroſa atq; impia facta.
Aulide quo pacto Triuiai virginis aram
Iphianaſſai turparunt ſanguine fœdè
Ductores Danaûm delecti, prima virorum.
Cui ſimul infula virgineos circundata comptus
Ex vtraque pari malarum parte profuſa eſt,
Et mæſtum ſimul ante aras aſtare parentem
Senſit, & hunc propter ferrum celare miniſtros,
Aſpectuq́; ſuo lacrumas effundere ciues
Muta metu, terram genibus ſubmiſſa petebat,
Nec miſeræ prodeſſe in tali tempore quibat,
Quòd patrio princeps donaret nomine regem:
Nam ſublata virum manibus tremebundaq́; ad aras
Deducta eſt, non vt ſollenni more ſacrorum
Perfecto, poſſet claro comitari hymenæo:
Sed caſta inceſtè nubendi tempore in ipſo
Hoſtia concideret mactatu mæſta parentis.
Exitus vt claßi felix fauſtusq́; daretur.
Tantum relligio potuit ſuadere malorum.

Parentis mæſtitiam illa conſolationis opinione & ſpe leuatam ſignificat, ſi claßi felix ac fauſtus contingeret exitus. id quod apprimè quadrare videtur cum iſtorum filios ſacrificantium oratione à Vate noſtro inducta, An ſuper iſtis conſolationem feram? *ſiue vt Latinè Legimus*, non indignabor? *id eſt, mæſtitiam minuam. Vt verò inſania omnis non vno tantùm hærere ſolet loco, ſed ſemel è carceribus erumpens, vndique peruagata graſſari: ita nullam terræ partem ſuperſtitionis improbitas ac temeritas non contaminauit; tam infimis quàm ſummis quærendis, optandis, & fanorum, ararum, altariúmque dicatione profanandis, atque adulterio ac ſtupro fœdandis.*

Super montem excelſum & ſublimem poſuiſti cubile tuum, & illuc aſcendiſti vt immolares hoſtias.

Fanum. Edita loca diuiniora.

Fanorum nomen non omnibus templis impoſitum primùm videtur; ſed iis quæ propter ſitus eminentiam longè eſſent conſpicua. Talia etiam loca, quæ nubibus æqua, vel ſuperiora, ac cælo propinqua viſebãtur, maiorem ceteris

teris diuinitatem credebantur ſortita, Oreadibus frequentata ex poëtarum theologicis myſteriis, quæ vulgus credulum admiratumq́ue reuerebatur, Neque verò in agris, montibus, & fluminibus tantùm huiuſmodi ſuperſtitionum adulteria & ſtupra admiſſa, ſed intra priuatos etiam parietes ſacellis & aris atque ſtatuis per ſingulas domus familiariter poſitis & cultis, cùm diuina lege cautum fuerit, ne quid in domos inferretur, niſi diuinorū præceptorum monumenta quædam ianuarum liminibus, & ſecundùm poſtes figenda, & conſeruanda; tamen,

Et poſt oſtium, & retro poſtem poſuiſti memoriale tuum: quia iuxta me diſcooperuiſti & pepigiſti cum eis fœdus: dilexiſti ſtratum eorum manu aperta.

Magna libidine, impudentia, & contentioſa æmulatione à legitimis & verè ſanctis ritibus à Deo inſtitutis, diſceſſum publicè eſſe; idq́ue nullis fuiſſe magiſtratibus vindicatum, exprobrat populo Deus. Qui præter vnum à ſe delectum locum nullum præterea ſacris vllo pacto faciendis, nec publicè, nec priuatè vſurpandum permiſerat. S.S.E. Caue ne offeras holocauſta tua in omni loco quem videris, ſed in eo quem elegerit Dominus in vna tribuum tuarum, offeres hoſtias, & facies quæcunque præcipio tibi: tamen illos in montibus omnibus altaria, aras, templa, delubra dedicaſſe, eaq́ue non vnico Deo, verùm ſingularibus ac priuatis diuis, qui tutelares & penates à ſingulis ciuitatibus optati fuere. id quod expreſſè à Ieremia notatur: Secundùm numerum quippe ciuitatum tuarum erant dÿ tui Iuda: quid vultis mecum iudicio contendere? omnes dereliquiſtis me, dicit Dominus. Simulachra autem in priuatas etiam domos adeſq́ue inducta, apud hunc Vatem Deus accuſat: atq́ue ex aliis quoque narrationibus obſeruatum eſt, apertiſſimè ex Michæ ſigno; cuius ſacris Leuita initiatus narratur. Atq́ue hi ad Penatium & Larium imitationem dicati videntur. de quibus ille:

Deut. 12. Ierem. 2.

Vos quoque fœlices olim, nunc pauperis agri
Cuſtodes, fertis munera veſtra Lares.
Tunc vitula innumeros luſtrabat cæſa iuuencos,
Nunc agna exigui eſt hoſtia parua ſoli.

Tibul. lib. 1. Eleg. 1.

Impotentem autem affectatæ ſuperſtitionis libidinem, atq́ue adulterÿ ſtuprorum nequitiam, quam ſub adulterÿ nomine ac imagine accuſare Deus per hunc Vatem inſtituit, omnibus circunſtantiarū notis expolit & amplificat; atq́ue nullam vel audaciſſimā, & impudentiſſimam, non fuiſſe animo & facinore ſuperatam mœcham, ait. Sunt enim adulteræ nonnullæ, quæ marito domi relicto, vel hortos, vel templa, aut alia petunt loca, vbi cum adulteris conueniant. vt illa: Nam ſi decentiùs optat

Adulterarū mulierū impudentiſſima facinora. Iuuenal. Sat. 6.

Ornari, & properat, iamq́ue expectatur in hortis
Aut apud Iliacæ potiùs ſacraria lænæ. &,
Nuper enim, vt repeto, fanum Iſidis & Ganymedis,
Pacis, & aduectæ ſecreta palatia matris,
Et Cererem (nam quo non proſtat fœmina templo)
Notior Aufidio mœchus celebrare ſolebas.

 Atq́ue

Atque iſtiuſmodi digreſſiones à legitima vrbe & domo factas & quæſitas in aliis locis proſtitutiones Iſraelitarum ac Iudæorũ plebi Deus obiecerat. ſubter omne lignum frondoſum. in partibus torrentis, ſuper omnem montem excelſum. *His autem audaciora atq; impudentiora facinora adiunguntur, qualia earum feminarum commemorantur, quæ præſentem domi maritum, atque adeò in eodem cubantem lecto relinquere, & mœchum aperta furtim ianua admittere, & quod apud ipſas fortiſſimè factum ducitur, in eodem cubili, quo cum viro fuerint, accipiunt.*

Tibul. lib. 1. 2.

Tu quoque ne timidè cuſtodes Delia falle:
Audendum eſt; fortes adiuuat ipſa Venus.
Illa fauet, ſeu quis iuuenis noua limina tentat,
Seu reſerat fixo dente puella fores:
Illa docet furtim molli decedere lecto,
Illa pedem nullo ponere poſſe ſono:
Illa viro coram motus conferre loquaces,
Blandaq; compoſitis addere verba notis.
Nec decet hoc omnes, ſed quas nec inertia tardat,
Nec vetat obſcura ſurgere nocte timor.

Vſque adeò verò, vti diximus, feminarum iſta ſuperauit audacia, vt in idem quo vir vna iaceret cubile, adulterum admittere, etiam non fuerit dubitatum. quod vt fieret mariti ebrietas procurata eſt.

Tibul. lib. 1. 6.

Sæpè velut gemmas eius ſignumq; probarem
Per cauſam, memini me tetigiſſe manum.
Sæpe mero ſomnum peperi tibi, at ipſe bibebam
Sobria ſuppoſita pocula victor aqua.
Non ego te læſi prudens: ignoſce fatenti:
Iuſſit Amor; contra quis ferat arma Deos?
Ille ego ſum, nec me iam dicere vera pudebit,
Inſtabat tota cui tua nocte canis.
Quid tenera tibi coniuge opus, tua ſi bona neſcis
Seruare? ah fruſtra clauis ineſt foribus.
Te tenet, abſentes alios ſuſpirat amores:
Et ſimilat ſubitò condoluiſſe caput.

Huiuſmodi petulantiam, atq; alieni cultus libidinem plebi etiam criminatur Deus: cui non ſatis fuerit in fluuiis, in montibus, in lucis & hortis fana, aras, & ſacella ſuperſtitioſis frequentanda ſacris ponere, ſed etiam intra ipſam eandem vrbem, vbi templum Deo dicatum fuerat, varia etiam iſtiuſmodi contaminata ac deteſtanda ſacra constructa, in libris Regum notantur. Hoc ait, Quia iuxta me diſcooperuiſti [*& ſuſcepiſti adulterum*] dilataſti cubile tuum, & pepigiſti cum eis fœdus, dilexiſti ſtratum eorum manu aperta. IADHHAZITH, manu vidiſti. *Manum pro loco & ſpatio in ſacræ linguæ tropis interpretamur. vt, Hoc mare magnum & ſpatioſum manibus. Significat autem, non ſolùm in propriam vrbem fuiſſe admiſſos alienos cultus & ritus, ſed etiam in ipſis regionibus, vbi illa cole-*

Manus. Pſal. 103.

colerentur ſimulacra, fuiſſe celebratos votis nuncupatis, & peregrinationibus inſtitutis. Namq; in Iudicum libris complura huiuſmodi ſacra è finitimis populis ac nationibus petita & allata legimus: quod fieri non poterat, niſi per mandatos & legatos ad eam rem viros; qui illis ritibus & ſacris initiarentur ac inſtruerentur. Filij autem Iſrael peccatis veteribus iungentes noua, fecerunt malum in conſpectu Domini, & ſeruierunt idolis Baghalim & Aſtharoth, & diis Syriæ, Sidonis & Moab, & filiorum Amon & Philiſthiim; dimiſeruntq; Dominum, & non coluerunt eum. Ex hoc autem ſuperſtitionis inſano ſtudio in alium etiam inſaniæ malum populum incidiſſe ait, ineundæ cum exteris gentibus, & à veritate alienis amicitiæ, idq; auxilij ac ſubſidij cauſa, & propulſandi, vel auertendi, vel etiam deprecandi belli ſpe. Nam cùm ſæpè ſæpiùs à Vatibus increpati ac moniti, bellum & pericula ſibi ex Deo ad correptionem parata, audirent: cumq; Ægyptios potentes reges, potentiſſimum verò Aſſyrium intelligerent, conciliare ſibi ſtudebant, vel in amicitiæ pacisq; fœdus, vel in ſubſidij ac tutelæ ſpem, ſi bellum aliàs impenderet; idq; procurabant muneribus mittendis ex ea præcipuè materia, quæ Iſraelitarum regioni familiares, apud alias nationes in deliciis, & in ſummo habebatur pretio. Conſtat autem ex omni ferè naturali hiſtoria, balſama, opobalſama, malobactra, & nardum: atq; alia vnguenta, tum ſimplicia & genuina, tum verò ex his mixta & confecta, apud Syriam & Iudæam, totius orbis habita præſtantiſſima, atq; nullibi melius ea componi, miſceri, & confici, quàm in eadem regione, vbi natiua eſſent. Ex hoc verò genere amicitiæ & gratiæ captandæ cauſa magnam & multiplicem copiam exteris regibus, Aſſyriis præcipuè, à Ieroſolymitanis muneris nomine miſſa; ait per Vatem Deus. Iudic. 10.

Et ornaſti te regio vnguento, & multiplicaſti pigmenta tua.

In exemplari eſt, VETHASVRI LAMELECH BASEMEN VETHARBI REKVHHAICH. Et miſſa es regi in vnguēto, & multiplicaſti pigmenta tua. *ac ſi ſe ipſam amabilem vnguentis præbere conſtituiſſet; atq; ideo vt gratiorem redderet, excogitatis vſa eſſet pigmentis, & vnguentorū mixtionibus: ita vt non ſolùm diis illis vanis & falſis, ſed etiam hominibus dediſſe ſeſe accuſat plebem; quam nullis falſis numinibus operam aut cultum exhibere, nullis hominibus obnoxiam eſſe oportuit, vtrumq; Deo ſummo ac vero, ſuiq; patrono expreſſis legibus vetante. Latinus interpres noſter ſignificationem rei perſonæ inductione & imagine expreſſit. Nam quod ex perſona proficiſcitur, ipſi perſonæ per inductionem tribuitur. vt, Stabat & Autumnus calcatis ſordidus vuis. Ita quod plebes regi Aſſyrio muneris nomine miſerat, ipſa vt placeret, portaſſe dicebatur; atq; in hoc etiam peccare, quòd in carnis & ſanguinis tutela præſidium ſibi optaſſet; & quæſiſſet: cui vnicum præſidium & verum ſubſidium in ſola Dei prouidentia, eaq; ſingulari, poſitum oportuit. S. S. E. Cuſtodi nos Domine vt pupillam oculi, ſub vmbra alarum tuarum protege nos. & illud: Pars autem Domini populus eius: Iacob funiculus hæreditatis eius. Inuenit eum in terra deſerta, in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis: circumduxit eum, & docuit, & cuſtodiuit*

Populi Dei vnicum præſidium.

Deut. 32.

» *diuit quaſi pupillam oculi ſui. Sicut aquila prouocans ad volandum filios*
» *ſuos, & ſuper eos volitans: expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum; atq; por-*
» *tauit in humeris ſuis. Dominus ſolus dux eius fuit, & nõ erat cum eo Deus alienus. Neque enim diuinum, neque humanum vllum aliud eſſe potuit, aut haberi debuit populo Dei, præter vnicum efficaciſſimum numen, cui quidquid fuerant & eſſe poterant, acceptum referri conuenit, & tamen*

Miſiſti legatos tuos procul, humiliata es vſque ad inferos.

Amicitias magno ſtudio ac ſumptu ac labore quæſitas & curatas, fruſtraq; impetratas exprobrat plebi, quæ ſuis regibus diffidens, atq; Dei creatoris proprij oblita Aſſyriorum & Ægyptiorum auxilium expetierat, & popoſcerat, quod tamen nullum experti ſunt, imò contrà, pro auxilio reportauere excidium. Humilitatis enim ſeruilis exemplum valde turpe, imò & probroſum fuit ei plebi, cui Deus tutor contigerat, ſingulariterq; aderat. cui legitimus etiam rex præerat; longo ſuſcepto itineris labore, vltroq; collata in ſumptũ legationis ac muneris pecunia legatos procul mittere, perinde quaſi omni Dei tutela regiſq; auctoritate deſtituti eſſent. extremæ demum humiliationis infimus gradus vanam illam amicitiæ & auxilij fiduciam experiri, cùm ab ipſis, quibus fidebãt, capti, abducti, vaſtatiq; euaſerint; ac demum eoſdem, quos anteà amabant, quos patronos ac propugnatores optauerant, quos inimicos infeſtiſsimos experti fuerant, omnino perditos atque deletos viderint, vt demum auxilium ab iis petiiſſe pudeat, qui ſibimet minimum proſpicere valuerint.

In multitudine viæ tuæ laboraſti: non dixiſti, Quieſcam. vitam manus tuæ inueniſti, propterea non rogaſti.

Magnum ſtudium, conatum, laborem in ambienda ac petenda alienorum amicitia & gratia poſitum exprobrat iis quibus diuina tutela volentibus & procurantibus eſſe præſens poterat; quibus domi rex & procurator publicus contingebat: idq; ſine labore & impendio, ſolo pietatis faciendo officio. Studij autem contentionem & pertinaciam ex indefeſſa arguit itinerum contentione. Quamquam, inquit, in multitudine viæ *tibi iam decretæ & inſtitutæ laborabas; numquam tamen, dum iter ageres, dixiſti,* quieſcam: *nullam enim vſque ad itineris finem interpoſitam vel quietem, vel moram, vel exiguam ceſſationem tibi voluiſti; perinde quaſi victum, quo maximè egeres, carereq; non valeres, illo labore parandum ſuſcepiſſes: atq; ideo nullam de ſolido die partem, qua interim reſpirares, demendam tibi eſſe duxiſti; neque quòd nimis attenta eſſes dolendum aut ſentiendum,* propterea non rogaſti. GHAL CHEN LO HHALITH, ideo non deprecata, *vel* non laſſata es. *perinde quaſi vitæ & diurni victus & animæ diſcrimen ageretur. Hoc ſignificat formula illa per ironiam pronunciata,* vitam manus tuæ inueniſti, *cùm tamen nihil minus inueneris. Atque legationem illam à Ieroſolymitanis ad Aſſyrios clam rege ſuo factam, ait Iſaias, ac diſsimulato negotio expeditam, perinde ac ſi Deum latere poſſe putaretur, ſubiungit.*

Pro quo ſolicita timuiſti, quia mentita es, & mei non es recordata,

data, neque cogitaſti in corde tuo, quia ego tacẽs, & non videns.

T I M V E R A T *quidem plebes illa, & magno ſtudio cauerat, ne negotium de legatione inſtitutum ſuum regis aures contingeret, ne verò idem Deo non probaretur, minimè timuerat; ſed ne curauerat quidem magis, quàm ſi Deum ſurdum, mutum, & cæcum cenſeret. Tam facilè & pronum eſt ſuperos contemnere teſtes, Si mortalis idem nemo ſciat.* Qui ego tacens, & non videns [*ſcilicet.*] *Hæc etiam ironicωs pronunciata. Exemplaris oratio* HALOANI MAHHSEHVME GHOLAM, *duplicem ſignificationem habet, vnica tantùm preſsiùs pronunciata litera* SIN: *purè enim vertere poſsis,* nónne ego tacens & abſconditus, *ſiue,* non videns *purè etiam ſic,* nónne ego præſidium à ſeculo? *ita vt eadem oratione id ſignificetur, quod ab illis putabatur, Deum eſſe ſurdum ac Tireſiam, & id, quod verum erat, quodq́; de ſe profitetur Deus, ſe iam olim protectorem ac tutelarem illi plebi declaratum, à qua tamen ſeſe derelictum queritur.* Iuu. Sat. 13

& mei oblita es. *In feminæ perſonam inuehitur, plebem, inquam, & gentem ab aula & à magiſtratu diſtinctam: quam, vbi pura & ſana caruit doctrina, magiſtratuumq́; diligenti ſtudio deſtituta eſt, in iſtiuſmodi peruerſa conſilia & facinora atque ſtudia delabi, pronum fuerit. quanto autẽ cum damni & mali, quamq́; certo periculo id fiat, è veſtigio Deus indicat.*

Ego annunciabo iuſtitiam tuam, & opera tua non proderunt tibi.

N O N *ita palàm & ex profeſſo peccatur communiter, vt non aliquo iuſtitiæ, & ſanctitatis, pietatis, vel religionis nomen peccatis obtexatur (de publicis peccatis, de ſuperſtitionibus, de conſiliis, & actionibus, peruersè à populo ſuſceptis nunc ſermo, non de priuatis eſt.) Verùm enimuerò eam verborum & nominum prætextam nubem nihil prorſus apud illum ſublimem Aquilonem valere, ſacra doctrina declarat. Qui primùm diſcuſsis nebulis, res, rerumq́; cauſas, conſilia & modos ex ordine diſtinguit, atque vana omnia pellit ac diſsipat, vt aliàs idem ait: Exiſtimaſti iniquè quòd ero ſimilis tui, arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam. Intelligite hæc, qui obliuiſcimini Deum, ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat. Turpe autem & miſerabile hoc fuerit, turpe quidem, quòd, quæ iuſtitiæ nomine velabantur, & commendabantur, conſilia impietatis & iniuriæ notis contaminata prodantur. Miſerabile verò quòd, quæ magno ſtudio, multo labore, ingenti ſumptu facta & peracta fuerint; tamen inutilia & vana atque pernitioſa deprehendantur, atque adeò ipſa ſimul cum iis, à quibus optata & vſurpata fuerant, pereant.* Pſal. " "

Cùm clamaueris, liberent te congregati tui, & omnes eos auferet ventus.

Auxilij ſpem in hominum potentia poſitam irritam & pernitioſam fore, atque adeò potentiam ipſam, hominum ingenti & ſubita ruina caſuram, vno eodemq́; breui reſponſo ſubindicat per Vatem Deus. Ironica enim permiſsione ſignificat, populum magna hoſtium vi oppreſſum fore, nulláque ex parte ab iis, quos optauerat & comparauerat ſocios, iri adiutum; imò & ab iiſdem vexatum; & captum iri, non multo pòſt etiam perdendis & excidendis.

dendis. congregati tui, *ſocios appellat Romanus ſermo, Græcus verò συμμάχους, qui fœdere & amicitia cum ciuibus coniuncti fuerint, atque ad pericula propulſanda comparati.* liberent te. *Sarcaſmos figura oratoribus & poëtis familiaris, & in loco venuſtiſsima, interdum verò acerbiſsima.* & omnes eos auferet ventus, *tollet aura. Babyloniorum ſubitam ruinam & illius regni abolitionem his tropis prædictam interpretamur. id quod ad omne humanum auxilium contra Dei voluntatem petitum, produci & extendi intelligimus. Quæcunque irrita, vana, & nullius vſus eſſe putantur, ventis adſcribi ſolent. vt apud poëtam:*

Humani præſidij inutilitas.

Hæc mihi fingebam, quæ nunc Eurusq́ Notusq́
Iactat odoratos vota per Armenios.

Diuina tutela.

Atq́ ita eorum conſilia & vota, qui humanis nituntur præſidiis, vana & ſtulta demum deprehendenda docemur; contrà verò, eos tantùm ſapere, quorum ſalus in diuinæ tutelæ præſidio latet.

Qui autem fiduciam habet mei, hereditabit terram, & poſſidebit montem ſanctum meum.

Non dubium eſt quoſdam Hieroſolymorum ciues quondam cùm vrbs ab Aſſyriis caperetur, fuiſſe in terra relictos humiles ac inferioris conditionis homines; à quibus nihil nouarum rerum metueret hoſtes, atque eoſdem non exiſtimandum fuiſſe in conſilio eorum, qui Aegyptiorum & Aſſyriorum amicitias quærendas & emendas duxerant; ſed placandum Deum, ac ſolùm illum ſibi ſoſpitalem credendū, atque putandum: qui ob eam rem etiam ceteris abductis, tamen relicti fuerint, & patrium non verterint ſolum. Atque hac quidem imagine & arcana ratiocinatione maius quiddã, certius, & auguſtius, ac ſublimius docere Deus intendit: nempe æternæ hæreditatis, ac cœleſtis regni ſortem illis promiſſam, & conſtare paratam, qui ſuam fiduciam omnem in ſe vnico ſeruatore collocarint. Namque hoc verè eſt hereditare terram, & poſſidere montem ſanctum meum. *Montis nomen* HAR *conceptum ſignificat.* Sanctum *in primæua lingua* KODES. *atque* HAR KODSI, conceptionem ſanctitatis meæ *arcanè interpretamur. namque ſanctitas Dei non niſi iis, qui vocari poſſunt filij, communicatur: qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. His autem non modò ſanctitatem ſuam communicaturum ſeſe pollicetur Deus; ſed omnia quæ ad illam recipiendam cõmoda oportunaq́ fuerint, comparaturum & expediturum: idq́ Euangelij doctrina efficiendum eſſe ait, quam vnicam ad cœleſte regnum viam eſſe identidem docens repetit. Itaque & ipſe per Filium ſuum regni hæreditatem diuiſum & impertitum iri, atque eundem Filium viam vnicam eſſe ait ad regnum. S.S.E. Si quo minùs dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum;*
" *& ſi abiero & parauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me*
" *ipſum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis. Dicit ei Thomas, Domine neſcimus quò*
" *vadis, & quomodo poſſumus viam ſcire? Dicit ei Ieſus, Ego ſum Via, Veri-*
" *tas, & Vita: nemo venit ad Patrem, niſi per me. Si cognouiſſetis me, &*
" *Patrem meum vtique cognouiſſetis. Atque hanc viam ſeſe muniturum,*
" *ſuisq́*

Fiducia in vnico Deo.

Poſſidere terram. HAR.

Ioan. 14.

ſuíſque fidelibus, & ſibi fidentibus, expediturum pollicetur Deus.

Et dicam, Viam facite, & præbete iter: declinate de ſemita, auferte offendicula de via populi mei.

Quidquid vel in ſententiis, conſiliis, & opinionibus, vel in moribus Euangelij puritati & ſimplicitati aduerſatur, quidquid exemplo Chriſti tenendo & referendo obſtat, id omne offendiculum eſt, quo populus Dei retinetur, & præpeditur. Quod quidem periculum à falſis vatibus, & mendacibus creatur magiſtris. Hoc autem à ſe Euangelio edendo indicatum, notatum, ac prohibitum iri ait. Id quod per Iohannem Baptiſtam cœptum, per Ieſum Apoſtolosq́; promotum legimus: Ab iis enim omnibus fidem & pœnitentiam diuini promiſſi obtinendi cauſa poſtulatā nouimus: cuncta præterea humanæ ſapientiæ & induſtriæ momenta ac documenta notata ac diſſuaſa, deq́; fidelium mentibus nouimus amota. Cumprimis autem humani generis felicitatem & ſalutem ſolius Dei donum declaratum; idq́; gratis dandum: non ex vlla vel naturali, vel cæleſti efficacitate, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos; ſed ex miſericordia & liberalitate Dei, qui fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui, Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. Populi Dei offendicula auferenda. Euangelij doctrina. " " "

Quia hæc dicit excelſus, & ſublimis habitans æternitatem: & ſanctum nomen eius, in excelſo & in ſancto habitans, & cum contrito & humili ſpiritu: vt viuificet ſpiritum humilium, & viuificet cor contritorum.

Eorum qui de Deo, deq́; diuina erga res humanas prouidentia diſputauere, varias fuiſſe accepimus opiniones; aliis quidem Deum humana gubernare; verùm id per medias efficientias, quas cauſas appellare placuit, agere putantibus: atque ita ea omnia conſtringi, ac ſi certis catenarum colligarentur fibulis; aliis verò mortalia omnia fato duci, ſingulisq́; hominum ſuam iactam ſortem neceſſariò ferendam ſentientibus; nonnullis verò, iiſdemq́; non raris, omnia in fortunæ cenſu ponentibus: nec Deo quicquam erga humanas res tribuentibus curæ, vtpote quibus diuina excelſior duceretur natura, quàm vt humana hæc fragilia, caduca, & humilia curaret aut vlla circa homines ageretur ſolicitudine. De prouidentia Dei.

Omnis enim per ſe Diuum natura neceſſe eſt, Lucret. lib. 1
Immortali æuo ſumma cum pace fruatur,
Semota à noſtris rebus ſeiunctaq́; longè:
Nam priuata dolore omni, priuata periclis,
Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri
Nec benè pro meritis capitur, nec tangitur ira.

Hæc ſumma rationis eorum, qui diuinam felicitatem humanarum actionum & rerum cura imminui non permittebant, magnificis potiùs verbis, quàm veritati intenti. Contrà verò, diuina ac ſacra diſciplina edocti ſumus, Deum quidem altiſſimum, æternum, immortali æuo fruentem, eundem etiam res humanas ſine vllo labore curantem atque cognomine magnificentiſſimum, quòd maieſtatem illam ſummam in hominum mentibus & animis,

animis, non omnibus, ſed modeſtis tantùm & humilibus, atque ab omni faſtu & ſuperbia, arrogantiaq́ alienis habitare & conuerſari iuuet. Hanc rationem ſic noſter tractat Vates, vt non ex ſententia, ſed ex viuo ac vero Dei oraculo recitare ſe prædicet. Hæc dicit excelſus & ſublimis *ille quem natura ſua ſublimem & excelſum omnibus probat; ille etiam, quem immortali æuo ſumma cum pace frui confitemur,* habitãs æternitatem. SOCHEN GAD, habitans vſque. *ſic æternitatem deſcribit ſacra lingua. in qua verbum* SACHAN, *id eſt, habitare, proprium & perpetuum ſignificat id, de quo dicitur, idemq́ adeò ab omni omnium rerum comparatione ſemotus, vt idem ſolus ac ſingulariter eminenterq́ appelletur* Sanctus. *Et tamen ille idem* in excelſo & ſancto habitans, *humilia tamen reſpicit, & illud etiam ſingulare ſolus habet, vt* & in ſancto habitans, cum contrito & humili ſpiritu *agat; non quidem ſui cuiuſpiam cõmodi cauſa, ſed* vt viuificet ſpiritum humilium, & viuificet cor contritorum. *in quo maxima & planè diuina commendatur liberalitas & virtus; quæ, vt ex nihilo omnia, quæ præter ipſum extant, facere potuit, & fecit: ſic ex humillimis inter homines, & ferè pro mortuis habitis, viuificare tamen poßit ſpiritum, & ſibi ſancto, & ſanctitatis habitatori ſanctam ſedem ac domum paret: & contritorum atque imbellium deſpectorumq́ mundo viuificare cor; ac diuinitatis participem ſuæ reddere hominem: idq́ quod efficere poteſt, adornet, paret, & omnino agat: quemadmodumq́ ab hominibus accipi obtineriq́ oporteat, oſtendit; & quidem ſe etiam ab iracundia longè alienum declarans, tamen adeò humana curare ait, vt etiam iudicem agat æquißimum pariter ac ſeuerum, iraſcaturq́ quantum iudicij ac iuſtitiæ poſtulet ratio. non qui ira turbetur, ſed qui ſuperbiam, faſtum, ambitionem, & vitia omnia vlciſcatur, non tam perdendi, quàm corrigendi & corripiendi, atque demùm correptis miſericorditer conſulendi conſilio. Itaque modeſtorum beator, improborum vltor, & emendatorum benignus pater, tutor, & admiſſor declaratur. Illud enim ſemper prædictum, cunctiſq́ vult eſſe perſuaſum, ſe ſua ſponte creatorem, factorem, inſtauratorem, & amplificatorem eſſe; idq́ præcipuè profiteri velle, id agere, iudicem verò & vltorem non niſi malis hominum factis ac moribus prouocatum. Miſericordiæ quidem voluntatem & exercitationem perpetuam æternamq́ ſibi eſſe, iræ, iudicij, & vltionis exempla poſtulari magis ab hominum improbitate, quàm ab ipſo vltrò edi, eaq́ modum & finem habitura cum corrigendi modo & ratione, miſericordiam autem ab æterno, & vſq́ in æternum declarandam ſuper timentes ſe.*

Ghad. vſque. Sachan.

Sanctus.

Hominum viuificatio.

Deus iudex.

Dei ira.

Non enim in ſempiternum litigabo, neque vſque ad finem iraſcar: quia ſpiritus à facie mea egredietur, & flatus ego faciam.

DEVM *altißimum ſublimemq́ natura, tamen humanarum curatorem gubernatoremq́ rerum, ſingulariter verò humilium & inopum tutorem, in ſacræ legis doctrina primùm traditum, & in ſanctorum Vatum reſponſis, atq́ in Pſalmis iterum atque iterum commemoratum accepimus.* „ *Dominus Deus veſter, ipſe eſt Deus deorum, & Dominus dominantium, Deus* „ *magnus & potens, & terribilis, qui perſonam non accipit, nec munera:* „ *facit*

Inopum tutor Deus.

Deut.

facit iudicium pupillo & viduæ, amat peregrinum, & dat ei victum atque veſtitum. Apud hunc verò Vatem excelſus & ſublimis *appellatur*, habitans æternitatem, & ſanctum nomen eius, in excelſo & ſancto habitans, & cum contrito & humili ſpiritu. *Apud Pſaltem verò: Iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum, Dominus nomen illi. Exultate in conſpectu eius, turbabuntur à facie eius, patris orphanorum, & iudicis viduarum.* Pſal.

Diuina autem erga homines ratio & cauſa ita habere declaratur, vt Deus hominem creaſſe dicatur anima & corpore conſtantem, non anima qualicunque, ſed NESEMAH, *id eſt, flatus diuini compote, in imagine & ad ſimilitudinem ſuam, rectum & bonum, & ex conſequente ſibi carum ac dilectum; inuidia autem diaboli hominem à prima ſui conditione degeneraſſe, indéque iræ filium factum, tamen à diuina miſericordia ſuſceptum, rurſuſq; ad ſalutis publicæ communionem delectum: illam verò ſalutem non antè effectum iri, quàm certa decurrerentur ſecula, quibus hominū genus ipſum egeſtatem, inopiam, calamitatem atq; mortem ſuam omni ex parte agnoſcēs diuini demum beneficij magnitudinem ex præteritæ vitæ ſeu mortis potiùs, comparatione intelligeret. Interim tamen dum hoc efficeretur, humanum genus variam erga ſe expertum eſt Dei prouidentiam, ſemper quidem præſentem, ſed pro morum & vitæ vario & inconſtante exemplo nunc benignam, interdū, atque adeò ſæpius, ſeueriorem auſterioremq; ac velut rixantem: vt in diluuij ætate, cùm Deus dixiſſe commemoratur:* Delebo hominem quem creaui à facie terræ: pœnitet enim me feciſſe illum. *deinde Sodomorum & Gomorrhæorum temporibus, cùm magnum iræ atque iudicij Dei editum fuit exemplum. Præterea Iſraëlitarū ætatibus, in quibus tanta correptionum, caſtigationum, calamitatum, & rurſus felicitatum varietas & viciſſitudo ſpectata eſt, vt plus temporis in ira quàm in gratia Dei cenſeri tranſactum poſſit. Hæc itaque ſeculorum ſumma ratio fuerit, varia illa quidem, verùm quæ plura iræ & correptionis atq; obiurgationis indicet nomina. idq; adeò ex ipſorum hominum inconſtantia natum exiſtimetur: quam ſi perpetuò ſpectare & obſeruare Deus vellet, nullum rixæ & caſtigationis, nullum obiurgationis finē res hæc habitura fuerat. Verùm enimuerò Deus, qui diues eſt in miſericordia, ſuas ipſius, non hominum partes, propoſitum ſuum, non humanum meritum, reſpectum ſibi iri profeſſus eſt: & qui ſe quondam edendo hominis flatu auctorem præſtiterat generis, communicando demum ſuo ſpiritu regeneratorem & renouatorem eius, quem ab initio dilexerat, hominis præſtiturum & probaturum pollicetur. Hoc autem maximum & admirabile beneficij ſui myſterium in præſentiarum Deus indicat ſuo tandem præſtiturus ac reuelaturus tempore. Illi igitur controuerſiæ quam humanæ excitauerant culpæ modum à ſe iam conſtitutum ac demum figendum Deus pollicetur.* Non enim in ſempiternum litigabo. CHILO LEGHOLAM ARIB, Non enim in ſeculum obiurgabo. *Tempus namque certum ſibi ad iurgia decretum ait: iurgia autē ex animi indignatione proficiſcuntur: cuiuſmodi affectionem non ſibi propriam eſſe ſignificat Deus, vti miſericordiam. Nam miſericordia, quia propria virtus Dei eſt,*

Dei erga hominem cauſa & ratio.
NESEMAH.
Gen. 6.
Miſericordia Dei.

æterna quoque fuerit. indignatio & ira, non ex Dei natura, ſed ex hominum culpa proficiſcitur, diuinamq́ prouocat iuſtitiam. Neque vſque ad finem iraſcar. KATSAPH, *ſubitum & repentinum iræ furorem vocabulum hoc indicat, quẽ minimè perpetuum eſſe ſua ipſius natura fert. Et quidem cum animi magnitudine ira eſſe poteſt, vtpote ad res interdum conficiendas oportuna: iracundia verò nullo pacto magnis conuenit animis. Ita Deus iratum, ſiue indignatum ſeſe aliquando ait, non tamen* vſque ad finem, *id eſt, æterna iracundia affectum. Namq́ pugnant ſecum* KETHEPH *& æternitas. Rationem autem promiſſi ex eo aſtruit, quòd ſe creatorem, generatorem, factorem præſtiterit, deinceps autem regeneratorem, non autem eorũ quæ à ſe creata fuerint abolitorem, vtpote non odientẽ præſtet. quamobrem decreuiſſe potiùs humanum genus, cuius animam & flatum fecerat, ſpiritu à ſe immiſſo recreare ac reficere, quàm frequentibus vexare iurgiis: tantum abeſt vt perdere velit.* Quia ſpiritus à facie mea egredietur. *Arcanum regenerationis modum ſubindicat, nempe per Spiritum ſanctum à ſe profectum efficiendæ. de quo ſcriptum eſt: Cùm venerit ille ſpiritus veritatis, qui à Patre procedit, ille docebit vos omnem veritatem: quia de meo accipiet, & dabit vobis. Atq́ ita eundem regeneratorem ſeſe præſtaturum, vt quondam factorem & opificem præbuerat, profitetur.* & flatus ego faciam. *Cuius formulæ hæc conſtructio eſt*, & flatus ego feceram, & ſpiritus à facie mea egredietur. GHASITHI *præteriti temporis verbum, & ad primæuam hominis originem referendum. Arcana res tota eſt, & arcanis pronunciata ſermonibus. Denique vbi iam morem ingeniumq́ ſuum prorſus benignum, beneficum, ſalutiferúmque profeſſus prædicauerit, quæ prior actionis huius pars eſt, cauſam rationemq́ alterius partis, hoc eſt, iræ, & indignationis erga hominum genus exponit, nempe correptionis iudicium, non fraudem vllam, non maleuolentiam, non vindictæ & vltionis auiditatem; à qua diuinus Spiritus eſt alieniſſimus. S. S. E. Domine vis dicamus vt deſcendat ignis de cælo, & perdat illos? Reſpondit illis Ieſus, Neſcitis cuius ſpiritus eſtis. Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluas facere. Hæc poſterioris in hac actione partis breuis ac ſumma argumentatio eſt.*

Katsaph. Ira. Iracundia. Regenerationis modus. Ioan. Iudicium & ira Dei.

Propter iniquitatem auaritiæ eius iratus ſum, & percuſſi eum, abſcondi faciem meam, & indignatus ſum, abiit vagus in via cordis ſui. DVOBVS *eloquij generibus actionis hæc poſterior pars conſtat, hiſtoria & promiſſo; hiſtoria factorum, promiſſum verò pactorum & faciendorum eſt. Conditionem & ſtatum rerum humanarum paulò altiùs repetens, commemorat Deus, idq́ in Iudæorum ſiue Iſraëlitarum perſonam transfert: quæ totius humani generis vicem in ſacris repræſentat arcanis. ex quorum imitatione illud accepimus. Hominem quondam ſua ſorte non contentum in ea auidè & auarè inuaſiſſe, quæ nec tangere, nedum vſurpare vetitus fuerat, hoc eſt, in boni ac mali notitiam: atq́ hoc pacto diuinam commeritum iram, & à Dei familiari colloquio & conſuetudine fuiſſe excluſum: atque adeò morti, cuius damnatus fuerat, æternæ, inquam,*

Hominis caſus.

morti

morti traditum. Propter iniquitatem auaritiæ eius iratus ſum, & percuſſi eum. *Et quoniã ex illa auara vſurpatione totus carni obnoxius euaſerat homo, ideo ſpiritus diuini familiaritate priuatus, Deo illam primam gratiam, in qua conditus fuerat, ſubducente.* abſcondi faciem meam, & indignatus ſum. *Exemplaris lectio formulam præfert ſingularem* HAZZTHER VEEKTSOPH. abſcondere facere & indignabor. *Prima poſt hominem è paradiſo eiectum tempora indicat, & quæ deinde conſecuta fuerint, ex euentu deſcribit ſecula. Nam poſtquam boni ac mali ſciens euaſit homo, quamquam à Deo ſui ſtatus & conditionis admonitus, & arcani de ſalute promiſſi initia doctus, atque fidei & pœnitentiæ elementis imbutus, tamen diu etiam ſuo ipſius conſilio relictus, vt quonã pacto ſeſe, remq́ ſuam gereret, vſu & exẽplo declararet aſſiduo. Id quod ſtultã prorſus & vanam ſapientiam prodidit nouis indies tenebris & erroribus coarguitis. S. S. E. Qui [Deus] in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas, & quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, dans pluuias* “ *& tempora fructifera, benefaciens de cælo, implens cibo & lætitia corda* “ *eorum. Quidquid autem ab hominibus præter diuina iuſſa & mandata, atque prima illa documenta excogitatum, repertum, additum, atq́ in moribus receptum fuit, vt à mendace ſapientia profectum, diuinam prodidit magis quàm conciliauit gratiam. Hoc ipſum verò Deus declarat.* & abiit vagus in via cordis ſui. *Atque hunc hominis ex hiſtoria repetitum vbi Deus narrauit ſtatum, propoſitum beneficiumq́ e veſtigio ſubiungit ſuum, id per præteritum pronuncians tempus, quod reapſe poſt ſecularia, vt vocat Apoſtolus, tempora effecturus & præſtiturus erat. id quod præterito etiam pronunciat verbi tempore, quia nullum Deo futurum tribuitur tempus, quod ad conſilium, propoſitum, & virtutem efficacitatémque attinet.*

Humanæ ſapientiæ ſtultitia.

Act. 14.

Vias eius vidi, & ſanaui eum, & reduxi eum, & reddidi conſolationes ipſi, & lugentibus eius.

Summa igitur eſt, Deum de cælo reſpexiſſe ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum: Omnes autem declinaſſe, ſimul inutiles fuiſſe factos, non fuiſſe qui faceret bonum, non vſque ad vnum. Quare ad vnicam & ſingularem miſericordiam relata ratione propoſitum peregiſſe ſuum ſanandi contritiones, claudicationes, cæcitatem, & omnes inſaniæ etiã humanæ morbos, ac reducendi atque deducẽdi in viam rectam & æternam. idq́ præcipuè præſtitum iis, qui inopiam aduerſamq́ valetudinem ſuam ſentientes, lugerent ac deprecarentur. & reddidi conſolationes ipſi, & lugentibus eius. *Id quod Euangelij efficacitate effectum iri Chriſtus pollicitus eſt, Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Atque adeò hoc maximum beneficium non ex humano merito, ſed ex diuina benignitate profectum, commune tum Iſraëlitis ſecundùm carnem, tum gentibus aliis omnibus fore ait, modò lugentibus, modò pacis & conſolationis cupidis & amatoribus; quibus antiquo iurgio remoto, diuina pax vltrò offerenda erat à Deo cogitationes pacis, & non afflictionis cogitante, & promiſſa ac dicta præſtante ſua. Hoc eſt quod ſubiungit.*

Summa ra- [illegible] ſalutis humanæ ratio.

Pſalm.

Beati qui lugent.

Matth.

Creaui

Creaui fructum labiorum pacem, pacem ei qui longè eſt, & qui propè, dixit Dominus, & ſanaui eum.

Dictorũ Dei conſtantia. *Fructum labiorum, dictorum ac promiſſorum Dei conſtantiam & veritatem interpretamur: quam & pacificis præſtandam, idem auctor pollicetur, verbo præſenti, ſine participio pronunciato.* BORENVB SEPHATHAIM SALOM. creans fructum labiorum pacem. *Ex quo intelligimus verborum Dei non inanem eſſe ſignificationem (qualem humanorum verborum ſæpè deprehendere & arguere eſt) ſed veram ſolidamq́ pacem, eandémque perfectiſſimam, qualem ab Angelis celebratam accepimus: Et in terra pax hominibus bonæ voluntas. Vtrumq enim vox* SALOM *ſignificat, pacem videlicet & perfectionem. cuius perpetuæ ſe creatorem & effectorem, cõmunicatoremq́ Deus vocat. Namq fructus nomen non de accidente aliquo, ſed de vera & certa re dicitur. ex quo virtutem & ingenium eius, ex quo proficiſcitur, dignoſcere liceat. S. S. E. Non poteſt arbor mala bonos fructus facere, nec arbor bona malos fructus facere. igitur à fructibus eorũ cognoſcetis eos. Hanc igitur Euangelij virtutem (quæ labia etiam Dei dicitur) hãc efficacitatem fore pollicetur Deus. Hanc verò præſtitam fuiſſe, & verè præſtari, aſſeuerant Apoſtoli. namque huc illa Pauli ſpectat aſſertio: Cùm ergo hoc voluiſſem, numquid leuitate vſus ſum, aut quæ cogito ſecundùm carnem cogito, vt ſit apud me eſt & non? Fidelis autem Deus, quia ſermo noſter, qui fuit apud vos, non eſt in illo eſt & non. Dei enim Filius* IESVS *Chriſtus, qui in vobis per nos prædicatus eſt, per me, & Syluanum, & Timotheum, non fuit* EST & NON, *ſed* EST *in illo fuit. Quotquot enim promiſſiones Dei ſunt, in illo* EST. *Ideo & per ipſum Amen Deo ad gloriam noſtram. Illud etiam huius argumenti eſt: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine* IESV *Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorũ; & accipietis donum Spiritus ſancti: Vobis enim eſt repromiſſio, & filiis veſtris, & omnibus qui longè ſunt, quoſcunque aduocauerit Dominus Deus noſter. & illud apud Paulum: Memores eſtote, quòd aliquando vos eratis gentes in carne, qui dicebamini præputium ab ea, quæ dicitur circumciſio in carne manufacta: qui eratis illo in tempore ſine Chriſto, alienati à conuerſatione Iſraël, & hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, & ſine Deo in hoc mundo. Nunc autem in Chriſti Ieſu vos, qui aliquando eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti. Ipſe enim eſt* PAX *noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens, inimicitias in carne ſua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in ſe ipſo in vnum nouum hominem faciens pacem, & reconciliet ambos in vno corpore Deo, per crucem interficiens inimicitias in ſemetipſo. Et veniens euangelizauit pacem vobis, qui lòngè fuiſtis, & pacem iis qui propè: quoniam per ipſum habemus acceſſum ambo in vno ſpiritu ad Patrem. Cuius quidem pacis dono & beneficio omnes omnium gentium homines affectũ iri pollicetur Deus, modò veræ humanitatis ſenſum & vſum cum fide & pietatis, ac propriæ ſalutis certo ſtudio coniungentes, hoc eſt, vt Petrus docebat; Fidei pœnitentiam quoque componentes.*

Margin notes: Pax. SALOM. — Lucæ 2. — Euangelij virtus. — 1. Cor. 2. — Act. 2. — Epheſ. 2. — Pax Dei omnibus propoſita quibus conditionibus.

Namque

Namq́ alios, vt ab humanitate vera alienos, vt à fide aberrantes, ipſos ſibi ſua fraude exitium infelicitatemq́ molituros, ipſos damnationem comparaturos ait: eoſdem etiam opinionum & iudiciorum inconſtantia perpetuum ſibi ipſis laborem nulla conſcientiæ quiete intermittendum parere. Impiorum damnatio ex ipſorũ culpa.

Impij autem quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus eius in conculcationem & lutum.

Maris hæc natura eſt, vt exiguo ac leui motu agitata, ſe ipſam augendis in horas fluctibus turbet, & in maximas extollat procellas: ipſa enim aqua exiguam ac tenuem auram paulatim commota in validiſſimum condenſat ventum: à quo deinde permota fluctuat, & cœnum ac lutum ab infimo pauimento erutum, in littus impellit, atque puluerem & limum littori inſidentem, fluctibus mixtum propellit: ita fit, vt quod in imo latebat ſolo, eiectum porro foris animantibus omnibus calcandum prodatur: nihilq́ ex hac tanta turbatione mari vel gratiæ, vel commodi, vel decoris accedat. Huic naturæ imagini impiorum vitam, animã, rem, & rationem omnem perſimilem eſſe Deus ait. Impios autem, quos RESAGHIM *exemplaris lingua vocat, eos dicimus, quorum deteriores in iudicio cenſentur partes: iudicio, inquam ſiue cum Deo, ſiue cum hominibus inito. Quamobrem quicunque vanam & falſam rerum opinionem ſententiámque tuentur in iis quæ pietatem, quæq́ humanam ſpectant vitam,* RESAGHIM *quoque dicuntur: quocunque illi modo, quocunque pacto, quocunque loco, ſub quocunque militent & verſentur viæ ac diſciplinæ duce. Hos autem omnes magno labore, multo temporis diſpendio, magno etiam ſumptu nihil aliud quàm cœnum lutumq́ conficere ad nullos idoneum vſus, tantumq́ conculcationi, & abiectui atq́ deſpectui obnoxium. Id quod ex diuini iudicij ſententia decretum ac ſibi in mandatis datum pronunciat Vates: cuius mandati ac ſententiæ illa legitima ac forenſis breuiter formula eſt.* Maris turbatio. Impij quales. Impij qui RESAGHIM.

Non eſt pax impiis, dicit Dominus meus.

Pacis nomine ſalutem, ſanitatem, quietem, ſecuritatem, atque perfectionem ſignificari, docebamus ea omnia iis, qui improbas in cauſa partes agũt, iudicis decreto negari, clamat & pronunciat Vates. idq́ ex auctoritate iudiciali profectum nomine ELOHAI, *id eſt,* Dei gubernatoris, ac iudicis mei, *appellando declarat.* Pax. Dei decretũ de impiis.

CAPVT LVIII.

CLAMA, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuã, & annuncia populo meo ſcelera eorũ, & domui Iaghacob peccata eorũ.

OMNIVM *in humana repub. conditionum homines in culpa apud hunc Vatem à Deo poſitos notare licuit: Magiſtros cumprimis ac doctores; deinde magiſtratus ac principes paſtorum nomine vocitatos, poſtremum populum & plebem infimam: vtpote quos omnes proprias cuiuſque muneris & officij parteis prodidiſſe arguitos conſtet. Illud vero in his rebus ac perſonis grauiſſimum, ac maximè nefarium, quòd cùm ſibi mutuo ſingulæ* Reipub. vniuerſæ hypocriſis.

partes adularentur, mutuò fauerent diſsimulationibus: tamen pietatis & religionis nomine & ſimulatione Deo non modò fucum facere & imponere; ſed etiam tanquam melioris cauſæ actores præmia & beneficia poſtulare, & obligationes obiicere auderent, hypocriſin nimirum, pro vera & mera ſanctitate venditantes; & ſibi mutuò applauſu palpati. Quod, vt indignũ, ita grauiter ac duriter accuſandum, ac redarguendũ Vati ſuo Deus dictat. mandataq́; populo omni tam ſummis quàm infimis exponenda credit, magna voce, multo & contento clamore pronunciare iuſſo, contrario prorſus mori illi, quem canes mutos non valentes latrare, *tenuiſſe antea dixerat. Cùm illi canes muti latrare nequeant; idq́; quod pronuncient, vel immurmurent; mera ſint ſomnia; tu contrà, qui verus & verax Vates es, partes aduerſus hunc populum ſuſcipe meas: easq́; neminem veritus, fortiter peragito.*

Actoris cauſarum munus duplex.

In agendis verò cauſis duplex actoris munus ſpectatur, alterũ rerum & argumentorum; alterum verò actionis ſiue pronunciationis, quæ, quòd grauem & ſeueram exprimeret rem, ſonora etiam atque vehemens contentaq́; exigitur. Clama, *in primæua lingua* KERAB GARON, clama in gutture. *quod Latinus dicere ſolet ferrea voce, atq́; longè ſonantis, tanquã Dei præco; vt vocis ipſe ſonus animi dicentis impulſum indicet. præterà rem magno ſtudio, ſumma contentione & fiducia perorare iuſſus audit*, ne ceſſes. AL THAHHSOCH, ne obſcures: *non modò magnam altamq́; vocem continuare, continenterq́; producere, ſed nihil etiam rerum vel verborum diſsimulare aut occultare, vel circuitione lenire, & emollire iubetur. quàm verò altè clamare oporteat, monetur.* quaſi tuba; exalta vocem tuam.

Tuba.

Tuba in montibus, dum quid graue & magnum indicebatur, prima ſonabatur, quæ circum vicinorum attingeret atque excitaret aures, & animos. Actionis autem argumentum in primis graue & ſeuerum Vati demandatur. non ſomnia & figmenta, qualia illorum magiſtrorum & mendacium vatum fuerant. ſed annuncia populo meo ſcelera eorum. *Argumenti grauitas duplici nomine exaggeratur, altero* ſcelerum, *altero* populi Dei. *quòd magnam & indignam antitheſin arguant ſcelera, à populo Dei admiſſa.* PESAGHAM, *proditum officium ab eo qui rectum & probandum debuit; ſignificat nomen* PESAGH; *Hiſpanicè Rebeldias & Contumacias dicere poſſumus. quæ eò grauiores cenſentur, quo ab ingratiore proficiſcuntur animo; qualem indicat & arguit Iaghacobi nomen, quem ex humili & abiecta conditione, ex fugace ac timido, vago & errante in domus & familiæ dignitatem & conditionem tranſlatum, errare & peccare magnæ ingratitudinis nota cenſendum Deus ait. Quid quòd eo impudentia atq́; inſolentiæ prolapſum eſt, vt cùm improbiſsimè agant, rectè piè, ac ſanctè ſibi actum, non videri modò velint, ſed iudicio euincere ſtudeant, atq́; in eo contendant & diſputent, querantur q́; ſuis non reſpondere votis, Deum tot ritibus, tot hoſtiis, tanta cum pompa & frequentia cultum. Ex hoc verò aliud eſſe Dei ingenium cauſentur, quàm quod legibus atq́; reſponſis diuinis fuerit indicatũ. Neglectionis atq́; abalienationis à ſe Dei, non ſuã culpam, ſed voluntatem diuinã in cauſa eſſe dicant, cùm nihil aliud quàm ipſa eorundem peruerſitas in cauſa fuerit.*

Pesagh.

Me

Me etenim de die in diẽ quærunt, & ſcire vias meas volunt, quaſi gens quæ iuſtitiam fecerit, & iudicium Dei ſui non dereliquerit: rogant me iudicia iuſtitiæ, & appropinquare Deo volunt.

QVANTVM *humana mens, vbi à vera diſciplina deſciuerit, abduci, aberrare, & inſoleſcere ſoleat, hoc reſponſo per Vatem declarari Deus iubet. Et quoniam huiuſmodi conſuetudinibus ac moribus ad demẽtiam adigi ſolent homines, ita vt vitiis immerſi, veluti ſopore correpti, rectè monentibus non attendant: iuſſus eſt Vates pleno gutture, atq; maxima ſonare voce, quæ iubentis ac mandantis indignationem indicet, atq; audientium aures & animos excitet. Ad hanc rationem illud ab Euangeliſta indicatum refertur: Et clamabat Ieſus, Qui habet aures audiendi, audiat. Itaq; clamor & dicentis indignationem indicat, quam ſuperius etiam indicatã animaduertimus.* Nunquid ſuper his non indignabor? *& eius, ad quem verba fiunt, ſurditatem, oſcitantiam, & ſtuporem. de quo aliàs: Incraſſatum eſt cor populi huius, & aures eius aggrauatæ ſunt. Arguit præterea eos, quibus cum agendum eſt, longè à Deo eſſe, non loco, ſed attentione & gradu atque gratia, cùm Vates ipſe propter fidem & ſedulitatem propè ſit, vti interpres & præco ei, qui ſibi dictat, propè eſſe ſolet. id quod aliàs notatum & indicatum eſt. Propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum. & apud hunc ipſum Vatem: Ore ſuo & labiis ſuis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Hanc verò interualli inter ſe ac Deum diſtantiam, non conſiliis atq; mente ſolùm, ſed flagitiis etiam & criminibus admittendis ipſos effeciſſe, aliàs per hunc declaratur Vatem: Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum. Tanti refert à Deo diſceſſiſſe, vt non ſolùm culpa ſe exemptos demum putent homines, verùm etiam id quo vehemẽter ſeſe perdunt, lucro ſibi apponi ſtudeant, Deiq; voluntatem, non ſuam ipſorum prauitatem in cauſa eſſe ſuarum calamitatum exiſtiment. id quod ab eorundem animis omni officio ac diligentia deponendum Deus curat, maximoq; clamore prædicendum vati mandat, clamore, inquam, Dei indignationem, ipſorum ſtupiditatem & abalienationem coarguente. Id quod nõ ſemel aut iterum, ſed ſæpiùs repetendum Vati præcipit.* Ne ceſſes. *imponit enim Vati ſuo medici officium, à quo non ſemel in die tantùm ægrotantes inuiſi ſatis fuerit, verùm vt minimum ter; non quidem mercedis auferendæ, ſed ægroti ſeruandi cauſa: quem pro morbi varia natura variis in horas modis tentari neceſſe eſt. quos niſi medicus nouerit, opportuna facientem ſeſe præbere minùs poterit. Quamobrem aſſidua obſeruatione, monitione, & curatione ægrotum proſequi opus fuerit, niſi prorſus iam deſperatus oſtendatur morbus, niſi ægrotus ipſe omnino ſibi medicinã fieri nolit. Cui tamen ea in re nec indulgendùm, nec fuerit parendum. Id quod in hac etiam ratione ac tranſlatione apud Vatem alium præceptum obſeruatur: Ne loquamini loquentes, non ſtillabitis ſuper iſtos, non comprehendet confuſio ad mortem. quam vetationem ita Deus repellit: Nunquid abbreuiatus eſt ſpiritus Domini, aut tales ſunt cogitationes eius? Nõne verba mea bona ſunt in eo qui rectè graditur? Hoc itaque ipſum Vati ſuo fideliter ac ſedulò diligentérque*

Clamate.

Sup. 17.

Ierem. 12.

Sup. 29.

Inf. 59.

Medici officiũ & cura.

Mich. 2.

agendum Deus imponit, vt oportunè, importunè, inſtando, increpando, & arguendo; & cetera quæ oporteat, faciendo ægrotum ab inſaniæ morbo, atque ab illa mentis & morum prauitate ad ſanitatem reſtituendum curet; nec ideo à curatione ceſſet, quòd ab ingrato populo indignis modis & contumeliis afficiatur aßiduis. non magis quàm bonus medicus à furente & pugili ægroto vexatus, & probris frequentibus impetitus; qui tamen non ideo ab officio deterretur. Hæc omnia, & ſimilia his quæcunq; fuerint, Vati ſuo poſthabenda, & vnicam ſui muneris & officÿ rationem & curam rectè obtinendam, commendat vetito illo, ne ceſſes. *Atque hoc ſecundum iuſſum, Vati à Deo impoſitum & faceſſendum, tertium verò illud:* Quaſi tuba exalta vocem tuam. *Singularem cauſæ animaduerſionem poſtulat, quam duplici ratione explicabimus à ritu & vſu tubæ petita.*

Tubæ ritus & vſus.

Tubarum, inquam, non quales apud Latinos in vſu fuiſſe intelleximus, ex ære comparatas ad militum, præcipuè peditum, animos in prælio excitãdos; verùm quales in ſacris & ritibus Iſraeliticis vſurpatas nouimus ex arietis cornu aptatas, & non quotidie promiſcuè, ſed certis ac ſtatis temporibus & horis inflandas; nec id pro ſonantis ac tubicinis libidine, ſed duplicibus tantùm faciendis ex lege modis, ac medio quodam inter vtrumque adinuento.

Buccinæ ritus & modi.

Nam certo tempore certas ob cauſas planus quidam, ſimplex, & perpetuus edebatur ſonus; qui rem, de qua ageretur, populo ſimpliciter notam indicaret. Hic ſonus in ſacra lingua THAKIAGH *dicitur; cui alter etiam lege adiunctus, acutior & celerior, atq; aures vehementiùs penetrans. qui intimum veluti pungeret ac ſolicitaret ſenſum. Cui ſono* THERVGHAH *legitimum nomen eſt. Inter quos tertius quidã ac medius à cantoribus ipſis repertus, ex vtroque graui & acuto mixtus; quem circumflexum Latinè dicere poſſumus. Antiquorum lingua* SEBARIM, *id eſt, fractiones, ſiue interruptiones dictus. Primi ſoni Spondæus ſtabilis pes, vltimi Trochæus, medÿ Dactylus, ſiue Choriambus modum imitatur. Hæc verò breuiter de his modis, atq; de cornea tuba nunc perſtrinximus, loco tantùm in præſentiarum ſeruituris erit, vt ſperamus, vbi plura & exactiùs fuerint dicenda.*

THAKIAGH. THERVGHAH. SEBARIM.

Sermonis Prophetici temperatio.

Hoc ita ipſum Iſaiæ Vati agendum & obſeruandum præcipitur. nempe, vt certis temporibus & horis voce orationeq; vtatur ſimili ei ſono, quem pro ratione & ſignificatione indicandæ rei, vel nunciandi ſacrificÿ aut ritus, & celebritatis indicendæ tubicines edere conſueuere, varium videlicet, interdum grauiorem ac tardiorem ad aures venturum: interdum acutiorem & celeriorem, ſenſus vehementius icturum: nonnunquam autem ex vtroque genere mixtum: namq; hoc pacto ſermonem Propheticum concinnatum ac temperatum Deus vult: vtpote ad varios hominum captus aptandum. quorum pars planiora tantùm, & magis in vſu poſita, ac de medio ſumpta capere, ac tenere valet: pars verò acutiori & ſublimiori orationi intelligẽdæ idonea eſt: quales ſcribæ, doctores, Phariſæi, & quicunque ſapientiæ profitentur ſtudium ſeſe præbere oportet: apud quos parabolis, tranſlationibus, & ænigmatibus locus eſt. Sic à Nathane Dauidi per ſonitum accepimus. Sic Phariſæos à Chriſto punctos, Euangeliſta indicat: Veniet, & perdet colonos, & dabit

Mar. 12.

vineam

*vineam aliis. Nec ſcripturam hanc legiſtis? Lapidem, quem reprobauerunt "
ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. A Domino factum eſt iſtud, "
& eſt mirabile in oculis noſtris. Et quærebant eum tenere, & timuerunt "
turbam: cognouerunt enim quoniam ad ipſos parabolam hanc dixerat. & "
relicto eo, abierunt. Atq; ita nũc ſimplice ac plano, populiq; auribus ac men- "
tibus apto, nunc acutiore ac figurato, interdum etiam & mixto, qualis me-* Metaphora.
*taphora eſt, vti & agere Vates, idq; pro tempore ac loco variare iubetur illo
præcepto.* Quaſi tuba exalta vocem tuã. *Quartum autem iuſſum agendi* Libertas Prophetica.
*libertatem ſpectat. quam in iis, qui Dei partes agunt, minimè deſiderari conuenit. Libertatem verò vocamus non impudentem & inſolentem hominum licentiam: qui vel priuati commodi, vel inanis ac popularis nominis cauſa nulli nec perſonæ, nec loco, nec dignitati parcũt, nigroq; dente nullum non rodunt, idq; palàm faciunt vt maledicentiæ nomine apud imperitum vulgus ſtrenui ac fortes audiant: atq; ita ad factiones & ſeditiones idoneos ſe præbent tum magiſtros; tum verò primos miniſtros. tamen vbi periclitari virtutem, & veram experiri opus fuerit, primi omnium vel locum deſerunt, vel ad ſcurrilem adulationem traducuntur. Quod ambitioſorum & auarorum concionatorum genus propriis coloribus à Michæa pingitur:
Hæc dicit Dominus ſuper Prophetas, qui ſeducunt populum meum: qui* Mich. 3.
*mordent dentibus ſuis, & prædicant pacem: & ſi quis non dederit in ore "
eorum quippiam, ſanctificant ſuper eum prælium. Hoc impudentis & li- "
centioſi hominis ingenium eſt.*

> *Qualibet in quemuis opprobria fingere ſæui*
> *Tempeſtas & pernicies barathrumq; macelli.*

Quod ſcurrarum propriè vitium eſt.

> *Eſt huic diuerſum vitio vitium quoque maius,*
> *Aſperitas agreſtis & inconcinna grauisq;:*
> *Quæ ſe commendat tonſa cute, dentibus atris,*
> *Dum vult libertas mera dici veraq; virtus.*
> *Virtus eſt medium vitiorum & vtrinq; reductum.*

Et quidem præter hæc extrema nonnihil etiam eſt, quod nec ad modeſtiam, nec ad verecundiam prorſus refertur; nec etiam perinde vt illa improbatur; quippe quòd magnos habeat fautores. nimirum reprehendendi & carpendi ſtudium, non paucis hominum commune, verùm id non æquabile aut ſimplex, imò à ſummorum perſonis nimio plus abſtinens, & in infimos, ac minus potentes plus æquo acerbum & vehemens; vtpote ſibi cauens ac metuens, atque vbi nihil periculi eſt, impensè audax. Quod non ſolùm in mediocribus, verùm etiam in magni ingenij viris deprehenditur. vt vel Moſes quondam exemplo fuerit, qui iuſſus à Deo, Veni, & mittam te ad Pha- Exod. 3.
*raonem, vt educas populum meum de Ægypto. Dixitq; Moſes, Quis ſum "
ego, vt vadam ad Pharaonem, & educam Iſrael de Ægypto? Eadem etiam "
ratione ætatem, ac dicendi imperitiam à Ieremia excuſatam accepimus. ve-* Ierem. 1.
rum enimuero in iis qui impoſitas à Deo partes acturi ſunt, longè ab illis, quæ vel vituperanda, vel minùs probanda notauimus, ingeniis diuerſa

ratio eſt: quippe quos non ſibi rebusq́ ſuis conſulere, ſed Dei voluntati ac iuſsis obſequi, & aliorum hominum ſaluti ſine vllo vel humanæ gratiæ ſtudio, vel inuidiæ metu, conſtanter & liberè loqui agereq́ oporteat: atque ſui tantummodo muneris & officij perpetuò memores ac tenaces, exitũ, cuentumq́ omnem diuinæ prouidentiæ credentes, permittere. Id quod Ieremias ipſe ſibi præceptum narrat: Et dixit Dominus ad me, Noli dicere puer ſum: Ierem. 1.
» *quoniam ad omnia quæ mittã te, ibis; & vniuerſa quæ mandauero tibi, loqueris. Ne timeas à facie eorum, quia tecum ego ſum, vt eruam te, dicit Dominus.* »
Huiuſmodi liberam conſtantiam cũ auctoritate & ſeueritate coniunctam à vate Iſaia, Deum exigere, conditiones eorum, quos accuſare iubetur, declarant; partitione totius gentis in primores populi, & in plebem facta. Nomine enim populi mei à Deo appellato, magiſtros, duces, tribunos, magiſtratusq́ omnes, nomine verò domus Iaghacob reliquos de plebe intelligimus: quorum omnium vt communis culpa fuerat, ita reprehenſionem, & accuſationem communem eſſe eueniret. Magna tamen culpæ differentia in vtroque notata ordine: ſiquidem populo ſuo, id eſt, primoribus & magnatibus, PESSAGH, *ſcelus, plebeiorum verò, & minimorum turbæ* HHATHOTH, *errores, ſiue peccata adſcribuntur. vtrumq́ flagitioſum quidem genus, ſed grauiore vltione dignum id, quod* PESSAGH *dicitur, vtpote supernè admiſſum, & inferioribus ad licentiam imitabile. In antiquorum ſcholaſticis interpretationibus reperimus nomen* GHAMI, *id eſt, populus meus, dici de ſapientum diſcipulis, de illis inquam, quos alio nomine Phariſæos vocatos apud Euangeliſtas frequenter audimus:* domum *verò Iaghacob eſſe* GHAMHAARETS, *id eſt, plebeios. At verò accuſationis argumentum & materia omnis peruerſam notat pietatis ſpeciem, veræ virtutis caſſam, & nudis verbis ac ritibus adumbratam, magis quàm expreſſam, atque ad pompas, faſtus, & ſpectacula, ſenſuumq́ illecebras & cultorũ contentiones potiùs, quàm ad ſimplicem, puram, ac Deo probandum cultum, conformatam. Quod impietatis genus eò magis cenſetur improbum, quòd profeſſione boni officij, & actores ipſos & ſpectatores decipiat, ac Deũ etiam ipſum decipere ſtudeat, vel, quod verius eſt, nec profeſſorum conſcientiam, nec ſpectatorum ſcientiam fallat; nedum ipſum Deum ſapientiſſimum, ac ſimpliciſſimum poſsit vllo pacto fallere. Conſtat verò argumentatio profeſſionis ac rei antitheto; profeſſio pietatem præ ſe fert; res verò auaritiam, ambitionem, & humanam gloriolam, aut etiam fraudem & crudelitatẽ, denique mundanã corruptionem prodit. Eſt itaque accuſationis propoſitio illa, quòd Deum quærentes, nihil minus quàm Deum aſſequuntur, eo quòd nec rectè, nec ritè quærant. Profitentur, inquit Apoſtolus, ſe noſſe Deum, factis autem negant. Quæ in prophaſi maximæ ad dignationem apud ſimplices animos exiſtunt cauſæ. Eſt autem huius elocutionis ironicæ illud apud claſſicos auctores exemplum:*

Populus Dei. domus Iaghacob. — Diſcipuli ſapientum. Phariſæi. Populus terræ. — Hypocriſis.

Horat. lib. 2. Sat. 3.

Atqui vultus erat multa & præclara minantis,
Si vacuum tepido cepiſſet villula tecto.
Quorſum pertinuit ſtipare Platona Menandro,

Eupo-

Eupolim, Archilocum, comites educere tantos:

Ait itaque Deus, vtramq; hominum, quos accuſat, partem, vno crimine inuolutam laborare, quòd legendis perpetuo ſacris chartis, templo atq; frequentandis, concionibus ac lectionibus tum pronunciandis, tum audiendis tempus, operam, & ſumptum ponant, nec tamen id, quod agere videntur, vel præſtent, vel, vt fas æquumq; fuerit, agant.

Me etenim de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volũt: quaſi gens quæ iuſtitiam fecerit, & iudicium Dei ſui non dereliquerit.

IIS, *quibus diuinæ naturæ conſtat veritas, reliqua eſt eiuſdem naturæ* Dei cognitionis quærendæ ratio & cura. *veſtigatio & inquiſitio, cognoſcendiq; cura. Hæc autem bipartita eſt, & certum ſui exercendi modum, ac poſtulat ordinem. Namq; Deum vtpote animum & ſpiritum, eundemq; puriſsimum & ſimpliciſsimum, non niſi animis puris & ſimplicibus contemplari & cognoſcere contingit. S. S. E. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Animi autem ſimplicitatem & puritatem, vitæ atq; morum integritas, & mera virtus niſi præceſſerit, obtinere mortalis nemo poterit. Quamobrem ſacra lex poſt diuinæ veritatis notitiam illo conſtitutam præcepto: Audi Iſrael, Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſeruitutis. Inſtituendæ humanæ vitæ, & componendorum morum doctrinam, nouem diſtributam præceptis, eueſtigio ſubiũxit: Non adorabis Deos alienos, & cetera ſalubris doctrinæ fundamenta: quæ, vbi recte in animis iacta, in omnẽ vitæ partem præſtita fuerint: tum iam deinceps diuinæ naturæ myſteria & attributa, quæ vocantur, atque ex illis deducenda cognitionis flumina ab ipſo Deo petere, & conſtanter poſtulare licebit; atque magna fide & alacritate ſibi donanda ſperare & ſpectare conueniet. Cuius ordinis atq; imitationis exemplum in Moſe Vate obſeruare eſt; qui non antea cognoſcendi Deum voluntatem & curã declarauit, quàm ſuis moribus, pietate, & obſequio propitiũ, ac fauentem intellexiſſet. S. S. E. Cùm tu dixeris, Noui te ex nomine, &* Exodi 33.
inueniſti gratiam corã me: ſi ergo inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende "
mihi viam tuam, vt ſciam te. Atque hunc ordinem veræ ſapientiæ ſtudioſis "
obtinendũ, Sapientia docuit & commendauit: Audite diſciplinã, & eſtote Prou. 8.
ſapientes, & nolite abiicere. quo in loco verbũ PARAGH *reperitur: quod* Prouerbiorũ locus explicatus.
retrocedere & inuertere ſignificat. atq; ita interpretamur vocabulũ Latinum abiicere eam, *videlicet, diſcendi & cognoſcendi ſeriem. Namq; hoc retrocedere fuerit, velle ſcilicet multa de Deo, de ſublimibus Dei viis & rationibus ac rebus anquirere & cognoſcere, ſanctorumq; ſapientiã ſectari, diſciplina tamen, hoc eſt, humanæ vitæ ac veræ virtutis notitia & exercitatione omiſſa, vel tantummodo ſanctum videri, & eſſe velle; vbi tantùm de diuinis multa & præclara contemplari quiſpiam profeſſus fuerit, cùm nihil minùs ipſe quàm verã ſanctimoniam vita præſtiterit ac moribus. Atque hæc altera loci huius & propoſiti ad accuſationẽ initij interpretatio fuerit: qua Deus eos, quos reos appellat, Iſaiæ indicet præpoſteram pietatis atq; adumbratam & hiſtrionicam rationem inire, vt qui ſeſe de die in diẽ quærant, & ſcire vias ſuas velint*, quaſi gens quæ [*iam*] iuſtitiam fecerit.

&

Iuſtitia. & iudicium Dei ſui non dereliquerit. *Iuſtitiam autem hoc loco animi virtutem interpretamur, nihil niſi quod fas fuerit, quodq́; maximè vnumquemque priuatè, & ſecum tantùm agentem deceat. Eſt enim* TSEDAKAH, TSEDAKAH. *vt ſæpè aliàs adnotauimus, bonæ ac ſanæ mentis rectus & ordinatus habitus nihil turpe admittentis, & ad liberalitatem ac miſericordiam promptis, præcipuè vbi nomen hoc, pro quo Latini* iuſtitia *reddunt, cum altero* MISPAT *coniunctum reperitur.* Iudicium. MISPAT. *Nam priùs ad priuatos vniuſcuiuſque hominis mores, poſteriùs verò ad officium communi ſocietati debitum refertur. Vtrumq; autem non ex humani corrupti conſilij rationibus vel opinionibus; verùm ex diuinæ legis præceptis & inſtitutis concinnandũ & conſtituendum fuerit. quod ſi vel alterum, vel vtrumque requiratur, in præpoſteræ ſapientiæ notam incurritur à Deo in hoc loco improbatam.* Me etenim de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt, quaſi gens quæ iuſtitiam fecerit [*priuatis moribus componendis*] & iudicium Dei ſui non dereliquerit. *Dei ſui iudicium à proprio ipſorũ diſtinguit, vtpote nimium diuerſum: namq; vt ſuũ ſtatuerent, diuinum dereliquiſſe notantur. Significanter autem & adnotanter dictum:* Me etenim de die in diem quærunt. *quòd, vt ille apud Satyricum ſimulati ſapientiæ ſtudij ex eo arguebatur, quod Platonis, Menandri, Eupolidis, Archilochi & aliorum auctorum libros comites eduxiſſet, cùm tamen toto nõ quater anno membranam poſceret, eadem præpoſteræ ac vanæ mendaciſq́; profeſsionis nota, iſti inuruntur, multoq́; grauiore, quòd certis primùm ſtatis diebus, & præcipuè ſolennibus feſtis: præterea & per omne ſabbathũ ſacræ legis, ac ſanctorum ſcriptorum lectiones, hymnos, carmina, diſpertitas ac diſtributas frequentent; atq; harum expoſitione & explicatione lectionũ de diuinis rebus, viis, ac rationibus diſputent, magiſtroſq́; agant, & minoribus ſeſe doctores profiteantur: cùm tamen ipſi à pietatis primis elementis turpiter & improbè aberrent. id quod & aliàs apud Pſaltem accuſatum & improbatum obſeruare eſt.* Horatius. Lib. 2. Sat. 3.

Pſal. *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas, &*
» *aſſumis teſtamentum meũ per os tuum? Tu verò odiſti diſciplinam, & pro-*
» *ieciſti ſermones meos. Si videbas furem, currebas cum eo: & cum adulte-*
» *ris portionẽ tuam ponebas. Sedens aduerſus fratrem tuũ loquebaris, & ad-*
» *uerſus filiũ matris tuæ ponebas ſcandalũ. Hæc feciſti, & tacui; exiſtimaſti*
» *iniquè quòd ero ſimilis tui? arguam te, & ſtatuam contra faciem tuã.* *Alter etiam frequens & in quotidiano vſu poſitus modus inquirendi de Deo, ac de illius viis diſputandi ex ſacrorũ oraculorum lectione petitus, frequenti repetitione ab iſtis agitari ſolet. Cuius controuerſiæ & argumenta ferè omnia prouidentiam iudiciumq́; Dei ſpectant. Namq; Deum bonorum ac iuſtorũ tutorem, improborũ verò vindicem & vltorẽ iuſtum agere, ferè ex omni quotidiana lectione audire eſt. Hinc autem inter iſtos, qui religionem veram, ſanctaq́; pietatis notitiam & ſcientiam habere ſeſe iactabant, aſſidua ac frequens diſputatio erat de Gentilium ſceleribus, de hæreticorum ſchiſmaticorumq́; erroribus. (Namque iſtiuſmodi etiam tunc fuere.) præterea etiam de improborũ & peccatorũ publica culpa, & manifeſtis malefactis:* Diſputationes de prouidentia.

factis:

[illegible] graſſatoribus, piratis, & mercatoribus: quos omnes ex lectionis ſuæ notitia pro ratione præſentis [illegible] videbant. iuſtitiæ ſuo præiudicio damnatos cenſebant: atq; ex hoc etiam non deſinebant, quòd nihilominus viuerent & regnarent, ſuauiter ac proſperè agentes ceurint: ſanctos verò cùm priuatim, tum publicè durius agi quererentur, hominem ſincerum, religioſis, penuriæ modo Deo, illuſtriq; cauſa diuitis & vacationibus, longeq; ſimilibus cæterorum exemplo mortalium. Ex quo illud eueniebat vt acriter & ſubtiliter diſputarent de publico ac priuato iudicio, de finibus bonorũ & malorum, de punitione impiorum, de piorum ac iuſtorum ſecuritate ac tutela. quæ omnia cùm non adeò manifeſta in mundi moribus ſpectarentur, à quibuſdam in dubium reuocari ſolent, ab aliis inuentis excogitatis argumentis, variè exponi, & pro cuiuſque ſententia defendi, propugnari, aut impugnari tenebantur. Et quamquam diuerſæ de eadem re quotidie oriantur opiniones, atque opinantium ſententiæ extarent, omnibus tamen cõmunis cum Deo cauſa erat: quem ad ſuorum dictorũ fidem & conſtantiam defendendam & aſſerendam, quaſi iudicio prouocare ſtudebant. Atq; hoc ipſum hoc eodem verſu relatum, per Vatem magno clamore detellendum & redarguendum curat actor Deus, tantoq; vehementiorem actionem & acriorem poſtulat, quanto indigniùs ferendum cenſetur, ab improbis & ſceleratis hominibus huius rei culpam in diuinũ transferri iudiciũ: quam ipſi tamen ſuſtineant. Me etenim de die in diem quærunt. Ad quodcunque præſens dies attulerit exemplũ, vel improborum impunitatis, vel bonorũ calamitatis continuò quærunt quemadmodum apud me de ea re agatur, curem necne mortalium negligam: quam iuſtorũ, quam impiorum rationẽ habeam? Et quanquã eiuſmodi diſputationes quondam à magnis Vatibus habitæ ſint: non tamen illorũ in iſtos quadrat ratio, ſicut nec exempla: Nam Vates illi, qui primi hæc queſſe cõmemorantur, integræ vitæ ſcelerisq; expertes fuerant, & ſe, ſuiq; ſimiles vexari mirabantur potius quàm querebantur: atq; ex admiratione ad interrogationem. Quare reſpicis con- Habac. 1.
temptores, & taces, conculcante impio iuſtiorem ſe? & cõſulunt ſimilem cauſam antiquiorum ſanctorum exempla, quæ ab iſtis propter diſſimilem conditionem iniquè admodum vſurpantur. atq; in ſe, cauſamq; ſuam transferantur, quaſi gens quæ iuſtitiam fecerit, & iudicium Dei ſui non dereliquerit. Tum verò, quod grauiùs eſt, de ſua ipſorum cauſa cum Deo in iudicio agunt, & contendunt.

Rogant me iudicia iuſtitiæ, appropinquare Deo volunt.

Si quæſierat iſtos rogare, num ex poteſtate, vt dicitur, abſoluta, num ex poteſtate ordinata Dei, id quod actum apparet, agatur? Nam ſi ex voluntate tantùm, vbi legis normæ, vbi crebræ obteſtationes? Sin verò ex ratione & iure, vnde tanta in rebus humanis impunita iniquitas? vnde religionis & pietatis vexatio? vnde labor iuſtis, & quies ac ſecuritas vaſtatoribus iniuſtis? vnde [illegible] ſacris & religioſis rebus intenti & vacantes, humanis commodis ferè careant? quibus tamen improbi & perfidioſi plerumq; abundant. idem eſt iudicia iuſtitiæ, quod iudicia iuſta. Deiq; cum Deo nõ [illegible]

quod non valent, verùm iudicio & æquitate cõtendere eos velle ait. KARABATH ELOHIM IEHHPATSVM. *Vocabulum* KARABATH *bellicum eſt, & idem quod apud Latinos* concurrere, *apud Græcos* ὁμοσε ἰέναι, *in loco ſignificat. Volunt, inquit, ſeriò mecum concurrere; non tamen in prælium, vel duellum, quo viribus & armis, ſed quo iudicio decernatur. Namque* ELOHIM *gubernatores ac iudices Latinè dicimus, atq; hoc nominis Deum præcipuè vendicare accepimus, vtpote ſummũ, maximum, atq; optimũ gubernatorẽ & rectorem cæli ac terræ. Concurſum itaq; iudicialem volunt: id quod ipſis conſultò ac deliberata mente factitatũ verbũ* IEHHPATSVM *indicat. Iam verò quæ ſit iſtorũ cauſæ expoſitio, qualis argumentatio, à Deo per conformationem refertur; ea quæ per interrogationẽ inducta narratur; quòd querelæ & accuſationis quædam vis in interrogatione includatur.*

Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti: humiliauimus animas noſtras, & neſciſti?

Deum ſpiritum quidem eſſe, eundemq; puriſſimum & ſimpliciſſimum, omnes qui de diuina diſputant natura, quiq; rectiùs meliusq; ſentiunt, conſiteri ſolent. atq; vt ſpiritum & à corpore materiaq; omni ſemotum, perpetuum, æternum, inuariabilemq; confitentur, eundem verò, quia talẽ, ſpiritualia & ſimpliciſſima cognoſcere, conueniens eſſe dicunt. verùm an corporea etiam, & materiæ adiuncta, mutationibusq; obnoxia, pariter cognoſcere conſentaneum ſit, nõnulli ambigunt. quibus huiuſmodi adſtruitur argumentatio. Quidquid corporeum eſt, non niſi corporea vi cognoſcitur. corpoream vim vnũ ex quinque ſenſibus & horum iudicem communẽ ſenſum eſſe aiunt: quod verò corporis expers eſt, corporeo caret ſenſu; quare nec corpoream ſentire valet naturã, aut qualitatem, aut formam. non quidẽ craßitudinẽ vel duritiem, aut mollitudinẽ; non dulcedinem aut amarorem, quæ tactu, eoq; proximo, vel contiguo potiùs, accipiuntur & cognoſcuntur: ſed nec vocem colorémve, quæ, quanquã eminus percipiantur, vtpote magis tenuia, magisq; ad ſpiritalem naturã vergentia, tamen corporeum poſtulant ſentiendi inſtrumentũ nempe aurem & oculũ. Horum argumentum & refert, & refellit Pſaltes: Dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget

Dei natura & cognitio.

Pſal. 94.

» *Deus Iaghacob. Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite.*
» *Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat?*

Fuere etiam qui non ſolùm facta, vtpote cum materia coniuncta, ſed cogitata quoque latere Deum putarint. vti de Epicureis diximus. ante quos longo priùs tempore eadẽ aliis inſederat opinio. Et quidem rationibus ex rerum natura aut ingenio petitis, ita argumentari ſolitum eſt. quorũ argumentorum apud homines vim vſus & experimentũ vel augere & aſtruere, vel frangere ac debilitare poteſt: Si quidẽ homo iudicat quæ videt, Deus autem intuetur corda. Quamobrem quod à ſenſu ducitur argumentum, hominis conditioni proximum & aptiſſimum eſt. Ex quo demonſtratio logicis à poſteriore dicta ita cõficitur. quæ, quod à ſenſu primùm proficiſcatur, & certiſſima vulgò habetur, & exceptionem excludit omnem. Huiuſmodi autem argumentatione litigatores iſti, Deum vel humana neſcire, vel prorſus negli-

negligere contendunt. Nam vel de rebus & factis, quæ corpori, vel de iis
quæ animæ tribuuntur, vel de vtriſque agitur. Primum verò de prioribus
interrogant, vel accuſant potiùs, & argumentantur. Quare ieiunauimus,
& non aſpexiſti? *Ieiunium inedia tranſigitur, id eſt, cibi & potus conti-* Ieiunium.
nentia, quæ corporea ſunt, &, vt ab altero cognoſcantur, oculos poſtulant,
obſeruaturos nimirum cibum, ne quis capiat, an ne tangat quidem. Quòd ſi
eorum ſententiæ aſſentiendum ſit, qui corporea Deo ignota, ſpiritalia verò
cognita putarent: nec poſteriori parti à Deo ſatisfactum eſſe, iſti arguunt.
Siquidem anima, ſpiritualis cùm ſit, quidquid vel agit, vel patitur, ad ſpi-
ritum pertinet: atq; ita Deum, modò ſpiritalia hominum cognoſcentem, fal-
lere aut latere non oportuit. At verò hoc ipſum etiam quod intenditur eſt,
Deum ne cogitata quidem cognoſcere: nam præter ieiunium macerādi cor-
poris cauſa ſuſceptum, animi quoque mæſtitudinē, anxietatem, & moleſtiā
allatā affirmant; fruſtra tamen & iſtud ipſum, quippe quod Dei notitiam
non contigerit. humiliauimus animas noſtras, & neſciſti. *Ieiunium con-*
ſultò & ſponte ſuſceptum, & ex propoſito etiam commendatū volunt, atq;
legitimum, ideoq; præmio & fauore gratiaq; dignum defendunt. Lex enim Ieiunium legitimum.
non ieiunium modò, ſed & animæ afflictionem ac demiſſionem præcipere
obſeruatur. vtriq; verò parti à ſe indultum ac ſatisfactum aſſerunt. verùm
fruſtra id factum queruntur: idq; quo minus ſuccederet, non à ſe, verùm à
Deo ſtetiſſe cauſantur. vtpote vel non cognoſcente, vel non curante. Eodem
verò argumētationis genere iſtiuſmodi homines, quibus prima in ſenſu eſt
fides, Spiritus ſanctus refellere ac redarguere etiam conſueuit, vt vel in illo
paulo antè citato patet Pſalmo, vbi, qui dixerant ſtultiſſimè, Nec intelliget
Deus Iaghacob, audiunt rurſus, Qui corripit gentes, non arguit? qui docet “
hominem ſcientiam? Dominus ſcit cogitationes hominum, quoniam vanæ “
ſunt. Quam rationem Vati etiam noſtro vrgendam dictat actor & reſpon-
ſor Deus, declaratq; non modò inediam iſtorum, ſed vitium etiam, quo ie-
iunia violantur ac profanantur, ſibi conſpici; proptereaq; ieiunia irrita &
inutilia illis euadere: perſpicaciſſimam autem oportere eſſe aciem eius, qui
latens in ieiunio vitium deprehenderit; quandoquidem id magna diſſimu-
latione à ieiunantibus velari ſoleat. Igitur & ieiunium ſibi viſum, & qui-
bus modis contaminetur, perſpectum ſibi eſſe obiicit. iuxta illud: Arguam “
te, & ſtatuam contra faciem tuam. Ait verò: “

Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis.

Prauam iſtorum argumentationem & querelam validiſſimo definitio-
nis argumento Deus retundit, falsò illos queri de non cōſpecto ſibi ieiunio,
nec animaduerſa animarū humiliatione & afflictione. Namq; legitimum Ieiunium legitimū ſemel in anno.
ieiunium, ſibi, cuius habendam pollicitus fuerat rationem, ex mentis in me-
lius mutatione, ex reſipiſcientia & pœnitentia imperatum & profectum
oportuit. Quippe ſemel in anno iniunctum fuerat ieiunium, quo tempore
populus erratorum veniam, ac debitorū remiſſionem quærere & impetrare
curaret. Id verò ieiunium vna ex pœnitentiæ circumſtantiis, ſiue comitibus

actionibus declarata erat, qua aliàs, ubi pœnitētia requireretur, nuda tantum, & simulati eius nomen & rationem obtinens, remiſsionē impetrare Pœnitentia. *legitimè non potuit. Atqui in pœnitentiæ partibus innocentia, reconciliatio, cōtinentia, atq; etiā mutua debitorū condonatio, & misericordiæ exempla vera & pura ab iis exigebantur, qui sua sibi debita, quotidianaq; erraia condonanda procurarent. Atqui tantum ab hac pœnitentiæ integritate & bonitate iſtorum ieiunia abeſſe Deus arguit, vt eodem, quo ieiunarent die, quoq; ſimul ad exorandū ſe conuenire præferrent, nihil minùs iniquitatis, & inhumanitatis, quàm cum minimū, animo ac mente conſeruarent, imò & moribus atq; factis exercerent.* Ecce, *obiicientis, & manifestā culpam exprobrantis vox hoc loco eſt.* in die ieiunij veſtri, *non legitimi, & mihi iure redditi ac probandi, ſed veſtri, à vobis aliter quàm fas erat, initi & obſeruati.* inuenitur voluntas veſtra. THIMATSEV HHEPHETS, inuenietis voluntatem. *libidinem voluntatemq; ſingularem vnuſquiſque veſtrum, quoad expleatis, proſequi ſoletis; & quidē non ſeciùs quàm in ceteris diebus quibus non ieiunatis.* Et omnes debitores veſtros repetitis. VECHOL CHATSCEICHEM THINGOSV. *Verbum* NAGAS *in duplici reperitur ſignificatione: interdum, atq; adeò ſæpiſsimè, accedere & appropinquare Latinis eſt: aliquando, nec raro, exigere ſignificat. vnde exactor* NOGES *dictus. Latinus noſter interpres ex poſteriore vertit ratione,* & omnes debitores veſtros repetitis. *Namque hoc idem verbum in eadem ſignificatione apud*

Deut. 18. *legiſlatorem reperitur, debita ſeptimo anno exigi vetantem. Septimo anno*
" *facies remiſsionē, quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab ami-*
" *co, vel proximo, vel fratre ſuo, repetere non poterit: quia annus remiſsionis*
" *eſt Domini. Iam verò cùm ad ieiunij celebritatem conuentus vndiq; fieret, oportuniſsimus is creditoribus ducebatur ad debitorem repetendum ac vexandum. quod quantum ab animæ humiliatione abeſſet, vel ex eo liquet, quod ipſa exactionis oratio ſua ſponte cenſetur durior. Alteram ſignificationem verbi intuitus Chaldæus interpres, doctè etiam & aptè vertit.* Et omnia ſcandala veſtra præfertis. *Qua interpretatione vulgatū frequentem & nefarium per ſtrinxit in iſtiuſmodi conuentibus inductum, ſpectaturq; morem, vbi cum ſingula ieiunantum & celebrantum collegia cū ſuis pompis & inſignibus concurrunt, vnaquæq; factio ſuas parteis loco, tempore, atq; honore primas habere obtinereq; contendit, vexillis, inſignibus, & ornamentis præferendis ac defendendis propriis, alienis verò poſthabendis. Ex qua contentione trepidum certamen & iram gigni; ex ira truces inimicitias, dimicationes, iurgia, lites perpetuas, & non rarò bella orta accepimus. Id quod e veſtigio notatū, hic idem vidit interpres. nimirum illud:*

Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè.

Iſtiuſmodi in ſacris celebritatibus turbas & rixas funalibus, fuſtibus, & ferro interdū exercitas ſpectare eſt. Quod quantum à vera & ſimplici ieiunij ſacri definitione diſcrepet, quis non videat? neceū quòd is, cuius cauſa ieiunium inſtitutum eſt, in hoc ieiunandi ritu iam poſthabitum, atq; obliuione ſepultum iacet. Ieiunium. *Quippe ieiunia, animarumq; afflictiones ad ſuppli-*

catio-

*rationes ac deprecationes eo nomine adiuncta ſunt, vt vehementiùs atq; ar-
dentiùs deprecantium vox, & clamor miſerantis Dei ſolicitaret clementiā.
Ex qua ratione illud apud Niniuem publicè à rege præconis voce publicè præ-
dicatum edictum: Homines & iumenta, & boues, & pecora non guſtent* Ione 3.
*quicquam, nec paſcantur, & aquam non bibant, & operiantur ſaccis homi-
nes & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine: & conuertatur
vir à via ſua mala, & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eorum. Quis ſcit ſi
conuertatur, & ignoſcat Deus, & reuertatur à furore iræ ſuæ, & non
peribimus. Nil tale verò ab iſtis ieiunantibus præcipuè prouiſum Deus ait,
ſed cætera, quæ iam improbauit, quæq; improbaturus porrò eſt, prætulit.*

Nolite ieiunare ſicut vſque ad hanc diem, vt audiatur in excelſo
clamor veſter. *Ex primæua lingua ad verbum.* Non ieiunabitis
ſicut hac die ad audire faciendum in excelſo clamorē veſtrum.

*Futurum verbum conſuetudinem adnotat. Non ſoletis, inquit, vt hodie
ieiunare, vt audire faciatis in excelſo clamorē veſtrū. Hoc vbi negatur, illa
alia, quæ notata fuerant, adſtruuntur. Igitur ex hoc ſermone ieiunium ſua* Ieiunium quid.
*natura neque laudem, neque vituperationem mereri: verùm à ratione &
cauſa, atq; inſtitutione probari vel improbari intelligimus. Eſt enim ieiunium
natura cibi ac potus ad certum tempus abſtinentia, quæ vel vltrò, vel ex al-
terius conſilio aut imperio ſuſcipitur; idq; certam ob cauſam. Namque vel* Ieiunium medicum.
*valetudinis membrorum & corporis ſanandi ergo abſtinemus, quod medi-
cum, non autem religioſum vocatur ieiunium. In quo genere cæteri etiam po-
nuntur, quæ ad memoriam iuuandam, ad animum artibus intendendū &
inſtruendum conſultò ſibi quiſque imperat. Sunt etiam ieiunia votiua,* Ieiunium votiuum.
*quæ certæ cuiuſpiam agendæ atque abſoluendæ rei ſtudio, vel ſponte ſuſci-
piuntur, vel ex præpoſiti cuiuſpiam iuſſu perferuntur: ſiue id agatur vt at-
tentiore animo, & agiliore corpore ad eam rem ſeſe quis comparet, & præ-
ſtet, ſiue vt maiore ſtudio & pertinaciore contentione in id quod agitur, in-
cumbatur: quaſi quis eſuriem atque malum ſibi proponat, niſi mentis optata,
aut vota expleuerit. Id quod tam in bonis, quàm in malis cauſis adnotatur:
neque ſemper in vtramq; partem prudenter fieri, aut iuſtè, duobus intel-
leximus exemplis. Ionathas extendit ſummitatem virgæ, quam habebat in* 1 Reg. 14.
*manu, & intinxit in fauum mellis, & conuertit manum ſuam ad os ſuum,
& illuminati ſunt oculi eius. Reſpōdensq; vnus de populo, ait: Iureiurando
cōſtrinxit pater tuus populum, dicens: Maledictus vir qui comederit panem
hodie. (defecerat autem populus.) Dixitq; Ionathas, Turbauit pater meus
populum: vidiſtis ipſi, quia illuminati ſunt oculi mei, eo quòd guſtauerim
paululum de melle iſto; quanto magis ſi comediſſet populus de præda inimi-
corum ſuorū quam reperit? nōne maior plaga facta fuiſſet in Philiſthiim?
Illud verò & in hoc genere nefarium exemplum: Facta autem die, college-* Act. 23.
*runt ſe quidam ex Iudæis, & deuouerunt ſe, dicentes, neque manducatu-
ros, neque bibituros, donec occiderēt Paulum. Huiuſmodi ieiunia quæcun-
que fuerint, quæ ex auctoritate & cauſa vel probari, vel improbari poſſunt,
ad illam definitionem à Deo indicatam pertinent.* Nónne iſti dic ieiunii

veſtri quæritis animas veſtras? *Atq; hæc humana ieiunia, hoc eſt, huma-*
no conſilio & propoſito inſtituta dici poſſunt. & illud coniuratorum aduer-
ſus Paulum impiè ſuſceptum ieiunium, ad id etiam refertur, quod apud
Iſaiam legimus: Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis
pugno impiè. *Atq; huiuſmodi ieiuniorum genera omnia, non ſolùm quæ*
culpam, ſed etiam quæ laudem arrogant, legitima dici non debent, ſed vo-
luntaria ex hominum conſilio certis de cauſis, vel bonis, vel malis inſtituta.
Id quod apud hunc Vatem declarat excipitq; Deus: ſimulq; addit ieiunij pij
ac verè ſacri naturam & puritatem, non ex perſonæ ieiunantis membro-
rum corporis habitu & geſtu, ſed ex animi vera afflictione atque abſti-
nentia definiendum.

Numquid tale eſt ieiunium quod elegi, per diem affligere homi-
nem animam ſuam? numquid contorquere quaſi circulum ca-
put ſuum, & ſaccum & cinerem ſternere? numquid iſtud voca-
bis ieiunium, & diem acceptabilem Domino?

Ex argumento à definitione ducto vanam & falſam iſtorum querelam
Deus oſtendit, & redarguit: docens ſe non omni ieiunio ſuæ propitiationis
addixiſſe fidem; ſed legitimo tantùm, & à ſe delecto ac definito. Ex quo re-
ſponſo docemur duo ieiunij genera non ex materia & ieiunantis habitu, ſed
ex animo diſtingui: alterum, quod electum; alterum verò, quod ſuſceptum
vocari mereatur. Suſceptum quidem dici, quodcunq; præter legitimam ra-
tionem initur: electum verò, quod ex legitimis cõſtat partibus. In ſuſcepto
vel virtutem, vel fraudem eſſe poſſe: in electo, fraudem non admitti: ſuſcepto
non inueniri certum promiſſum, etiam ſi ſine fraude ineatur; promiſſum,
inquam, ſalutis ac veniæ: electo certum conſtare promiſſum, conſequenti
liberandum fide. Iſtorum verò ieiunia in ſuſcepti genus conferi, & fraudis
nota deteri & improbari, quod corporis tantùm exercitatione peragantur,
ad imponendum non Deo, ſed hominibus aliis; & potiùs ieiunantum præ-
ferre perſonam, quam ieiunantum eſſe eum, qui iſto ieiunarit pacto. Nam
hominibus corporis apparet figura & geſtus, ex quo animi habitus cõiectu-
ris non perpetuò grauibus aut certis penditur. à Deo autem, vtpote animo
& ſpiritu, animum priùs perſpici, deinde corporis habitum probari, modò
legitimis conditionibus conſtantem; atque vtrique parti, corpori videlicet,
atq; animo ea cumulatè præſtari, quæ promiſſi fides poſtulet. Quoniam ve-
rò iſti rationibus rerum confuſis ac turbatis, id quod diſtinctum & ſepa-
ratum eſt, miſcentes vel Deum corporea non videre, vel ſpiritalia ab ipſo
non cognoſci, vel vtraque negligi querebantur, falſæ omnino ſententia in
tribus illis partibus, eodem collectionis genere quod vſurparãt, redarguun-
tur; id eſt, argumento à poſteriore ducto, ac diligente partitione amplificato,
& confirmato. Dicebant iſti, Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti? *quia*
oculos non eſſe Deo intelligerent, videndi etiam facultatem, vel voluntatem
ſaltem adimebant: tamen Deus nec voluntatem ſibi, nec facultatem deeſſe
ait videndi; imò perſpicaciſſimam conſtare videndi virtutem demonſtrat,
ieiunantum ipſorum cum habitu tum geſtu deſcribendo, atq; tempore etiam
adno-

Ieiunium electum: Ieiunium ſuſceptum.

*adnotando, nimirum quòd velut hiſtriones ad vnius diei celebre ſpectacu-
lum, & caput, & collum, & cetera corporis membra ieiunantium per ſimulata
geſtium & veſtitum induerint, atq; motu & actione exercuerint apta. At-
que hæc quidem à ſe videri, conſpici, ſingillatimq; notari, verùm eadem, vt
præpoſterè inita, in legitimis non cenſeri; quibus rectè factis, ſuſceptā eſſe
fidem promiſit. Atq; argumentationem hanc à definitione ſic proponit, ci-
tatq; Deus:* Numquid tale eſt ieiunium quod elegi, per diem affligere
hominem animam ſuam? *Legitimi de ieiunio mandati recitationem in-
terrogatio hæc præbet. cuius illud exemplum: Eritq; vobis hoc legitimū ſem-
piternum: Menſe ſeptimo, decima die menſis affligetis animas veſtras, nul-
lumq; opus facietis, ſiue indigena, ſiue aduena, qui peregrinatur inter vos.
In hac die expiatio erit veſtri, atque mundatio ab omnibus peccatis veſtris.
coràm Domino mundabimini: Sabbathum enim requietionis eſt: & affli-
getis animas veſtras religione perpetua. Expiabit autem ſacerdos, qui vn-
ctus fuerit, & cuius manus initiatæ ſunt, vt fungatur ſacerdotio pro pa-
tre ſuo. Hæc tota legitimi ieiunij ratio eſt, quæ partibus conſtat quatuor. Iu-
bet enim affligi animam vniuſcuiuſque hominis, diuino beneficio frui cu-
pientis, ſiue ciuis, ſiue hoſpitis: idq; ad ſtatum expiationis diem. Iubet à labo-
re quieſcere, repetitq; animæ afflictionē. quibus ritè peractis, expiationem,
ſiue veniam peccatorum, legitimo ſacerdote procurante, concedendam pro-
mittit. In quo quidem præcepto nihil de corporis habitu, geſtu, ac motu, ſed
ſolùm de quiete ab opere agitur, poſt primam & potiſſimam, primo loco in-
dictam, & poſtremo repetitam conditionem. & affligetis animas veſtras.
Totum itaq; præceptum illud hoc loco apud Vatem breuiter citatur, & ne-
gatur de iſtorum ieiunia accipi poſſe. Nam pro illo, Erit vobis hoc legitimum
ſempiternum, ſubſtituit hîc,* Numquid tale eſt ieiunium quod elegi?
*Ait quidem legitimum ieiunium à ſe electum, cuius definitionem recitat.
Erat autem definitio ſiue inſtitutio ex tempore atq; actione, & perſona con-
ſtans. Menſe ſeptimo decima die menſis affligetis animas veſtras, ſiue in-
digena, ſiue aduena: hîc ita idem refertur.* per diem affligere hominem
animam ſuam? *vtrobique hominis ac temporis & afflictionis animæ ra-
tio & præceptio conſtat: verùm illud in legis præcepto contineri negatur.
videlicet, idem eſſe affligere animam ſuam hominem, quod* contorquere
quaſi circulum caput ſuum, & ſaccum, & cinerem ſternere? *Hoc enim
non ex diuino præcepto, ſed ex humano lugentium mæſtorumq; more &
ritu vſurpatum; quod etiam citra vllam animarum humiliationem ab hi-
ſtrionibus vſurpari poteſt;*

Vt qui conducti plorant in funere dicunt
Et faciunt propè plura dolentibus ex animo.

*Quamobrem externa illa lugentium & mærentium ſpecies non modò ie-
iunantibus non imperata, vt nec neceſſaria ad veniam, ſed etiam prudenter
& ſapienter à Spiritu ſancto correcta eſt, interiorem ſpiritus afflictionem,
dolorem, contritionemq; cordis, & veram animæ humiliationem poſtulan-
te: Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Cùm ieiunatis, nolite
fieri*

Legitimi ieiunij ratio. Leuit. 16.

Hypocritarũ ieiunium.

Mat. *fieri ſicut hypocritæ triſtes: exterminant enim facies ſuas, ut appareant*
» *hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, receperunt mercedem ſuam. Tu*
» *autem cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris ie-*
» *iunans Patri tuo, qui videt in abſcondito: & Pater tuus qui videt in abſcon-*
» *dito, reddet tibi. An itaq; Deum falſo iſtos quere, quod ieiunia ſua à ſe non videantur. Videre enim omnino illa ſine ſpecie [illegible] [illegible] dam [illegible] ſimulantis perſonam [illegible] ad [illegible] habitu, geſtu, veſtimento inſtructam, nimirum obſtipo collo, in iunci modum producto, & inflexo, ſacco induto, & vertice cinere conſperſo. quæ omnia ſingulatim, & ad vivum deſcripta & relata à ſe ſunt, tantum abeſt ut non ſint conſpecta. verùm enimuerò ut hæc ſuum à ſe delectum & inſtitutum ieiunium non præſtant: ita neque promiſſo exigendo idonea ſunt, neque à ſe ut grata, & efficacia probantur: imo fallacem quandam [illegible] imaginem præferre, non rem ipſam præbere, quamquam cibi ac potus abſtinentiam contineat. Se vero non ſpeciebus rerum, ſed rebus ipſis; non ſimulationi, ſed veritati conſulere atq; proſpicere. Verum autem ieiunium à ſe electum & commen-*

Ieiunium verum. *datum aliter definiri: idq; eſſe quod à ſpiritus humilitate, & corde contrito profectum, in corporis etiam temperantiam redundat: Quandoquidem totiens ac ſæpius hæc legitimis verbis non ſemel tantùm, ſed bis etiam contracte poſitaq; fuerat. & affligetis animas veſtras, Et affligetis animas veſtras religione perpetua: cùm tamen iſti non affligere, ſed quærere animæ ſuæ, voluntatemq; ſuam facere, & propriis cupiditatibus, eadem qua ieiunant die, indulgere arguantur. Quod verò hæc vera ac legitima eius ieiunandi ratio ſit, repetendis verbis legis exponitur, iiſdemq; declarandis, atq; per eorum ieiunandis uſum confirmatur. In perſonati ieiunantis deſcriptione, an librariorum obſcuratione, an alia ex cauſa, pro* cirpo, *quod interpres Latinus, ut res indicat, ſcripſerat,* circulum *legimus. Atq; rem ipſam, & imaginem nos deſcripſimus: & ita deſcribendi primarium vocabulum*

Agmon. AGMON *oſtendit; quod ſimplicis & altè creſcentis fœni genericum nomen eſt. cuius formæ multæ ſunt, aquaticæ præcipuæ, & ex facilè flexiles, qualis iuncorum ſcirporumq; natura omnis, & in his etiam aſphodelus, Hiſpanis*

Gamon. *antiquo nomine, literiq; tranſpoſitis, Gamon dictus. Latinis omne hoc genus in plantarum ortu ad ſcirpos referendum fuerit. Improbat igitur Deus falſam ieiunij appellationem, & nullius ad ſalutem iuris commodiue eſſe ait, utpote nec legitimam, nec gratam; immo potiùs ingratam [illegible] dignam, quare & iniuſtam reperiam.* Numquid iſtud vocabis ieiuniũ, & diem acceptabilem Domino? *Huic verò exceptioni & improbatio certam & legitimam probamq; definitionem opponit, quam & ſingillatim exponendo commendat, & utilem admodumq; oportunam aſſeverat.*

Nónne hoc eſt magis ieiunium quod elegi? diſſolue colligationes impietatis: ſolue faſciculos deprimentes: dimitte eos, qui confracti ſunt, liberos: & omne onus dirumpe.

Ieiunii le- [illegible] *Docemus ex eiuſdem diſciplina aliud eſſe ieiunium ſuſceptum, aliud* [illegible] *hoc legitimum dici, illud humanum. quod ex cauſis, perſonis,*

modis

modis, aut vitiis, vel probari, vel improbari poſſet. Illius circunſtantias & partes deſcripſimus, eaq́ omnia à Deo indicata, adnotauimus. Nunc verò legitimi ieiunij rationem ac definitionē partibus apertè & ſingillatim diſtributis ac declaratis habemus. Erat autem legitimi ieiunij breuis illa definitio legis nuncupata verbis, Affligetis animas veſtras. Animæ autem nomen NEPHES appetitionem, ſiue appetitum ſignificare, ſæpiùs docuimus; minorem videlicet noſtri portionem animi feminea facultate & appellatione inſignem; quam à primi peccati antiqua ac veteri labe animo inimicam, & repugnantem euaſiſſe, ex arcana Geneſi intelleximus. Huius autem inſolente imperio & importunitate hominem, non ſemper ſibi optata & probata bona, ſed ſæpè ſæpiùs inuiſa mala facere, compertū; ac plus quàm multis millibus exemplorum deprehenſum eſt. Huius etiam domandæ, compeſcēdæ, & ad officium redigendæ cauſa legem latam eſſe accepimus: qua animi interior & nobilior portio voluntatem edocta diuinam, probare, laudare, & optare debeat, & inferiori parti intimare, perſuadere, ac demum imperare iubeatur; in eoq́ conflictu fortiter & ſtrenuè vſque ad ſudorem, atque adeò ad victoriam vſque fortiter agat. S.S.E. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Hunc ipſum conflictum, hanc luctationem, & pertinacem concertationem non ſemel, ſed perpetuò vrgendā (cunctis diebus vitæ tuæ) animæ afflictionem vocari, vereq́ indigetari Deus docet. atq́ ita hoc loco, vbi de legitimo agit ieiunio, declarat. Nec verò vno tantùm modo anima affligenda fuerit, ſed geminata lucta. Namq́ illa circa duplex rerum verſatur genus, bonorum videlicet & malorum, hæc volens, illa verò reſpuens: vtpote quæ his, vt ſibi in præſentiarum iucundis, delectetur; illis verò, vti diuerſis, non afficiatur. Contrà verò, animus, quod ex ſe eſt, bonis cognoſcendis gaudet, malis verò, vt inimicis, affligitur. Verùm enimuerò, quia dum Iaghacobum agit, nondum totum cognatum fratrem complexus, compeſcere valet, ſed apprehenſo tantùm calce retinet: nec liberum prorſus & ſuæ omnino ſpontis in lucem prodere ſinit, id quod poteſt, fortiter iubetur agere, & ſtrenuè præſtare: atq́ ita animam affligere, vt nec malè facere ſinat, nec oportunè faciendum bonum impedire permittat. Priorem affligendæ animæ rationem priùs declarat per Vatem Deus, quæ in malis & peccatis atq́ ſceleribus vitandis & fugiendis verſatur. Triplex autem peccatorum & malorum diſcrimen eſt ex triplice loco diſtinctum, quamquam genere idem ſit. Nam quidquid à legis præſcripto deuiat, peccatum & eſt, & dicitur: ſed peccati prima origo in mente eſſe definitur: indeq́ productum, diuerſa occupat & inficit loca, nempe os & linguam, oculos, atq́ ſenſus omnes; & poſtremò externas corporis partes, crura, pedes, brachia, & manus. quæ omnia cordis exercentur imperio: atq́ à noſtris doctoribus in peccatum cogitationis ac verbi, & operis diuidūtur. Eaq́ in genere & in ſpecie etiam complexus Chriſtus, ita tradit: Quæ procedunt de ore, de corde exeunt; & ea coinquinant hominem: De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ: hæc coinquinant hominem. Atqui vitia omnia vel propriam peccantis perſonam reſpi-

Anima.
NEPHES.
Animæ rebellio.
Legis cauſa.
Gen. 2.
Animæ afflictio.
Iaghacobi & Eſau allegor.
Peccatorum genera.
Mat. 15.

1. Ioan. *reſpiciunt, vt concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum: vel alteram etiam tangunt & lædunt, vt ſuperbia vitæ. quæ omnia animo ac mente priùs concepta colligantur. Hæc verò ad animæ humiliationem primùm diſſolui & diſsipari debere, Deus docet.* diſſolue colligationes impietatis. *Improba & impura cogitata omnia nullo pacto retineri, ſed quamprimùm in mentem venerint, ſolui atque abiici, humiliationem animæ dicit. Deinde ex iſtis colligationibus* faſciculi deprimentes *& graues parantur, iniuriam aliis allaturi & facturi; à quibus omnino abſtinere Deus iubet: ne quis cui vllo modo noceat iniuſtè. quæ animæ quoque humiliatio eſt. Verùm enimuerò non modò iniuſtè quemquam lædi cauendum eſt, aut offendi; ſed neque iure quidem vexari permittit. ita vt, quamquam priùs læſus, offenſus, aut præmorſus quis fuerit, non tamen vicẽ rependens, remordeat, nec debitum improbè repetat. Priorem partem illa tranſlatio ſignificat,* ſolue faſciculos deprimentes; *quos quiſpiam alij ferendos, impoſiturus comparauerat: poſteriorem verò partem illa altera,* dimitte eos qui confracti ſunt, liberos. *Eos, quos iure premere poteras, liberos dimitte. Iuxta illud; Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitori-*

Mat. ,, *bus noſtris.. Si enim vos non remiſeritis ex corde debitoribus veſtris, nec*

,, *Pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra. Nec ſolùm ab inferenda iniuria, aut à rependenda abſtinere, ſed ſi quid iam mali aut damni illatum cuiquam fuerit, reſarcire oportuerit, quamuis id graue, & multi negotij atque incommodi plenum oſtentetur. vt ille, qui veræ pœnitentiæ exemplum præbuit, aiebat: Si quid aliquem fraudaui, reddo quadruplum. Atque ita quod ad malè concepta, & malè facta nocumentaq; attinet, in vniuerſum*

Mvtah. *concludens, præcipit.* & omne onus dirumpe. MVTAH, *lignorũ ſtruem, ad imponendum & baiulandum compoſitam ſignificat vocabulum, & ex tranſlatione quidquid cum incommodo cuiuſquam partum fuerit, indicat. Atq; hæc de priore humiliandæ animæ parte & forma: quæ peccatis & iniuriis coërcendis, maliſq; cupiditatibus compeſcendis paratur. Cui altera etiam beneficientia ſubiungitur. quã non minus ad animæ humiliationem exigi Deus declarat. vtpote oculorum quoque & carnis concupiſcentiæ, ac ſuperbiæ vitæ, id eſt, ambitioni, aduerſam & bellum indicentem, atque ad ſpiritus diuini exemplar propriè relatam. Namq; à malis recedere, nõ tam generoſum natura ſua eſt: cùm homini peccatum & malum, non natiuum, ſed ab inuidia diaboli inductum fuerit: benefacere autem & prodeſſe aliis, hominis natura & integro ingenio fuerit ſemper digniſsimum, & ad imitationem Dei opportuniſsimum: cuius in imagine hominem conſtat editum, & ad ſimilitudinem factum, benignum, manſuetum, pacificum, & ſocietatis communis amatorem, & ſtudioſum curatorem: & ſi ingenuè ac liberaliter agere iuuet, vt iuuare oportet, ſuorum potiùs commodorum, quàm alienorum negligentem, aliis magis quàm ſibi proſpicientem, & in ipſo ieiunio, quod ex electione Dei initur, eorum memorem, qui ex neceſsitate & inopia ieiunare coguntur.*

Beneficẽtia commendatur.

Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſq; induc in domum tuam:

tuam: cùm videris nudũ, operi eum: & carnem tuã ne deſpexeris.

Humanæ vitæ neceſſitas triplex.

OMNIS *humanæ vitæ neceſſitas, quæ ad corporis vſum refertur, tribus tantùm rerum commoditatibus expletur, cibo, veſte, tecto: neque enim natura ſana pluribus indiget, modò ab opinione non ſit ſeducta. S.S.E. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Hæc verò commoda ab his quibus contigerint, communicari cum iis qui deſiderant, Deus iubet, neque expectari vt abundent & ſuperent: namque hoc, vt minus ad animæ faciens humiliationem, minus ad ieiunij electi rationem conſolidandam pertinet, minusq́ generoſum donantis animum probat. Illud verò rectiùs probat, & magis Deo gratum atque electum, vt quis proprium panem, & quem ſibi vix ſatis eſſe aliàs putarit, eſurienti frangat: ita vt nihil ſibi melius aut commodius eſſe velit, quàm alteri. Atq; iſtud noſtris moribus durum quidem; durum inquam, verùm non animo in imagine & ad ſimilitudinem Dei facto durum, ſed animæ durum fatemur. Atqui hic eſt quod quærimus. hæc iam apertior & ſimplicior animæ humiliatio eſt, ac dici meretur; hoc eſt ieiunium à Deo probatum, vt ex eo quo tibi ieiunanti opus eſt, alij eſurienti impartiaris; & tecto tuo hoſpitiis carentem pauperẽ iuues.* Hæc probatæ humiliationis animæ pars eadem eloquij figura, qua ſuperior, à Deo in primæua pronunciatur lingua.* HALOPAROZZ LERAGHAB LAHH MECHA. Nónne partiri eſurienti panem tuum, & inopes vagoſque. MERODIM, afflictos, *eoſdemq́ verecundos, qui moleſtiam ferunt, quam aliis afferre verentur. hos tecto & hoſpitio carentes, non admitti modo, ſed quæſitos & rogatos, imò & coactos domum adduci Deus iubet. Cuiuſmodi exempla in Abrahami, Loti, & Ephraitæ illius laudati ſenis hiſtoriis leguntur.* Cùm videris nudum operi eum. *Non expectandum ait rogare, & poſcere, ſed viſum nudum, operire; veſteq́ donare præcipit. Qui habet duas tunicas, det vnam non habenti; & qui habet eſcas, faciat ſimiliter, aiebat Ioannes ille pœnitentiæ ac parſimoniæ caritatisq́ magiſter. Neque verò diſſimulandum aut conniuendum ad nuditatem alterius magis quàm ad propriam. quæ ſi accideret, diſſimulatione ſui ipſius non negligeretur. Putandum itaque eandem vnamq́ eſſe nudi ac veſtiti carnem, idemq́ poſcere, quod ad inopiam & egeſtatem, & vſum veſtimentorum faciat.* LO THITHGHALEM, *reciprocum verbum*, ne diſſimulatus fueris; *vt te ipſum non diſſimulabis, aut circumſpicere ac dolere deſines nudum, ita eadem carne, paribusq́ elementis alterum conſtare intelligito. & cùm ita perſpicacem alienæ indigentiæ curatorem te præbueris, certiſſimam in te diuinam credes & experiere prouidentiam, & in hac vita mortali oportunam, & animorum ſaluti haud dubiè conſulentem.*

Eleemoſynæ etiã ex nobis neceſſariis, & quæ non ſuperant.

Hoſpitalitas.

Gen. Iudic. 19.

Mat. 4.

Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, & ſanitas tua citius orietur: & anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te.

Salutis & felicitatis veræ deſcriptio.

Felicitatis maximæ ac veræ, atque à Deo effectæ in hac mortali vita deſcriptionem, promiſſio hæc exhibet à filiorum Iſraelis hiſtoria tranſlatam. Qui, cùm inimicos, quibus cum mare rubrum ſubierãt, bonam noctis par-

tem à tergo haberent, vbi primùm luxit, nullos viuere viderunt; ſed ipſi li-beri, ſalui & incolumes ad littus euaſere. deinde verò nubem quam inter ſe & illos antea interiectam ſenſerant, partim obſcuram, quâ hoſtes, partim verò lucidam, quâ ipſi gradiebantur, toto deinceps tempore præeuntem, ſecuti ſunt: diuerſo ac pro horis oportuno vſu, noctu quidem lucentem, interdiu ab æſtu protegentem, numquam tamen obſcuram; donec demum apud Sina montem collecti, Deum ſibi fauentem, ductorem, doctorem, legiſlatorem, ac fœderis auctorem audierunt, & certiſsimis cognouerũt ſignis, miraculis, & teſtimoniis. Huius itaq; beneficij inſtar habiturum Ieroſolymorum populum hunc, cum quo ſermo Dei eſt, hoc eſt, eos omnes qui ſeſe populo ſancto aſcriptos cupierint; modò pœnitentiæ ac ieiunij, quam expoſitam audiuimus, rationem inire & obtinere verè & ex animo iuuet. Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum. *Vocula* CHE *ad multa ſignificanda vſurpatur; inter quæ temporis momenta & oportunitates numerantur. vt hoc loco,* quaſi manè. *ſimul atq; aurora luceſcet, erumpet pariter tibi diuinæ prouidentiæ ac tutelæ lux, qua viam vitæ huius mortalis tendere ſine offenſione ac periculo poſsis ex diuino dono. S. S. E. Cumq; extendiſſet Moyſes manum contra mare, reuerſum eſt primo diluculo ad priorem locum, fugientibusq; Ægyptiis, occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus, reuerſæq; ſunt aquæ & operuerũt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui ſequentes ingreſſi fuerant mare; nec vnus quidem ſuperfuit ex eis. Filij autem Iſraelis perrexerunt per medium ſicci maris, & aquæ erant eis quaſi pro muro à dextris & ſiniſtris. Liberauitq; Dominus in die illa Iſrael de manu Ægyptiorũ: & viderunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris, & manum validam, quã exercuerat Dominus contra eos; timuitq; populus Dominum: & crediderunt Domino, & Moyſi ſeruo eius. Poſtquam verò in Sinai deuentum conuentumq; fuit, ita narratum legimus: Cumq; aſcendiſſet Moyſes, operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini ſuper Sinai, tegens illum nube ſex diebus. Septima autem die vocauit eum de medio caliginis. Erat autem ſpecies gloriæ Domini quaſi ignis ardens ſuper verticem montis in conſpectu filiorum Iſrael. Huius autem tanti beneficij veritatem inſtaurandam, & amplificandam credentibus, ac veræ pœnitentiæ electoq; ieiunio vacantibus, Deus apud hunc pollicetur Vatem.* Tunc erumpet quaſi manè, *cũ ipſa aurora.* SAHHAR *primum diluculũ. de quo in figura legebamus: Reuerſum eſt primo diluculo. Idem enim nomen* SAHHAR *illic & hîc ſcriptum.* & ſanitas tua citius orietur. *In exemplari eſt,* VAARUCHATHECHA MEHHERAH THITSMAHH, & ſanitas tua citò germinabit. *Ex tranſlatione rectè culti agri oratio hæc deſumpta eſt: nam qui ager propter vitium ſterilis, & maledicto proximus fuerat, euulſis penitus malis & inutilibus plantis & herbis, atq; benè aratus & ſubactus, vbi bonũ ſemen liberaliter acceperit, manifeſtam, & præſtantem felicitatem citò probat, & mutationẽ priſtinæ malitiæ apertè indicat, nouis germinandis & proferendis plantis, quæ bonæ frugis promittant ſpem, atque ſerenti agricolæ bene poſiti laboris ac ſumptus fructum*

proſe-

Margin notes: CHE. quaſi. — Exodi 14. — Exodi 24. — SAHHAR.

proferant. & vt illa nubes lucida, & illuminans noctem, Iſraelitas quon-
dam à mari ad Sinam præibat, ita anteibit faciem tuam iuſtitia tua. Iu-
ſtitia, vt iam aliàs apud hunc Vatem, pij officij ſignificationem obtinet, à Iuſtitia. Eleemoſyna.
miſericordia quoque ſtantem; quam Græco vocabulo eleemoſynam aliquan-
do vocatam, obſeruare eſt: Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram Mat. 6
hominibus, vt videamini ab eis. & paulo poſt: Te autem faciente eleemoſy- "
nā, neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. Hæc omnia, quæ dicta ſunt, "
atq; apud Vatem hunc indicata, quamquam non ipſa diuina iuſtificatio ſint, Opera neceſſaria ad iuſtificationem.
ſunt tamen ad iuſtificationem præparatu neceſſaria, adeò vt his requiſitis,
diuinum non expectandum fuerit promiſſum, quod hæc eadem antè ſui ve-
ritatem exegerat. Nam quamquam vnum, pro quo centuplum accepium iri
Chriſtus docet, æſtimatione cum centuplo vllo modo aut iure non adæque-
tur: tamen niſi illud vnum promittentis fiducia erogetur, nullo pacto cētu-
plum fuerit expectandum. vt verè expectari conueniet vno erogato, non ex
vnius natura & æſtimatione, ſed ex promittentis liberalitate Dei; ſicut nec
ex agro, cui vnum non credideris frumenti granum, centuplum vel ſexa-
gies expectari conueniet. Itaque ad iuſtificationem diuinam metendam iu-
ſtitiam tuam præmiſſam oportet. Iuſtitiam autem humanā hoc loco, vt ſæ-
pè aliàs, fidem cum pœnitentia declaramus. Cuius pœnitentiæ partes &
conditiones à Vate noſtro iam indicatæ, rurſus repetita oratione, atque ple-
nius expoſita referuntur. Porrò his actis, præparatis, ac ritè cōſtitutis, glo-
ria Domini colliget te. Gloriam Domini hoc loco Dei manifeſtationem Gloria Dñi.
in ſpiritu & veritate ſeipſum oſtendentis, interpretamur; qualem in figura
quondam populo, apud Sinam collecto, & ad pactū feriendum parato, oſten-
ſam commemorabamus. de qua ſcriptum eſt: Qui habet mandata mea, & Ioan. 14.
ſeruat ea, ille eſt qui diligit me: & qui diligit me, diligetur à Patre meo, & "
ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum. Ad quam rationem & il- "
lud facit: Ego in infirmitate, & tremore, & timore multo fui apud vos: & 1 Cor. 2.
ſermo meus, & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ "
verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis; vt fides veſtra non ſit in ſa- "
pientia hominum, ſed in virtute Dei. Sapientiam autē loquimur inter per- "
fectos, ſapientiam verò non huius ſeculi, neque principum huius ſeculi, qui "
deſtruuntur; ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt; "
quam prædeſtinauit Deus ante ſecula in gloriam noſtram quā nemo prin- "
cipum huius ſeculi cognouit: Si enim cognouiſſent, numquam Dominum "
gloriæ crucifixiſſent. ſed, ſicut ſcriptum eſt, quod oculus non vidit, nec auris "
audiuit, neque in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis, qui dili- "
gunt illum: nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum. Spiritus enim "
omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum nouit ea quæ "
ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt? ita & quæ Dei ſunt, ne- "
mo cognouit niſi ſpiritus Dei. Ad hoc myſteriū Dei gloriæ collectionem "
interpretati referimus. quod etiam paulo pòſt Iſaias indicabit, vbi de ieiu-
nij electi ratione & veritate planiùs aliquanto egerit: interim enim Dei in
præſtando rectè ieiunantibus promiſſo, fidem aſſeuerat.

Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, Ecce adſum.

Poſtulatorũ à Deo fruſtratio ex hominis culpa. Iacobi 4.

Ipſoſmet ſibi homines in culpa eſſe non impetrandi ea quæ ex Deo poſcuntur, Spiritus docet ſanctus tum ſæpè aliàs, tum apertè apud Iacobum Apoſtolum; nimirum quod nec poſcendorum rationem habeant, neque poſcendi rectas teneant cauſas. Petitis, & non accipitis; eo quòd male petatis, vt in concupiſcentiis veſtris inſummatis. Contrà verò recta rectè petentibus liberali Dei beneficio euenire, quamplurimis documentis & exemplis confirmatum eſt. Priorem enim voluntatem ac benignitatem donantis, quàm curam diligentiamq́; poſcentis eſſe, ipſa diuinæ miſericordiæ naturæ ac prouidentiæ magnifica docet ratio. Id quod hoc etiam loco ſignificat Vates, dum certam & præſentem voluntatem ac fidem donaturi, Dei petendi conditionibus præponit, dixerat enim Deus, ieiunij ritum omnem ea cauſa inſtitutum, vt ieiunantis vox in ſublimi audiretur. atq; eo nomine homines reprehenderat, quòd non clamorem ſuum audiri, ſed ieiunium conſpici & attendi optaſſent, ac propterea quererentur, quare ieiunauimus, & non aſpexiſti? *cùm ille non ieiunium externa abſtinentia initum, ſed purè ieiunantum vocem auditurum ſeſe receperit. quo in promiſſo ac propoſito ſe conſtare declarat, atq; ad eandem tenendam legem hortatur.* Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet. *& contra id quod ipſi querebantur,* humiliauimus animas noſtras, & neſciſti, *opponit ſeſe præſentem quidem, & cuncta videntem cognoſcentemq́; verùm illis non adeſſe, vtpote non opportuna ex præſcripto legis agentibus. quòd ſi ritè agantur ex reſponſi formula* Ecce adſum. *reſpondentis prouidentiam, voluntatem ac tutelam præſentiſsimam ſint experturi. Conditionem autem iterum atque iterum repetitam, planius etiam expoſitam, attendere ac ſubire admonentur, coniunctam videlicet cum promiſſo,* Tunc inuocabis, &c.

Si abſtuleris de medio tui cathenam: ſi deſieris extẽdere digitum, & loqui quod non prodeſt.

Pœnitentiæ ſumma.

Malorum fugam & bonarum ſtudium actionum pœnitentiæ probatæ, atq; electi ieiunij ſummam eſſe docebamur. id quod nunc etiam repetitum, aliis tamen imaginibus, alio ſtylo enunciatum accipimus. Peccatorum primam originem in corde eſſe referebamus, ex qua omnia manarent erratorum genera; quæ poſtea vel ore, vel manu conſummarentur. Hæc omnia corrigi, deponi, & abiici, atque in contraria mutari ſtudia, iubet, mandatq́; beneficij benignus Deus. de medio tui cathenam. *Idem vocabulum* MVTAH, *quod ſuperiùs* colligationes impietatis *interpres noſter dixerat. Cogitationum infinitam propè ſobolem, & frequentiam malis modis colligatam ſignificat. quas primas* de medio tui, *hoc eſt, de corde auferri conuenit, & manum deinde ac linguam compeſcere, ne illa mali quicquam patret, néve iſta pronunciet.* digitum, *metonymikῶς pro tota manu poſitum, qua figura vel attingendum quidem malefactum; nedum tractandum vetatur. Nam digito attingi dicitur id quod leuiter, & non adeò accuratè fit. vt, Alligant onera importabilia, digito autẽ illa non attingunt. Quod verò*

Mvtah.

Digito attingere. Mat.

oris,

oris, vti dicitur, peccata ſpectat, hoc modo etiam vetatur. & loqui quod non prodeſt. *In exemplari eſt*, VEDABER AVEN. & loqui vana. *Quidquid præter honeſtum atq; decorum pronunciatur, nomine* AVEN *ſignificatur. Ex quo per metatheſin Latinis vanum dicitur. Rectè autem interpres noſter vertit*, quod non prodeſt. *vt non modò improbum, importunum, & contumelioſum; ſed etiam ſuperuacaneum ſermonem vitari intelligamus. Hanc verò malæ mentis, atq; improbæ conſuetudinis prauitatem non modò non ſatis fuerit abiicere, ſed etiam bonarum actionum ſtudio mutare. S. S. E. Declina à malo, & fac bonum: & inhabita terram, & paſceris in diuitiis eius. quam etiam partem præſenti ſermone ſubiungit Deus.* Linguæ peccata. Aven. Vanum. Beneficientiæ cũ innocẽtia coniungẽda. Pſal.

Cùm effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictam repléueris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ erunt ſicut meridies. HOMINIS *cuiuſpiam in alium egentem hominem beneficium, quamquam eum iuuat, cui impenditur; tamen niſi ex humano, liberali, & benigno proficiſcatur animo, non propriè humanum dicitur: quare nec diuino præmio dignum cenſendum. vt illud verè cenſetur, quod ex communis auctoris atque ſeruatoris Dei fide, conſideratione, & imitatione libenter, piè, & amanter fit. S. S. E. Hilarem datorem diligit Deus. Namque, vti iam diximus, Deo ſpiritui & animo puriſsimo prima hominis reſpicitur & attenditur mens; ex qua operi, vel probatio, vel improbatio accedit. Dixerat autem ſuperiùs de opere, & beneficio in egenos conferendo.* Frange eſurienti panem tuum, & egenos & vagos induc in domum tuam, cùm videris nudum, &c. *nunc verò animi impulſum, qualẽ velit, apertè declarat; nempe verè humanum, nihil humani à ſe alienum putantis, alienam afflictionem miſerantis, atq; verbis & conſolatione, ac, quantum præſtari poſsit, rebus & ope iuuantis, adéoque in alienam inopiam & egeſtatem boni ac benigni, vt eſurientis animam, ſuæ ipſius animæ largitione primùm proſequatur, hoc eſt, vt idem ipſe cum alio ſentiat, idem animo patiatur. Mementote vinctorum, tanquam ſimul vincti, monebat Paulus. & flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus, idipſum inuicem ſentientes. Hoc enim modo animati hominis beneficium etiam, ſi pro facultate reapſe non adeò ſplendidum ſit, mirum tamen dictu quantum ei, cui affertur, gratum cumprimis & iucundum, atque ad inopiam leuandam efficax euadat. Id quod illuſtre à Chriſto editum perdocuit exemplum. Cuius animus primùm declaratus eſt. Miſereor ſuper turbas, quia iam triduum ſuſtinent me, & non habent quod manducent: & ſi dimiſero eos in domũ ſuam ieiunos, deficient in via, & quidam eorum de longè venerunt. Qua oratione quantam humanæ inopiæ animo, quamq; exquiſitam ac diligentem foueret curam, manifeſtè præceptor declarauit. Eam autem, exigua, quæ tunc ad manum ſuppetebat, oblati cibi copia, quinque, inquam, panũm, ac piſciũ duorum diuina benignitas & benedictio adeò feliciter expleuit, vt ſaturatis omnibus; tamen vſque ad miraculum ſuperfuerit. Huius & animi & facti imitatione illud præſtabitur, quod per Vatem dicitur*, Cùm effuderis eſurienti animam tuam [*idem ipſe humanè ſentiens*] & animam afflictam Eleemoſyna ex caritate.

[*quo-*

quocunque humiliationis & afflictionis modo] repleueris [*atq; hoc pacto tuam etiam afflixeris & humiliaueris animam, quæ antea ſibi melius eſſe, quàm aliis auebat.*] *Idem verbum* GHANA *hoc loco vſurpatur, quod ab illis ieiunantibus vſurpatum referebatur.* humiliauimus animas noſtras. *vt veræ humiliationis explicata amplificataq; conſtet ratio. Quæ in ſumma malorum ac peccatorum deteſtationem & fugam, bonorum officiorum curam ſtudiumq; continet cum fide in eum qui repromiſit, & mentiri non poteſt, quiq; id, quod ipſe demum ſit præſtiturus, eueſtigio indicat magis, quàm explicet. Neque enim tanta res, tamq; arcanum beneficium explicari oratione humana poteſt; indicari verò & adumbrari quibuſdam magnæ & illuſtris in ſuo foro ſignificationis verbis & ſermonibus, ex humano vſu petitis, vtcunque poteſt.* Orietur in tenebris lux tua. HHOSECH, *pro quo plerumque Latini* tenebras *reddunt; eam rerum ſignificat conditionem, quam mundus, cùm nondum eſſet, tenuiſſe, vel potiùs nullam tenuiſſe narratur. Atq; ita confuſam & cæcam verorum bonorum carentiam ſignificat; qualem ſtatum ſiue locum, ſiue quid aliud turbatiùs vocare libeat, humanæ res per peccatum ſubiere. atq; ita tenebras malorum primùm dicere poſſumus, ex eo moniti, quod harum oppoſitam lucem omnium, quæ cognoſci in orbe poßint, bonorum primum appellatum eſt. Et dixit Deus, Fiat lux: & facta eſt lux. & vidit Deus lucem quòd eſſet bona. Quare magnam ſtatus conditionisq; ex malo in bonum mutationem, in homine humiliationis à ſe probatæ, compote effectum iri Deus pollicetur; quæ præſentis vitæ ſortem tantùm ſuperet, quantum ſuo in genere lux tenebras vincit. idq; non omnibus hominibus commune foret, ſed iis tantùm, quibus hæc præſtita conſtent, quæ in conditione exacta ſunt, vel pluribus, vel paucis, vel ſingulis: namq; hoc non ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri; ſed ex Deo, ac vnico beneficij auctore, & futuri ſeculi parente vnicuique petendum & accipiendum fuerit. quare & vnicuiq; ſua pro parte curandum. ideo ſingulariter dictum* Lux tua. *Quamquam omni mundo tenebræ officiant, lux tamen tua in ipſis tenebris orietur. Id quod factum iis quibus contigerat, D. Paulus gratulabundus celebrat. Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei in facie Chriſti Ieſu. &, Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: vt filij lucis ambulate (fructus enim lucis eſt in omni bonitate, iuſtitia, & veritate) probantes quid ſit beneplacitum Deo. Quod verò ſubiungitur beneficij amplificationem continet.* & tenebræ tuæ ſicut meridies. APHALATH, *poſterius perpetuò quàm* HHOSECH, *pronunciatum obſeruatur. quare & grauiorem atque miſeriorem ſignificare dicitur conditionem. Ab interprete noſtro interdum caligo, aliquando* tenebræ, *vt nunc, dicitur. Eſt autem* APHELAH *caligo quædam lucis omnino expers denſior quàm tenebræ, inæqualis tamen denſitudinis, atq; ideo videndi ſenſum & communem æſtimationem præſtringens, magisq; decipiens. Namque tenebræ, quia mera lucis priuatio ſunt, ſibi vndique conſtant; atq; eum, quem ambiant, nihil agere aut aggredi inciperéve ſinunt, vt po-*

Margin notes (in order): Animę afflictio ſiue humiliatio. — Diuini doni adumbratio. — HHOSECH. — Tenebræ. — Humanus per peccatū ſtatus. — Lux. Gen. 1. — 2. Cor. 4. — Epheſ 5. — APHELATH. — Caligo. Tenebræ.

vtpote perſuaſum importunitatis omni incipiendæ rei obiectæ. qualis aëris conſtitutio Abrahamo in illa viſione obiecta narratur. Cumq́ ſol occumberet, ſopor irruit ſuper Abraham, & horror magnus & tenebroſus inuaſit eum. Verùm enimuerò longè periculoſior horribiliorq́ conditio habetur eorũ quos & HHOSECH *&* APHELAH *vexant, inquieta perpetuò conſcientia affectos. quali Ægyptios toto triduo inuolutos miſeria accepimus. Extenditq́ Moyſes manum in cælum, & factæ ſunt* HHOSECH APHELAH *tenebræ horribiles ſuper vniuerſa terra Ægypti. Tribus diebus nemo vidit fratrem ſuum, nec mouit ſe de loco, in quo erat. vbicunque autem habitabant filij Iſrael, lux erat. Quali autem animo, quanto in metu, quanta conſcientiæ formidine & inquieta ſuſpicione illi eſſent, Sapientiæ libri auctor veriſſimè & facundiſſimè oſtendit. Ad hanc autem hiſtoriam Dei apud Vatem noſtrum alludit reſponſum, magnam felicemq́ ſtatus mutationem fidelibus ac rectè pœnitentiam inſtituẽtibus polliciti: ita vt ex magna conſcientiæ turbatione ex illa opinionum & ſententiarum obſcuritate, qua peccatores aliàs aliquid ſibi ſapere & conſulere viſi, diuerſati vexantur, ad admirabile lumen Dei, meridiana luce clariùs, traducantur.* Gen. 15. Exodi 10. Sap. 17. Et tenebræ tuæ, APHELAH tua ſicut meridies. *vt reſpondeat imagini. Vbicenque habitabant filij Iſrael, lux erat. Atq́ vt in* HHOSECH *meram priuationem, ignorationem ac pauorem, in* APHELAH *inquietam conſcientiam, turbatam mentem, & perpetuam anxietatem eſſe, vel ex illo Salomonis intelligimus documento, Via impiorum* BEAPELAH, *tenebroſa, neſciunt vbi corruant. Pergit autem diuinum reſponſum in deſcribenda felicitate eius, qui quale accepimus, ieiunium ſuſceperit, ac præſtitum probauerit: cui perpetuam animi tranquillitatem, & corporis demum reſurrectionem pollicetur. atq́ vtriuſque partis æternam beatitatem omnibus ſapientiæ, ſcientiæ, ac decori totius numeris abſolutam cæleſtis diuiniq́ ſpiritus efficientia perpetuò præſtandam & conſeruandam.* Prou. 4. Reſurrectio corporis.

Et requiem tibi dabit Dominus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam, & oſſa tua liberabit; & eris quaſi hortus irriguus, & ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.

ET requiem tibi dabit Dominus ſemper. *oppoſitam ſeruituti & labori perpetuò ſortem, atq́ illi imagini prorſus contrariam, quam Iſrael ſub Ægyptiaca tyrannide ſuſtinuerat. qualem requiem diuino beneficio, & Chriſti efficientia electis contingere docet, ac teſtatur Paulus. Itaque relinquitur ſabbathiſmus populo Dei. Qui enim ingreſſus eſt in requiẽ eius, requieuit ab operibus ſuis, ſicut & à ſuis Deus.* & implebit ſplendoribus animam tuam. *Diximus promiſſa hæc non promiſcua, nec ſine delectu volentibus omnibus capienda, ſed iis tantùm, qui legitimè certarint, diuinoq́ filiorum Dei priuilegio ac titulo obtinendo ſeſe comparauerint donanda. Ideoq́ hîc ſingulariter auditori vnicuique nunciari. De his diuinis arcanisq́ ſplendoribus illud ſatis modò fuerit ex D. Paulo citari: Non ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis, vt Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ &* Sabbathiſmus populi Dei. Heb. 4. Epheſ. 1.

„ *reuelationis in agnitione eius illuminatos oculos cordis veſtri, vt ſciatis quæ*
„ *ſit ſpes vocationis eius, quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius in ſanctis, et quæ*
„ *ſit ſupereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credidimus ſecũdùm*
„ *operatonem potentiæ virtutis eius, quam operatus eſt in Chriſto.* & oſſa tua

Oſſium laßitudo, & ſanitas.

liberabit. *Oßium recta & agilis habitudo quietis ac ſanitatis eſt index, & contrà, oßium laßitudo immanẽ laboris indicat ſeruitutem. De priore parte dictum, Dulcedo animæ ſanitas oßium eſt. &, Omnia oſſa mea dicent: Domine quis ſimilis tibi? De poſteriore verò & contrario habitu. Non eſt pax oßibus meis à facie peccatorum meorum. &, Spiritus triſtis exſiccat oſſa. Præter ſanitatẽ verò ac requiem corpori quoque à prioribus laboribus præſtandã, quam Chriſti leue onus & ſuaue iugũ præbet, arcana ſermonis formula reſurrectionem quoque ſignificauit carnis. Nam verbum* HHALATS, *pro quo interpres* liberabit *reddit, mutare & renouare atq; reficere; item etiam impinguare Latinis eſt. Quare cùm de veſtimentis in elegantiorem conditionem mutandis vſurpatur propriè. atque hoc pacto qualem reſurrectionis ſtatum expectare oporteat, arcanè indicat. quod ab Apoſtolo ſic explicatur: Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Hanc verò immortalitatem cum æternæ ſapientiæ & perennis bonitatis vſu planiùs etiam indicat, aptißima declarata ſimilitudine.* & eris quaſi hortus irriguus. *Cuius arbores plantatæ ſecus decurſus aquarum, fructum ſuum dabunt in tempore ſuo. & folium earum non defluet; & omnia quæcunque facient, proſperabuntur. Certam verò & perpetuam felicitatem hanc fore, nullaq; vicißitudine mutandam ex diuini ſpiritus perenni, ac ſemper præſenti dono promittit.* & ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ. *Ad hoc promiſſum illud etiam Chriſti facit: Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. In exemplari eſt.* VCH MVTSA MAIM ASER LO IICHAZBV MEIMAV. & ſicut exitus aquarum, cuius non mentientur aquæ. *Denique à ſingularibus perſonis ad totam Eccleſiam conuerſo ac relato ſermone humano generi amiſſam quondam dignitatem, & beatitatem cumulatißimè reſtitutum, atque adeò ſumma & perpetua amplificatione confirmatum iri promittit, ſi modò cum iis, quæ commendata ſunt, humanis officiis ſincera fides, & huius fidei index purus ac ſimplex & ſanctus pietatis ac religionis iungatur cultus.*

Pſal 37. Prou. 17. Carnis reſurrectio. HHALATS. 1. Cor. 11. Diuini doni perpetua cõſtantia. Ioan. Fides.

Et ædificabuntur in te deſerta ſeculorum, fundamenta generationis & generationis ſuſcitabis: & vocaberis ædificator ſepium, auertens ſemitas in quietem.

Hieroſolyma Eccleſiæ typus.

Hieroſolymorum vrbs, quam hoc loco allocutus inducitur Deus, totius humani generis, vel planiùs communis, & catholicæ Eccleſiæ typum perſonamq; gerit: quæ per ſpiritum ſanctificationis redempta, comparata, aucta, & adornata nouæ ſobolis vniuerſum completura orbem, atque cælorum regnum inſtructura mater futura promittitur. Seculorum, *ſiue* GHOLAM, deſerta. *ruinam omnem à conſtitutione mundi in humano genere vaſtißimè factam, indiesq; nouis & frequentibus virtutum & ornamentorum*

Ruina generis humani.

animi

animi caſibus auctam interpretamur, tranſlatione ſumpta ab ædificiis magnis, quæ vbi ſemel vitio facto ruere cœperint, nec reſtitutorē præſto pergnis, quæ vbi ſemel vitio facto ruere cœperint, nec reſtitutorē præſto perpetuumq́ ſortita fuerint, aſſiduis longi temporis obnoxia & infeſtata iniuriis, noua indies accipiunt detrimenta, horridiora atq; habitationi incommodiora quotidie fiunt. Hoc modo ad Ieſu Chriſti vſque ſeruatoris ætatem & beneficium humana reſpub. à prima generis labe habuiſſe narratur. verùm illius admiranda virtutis efficientia non modò antiquæ & veteres, ceteræq́ temporis vi editæ ruinæ reſtitutæ ſunt: ſed ita rurſus Eccleſiæ ſanctitas fundata, ducta, & vallata atq; firmata, vt nec ſoli ſitusq́ culpa, nec muri, aut ædificiorum infirma ſtructura vllum vnquam paſſura fuerit intertrimentum. Et quoniam in terreſtris vrbis Hieroſolymæ tranſlatione perſiſtit oratio, ſacras legentibus hiſtorias notum exploratumq́ eſt, vrbem illam ab antiquis Iebuſæis conditam, à Dauide ac Dauidis poſteris regibus, ſæpius & ſitu locupletatam, & muris ædificiisq́ fuiſſe inſtauratam & adauctam: quorum partem tamen hoſtium manus, partem verò temporis ac ſeculorum violentia vaſtauerit. Quod verò ad Eccleſiam, hoc eſt, ad rem ipſam facit, magnas & aſſiduas in generis humani virtutem & vitam à Caino vſque fuiſſe illatas, notare licet labes; earumq́ partem quibuſdam in locis labentia per ſecula correctas: numquam enim mundus ſine aliqua humana opera à diuina prouidentia adhibita conſtitit. Id quod vel ex vnica vineæ parabola cognoſci poteſt. Fuere enim ab Adamo vſque ad Abrahamum generationes viginti: ab Abrahamo vſque ad Dauid generationes " quatuordecim: à Dauid vſque ad tranſmigrationē Babylonis generationes " quatuordecim; à tranſmigratione Babylonis vſque ad Chriſtum generatio- " nes quatuordecim. Quibus omnibus, qui res humanas ad pietatem perti- " nentes ex diuinæ prouidentiæ inſtituto curarent, operarij non defuere, frequentiores interdum, nonnumquam verò rariores, numquam verò nulli. Sed, quod per hos refici reparariq́ potuit, exiguum admodum pro vaſtitatis, & quotidianarum ruinarum cenſura & æſtimatione, adeò vt vel in ipſo denſiorum operarum loco, præ iis quibus opus erat, perpaucæ numerarentur. S.S.E. Meßis quidem multa, operarij autem pauci: rogate ergo dominum meßis, vt mittat operarios in meſſem ſuam. Quod hic Chriſtus ſub agriculturæ imagine docebat, apud hunc vatem tranſlatione ab ædificiis petita docet. Ad quam ſententiam illud à Dauide nuncupatum facit votum: Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Ieru- " ſalem. Atque hæc omnia per Chriſtum integerrimè atq; aptiſſimè reſtitutum, imò & ampliſſimè auctum, & latiſſimè propagatum iri Vates annunciat. fundamenta generationis & generationis [*quidquid per omnes ætates ab antiquis patribus, vatibus, regibus, ſapientibus, & ſcribis ædificatū fuerat,*] ſuſcitabis, THEKOMEM. *non modò reſtituere, ſed etiam altius tollere, producere, omni ex parte abſoluere, & firmare ſolidareq́ ſignificat verbum hoc. Hoc autem adeò felix, fauſtum, propriumq́ huic populo, qui naſcetur, quem fecit Dominus, futurum & permanſurum dicitur, vt perpetuis nominum, cognomentorum, atque inſcriptionum titulis conſecrandum,*

Humani generis reſtitutio & amplificatio.

Vineæ operarij.

Lucæ 3. Matth. 1.

Pſal. 51.

crandum, atque communis ac publici ſermonis præconio commemorandum
ſit. & vocaberis ædificator ſæpium, auertens ſemitas in quietem. So-
lenne olim ac peruulgatum, communiq́; vſu notum eſt, magnificentiſſimos,
ac de hominum publica re benemerenteis viros aut populos inſignibus, &
rem ipſam indicantibus ac teſtatis nobilitare cognomentis ac titulis. Ex quo
iure frequentes illæ appellationes ac ſalutationes, ἀλεξίκακος, efficax, cun-
ctator, pater patriæ, & quæcunque alia laudis & gratulationis munimen-
(Iſraelitæ & gentes in vnā Eccleſiam coniungendi) tum & famam ſeruant. Hunc autem à Deo beatum & felicitatum popu-
lum humanæ labis & reipub. collapſæ non inſtauratorem tantùm, ſed re-
ſtitutorem, ſed amplificatorem, atque adeò integratorem vocandum eſſe,
ait. vtpote cuius exemplo, doctrina, virtute cælitus accepta, atq; opera ac di-
ligentia, ſedulitate & fide efficiendum fuerit, vt quæ diſiecta, & nullo pa-
cto cohærentia ante eſſent, in vnam communionem coaptentur, & colligen-
tur: hoc eſt, vt Iſraelitica natio ſecundùm carnem, & gentium omnium di-
uerſa ante factio in vnam Eccleſiam, vnamq́; Dei ciuitatem, vnum ve-
ræ pietatis cooptentur & coniungantur collegium. ædificator ſæpium.
GODER PERETS. ex verbo, ſtructor maceriæ. Alluſio manifeſta ad duo-
(PERETS.) rum illorum filiorum Iudæ hiſtoriam: quorum alteri nomen PERETS hoc
elogio addito factum eſt. Quare dirupiſti maceriam. Eſt autem PERETS
diſrupta in continuo muro apertio & interuallum factum, quod aliàs no-
ſter interpres confractionem, aliàs maceriam nominat. Hiſpanicè portillo
(Inter Iſraelē & gentes interruptio.) dicitur, & ex eo nomine verbum aportillar factū. Fuerat autem iam olim
à Iuda vaſta & immanis inter Iſraelem & ceteras gentes interruptio,
magnis opinionum, animorum, & conſuetudinum interuallis diuerſa. Cu-
ius inſtructorem hunc, de quo agimus, Dei populum fore atq; nomine cele-
brem & nobilem commendatumq́; manſurum, Vates ait. Ad quam ſignifi-
(Locus Diui Pauli illuſtratus.) cationem, verbis quidem aliter poſitis, re autem eadem, illud D. Pauli facit:
qui de Chriſti pacificatione, & populorum concordia ſic ſcribit. Ipſe eſt pax
(Epheſ. 2.) noſtra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens, ini-
» micitias in carne ſua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat
» in ſemetipſum in vnum nouum hominem faciens pacem, & recōciliet am-
» bos in vno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in ſemetipſo.
Primùm enim diſrupto muro inter gentes & Iſraelitas differebat, quam
etiam differentiam & diſſenſionem legis occaſione auctam ſignificat Apo-
ſtolus, interiecta mandatorum lege; cuius decretis altera pars vacabat, alte-
ra minimè parebat. Hac mandatorum lege per Chriſtum euacuata commu-
nio vtriuſque populi celebrata fuit, atque integrato vnius Eccleſiæ muro
coniuncta. quo loco Apoſtolus de interiecto vallo mentionem fecit; hîc ve-
rò Vates de interruptione communis quondam parietis, eiuſdemq́; de inte-
gro connexione. quam Paulus reſpiciens, indicauit: Fecit vtraque vnum.
Igitur alterum ex populi huius cognomētis ædificator ſæpium, ſiue, ſtru-
ctor maceriæ fore prædicitur. alterum verò auertens ſemitas in quie-
tem. MESOBEB NETHIBOTH LASABETH. Conuerſor ſemitarum ad
ſedendum. Vnum ex publicis operibus in commune hominum beneficium
inſti-

inſtitutis viarum inſtructio & munimentum habetur, propter quod & nomen auctoribus arrogari, & monumentum ſtatui ſolet. Cuius curæ atq; laudis exemplo vel illæ Romanis celebres viæ Appia & Flaminia fuerint, atque illa per Meſſalam reſtituta & concinnata, quam illo carmine celebratam accepimus: Viarum inſtructio.

Non taceam monumenta viæ, quæ Tuſcula tellus Tibul. lib. 1. 8.
Candidaq; antiquo detinet Alba lare:
Namq; opibus congeſta tuis hîc glarea dura
Sternitur, hîc apta iungitur arte ſilex.
Te canit agricola, è magna cùm venerit vrbe
Serus inoffenſum retuleritq; pedem.

Manifeſtum autem, nulliq; ſtudioſo ignotum eſt, varias religionis vel ſuperſtitionis potiùs à gentium doctoribus, Vatibus, ac ducibus fuiſſe excogitatas doctrinas, eaſdem vias ſiue ſectas appellatas. quarum inuentores & auctores finem ac terminum in beatitudine eſſe promittẽtes, nullam tamen ſectatorum ac diſcipulorum cuiquam præſtitere: quippe quos nec verã beatitudinem cognoſcere, quare nec monſtrare, nedum tradere potuiſſe, deprehenſum fuerit; imò quam longius in illis progreſſus eſſet factus, tanto longiùs à vero bono videatur aberratum. namq; ibidem eſſe oportuit humanæ felicitatis finem & terminum, vbi fuerat eiuſdem naturæ, & generis verum initium, hoc eſt, Deum hominum & auctorem & beatorem cognoſci, peti, ac ſequi, & obtentum curari decuit, in eoq; vno obtinendo bonorum finem atq; ſummam ſtatuere. Ab hac ratione quicunque quacunq; ex parte ac via diuerterent, aberrare neceſſe erat, & omnem in itinere laborem ac ſumptum poſitum, perditum demum ac vanum experiri. donec oriens ille exortus exſtitit, qui ex alto lucens, eos qui in tenebris & vmbra mortis ſedebãt, illuminaret, ad dirigendos pedes illorum in viam pacis. Hanc pacis & quietis inueniendæ viam ſignificat hoc loco Iſaias à populo Dei tenendam, atq; aliis à verò aberrantibus, & errorem deponere auentibus commonſtrãdam relictis illis variis antè ſectis; quæ, quia priuatarum familiarum, & non omnibus hominibus pariter communes eſſent, ſemitæ vocantur. Harum ſectatores & frequentatores ab erroribus reuocatos, ad veræ habitationis locum reductũ iri Vates hypallage figura vſus prænunciat, ex eaq; re nomen illud inſigne auertens ſemitas in quietem, *ſiue* vertens ſemitas in ſedem, *vel* habitationem, *Dei populo hæſurum & confirmandum. Cuius officij ſpecimen Paulus & Barnabus apud Lydos dediſſe, iam commemorauimus: Viri fratres, quid facitis? & nos mortales ſumus ſimiles vobis homines, annunciantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum, qui fecit cælum & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt. Qui in præteritis generationibus dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas; & quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, &c. Atq; Athenis Paulus apud Areopagum: Viri Athenienſes, per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video: Præteriens enim, & videns ſimulacra veſtra, inueni aram in qua ſcriptũ erat,* IGNOTO DEO. *quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis. Deus*

Variæ ad beatitudinem ſectæ, ſiue viæ.

Finis bonorũ

Lucæ 1.
Via pacis.

Act. 14.

Ibid. 17.

 qui

,, *qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt, hic cæli & terræ cùm ſit Do-*
,, *minus, non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur,*
,, *indigens aliquo; cùm ipſe det omnibus vitam & inſpirationem, & omnia;*
,, *fecitq́ ex vno omne genus hominum inhabitare ſuper vniuerſam faciẽ ter-*
,, *ræ, definiens ſtatuta tempora & terminos habitationis eorum, quærere*
,, *Deum, ſi fortè attrectent eum, aut inueniant, quãuis non longè ſit ab vno-*
,, *quoque noſtrum: in ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus; ſicut & qui-*
,, *dam veſtrorum poetarum dixerunt: Ipſius enim & genus ſumus. Genus*
,, *ergo cùm ſimus Dei, non debemus æſtimare auro aut argento, aut lapidi,*
,, *ſculpturæ artis & cogitationis hominis diuinum eſſe ſimile. Et tẽpora qui-*
,, *dem huius ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annunciat hominibus vt om-*
,, *nes vbique pœnitẽtiam agant [Hoc eſt quod Iſaias ait:* Et vocaberis auer-
tens ſemitas ad quietem, *ſiue* habitationem. *Namq́ idem verbum eſt*
MESOBEB *cum* THESVBAH, *quod pœnitentiam ſignificat ex eodem the-*
,, *mate deducta voce] Eo quòd ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in*
,, *æquitate, in viro in quo ſtatuit fidem præbens omnibus, ſuſcitans eũ à mor-*
,, *tuis. Cùm audiſſent autem reſurrectionem mortuorum, quidam quidem*
,, *irridebant, quidam verò dixerunt, Audiemus te de hoc iterum. Sic Pau-*
,, *lus exiuit de medio eorum. Quidam verò viri adhærentes ei, crediderunt,*
,, *in quibus & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alij*
cum eis. Hæc verò ex quamplurimis exemplis adducta, ſatis planè docebunt certam illius tituli rationem populo Dei adſcribendi, auertens ſemitas in quietem, *cuius iure & appellatione donandum Dei populum pollicetur Vates, vbi præter ea officia, quæ docuit, diligenter & ſeriò facta, certa etiam veræ pietatis ac religionis ratio inſtructum & obſeruantem commendauerit, nempe:*

Si auerteris à ſabbatho pedem tuum, facere voluntatem tuam in die ſancto meo: & vocaueris ſabbathum delicatum, & ſanctum Domino glorioſum, & glorificabis eum dum nõ facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris ſermonem.

Si *rectè rem omnem expenſam atque examinatam æſtimare vacet, illud profectò comperietur, quidquid hactenus præceptum fuerit, nec vltrà captum, & facultatem nec vltrà debitum hominum eſſe; ſed id omne intra humani officij definitionem contineri. Namq́ totius commendatæ hactenus doctrinæ ſumma duobus capitibus aut articulis comprehendi poteſt, altero abſtinentiæ à maleficio; altero verò beneficientiæ in egentes oportunæ. quæ vtraq́ naturæ iure hominem omnem humanè ac ſe dignè viuere volentem præſtare & oportet, & propriè decet, aliàs brutis & mutis animalibus de-*
,, *teriorem euaſurum. S. S. E. Cùm hæc omnia feceritis [quæ præcepta ſunt*
,, *vobis de vitæ & morũ decore & officio] dicite, Serui inutiles ſumus, quod*
Moralia opera & virtutes. *debuimus facere, fecimus. Quare tametſi quiſquam ex philoſophiæ diſciplina, vel aliàs ex recta naturæ humanæ cognitione & æſtimatione bene ac puris viuat manibus, beneficientiamq́ ſtudioſè exerceat; niſi tamen ſublimiùs quid agat & ſtudeat, homo quidẽ humanusq́ dici meretur & poteſt.*

Si qui-

Si quidem quis tantùm fide carens, præſtare valeat (quæ adhuc ſub iudice lis eſt) verùm vt Filius Dei nominetur, & ſit; euincere non poteſt. quamquam, vti diximus, & repetimus, hoc ipſum agere atq; conari, & quantum poßit, contendere debuerit; quod ad pœnitentiæ rationem referendum eſſe, docti ſumus, in eoq; agendo gratiam atque virtutem iubentis ac poſtulantis Dei poſcere & expectare, ſibiq; minimè defuturam fidere. Verùm enimuerò rectam pœnitentiæ huius rationem cum fide coniunctam hoc illud eſſe; quod ſimul curatum & præſtitum diuini doni & priuilegij illius admirabilis adoptionis filiorum Dei liberalem communicationem à promiſſore benigno impetrat: non ex operibus iuſtitiæ legalis, quæ fecerint homines, ſed per ſuam miſericordiam & lauacrum regenerationis, ac renouationis Spiritus ſancti. Ex quibus documentis intelligimus, impoßibile eſſe ſine fide placere Deo. Qualem verò fidem hanc eſſe oporteat, non vulgaris aut communis, non promiſcui & indiſtincti, non etiam priuati ſingulorum conſilij, ſed diuini tantùm documenti ac reſponſi ſtatuere fuerit. Tametſi enim vnumquemque hominem ad Deum accedere ſtudentem naturæ magiſterium illud monere ac docere ſoleat, videlicet credere quod eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator eſt; plurimum tamen refert intelligere, quemadmodum ille ſit, & quo pacto inquirendus, cuiuſmodiq; remunerationis, ac premij præcipui & verè beantis auctorem ſe præbeat: quamobrem euangelicæ, de qua nunc ſermo eſt, doctinæ primum & ſummum caput duabus partibus exigendis abſoluitur, Pœnitemini, & credite Euangelio. &, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. Igitur ad illud maximum ac diuinum donum impetrandum, pœnitentiam, vitæq; anteactæ mutationem, & fidem exigi, omnia ſacra docent ſcripta. quam etiam rem Deus hoc loco per Vatem exigit integram: explicato enim de pœnitentia argumento, fidei & credendorum ſummam in recta ſabbathi cognitione & obſeruatione ſtatuit. Cuius obſeruatio & cultus non ſolum operum corporis vacatione præſtatur, ſed præcipuè myſteriorum illius inſtituti cognitione, fide & gratulatione atq; reuerentia, & continente ſtudioſaq; poſtulatione. Namq; ſabbathi inſtitutio non ex humano, ſed ex diuino decreto facta ſapientiæ, virtutis ac bonitatis Dei documẽtum commemorat, atq; beneficiorum illius in hominem magna monumenta breui refert indice. vtpote cuius contemplatione humanus animus mundum à Deo creatum, factum, ornatum, atq; abſolutum, & homini ad vſus ac decorem & honorem traditum intelligit, & eundem Deum ſumma quiete conſtantem creato à ſe orbi vniuerſo, & humanis in ipſo rebus prouidere, & homini quietem, quam hæc ſabbathi celebritas arcanè ſignificat, paratam oportuno tempore præſtiturum. Quam quietem iam quidem à Christo partam, Dominica Chriſtianis obſeruata dies, prædicat, & affirmat. Denique ſabbathi veteris exactus, & rectè inſtitutus colendi mos doctrinæ de creatione generationeq; mundi atq; hominum argumentum repræſentabat, atq; Euangelici ſabbathiſmi præbebat imaginem. quo ſabbathiſmo mundi renouationem hominumq; regenerationem abſolutam intelligimus. quam Chriſtianæ

Pœnitentia cum fide coniuncta.

Fides.

Fidei myſterium in ſabbathi obſeruatione.

Sabbathi inſtitutio & myſterium.

Dominicæ diei myſterium.

Sabbathiſmus Euangelicus.

ſtianæ fidei doctrina ſpectat omnis. Quæ verò de ſabbatho præcipiuntur & cognoſcuntur, ad omnium legitimorum feſtorum quoque pertinent ſanctitatem & ſignificationem. quamobrem ſabbathiſmo ſimilis in aliis omnibus indicitur operum vacatio ad myſteriorum illius feſti contemplationem, & gratulationem ſupplicationesq́ inſtituta. Atque hæc breuis expoſitio fuerit arcanæ ſignificationis obſeruandi ſabbathi Iſraelitis quondam indicti, & apud hunc Vatem, & alios commēdati, & Chriſtiani in eo ſignificati ſabbathiſmi. Nam quæ nunc reapſe ac veritate tradita conſtant, eadem in figura antiquis purè & ritè agenda imperabantur, violareq́ nefarium, & à fide alienum cenſebatur. Quoniam verò felicitatis Chriſtianæ breuiſſimam ſummā vnico verbo apud hunc Vatem proximo ſuperiore verſu Deus indicarat, eandem ſummam iam antea in lege ſignificatam, in huius verſus refert initio, eiuſdem verbi voce & elementis vſurpatis. Cuius dictionis elegantia & vis cùm Latino reddi nequeat ſermone aut ſono, ad propria & primæua vocabula reuocanda nobis fuerit. Dictum eſt proximo antecedente verbo, Dei populum vocandum auertens ſemitas in quietem. *nomen, pro quo Latinus interpres* quietem *reddidit, eſt* SABETH, *quod ſedere, quieſcereq́, & cùm nominis formam præfert,* ſedem quietemq́ue *ſignificat. Cuius vocabuli inductio veritatem antiqui feſti commemorandam appellauit. Quod feſtum iiſdem prorſus elementis, hoc eſt, conſonantibus iiſdem conſtat literis* SABATH. *His porrò vocibus labio & ſono quidem parum admodum; ſignificatione verò nihil diſcrepantibus vnum idemq́ verbum vtrobique adiunctum auditur, illi* MASIB, *huic verò* THASIB. *illic dictum* MASIB LASABETH. *in proximo ſubiunctum* THASIB MISABATH. *Quis nam alia in lingua hanc nouerit repræſentare paronomaſiam? Quod*

Linguę ſacrę vtilitas.

ſi linguarum indoctus quiſpiam idemq́ oſor verborum ſonum, modò ſententiam teneat, contemnendum putet; longè noſtra diſtabit & vox, & ratio. qui quidquid à Spiritu ſancto profectum, inſpiratum, ac dictatum eſt, contemni nefas eſſe aſſeueramus. Eſt itaque huiuſmodi nobis vtcunq́ imitatis verborum, quamquam ad ſignificationis vim minus vſque efficax alluſio. Et vocaberis auertens ſemitas ad quietē; ſi conuerteris à quiete pedem tuum. Si auerteris à ſabbatho pedem tuum, facere voluntatem tuam in die ſancto meo. *Præpoſteram illam celebrationem feſtorum dierum, quam Ieroſolymitani ad ſua tantùm peragenda vſurpabant, corrigendam, & ad verum & purum, ſignificationeq́ ſua dignum ritum reuocandam & inſtaurandam præcipit Deus iis qui ſibi ad ea quorum cauſa indictum eſt ſabbathum, hoc eſt, ad vera quietis commoda conducere optauerint. Si rectè, inquit, ac ritè ſana mente, puriſq́ manibus ea quæ tibi in figura tradidi obſeruanda, obſeruaueris, efficiam vt quæ tibi in his recondita ſeruantur, obtineas. Atque de reconditis iam, quantum illa ferebat ætas, declaratum eſt illa formula,* auertens ſemitas in quietem. *De figuræ verò recta obſeruatione nunc ita pronunciat, vt cognoſci velit ſabbathum nec ab homine inſtitutum, nec propter terreſtrem aut caducam priuatamq́ cuiuſlibet hominis vtilitatem vel commoditatem. Namq́ iſtud vel ipſo ſabbathi,*

thi, id eſt, quietis nemine excipitur & excluditur. Otium enim poſcit ſabbathum, non negotium: otium verò, quale nam, num ignauum atq; ſegne? nihil minus, ſed otium Deo dicatum, atq; in Dei, diuinarumq; contemplatione rerum, ac præcipuè in beneficiorum cõmemoratione ponẽdum. quamobrem ab omni motu & labore etiã huius inimico vacãdum & fugiendum. Et quoniam manifeſtiſſimus in animalium labore corporis motus eſt; motus autem pedibus fit, qui nunquam aliquò ſine cauſa mouentur; ideo huiuſmodi interdictum eſt motu: cuius interdictum ad cetera extenditur, quæ priuatæ & profanæ rei cauſa agi poſſunt. Si auerteris à ſabbatho pedem tuum: ſi auerteris, inquam, facere voluntatem tuã in die ſancto meo. Perperam enim, imò & ſacrilegè diei mihi, & à me ſanctificati tempus in voluntate tua facienda impenditur; quali verò voluntate, nimirum quam ſupra accuſatam audiebamus. Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra. Sabbathi autem obſeruantiam, ne quiſpiam ſibi ignoratam, vel non indicatam cauſetur, tribus partibus conſtare docet; otio & ceſſatione à negotiis terrenis & caducis; quam ita declarauit, Si auerteris à ſabbatho pedem tuum. & paulo pòſt: dum non facias vias tuas; & renunciatione, & conuerſione voluntatis propriæ in diuinorum præceptorum ſtudium & amorem. Si auerteris facere voluntatem tuam. id quod ſubiuncto etiam repetitur verſu, & non inueniatur voluntas tua. Cùm autem hæc non inuenitur, conſequens erit quæri, & inueniri voluntatem eius, cui, & à quo dies ille fuerit ſanctificatus, hoc eſt, omne otium in ea re ponendum, vt voluntas Dei cognoſcatur & obſeruetur. id quod in ipſa ſabbathi inſtitutione ſancitum & exceptũ fuerat. Sex diebus facies opus tuum; ſeptimus dies requies eſt Domino. Quippe hæc certæ cuiuſdam ſeruitutis conditio atq; æquitas eſt, qua ſeptimam quamque lucem Domini ſingularibus obſequiis præbere iubetur ſeruus. De tertia obſeruationis parte ſic pronunciatum. Si & vocaueris ſabbathum delicatum, ſanctum Domini glorioſum, & glorificaueris eum. Ad cuius lectionis arcanam explicationem vulgati ac ſolennis moris & ritus meminiſſe oportet; in quo ritu quidquid ad lætitiam, exhilarationem, gaudiumq; commodè, & ſine vitio vſurpari poteſt, communiter vſurpabatur propter ſingularem præcepti adnotationem & commendationem, nempe: Et lætaberis in ea die. Cuius adiuuandæ lætitiæ cauſa mundioris, tum victus, tum cultus, in ſabbatho pro vniuſcuiuſque facultate vſus fuit, atq; etiam lectionum, ſermonum, cantionum, & conſuetudinis omnis quam fieri poterat lætiſſima celebratio. Omnia quæ ſi ad ſuam cauſam, & veram ſignificationem referentur, & licebant, & decebant profectò; ſed, vt res & iudicia hominum ſunt, paulatim corruptis moribus euenit, vt omnia hæc in profanum, atque adeò in ſacrilegum abuſum non transferrentur modò, ſed etiam luxurioſè & intemperanter profluerent ad libidinem, ad inuidiam, ad ambitionem, ad contentiones vſurpata. quod & in noſtris Chriſtianorum feſtis, vtinam non tam verè quàm improbè atque impotenter ſpectatum fuerit. Denique id quod Deo, id eſt, ſpiritui, dicandum fuit, atq; ex conſequenti, in ſpiritu & veri-

Sabbathi obſeruatio.

Exod. 20

tate ad animum referendum, animoq́; peragendum, vel ad proprium commodum ſingulorum, vel ad corporis tantùm recreationem ac delitias, vel ad ſuperbiam & faſtum traductum. Quid verò de ſermonibus, cantibus, lectionibus, ſaltationibus, ludis, ſpectaculis, luſibus, quid de tota feſtorum conſuetudine dierum dicendùm? niſi ab iis, quibus diuina feſta purè celebrata, oportuit, gentium vel Floralia & Bacchanalia, atq; Lupercalia, & ſi quæ turpiora memorantur, nefario ſuperari exemplo? Atqui lætitiã & gaudia ſuis Deus adrogat feſtis; adrogat quidem, tamen non vana, non impia, non impura, non grauibus ac ſeueris indigna moribus; verùm digna eo die, quem Deus ſibi ſanctũ eſſe, quare & ſanctè celebrari inſtituit. S.S.E.

Pſalmi locus Pſal.

Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea. Exultatione & lætitia quam fecit Dominus. hoc ſignificat in ea, *in eiuſdem rationibus agendis & celebrandis, ac recolendis. Hoc idem apud Vatem noſtrum.* Si vocaueris, [*ſi dixeris, atq; ita tibi & aliis perſuaſeris*] ſabbathum delicatum, GHONEG. *gaudium, lætitiam, exhilarationem, non humanam, vel belluinam potiùs, verùm* ſanctum Domini glorioſum. LIKDOS IEHVEH MEKUBAD. ad ſanctificandum Dominum glorioſum. *quod grauitate, ſeueritate, atq; dignitate celebritatis deceat eos, qui Dominum colunt, & ſanctificant.* Dominum, *inquam*, glorioſum *& ſublimem, atq; ab omni alia inferiore natura, ſiue vera, vt mundi: ſiue falſa, vt eorum qui pro Diis falsò coluntur, procul ſecretum, atq; ſingulari maieſtate præſtantem. Ad hunc itaq; omnem colendi ac celebrandi feſti rationem referendam accepimus, in iis quæ animi et voluntatis impulſum, quæ ad corporis etiam quietem ſpectant, nec ſecus in iis quæ ſermones, dicta, lectiones, confabulationes, cantus, luſus, atq; omnem cùm priuatam meditationem, tum cõmunem conſuetudinem, & publicam celebritatem communiunt.* vt loquaris ſermonem LEDABER DABAR. ad loquendum verbum. *eadem forma qua dictum* ad ſanctificandum Dominum glorioſum, *eadem etiam ſubiunctum* ad loquendum verbum. *vt verba etiam & ſermones omnes ea vnica ex cauſa & mente concipi, & lingua pronunciari conueniat, hoc eſt,* ad ſanctificandum Dominum. *Hæc quidem omnia, cùm ſua ſponte pulchra, legitima, & humano animo atq; pietatis tinctura imbuto, digniſsima eſſe; tum verò viam ad veram ſalutem, ad felicitatem, ad æternasq́; delicias, & immortale gaudium; denique ad cæleſtis regni petendam, & ex benigno Deo impetrandã hæreditatẽ, facere declarata aſſeuerantur & cõfirmantur.*

Tunc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iaghacob patris tui. Os enim Domini locutum eſt.

Regni cæleſtis imago.

Regni cæleſtis imago idoneis verbis & ſublimi dicendi genere deſcribitur: in quo ſumma pax & lætitia, vtpote à Deo auctore & adoptãte profecta, & effecta; in quo gloria & ſublimitas claritasq́; immortalis, in quo omnium bonorum abundans & indeficiens copia, eaq; in hæreditatis ius donata; denique in quo legitimi antiqui ſabbathiſmi res ipſa, & conſtans traditur veritas. Nam pro ſabbathi iſta imperata, & rectè celebrata per

fidem

ſidem & obſeruantiam lætitia, Delectaberis ſuper Domino. *de quo ſcriptum: Delectationes in dextera ſua in finem. & ſcriptum, Fructus autem ſpiritus, pax, gaudium, &c. pro ſanctificatione Dei & propriæ voluntatis à terrenis rebus & commodis alienatione* ſuſtollam te ſuper altitudines terræ. *Locum & manſionem terrenis altiorem non minus quàm cæleſtem eſſe oportet. Pro quo Latinè legimus* ſuſtollã *in primæua lingua eſt*, HIRCHABTHI. *Verbum* RACHAB *aſcendere, equitare, equo vel currui imponi,* Rachab Equitare. *atque victoribus & trimphatoribus conuenit. vt, Aſcendit ſuper cherubim. &, Ei qui aſcendit ſuper cælum cæli ad Orientem. Triumphantis itaque iure, more, ac modo curru vectum, atq; ex alto terram deſpecturum, cultorem ſe efficiente Deus recipit; atq; ad Eliæ in igneo curru raptum oratione adludit: quem ſupra montes etiam altiſſimos editum & ſublatum multorum teſtium diligenter & accuratè diſquirentium comprobauit oratio.* Pſal. 18. Pſal 19.

Ecce cum ſeruis tuis ſunt quinquaginta viri fortes, qui poſſunt ire & quærere dominum tuũ, ne forte tulerit eum ſpiritus Domini, & proiecerit eum in vnum montium, aut in vnam vallium. Qui ait, Nolite mittere. coegeruntq; eum donec acquieſceret, & diceret, Mittite. Et miſerunt quinquaginta viros: qui cùm quæſiſſent tribus diebus, non inuenerunt; & reuerſi ſunt ad eum. at ille habitabat in Iericho; & dixit eis, Numquid non dixi vobis, Nolite mittere? 2 Reg. 2.

Quam etiam euehendi populi Dei rationem atque imaginem illud ab alio Vate ſpectatum ac dictum, profeſſioneq; fidei pronunciatum ſpectat: Et ſuper excelſa mea deducet me victor in Pſalmis canentem. Iam verò ad ſimplicem verborum ſignificationem rerum etiam arcanam rationem & veritatem digito tantùm intento indicamus. Humana & communi carnis & ſanguinis conditione longè meliorem, & ſublimiorem ſtatum & vſum populo ſancto ex Dei beneficio obtinendum, myſtico hoc ſubſignificatur promiſſo. nihil tam ſublime in terra, humanaq; Adami carne eſſe, nihil tam forte aut princeps & eminens, cui Dei filij victores impoſiti, tamquã auriga currui nõ præſint, & moderentur & imperẽt. Porrò quod poſtremo promittitur loco perpetuum ius, ac diuino munere ſtabiliendum, & populo Dei adſcribendum indicat. & cibabo te hæreditate Iaghacob patris tui. *Perſtat in eadem antiqui ſabbathi imagine declaranda. Sabbathi enim nomen quietem ſignificare, nulli iam ſtudioſorum ignoratur. Cuius diei celebritas & obſeruatio, tum alia multa, tum etiam beneficium illud repræſentabat promiſſæ patribus terræ, ac poſt longã quadraginta annorum peregrinationem aditæ, atque eodem quo primùm adita eſt die, vſucaptæ; cùm totis antea quadraginta annis non propriis & natiuis, atq; communibus cibis, ſed expectato in diem ex aëre alimento, Iſraelitæ veſcerentur, & viuerent: interim ſingularem Dei & aſſiduam prouidentiam experti, non tamen perpetuam, & vt propriam ex animi ſententia omnibus expoſitam locis, ſed poſt certum colligendi tempus ex oculis amotã, & ſublatam ad exercitationem & experimentum fidei & ſpei, virtutum pro tempore ab illis exactarum. quas demum pro conſilij diuini ratione ſpectatas & probatas promiſſi de terræ poſſeſſione obtinenda, & hæreditatis* Habac. 3. Sabbathum Terra promiſſa.

iure ac nomine diſtribuenda, veritas conſtitit: quæ ab initio ipſo, à primo, inquam, ingreſſu, certa & præſenti vſucapione præſtari cœpta, atq; ita pro tempore diuina fides liberata eſt, interim dum incolis maliſq; dominis pulſis & perditis, commodè, oportunè, ac plenè præſtaretur, magna & ſapiente donantis Dei prouidentia, vt nihil vel de fructibus, vel de hæreditatum, & fundorum commodis & oportunitatibus, propter vaſtationem, aut cultoris inopiam periret. atq; ita ex eo die quo primùm ingreſſos Iſraelitas, terra illa recepit, quamprimùm productorum à ſe fructuum copia affecit, pauit, & aluit, ac deinceps poſtea ad expugnationis vſque finem, & plenã partitionem atq; poſſeſſionem ſuffecit. quam quidem rem rationemq; omnem ſacra hiſtoria diligenter animaduertendam obſeruandamq; tradidit. Ioſue. *Manſeruntq; filij Iſrael in Galgalis, & fecerunt Phaſe quartadecima die menſis ad veſperam, in campeſtribus Iericho, & comederunt de frugibus terræ die altero azymos panes, & polentam eiuſdẽ anni. Defecitq; manna poſtquam comederũt de frugibus terræ; nec vſi ſunt vltra cibo illo filij Iſrael, ſed comederunt de frugibus* PRÆSENTIS TERRÆ CHANAAN. *Præſentẽ terram Chanaghan notanter hiſtoria indicat ad ſignificationem certæ iam vſucapionis, & cõſecutæ deinceps perpetuæ poſſeſſionis terræ olim diuino ex promiſſo partæ & acquiſitæ.* CHANAGHAN *Namq; nomen* CHANAGHAN *exetymi compoſitione acquiſitionem reſponſam ſignificat, hoc eſt, diuino reſponſo acquiſitam & poſſeſſam. Quod verò dicitur,* PRÆSENTIS, *idem quod iam traditæ & conſtantis. Atque Sabbathi nomine & celebratione promiſſam terram, & vtraque etiam ratione diuini cæleſtiſq; regni hæreditatem & poſſeſſionem ſignificari, auctor idem nobis eſt Spiritus ſanctus, & idonei interpretes* Heb. 3. *Dauid Vates, & Paulus Apoſtolus. Quapropter, ſicut dicit Spiritus ſanctus, Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundùm diem tentationis in deſerto, vbi tentauerunt me patres veſtri, probauerunt & viderunt opera mea quadraginta annis. Propter quod infenſus fui generationi huic, & dixi, Semper hi errãt corde; ipſi autem non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, Si introibunt in requiem meam. Et quidem operibus ab inſtitutione mundi perfectis. Dixit enim in quodam loco de die ſeptima ſic, Et requieuit Deus die ſeptima ab omnibus operibus ſuis. & in iſto rurſum, Si introibunt in requiem meam. Quoniam ergo ſupereſt introire quoſdam in illã: & ij, quibus prioribus annunciatum eſt, non introierunt propter incredulitatem, iterũ terminat diem quendam Hodie in Dauid dicendo poſt tantum temporis, ſicut ſupradictum eſt, Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra. Nam ſi Ieſus eis requiem præſtitiſſet, nunquam de alia loqueretur poſt hac die. Itaque relinquitur ſabbathiſmus populo Dei. Qui enim ingreſſus eſt in requiem eius, requieuit ab operibus ſuis, ſicut à ſuis Deus. Igitur terræ olim Chanaghanitis poſſeſſionem Iſraelitis traditam, atque requiem appellatam hæreditatem quoque Iaghacobo aſsignatam ſacra ſcripta vocant.* Hæreditas Iaacob. Pſal. 46. *Subiecit populos nobis, & gentes ſub pedibus noſtris. Elegit nobis hæreditatem ſuam, ſpeciem Iaghacob, quam dilexit. Cuius hæreditatis verum & opti-*

*optimum inſtar, vtpote diuinum planè populo ſuo præſtiturum ſeſe pollice-
tur Deus. qui ſignificanter Iaghacobi nomen hoc loci appellauit, vt vtri ex* Iaghacobi amplificatio
*minori conditione ad tantam dignitatem, copiam, & amplificationem eue-
cti, repræſentaret memoriam, eandem rationem cum iis demum habiturus,
quos ex ſeruili humilitate ad Iſraeliticum decus, id eſt, ad gloriam filiorum
Dei, traducere conſtituit. Significãter verò Iaghacobo magis quàm Abra-
hamo & Iſaaco hæreditatẽ adſcribunt ſacri auctores tum propter vtramq;
humani generis conditionem, humilem videlicet, & ſublimem: quarũ per-
ſonas Iaghacobus diſtinctè geſſerat; tum etiam propter populi definitionẽ;
quam ante Iaghacobi domum nemo patrum obtinuerat. Namque Abraha-
mus & Abrahami filius Iſaacus Prophetarum quidem & vnctorum Dei
nomen ſortiti ſunt, primos autẽ Iaghacobi filios ac nepotes ſtatim à deſcen-
ſu in Ægyptum populum vocatos accepimus. Memor fuit in ſeculum te-* Pſal. 104
ſtamenti ſui, verbi quod mandauit in mille generationes: Quod diſpoſuit “
ad Abraham, & iuramenti ſui ad Iſaac. Dicens, Tibi dabo terram Chana- “
gham funiculum hæreditatis veſtræ. Cùm eſſent numero breui, pauciſſimi, “
& incolæ eius. Et pertranſierunt de gente in gentem, & de regno ad popu- “
lum alterum. Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis reges. “
Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari. Et “
vocauit famem ſuper terram. in ſeruum venundatus eſt Ioſeph. Humilia- “
uerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertranſiit animam eius, donec “
veniret verbum eius. Eloquium Domini inflammauit eum; miſit rex, & “
ſoluit eum. Princeps populorum, & dimiſit eum. Conſtituit eum dominum “
domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ. Vt erudiret principes eius “
ſicut ſemetipſum, & ſenes eius prudentiam doceret. Et intrauit Iſrael in “
Ægyptum, & Iaghacob accola fuit in terra Cham. Et auxit populũ ſuum “
vehementer: & firmauit eum ſuper inimicos eius. Quamquam verò tunc “
*etiam Iſraelis nomen iam celebrari & nominari cœptum erat; tamen cùm
primùm in Ægyptum hoſpitij cauſa deuentum eſt, in recenſione populi Ia-
ghacobi facta adnotatur mentio, vt populo quidem tunc patris & principis,
verùm exiguo. S. S. E. Hæc ſunt nomina filiorum Iſrael, qui ingreſſi ſunt* Exod. 1.
in Ægyptum cum Iaghacob ſinguli cum domibus ſuis introierant. Et qui- “
dem in promiſſis apud antiquos pronunciandis, varia ſermonis formula Sermonis in promiſſis formula varia.
*narratur vſus Deus. Namq; Abrahamo tantùm explorandi & cognoſcen-
di terræ ſitus copiam fecit. Surge, & perambula terram in longitudine &* Gen. 13.
latitudine ſua; quia tibi daturus ſum eam. Iſaac verò apparuit Dominus, “
& ait, Ne deſcendas in Ægyptum, ſed quieſce in terra, quam dixero tibi, Gen. 26.
& peregrinare in ea: eroq; tecum, & benedicam tibi: Tibi enim & ſemini “
tuo dabo vniuerſas regiones has, complens iuramentũ quod ſpopondi Abra- “
ham patri tuo. Verùm eadem hæc Iaghacobo & clarius & minutius, atque “
*ſingillatim per partes explicata conſtituere, tanquam ei cui iam certum aſſi-
gnaretur ac definiretur poſſeſſionis ac fundi ius. Ego ſum Dominus Deus* Gen. 28. “
Abraham patris tui, Deus Iſaac. Terram in qua dormis tibi dabo, & ſe- “
mini tuo: eritq; ſemen tuum quaſi puluis terræ, & dilataberis ad orientem,

& occidentem, & ſeptentrionem, & meridiem. Os enim Domini locutum eſt. *Certiſsimi & conſtantiſsimi propoſiti promiſſum formula hæc ſignificat ex auctoritate pronunciantis, non ex humano conſilio aut inuento, ſed ex nomine miſerentis & præſtantis, atq; ex ore eius qui mentiri non poteſt, quiq; perinde facilè efficit atque eloquitur. Viuus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Habet autem magnam quoque efficacitatis ſignificationem formula hæc ex verborum ratione. nam*

Pi. os. P. *quod Latinè dicimus* OS, *in illa lingua* PI *dicitur vocabulo duobus cōſtante literis.* P, *quæ certitudinem adnotat, & conſtitutum quid indicat, atq; etiam præſentem loco rem: ita vt cum diuerſis vocalibus pronunciatum* Pe *in ſacra & Harabica lingua idem faciat quod* ergo, *vel* vtique *apud Latinos.*

Iod. POH *verò certum & præſentem ſignet locũ, vt* heic. Iod *verò literarum omnium ſimpliciſsimum, initium & indiuiſibilis tum figuræ tum pronunciationis atque decimi nota numeri, oris ſimplicitatem, & dictorum veritatem natura ſua commendat, maximè* oris IEHVEH *propoſito miſericordiſ-*

Dibbcr. *ſimi, & efficientia præſtantiſsimi. Poſtremum verbum* DIBBCR *in tertia inflexione meditatum, certum, ac decretum attentè & aſſeueranter pro-*

Dabar. *nunciatum indicat. cuius verbi prima forma eſt* DABAR, *vox quæ pariter elocutionem, ſiue pronunciatum & rem ſignificat; rem inquam certam, natura ac definitione conſtantem propria. Eſt itaque formulæ huius illa paraphraſtica interpretatio.* Quia os Domini locutum eſt. *Namque certiſsimum, præſens, ſimpliciſsimum, & efficientiſsimum* OS, *miſerentis & præſtantis efficaciter effatum eſt.*

CAPVT LIX.

ECCE non eſt abbreuiata manus Domini vt ſaluare nequeat, neque aggrauata eſt auris eius vt non exaudiat: Sed iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret.

VERAM, *certam, atque fideliſsimam, & omni redargutione atq; exceptione ſuperiorem totius iam abſolutæ argumentationis collectionem oratio hæc à Vate ſuam perſonam agente & monitore pronunciata complectitur: qua humani ac terrena tantùm ſapientis ingenij argutiæ, cauillationes, & ſophiſmata omnia confutantur illo maximo, & omnibus diuinis documentis ſtatuto ac firmato principio. In tota ſacra lectione nullum Deo ad ſalutem hominibus communicandam obiici poſſe impedimẽtum; niſi id tantùm, quod ipſi ſibi homines propria culpa moliantur & obiiciant. Id quod cùm aliâ frequentiſsimè apud Vates, diuineq; veritatis miniſtros omnes, tum hoc loco clariſsimè & explicatiſsimè deductum aſſeueratur. vbi, ſicuti diximus, Vates, qui in ſuperiore capite interpretis fidelis partes egerat, Deiq; orationem præconis officium facere iuſſus retulerat, nunc monitoris perſonam gerens, homines impiæ & peruerſæ redargutos ſententiæ, ad meliorem prudentioremq; mentem, ad ſanum & ſaluti conueniens conſilium*

Perditio hominũ ex propria culpa.

liam reuocare ſtudet. Namque antehac argumentationes hominum aduerſus ſingularem prouidentiam à poſteriori, vti adnotabamus, inſtitutas, hoc eſt, ab experimento, ad rei & cauſæ coniecturam deductas eodem argumentandi modo redargutas confutauerat. idq; expreſſè egerat ex dictato Dei argumentationes hominum & ſolutiones proprias deſcribentis, & verbis, vti dici ſolet, præeuntis. Fuerat autem argumentationis formula ac ſumma illa. Nos ieiunantes Deus non aſpicit; ergo externa hominum facta vel non cognoſcit, vel negligit: item precatos & clamantes in oppreſſione & anguſtiis temporibus non audit, quare nec ſeruabit; quippe qui vel res noſtras ignoret, vel curare nolit. Vtramque partem quemadmodum ex definitione & cauſa redarguerit Deus, intelleximus: & illud edocti ſumus, caſtigationes & correptiones propter peccata & ſcelera infligi à Deo, emendandi & ad pœnitentiam reducendi homines cauſa; eos verò qui non emendantur, quamquã externis ritibus & ieiuniis, ac ſterilibus veræ virtutis actionibus aſſiduam & vehementem dent operam; tamen dum vitium non deponunt, nec prauam mutant mentem, ac mores corrigunt, perinde proficere, atq; eum, qui limacem, aut impurius & ſordidius quippiam premẽtes manus lauant, cùm primum omnium impuritatis cauſam auerſari & expelli oporteat. Iſtam verò impuritatem ab iis, qui redarguebantur, nõ ſolùm non reiectam, & abalienatã, ſed tenacius etiam preſſam; ſed nouis indies contaminationibus auctam fuiſſe; atque ita iſtos falsò conqueſtos, quam ipſi ſuſtineant, culpam diſſimulaſſe, ineptum argumentum pro idoneo producentes, mendosè etiam de diuina erga ſe prouidentia ac voluntate collegiſſe. Atq; hæc breuiter diſputationis, hoc eſt, cauſæ ac depulſionis peractæ ſumma fuit: ex qua nunc Vates diuinam fidem aſſerendam, & hominum prauitatem euincendam repetit collectione ſiue argumentatione oppoſita & recto atq; præſtantiore modo inita vſus, hoc eſt, à cauſa & primo maximo & conſtantiſſimo principio ad euenta & effecta reductus. In ſuperiore diſputatione nunquam oſtenſum fuit, vel Deum non videre humana facta, vel dicta, & clamores non audire; ſed illud accuſatum & confectum, eos, qui ſic agerent, non recta, nec Deo ſpectatore digna factitare, & ad inuidiam faciendam potiùs, quàm ad veniam impetrandam, aut gratiam obtinẽdam animo ac mente agere: ex quibus omnibus illud conſequitur, quod hic Vates aſſeuerat, videlicet, diuinæ prouidentiæ & erga res humanas curæ rationem, vim, dignitatem, maieſtatem, efficacitatemq; pleniſſimam, omnibus nominibus veram, fidelem, integram, ſanctamq; conſtare. Ex quo, tanquam primo & firmiſſimo fundamento omnis de diuinis humaniſq; rebus inita diſputatio rectè & luculenter deducitur, atq; in vtramq; partem diſtinctè ſuſcipitur, tam erga eos homines, quos diuina fouet benignitas, quam erga alios, quos iuſta corripit punitio. Huic autem doctrinæ initium Vates ab explorato & euicto, conſtanteq; principio ducit, & veri, fidelis, atque ſtudioſi, ſeduliq; monitoris in hac parte fungitur officio; non qui nunc præconis partes agat; quas iam ſibi abſolutas nuper indicarat, clamans: Os Domini locutum eſt. *nempe id ſignificans reſponſum, quod expoſuerat, omne ex diuino*

Prouidentia Dei.

uino dictato, non modò ſententia & re, ſed ſermone etiam toto retuliſſe, atque inter audiendum ac referendum apertè illud intellexiſſe quod iam ipſe exponet diſtinctè, voluntatis Dei erga hominum ſalutem, & hominum ſibi ipſis prauè conſulentum fraudis & culpæ euaſiſſe perdoctum, adeò vt ſeſe iam illis redargutorem, & ſtrenuum diuinæ cauſa oppugnatorem præſtantem nulla humana reuincere aut morari poſſit quamlibet importuna contentio. id quod vel illa prima ſermonis voce profitetur. Ecce. Ecce, *quæ & illationis, collectionis, atq; conſtantis, & ad ſenſum etiam indicandæ aſſeuerationis vim obtinet. cui Latinorum* ERGO *in loco reſpondere adnotatur. vt:*

Propert. *Ergo, ſolicitæ tu cauſa pecunia vitæ es. Atque argumentationis ex enthymemate ad integram collectionem reducta ſeries ita habet: primũ enim*
Prouidentia. Pſalmi locus *illud maximum & ſimpliciſſimum ſtatuitur principium. Semel locutus eſt*
Pſal. *Deus, duo hæc audiui, quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia:*
» *& tu reddes vnicuique iuxta opera ſua. In quo principio duo illa quemadmodum tenenda ſint, facilè & clarè patent, dummodo illud, Tibi Domine*
Miſericordia Dei. *miſericordia. Ex elocutionis formula Deo, tanquam proprium & præcipuè vendicatum, atq; propriæ profeſſionis, prærogatiuæq; nomine gratiſſimum intelligatur. adeò vt, ſi interrogatus Deus qua potiſſimùm cauſa quidquid velit, poſſe gaudeat? abſque dubio miſericordia cauſa ſit reſponſurus. Hoc ſignificat, Quia poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia: quod ex duobus priùs ſibi auditum, Pſaltes narrabat. Alterum verò illud, Quia tu reddes vnicuique ſecundùm opera ſua Ex quo cognitu facilè fuerit, velle Deum, vltroq; optare poteſtatẽ efficacitatemq; ſuã in miſericordiæ exemplis edendis exercere; tamen iudicem agere, qui vnicuiq; non ſecundùm id quod ipſe vltrò optaret, ſed ſecũdùm id quod quiſq; egerit, miſericordiã impẽdere, vel vindices ſcelerũ pœnas decernere & poſſit, & iuſtitia exigẽte, ſit effecturus: proinde quidquid hominibus euenerit, vti quæq; res erit, ex hoc primo ac veriſſimo principio eſſe exiſtimandũ: vt ſi quid afferatur boni, id ex miſericordia: ſin verò quid incõmodi et calamitatis, ex iudicio Dei profectũ credatur: Dei, inquã, vtrumq; valentis efficere, atq; ex eo quo diximus ordine efficientis: Et quidẽ hoc primum principiũ ab vſq; prima mũdi origine obſeruatũ, atq; deinde etiam Dei effato ſemel declaratum, perpetuum, conſtans, & immutabile permanſiſſe, neque vlla potuiſſe notari exceptione, dummodò rectè obſeruantibus putata ſubduceretur, exponereturq; ratio, nullum, cui falſum nomen eſſet appoſitum, vt in ſuperiore præconio falſò appoſitum notabatur. nimirum quòd, quæ nec ieiunium, nec animæ humiliatio verè eſſent, illis falsò adſcriptis, ad calculum referantur nominibus: atq; ex eo vel Deum non poſſe, aut nolle ſeruare oppreſſos, vel humanis rebus cognoſcendis curam, aut precibus audiendis, aurẽ velle præbere. Quidquid enim hoc pacto deduceretur, humano mendacio fauens, veritati dero-*
Pſal. *garet, detraheretq; diuinæ. Mendaces autem homines in ſtateris ſuis, au-*
Pſal. *diunt, vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum. Dei veritas illa eſt. Propè eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet;*

vt

vt ſaluos faciat eos. Cuſtodiet Dominus omnes ſperantes in ſe, & omnes peccatores diſperdet. Ex vtraq; itaque re, hoc eſt, ex Dei veritate, & hominum mendacio, oppoſitis colligitur, Deum nullo vnquam nomine fuiſſe, nec eſſe poſſe mutatum, ad humanarum verò mutationes rerum cauſas, ab ipſis dari hominibus ſeſe pro libidine à recto vitæ & officij curſu, ad praua conſilia & facta traducentibus. Hoc eſt, quod conſtante, ſeuera, & vehemente oratione atq; victrice ſententia vates docet. Ecce, *illationẽ pariter, & epiphonema, atque redargutionis vim vox habet, ſingulariter ac diſtinctè pronunciata.* Non eſt abbreuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat. *Ex verbo* LO KATHSERAH IAD IEHOVAH MEHOSIAGH. non abbreuiata manus Domini, miſerantis à ſeruando. *Manus facultatem ſiue efficacitatem, atq; efficientiam ſignificat. quod ſcholaſticorum ſermone poteſtatem & actum dicere ſolemus. Duobus verò modis manus abbreuiata vocatur, vel ex eo quod minus valeat, vel ex eo quod, quamquam valet, parciùs tamen efficiat: vt contra larga dicitur ſiue benigna manus, quæ abundè præſtare valet, & quæ præſtat etiam. vt:* Ecce. Manus. Larga Dei manus.

Præterea caſtum ingenium vultumq; modeſtum Inu. Sat. 10.
Sanguine feruentem tribuat natura benigna
Larga manu.

Vtrouis modo breuitas æſtimetur, tamen de Dei manu dici poſſe negatur, vtpote quæ ſalutem plenè præſtare ſemper valeat, quæq; ſemper iis præſtet, quos ad accipiendum reperiat idoneos. Itaque nec impotens ſalutis, nec parca Domini manus eſt, cùm vtrumq; diuinæ naturæ & nomini IEHVEH *prorſus repugnet. Quod igitur volũtatem & virtutem Domini ſpectat, ita habet: quod verò curam notitiamq; calamitatis, & indigentiæ hominum, non minus negatur id abeſſe Deo, hoc eſt, facultatem & vim audiendi oppreſſos, & ſalutem ac tutelam fidemq; implorãtes diuinam: quippe* nec aggrauata eſt auris eius, vt non exaudiat. *Quod Latinus tardis auribus dicere ſolet, in ſacra lingua* KOBEDOZEN *dicitur,* grauis *vel* craſſus aure. *quòd audiendi tarditas, vel ex craßiore aliquo habitu, qualis nonnullis fit ſenibus aut ægrotantibus, vel etiam ex ipſarũ prolapſu aurium fiat. id quod in canibus, quibus longiores pendent aures, experimur. Atqui manifeſtum eſt, Deum quondam Iſraelitarum apud Ægyptios laborantum clamorem exaudiſſe: eum verò mutabilem propriæ negat naturæ ratio; quare & nunc etiam poſſe, imò & rectè inuocantes exaudire conuincit, & conuictum etiam atque ad oculum, vti dicitur, indicatum eſt, illum quam perperam ab iſtis prouocatoribus ageretur, & clamaretur, vidiſſe & audiſſe. nimirum ſimulatione & perſona pro ieiunio, & propria libidine pro humiliatione animæ vſurpata. atque hæc omnia peccatorum, ac ſcelerum cumulandis indies exemplis contaminata. conſequitur, homines ipſos & ſibi defuiſſe, & à ſe Deum diuinaq; abalienaſſe beneficia; non quod vel natura, vel voluntate, vel aliqua alia vi quicquam in notitia, voluntate, & facultate diuina mutatum vllo modo fuerit.* Sed iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret. *Ex conſtantia, immutabilitateq;* Aurium grauitas.

Dei explorata & cognita euentorum iudicium duci debere, Iſaias indicat, cauſasq́; ſtatuere docet, quas pro certis habitas & conſtitutas, facile fuerit ex humanorum obſeruatione morum colligere, & indicare. Si enim Deus ſibi ſemper conſtat rectiſsimus, nec humanæ res ſecundæ eueniunt, has deprauatas eſſe, atque ipſos vltrò à recta erga Deum ratione deflexiſſe, oportuerit exiſtimari. Atque humanarum rerum duæ ſunt partes, cogitata, & facta: cogitatis vel rectitudo, vel prauitas accidit, factis verò vel decus, vel turpitudo adſcribitur. Cogitationum ac mentis rectitudo in Deum, tanquam gubernatorem intenditur: quem, quia immotum & conſtantem intelligit, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram petendo deflectit; quòd ſi deflexerit, eadem opera ſibi ipſa fraudem atq; abalienationem à Deo, & ex conſequenti, malum exitium parat, ac molitur. Namq; in ipſo vita eſt. Iam verò ſi ad cogitationum prauitatem factorum quoque dedecus ac turpitudo addatur; tum verò nubes & nebulæ; tunc fumus, atq; mille impedimenta interponuntur, quo minus fauentis ac lucentis, & benigni ſua ſponte Dei gratia & efficientia, atq; ſalus iis communicetur, quibus aliàs paratis & bene habentibus vltrò ipſa influebat, non ſecus atque ſolis lux iis non excipitur, quibus vel clauſi, vel ſordibus infecti, vel omnino turbati ſunt oculi. Notanter verò dictum eſt, iniquitates veſtræ diuiſerunt. HAIV MABDELIM. fuerunt diuidere facientes. *Culpam omnem & auerſi ac deſiderati diuini fauoris, & præſidij in humanæ mentis prauitate & auerſione poſitam eſſe ait: namque rectæ, & ſibi conſtantis virtutis efficientia, ſi recta & intenta excipiatur via, conſtanter valet & prodeſt; contrà verò, ſi excepturæ naturæ aut virtutis præparationem vel nullam reperiat vel deflexam obliquatam, aut aliò detortam offendat. Huiuſmodi prauitatem* GHAVON *ſacra vocat lingua, & ad conſilium animorum atq; rerum intentionem refert. Ex qua ſignificatione illud eſt: Cor autem eorum non erat rectum cum » eo, nec fideles habiti ſunt in teſtamento eius. Siquidem teſtamento illo conſtitutum fuerat, ſe illis futurum in Deum, rurſus illi in populum: ſed cùm ipſi à veri ac fidelis populi integritate, rectitudine, & firmitudine deſciuerint, Deum ſuum ſibi ex pacto conſulentem non alienatum repererunt, ſed conſtantem, & ſua in ſtatione & veritate manentem, declinauerunt, atque ſibi ipſis illum fauere non ſiuerunt.* BADAL *verbum non ſolùm interiectu, verùm quacumque declinatione vel auerſione, deuiationeq́; diuaricare ſignificat. Conſultò autem appellatur nomen* ELOHEICHEM, Deum veſtrum. *vt nihilominus in ſe ipſo, & apud ſeipſum hominibus prouidentem conſtare aſſeueret, quem vt non ſecundantem experiantur, homines ipſi vltrò non obſecundati, in culpa ſint. Atq; hoc quod ad gratiæ, auxilij, præſidij, & felicitatis experiundæ copiam facit: quod verò ad diuinam humanarum rerum attentionem, ſiue cognitionem ex ſenſus imagine (quam affingere fas eſt) mouendam & excitandam attinet, hoc eſt, exclamantium, precantum, ac vouentum hominum percepta voce (namque ad ſuperiorem ſermonem adhuc referiur hæc oratio) ait, attentionis diuinæ requiſitum exemplum ipſos homines fuiſſe molitos; vtpote qui eam ſuis factis inuexerint labem,*

Publicæ calamitates vnde.

Cogitata & facta.

GHAVON.

Pſal.

BADAL.

bem ac turpitudinem, vt, quantum ex ſe eſt, offenſiſsimum reddiderint eum cuius puriſsimi oculi & pulcherrima facies turpia omnia auerſatur, atque ita auerſatum vultum aurium etiam attentio auerſa ſubſequitur. & peccata veſtra. *turpia & improba facta.* abſconderunt. HIZZTHIRV, auertere fecerunt. Faciem [eius] PANIM facies *dicitur, ex ea ratione quòd attendere intuerīq; ſolet. Atqui non ait auerſam eſſe faciem à viſu, ſed* MISEMOAGH, ab audiendo. *Videt enim Deus cùm turpia tum proba & honeſta facta hominum: hoc tamen diſcrimine, quòd honeſtis probandusq; exemplis inſpectis aures etiam applicet votis faciles & propitias; cõtra verò turpibus offenſus ſpectaculis, vultum deteſtator auertat, auresq; propterea neget ſecundas. S. S. E. Peccatores Deus non exaudit. &, Reſpexit Deus ad Abel [primùm] & munera eius [in quibus vota inerant] ad Cain autem, & ad munera illius non reſpexit: quia huius opera mala erant, fratris autem bona. Atq; ita ex Dei in bono, iuſto, atq; æquo diligendo, prauo autem ac turpi auerſando ac deteſtando conſtantia, homines ipſos quo minus rectè, ſecundè, ac feliciter proſpiciatur & eueniat, ſibi deeſſe, & in culpa eſſe confirmat, & aſſerit Vates. eandemq; aſſeuerationem manifeſtis iam, atque non ex coniectura, ſed ex ſenſu petitis argumentis, rurſus ad poſteriorẽ argumentandi rationem reuocatis indicat, & confirmat. Atque vt ſenſus humanus corporeus eſt, ita id quod accipit & cognoſcit, à corpore non ſeiungitur. In oratione autem primus eſſe ſolet palmarum vel ſupplicum, vel extenſarum habitus, quem deinde oportunè precantum, ſiue voces & clamores editi, ſiue demiſsiore ſono precationes. Rei autem natura hoc exigit, vt prima ab eo qui oratur, habeatur manuum habitus ratio, eaq; attentionem vel paret, vel auertat. Namq; hæc oculis primùm conſpicitur; vt qui priùs tangãtur ſpectro, quàm auris auditu. quod ſi is qui rogatur, turpi palmarũ & manuum offendatur habitu, oculos & faciem quamprimùm auertens conſequentem aurium attentionem, intẽtionemq; auertat neceſſe eſt, indignam auditu cenſens eius orationem, qui impuritatem ac turpitudinem teneat & foueat; nec profiteri & coram puris eius, qui precatur, oculis tendere oſtentareq; dubitet. Quamobrem à Ninæ rege ſapienter decretum indictumq; fuit. Conuertatur vnuſquiſque à via ſua mala, & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eius, & reuertatur ad Dominum, & clamet. Atqui Deo turpia omnia diſplicere, vtpote puriſsimo, certum eſt: tum verò maximè peccata & ſcelera, quæ aduerſus ius & fas in quemquam mortalium admiſſa fuerint, vtpote in ſacrum ac dicatum ſua natura Dei templum, quod prophanare ac violare nefarium ac ſacrilegum cenſetur. Templum enim Dei ſanctum eſt quod eſtis vos. Iam verò iniuriarum genus omne quodcunque diuina lege vetitum in hominem quempiam ſuſcipitur, ſanguinis vel ſanguinum nomine ſignificare ſacra lingua ſolet. Atq; iniuriæ concipiuntur quidem animo ac mente, verùm niſi in opus prodierint, nec Latinis facinora, nec in ſacro ſermone ſanguines dicuntur. Eſſe verò prauitatibus & peccatis Deo inuiſos homines, quos redarguit Iſaias, non ex cogitatis notat & cõfirmat. quarum tamen arbiter ipſe eſſe, vtpote Vates poſſet: verùm ex manifeſtis*

Ioan.
Gen. 3.
1 Ioan.
Orantium habitus.
Ionæ 3.
Iniuria.
Sanguines.

 iniuriis

iniuriis & malefactis, quæ palàm humano etiam ſenſu cognita & explorata ex quali animi fonte & conſilio profecta fuerint, cenſeri & iudicari in promptu fuerit; præcipuè cùm nulla corporis & membrorum pars, quibus interni animi motus indicari ſolent, manifeſto vitio immunis & pura oſtendatur, atq; hominum rectè ſentientum & ſeueriorum ſenſus non offendat; nedum mens ipſa & cordis penetralia, vnde hæc habitum ſumunt, Deo interna pernoſcēti execranda ac deteſtabilia cernantur & cẽſeantur.

Manus veſtræ pollutæ ſunt ſanguine, & digiti veſtri iniquitate: labia veſtra locuta ſunt mēdaciū, & lingua veſtra iniquitatē fatur.

Admirabili & aptiſſima oratione totius populi ac reipublicæ corpus in vitio & culpa eſſe arguit. idq; diligenti & exacta membrorum partitione Reip. ordines *oſtendit. Indicat enim totum humanæ ſocietatis & conſuetudinis humanæ corpus, quo publica conſtat res, quoq; priuata ſingulorum continetur, & conſeruatur, quinque conſtare ordinibus: quos quinque præcipuarū humani corporis partium nominibus indigetat ex tranſlationis & allegoriæ ratione ſumptis. Quæ orationis figura in ſacris libris omnibus in Vatum reſponſis* Manus & palmæ. *frequentiſſima eſt. Prima quidem ciuilis corporis pars manus, ſiue palmæ ſunt. Siquidem ciuilis ſocietas ad oportunum & mutuum humani generis auxilium & iuuamen inſtituta eſt. quod ſine actionibus nec manere, nec intelligi quidem poteſt. In agendo verò & efficiendo principem locum, primamq; prærogatiuam ſortitæ videntur manus ita ab auctore locatæ, aptatæ & concinnatæ, atq; eo poſitæ modo, vt cuicunque corporis membro ſua indi-* Palma. Digiti. *gente opera, præſto eſſe poſſint. Manus autem palma ac digitis conſtat. Illa ad excipiendas, fouendas, & continendas res aptata; his verò ad eaſdem expediendas, diſtinguendas, ac determinandas, flectendas & vertendas com-* Labia. *paratis. Sunt etiam labia elegans capitis & corporis humani pars, & ad ſermonis pronunciationem (quod præcipuum humanæ conſuetudinis habetur vinculum) efformata. In his enim verborum & orationis vel ſimilitudo & concordia, vel diſſimilitudo & varietas animaduertitur. Quæ tamen* Lingua. *quidquid pronunciant, linguæ muneri primùm referunt acceptum. Atque* Pectus. Guttur. *ita quartum linguæ in hac ratione tribuimus locum: quintum verò pectori & gutturi: ex quibus prima internorum animi motuum index vox producitur, atq; editur. Atque ita totius humani corporis à reliquis animantibus præſtantia ac differentia ex iſtarum, quas diximus, partium forma & vſu maximè dignoſcitur: cùm ceteræ animantes nec vocum & ſermonis ſimili facultate, nec manuum pari habilitate & agilitate atq; efficacitate cōſtent.* Iudices & magiſtratus. *His autem in humano corpore præcipuis & nobilibus membris perſimilem gradus & virtutis ordinem quinque hominum partes in humanæ atq; ciuilis conſuetudinis coniunctioniſq; corpore ſortiuntur. In quibus ad omnem reipub. iuuandam, fouendam, & curandam rationem iudicibus ac magiſtratibus oportunæ atq; præſentis operæ primas ceteri omnes concedunt ordines, vtpote palmæ in manibus munus & nomen obtinentibus. Quibus* Notarij & Scribæ. *vti coniuncti & neceſſarij palmis digiti notarij, & ſcribæ iudicum cohærent. Nam quæ agenda & curanda ſuſcepere iudices, ea omnia ſcribarum*

excipiuntur, diſtinguuntur, atq; digeruntur opera. Tertium in ordine teſtes vendicant locum, à quibus in controuerſa cauſa pro teſtimonio reſpondetur. quos non pauciores duobus lex faſq; ſiſti permittunt. Quarto loco, litigantium partium aduocati cenſentur. Quincto demum ij ſunt, quorum in iudicio cauſa, ſiue actorum & reorum, ſiue poſtulatorum & defenſorum nominibus dicti. Et quidem vt palmarum in manu facultati iudicum in reipub. munus, vtq; digitorum agilitati ſcribarum operam adpingi indicabamus: ita labiorum pronunciationi teſtium, linguæ verò interpretationi aduocatorum officium attribuimus. quos poſtremi in gradu ſpectant, qui primi in controuerſia ſunt, hoc eſt, ciues ceteri omnes, qui rem cauſámve ſuam vel poſtulant, vel defendunt. Ex his enim quinque partibus reipublicæ omnis conflatur conſtatq; corpus. quibus vbi in vero atq; in bono conuenit, ſumma pax & integra communisq; beatitas, atque abſoluta ſanitas ex fauentis Dei tutela ac miſericordia creatur. S.S.E. Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Sicut vnguentũ in capite, quod " deſcendit in barbam barbam Aaron, Quod deſcendit in oram veſtimenti " eius, ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montem Sion. Quoniam illic man- " dauit Dominus benedictionem & vitam vſque in ſeculum. Vnico autem, " ac ſimpliciſſimo Deo humanum genus ex vno factum & propagatum homine, cùm vnionem ſocietatemq; ſeruat ac tuetur propriam, fauore, gratia, et felicitate afficere proprium & perpetuum eſſe, diuina profitetur Sapientia: Et deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. Contra verò diſſentientibus, atque officium prodentibus, vnionemq; diſſipantibus, propriumq; contaminantibus decus, reipublicæ membris cum diſcedentis Dei deteſtatione, vt quamplurima incommoda ac detrimenta accidant, vt mors non ſubſequatur, fieri nequit. Hoc autem modo, imò iſtis incommodis membra omnia reipub. cum qua ſermo inſtitutus eſt, laborare; atq; ideo Deo inuiſa eſſe Iſaias ex rebus ipſis, & peruerſis ſingulorum exemplis notat. Atq; iudices & magiſtratus cũ primis indicatos recenſens ait, Manus enim veſtræ pollutæ ſunt ſanguine. *In primæua lingua*, CHI CAPHEICHEM NEGALV BADAM. Palmæ enim veſtræ pollutæ ſunt in DAM. *Nomen* DAM *ſanguinem Latinè ſignificat, idemq; ad homicidia & ad cetera iniuriarum ſignificanda genera transfertur. vt, Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ. Atq; adeò ad pretij ſignificationẽ frequenter vſurpatur, vt quæ carò venduntur* BEDAMIM KABCDIM; *quæ verò vili æſtimantur*, BEDAMIM KALIM *venundari vulgò etiam dicantur. Significat autem Vates iudices ac magiſtratus, qui reipub. corporis palmæ ſunt, pretio, muneribus, & odio aut gratia corruptos dicendi iuris violaſſe ac peruertiſſe munus cauſaſq; prodidiſſe. quod cũ primis deteſtabile diuinos offendit oculos: adeò vt non mirum ſi qui primi pro ceteris precari debuerant, quamquam precentur, non exaudiantur tamen. Nec verò minori in culpa digitos, hoc eſt, ſcribas, poſitos ait; vtpote quos etiam prauitate affectos, ac variè diſtortos eſſe conſtet perinde atque ſi chiragra laborantes, nihil ſuo loco aut recto more conficere & componere poſſint: ita iſti omnia litium & cauſarum iuriſq; momenta de-*

Teſtes. Aduocati. Litigantes. Pſal. Dam. Sanguis. Pſal. 51. Iudices & magiſtratus Notarij.

 pra-

prauantes, nihil in commune bonum conſcribant, ſed omnia ad proprium & priuatum detorqueant commodum. quos non minore etiam ſcelerũ crimine conſequuntur teſtes pro vero & legitimo teſtimonio mera proferẽtes mendacia. Deinde verò aduocatos partium nihil minùs quam recta, vera, & iuſta defendere aut agere ſuetos: ſed tum partibus ipſis, tum etiam iudicibus, atq; adeò iuſti & æqui rationibus, peruerſa iuris interpretatione, aut iniqua cauſarum inuentione imponere docti, & ingenij famam aucupari, & familiarem cumulare augereq; rem. labia veſtra loquuta ſunt mendacium, & lingua veſtra iniquitatem fatur. *primæua lingua,* GHAVIAH THEHGEH, peruerſitatem meditatur. *Nullis aptiùs verbis ingenioſa & fraudulenta iuris interpretatio exprimi poſſit. Duo enim verbum* GHAVAL *ſignificat, lactare, blandiri, & ſpe atq; promiſſis ducere. hoc eſt vnum, quod proprie in alendis & educandis infantibus vſurpatur. Alterum verò, iniquè agere, & fruſtrari atq; fallere. quod ex priore ſignificatione videtur per analogiam ductum. nec quiſquam fuerit, qui aduocatorum in iudicio fallacias, dolos, machinas, & præſtigias, atq; in lactandis ac decipiendis partibus, & in fraudes pelliciẽdis verſutias, breuiùs & aptiùs depingere poſſit. Iam verò nec maior in iis, qui litigant, vel metus, vel pudor, vel minor ad iniuſtè quicquam petendum vel defendendum audacia & improbitas.*

Teſtes. Aduocati. Ghaval. Litigantes.

Non eſt qui inuocet in iuſtitia, neque eſt qui iudicet verè.

CETERA *ſuperiora corporis partium nomina ex tranſlationibus pronunciata, apertè indicant duo hæc poſtrema, quæ allegoriæ declarant ſententiam. Sunt autem duo forenſia vocabula, & in iudiciali argumento frequenter ac vulgò vſurpata,* KORE *&* NISPAT, *quæ Latinè verti poſſunt,* vocãs & iudicatus, *ſed Latinius, & ex foro petitis verbis* actor & reus, petitor & petitus, *Græcis verò* διώκων καὶ φεύγων *dicuntur. In primæua lingua,* AIN KORE BETSEDEK VEAIN NISPAT BEAEMVNAH. non vocans in iuſtitia æqua, nec iudicio conuentus in veritate. *id eſt, neque qui petit, juſtum & æquum petit; nec qui reus agitur, verum vel fatetur vel defendit. Atque ita omnis caro viam ſuam corrupiſſe notatur. Neque verò mirandum eſſe Vates ait, ſi huiuſmodi iudicibus, magiſtratibus, ſcribis, & ceteris reipub. miniſtris ita habentibus, tamen non deſint qui lites & iudicia adeant, quando agantur tempora, in quibus vanitas, mendacium, & iniquitas vigeant: quamobrem reliqui eodem, quod inſtructum vident, foro vtendum cenſent, vtunturq;, & vnuſquiſque quo magis ad fraudem vafer exiſtit, eo maiori vincendi ornatur fiducia, atq; ita induſtrij nomen occupat; cùm iam nemo veritate & probitate, ſed induſtria viui poſſe exiſtimet. hoc eſt quod Vates antypophora vſus è veſtigio ſubiungit.*

Kore. Nispat.

Sed confidunt in nihili, & loquuntur vanitates: conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem.

Infinitiuus. *Verba hæc omnia in primæua lingua infinitiuo modo pronunciata conſtant, qui modus cum alia multa, tum etiam vſum, conſuetudinem, & iam receptum, atq; publicè & communiter obtinentem, imò & in ius confirmatum ſignificat morem. Omnem cogitationum, actionum, atque ſtudiorum* illam

illam eſſe inquit ſummam. Confidere GHAL THOHV, ſuper thohu. *Eſt autem* THOHV *inanitas illa, quam terra atq; orbis conditi initia fuiſſe memoratur. Vt enim Thohu, quod reapſe nullius formæ aut generis fuerat, terram à Deo factam accepimus, id quod à Deo factum eſt, Qui vocat ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt; ita hominum animus inſedit ex nullo iure, ex nihilo, ius & rem fieri comparariq; poſſe, idq; induſtriæ & ſapientiæ humanæ opus eſſe. Quod ſi roges quemadmodum iſtud effici poſſe exiſtimetur; eum ad modum, quo & illud aliud factum fuit, reſpondit. illic enim omnia verbo & eloquio edita conſtitiſſe intelleximus: quare & hos noui mundi ac ſibi componendi auctores verbis etiam agere conuenIet. atq; ita ex nihilo, cum adiutorio, vti dictitari ſolet, Dei; quem aliàs in ore ſemper habere ſolent, & ad bonum, vti argutantur, vſum & finem directis agendi cauſis, terram, terræ diuitias, regna, opes, atque horum comites voluptates comparari & componi poſſe putantur. Non quòd promiſſum vllum diuinum, non quòd certum auxilium allegare valeant; ſed quòd ſacroſancta Dei dicta & reſponſa à proprio argumento ad ſuam libidinem, & proprias partes, vt aiunt, fundandas detorquere, ac verbis & eloquio diſtrahere didicerint; idq; non mendosè & falſo tantummodo, ſed profanè, temerè, arroganter, & imperiosè. Hoc eſt quod Vates indicat.* & loquuntur vanitates. VEDABER SAVE. diligẽter, ſtudioſè, & accuratè eloqui confictum ac vanum, detortum atque clamoſum mendacium. *Hæc omnia ſignificat vocabulum* SAV, *contraria, inquam, & oppoſita prorſus Dei verbo, quod ipſa mera veritas, virtus, & efficacitas eſt. Verùm vti Dei verbo cælum, terra, & omnes ipſorum ornatus conſtitere, ſic contrà ex horum arte & eloquio à mendacij patre & magiſtro profectis, conceptus quidem & partus fiunt, ſed quales, & quo exitu, Vates ipſe declarat.* concipere, GHAMAL & parere AVEN. GHAMAL *curam & laborem, atq; induſtriam perpetuò ſignificat: verùm cum diſtinctione ex adiuncto obſeruãda, & cognoſcenda. Nam ſi vocabulum* GHAMAL *ſociam vel comitẽ ſortiatur vocem* AVEN, *peruerſitatis notam certiſſimam ducit; ita vt neceſſe ſit exponere, Concipere peruerſam cum labore & ſolicitudine curam. quem conceptum partus deinde* AVEN *excipiat. Dicitur autem* AVEN *quidquid in vanitatem & nihilum demum abit, atq; certa ratione excuſſum & expenſum merum* NEQVICQVAM *eſſe deprehenditur, quamquam ſpecie quidem prima ſui creſcere ac florere videatur; ita vt ab hac voce Latinum ſterili* auenæ *factum eſſe nomen appareat. Certè* VANVM *hinc tranſpoſitis literis deducitur. Porro* AVEN *nomen* EL *nomini ex diametro, vti dici ſolet, opponitur.* EL *verò virtutis & efficacitatis inſignem ſignificationem obtinet. Quamobrem à Propheta prædictum, Et erit* BETH-EL *in* AVEN. *Atq; ita legimus aliquando* BETH-AVEN *vocitatam. Itaque totius humanæ & filiorum Adami mendacem & mendoſam vitæ fabulam diligens atque integer ſpectator Iſaias argumento quatuor verbis, totidemq; nominibus conſtante in breue redigit. nimirum,* Confidere in nihili, loqui vanitates, concipere laborem, parere iniquitatem. *Iſtius autem fabulæ qualis cataſtrophe,*

[Margin notes: THOHV. — GHAMAL. — AVEN. — Auena. — Vanum. — EL. — Amos — Humanæ vitæ fabulæ argumentum.]

phe, qualisq́ ſemper ſit exitus, aperæpretium fuerit audire narrantem atq́ docentem omnes has induſtriæ & ſapientiæ humanæ artes, curas, actiones, negociationes, atque immenſas tranſactiones, & cum labore & ſtudio, ingenteq́ cupiditate & ambitione ſuſceptas cauſas, quamuis ex animi ſententia abſolutas, in meram & calamitoſam auctoribus fraudem, & ſummam euadere infelicitatem.

Oua aſpidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt: qui comederit ex ouis, morietur: & quod confotum eſt, erumpet in regulum. Telę eorum non erunt in veſtimentum, neque operientur operibus ſuis: opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum.

Improbarum actionum ac rerum improbandos eſſe exitus, natura comparatum eſt. Et quamquam deſcriptio hæc ad omnes malorum auctores, conſultores, & adiutores pertineat; tamen ex prophetici eloquij ratione ſingulis reipublicæ iam diſtinctis ordinibus ſingillatim per partes adnotata conuenit. quas omnes ad eorum qui ſequuntur & profitentur perniciem veneni ſummã conflare & conficere declarat. Primos enim iudices iudicio peruersè inſtituendo oua aſpidum *rumpere, id eſt, ſummum & peßimum litigantibus periculum creare ait; ita vt eum, cuius tractant iudicium, ſi ad finem vſque litigare iuuet, perinde intercidere neceſſe ſit, atq́ eum, qui excluſis aſpidum pullis veſcatur. Sin verò vel tædio affectus, vel fori peruerſitatem veroſus aut horrens, litem rumpat, intercidat, aut relinquat & fugere moliatur, ea iudicum malitia eſt, vt facilè cauſam inueniant quo iure, quáve iniuria deſertorem improbi iudicij veneno affectum, exitio proſequantur. Atq́ ita nulla ex parte tutum ſit, iſtis iudicibus atq́ foris experiri vel vti. Non ſecus verò peßimè conſultum eſſe ait, ſcribarum vti opera, qui ingenio, ſtudio, & arte iura & iudicia ſeſe ordiri & contexere, atq́ in vſum eorum quos diripere & ſpoliare ſtudẽt, aptare ſe noſſe ac poſſe profeßi, telas tamen aranearum texunt nulli veſtiendo aut operiendo, denique nulli vſui idoneas præterquam tenuibus irretiendis colligandis & ad extremum vſque premendis, nudandis, & exhauriendis hominibus. hoc eſt quod de illis, iudicibus inquam, narrat.* qui comederit ex ouis, morietur. *ſi iudicium ad finem vſque attendat & proſequatur: ſin verò prærumpat,* id, quod confotum eſt, erumpet in regulum. *In primæua lingua.* VEHAZORCH THIBAKAGH EPHGHAH. & conuertens, *ſiue* retrocedens, *aut* aufugiens [*namque hæc ſignificat verbum* ZARAH] rumpetur regulus. *Quod ad maturum tempus expectatum in aſpidem excludendum fuerat, ſi antea prærumpatur, regulum proferet; breuiorem quidem ſerpentem (quod ita natura illa fert) verùm celeriorem, & nihilominus noxium ac maleficum. Quod verò ad ſcribarum exordia, orditiones, textiones, artemq́ omnem attinet,* telæ eorum non erunt in veſtimentum. *vt aranearum telæ nec veſtibus nec operimentis vtiles eſſe poſſunt. ſic nec iſtorum ſcripta, & artes cuiquam proſunt, vtpote quæ dolo, fra[illegible], & mendacio conſtent, & ad iniuriam faciendam, hominesq́ circumueniendos conficta & comparata*

Iudices.

Scribæ ac Notarij.

para-

parata fuerint. opera corũ inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum. MAGHASEI AVEN facta fraudis, VPHOGHAL HHAMAZA. & opus iniuriæ in palmis eorum. *Scribarum fraus, dolus, & auaritia ad viuum expreſſa: qui dictorum, vti ſuperiùs dixerat, digitis fraudem machinantur: qua fraude manus impleant aliena pecunia per iniuriam in palmas ſuperas coacta, ita vt etiam dum ſcribunt, duobus vel tribus notas digitis cuſtodi-tis, eaſq́ perperam, vtpote feſtinantes, exaratas. & cæteris verò digitis palmas, in quibus nummos tenent, comprimunt. atq́ ita manus partim fraude texenda, partim iniuria facienda occupata eſt. Nec verò melior eſt ſcriptum, aut* Telen. *mens, aut actio, qui vel odio, vel auaritia, aut inuidia, non autem veri & æqui ſtudio impulſi.*

Pedes eorum ad malum currunt, & feſtinant vt effundant ſanguinem innocentem: cogitationes eorum cogitationes inutiles: vaſtitas & contritio in viis eorum.

Latronum atque graſſatorum peruerſam mentem animumq́ malum, atque perditos mores teſtibus adſcribit, vt innocentiæ alienæ inſidiatoribus, atq́ ad maleficium promptis perpetuoq́ paratis, maximaq́ audacia procurrentibus, ad quodcunque bonum opus aliàs tardis & pigris, tantoq́ alacrioribus ad nocendum, quanto miſerabilius futurum putetur nocum. Et exemplum. id quod non temerè aut inconſultò admitti, ſed deliberata ac dedita opera ſuſcipi & patrari ait. Pedes eorum ad malum [*quodcunque*] currere ſolent [*namq́ futuri temporis verba hæc ſunt.*] *At verò ardentiori ſtudio, & alacriore animo* feſtinare ſolent ad effundendum ſanguinem innocentem. *Totum hoc hemiſtichium è Salomonis prouerbiis a Vate no-* Prou. 1. *ſtro vſurpatum eſt, vno tantùm auctum vocabulo* innocentem. *Namque priorum auctorum argumenta ac dicta poſteriores libenter vſurpãt & repetunt, vt eiuſdem veritatis profeſſores, & ab eodem paſtore, vt Salomon ait, conſtituti miniſtri. Iam verò aduocatorum repetamus partes; quorum* Aduocatorũ ars. *quia ars omnis fraude, dolo, & mendaciis conſtat, id perpetuo & communicato agunt ſtudio, vt quemadmodum tuto fallere poſſint, aliisq́ obeſſe, atque mendacium texere & occultare, ac temporibus, aliisq́ circumſtantiis compoſitis veriſimilia dicere, & ita graues, idonei, ac veraces videri innuniant, & memores conſeruent. Atque hac de cauſa* cogitationes eorum, cogitationes inutiles. AVEN, *vanitatis & mendacij ac nullius momenti ac ponderis. Nam quod à vero deſciſcit,* AVEN *dicitur. Porrò quod iudiciorum actores ac defenſores ſpectat,* vaſtitas & contritio in viis eorum. *Tranſlatio à latronibus ſumpta, qui non in omni viarum parte agere ſolẽt, ſed in iis tantùm, in quibus propter denſitates aut impedimenta alia, maior ad diripiendos viatores commoditas, vel propter ſalebras ac difficultatẽ incedendi & effugiendi oportunior ad feriendum & frangendum hominem detur locus. quibus periculis omnes iſtorum vias plenas Vates ait eſſe.* Vaſtitas & contritio. SODVA SEBER. direptio & fractio in ſtratis eorum. *Namque ſtratas ab iſtis teneri vias nomen* MEZZILOTHAM *declarat. Verùm ita ſtratas, vt diripiendis viatoribus & innocentibus capiendis ac perdendis.*

dendis oportunas relictas, ipſa quotidiana clament exempla. non qui primi videantur ad caſus impellere hominem; ſed qui in lubrico labantem loco, minori ſuo periculo inuadant, & oppreſſum iugulent. id quod in tenebris ac de nocte ſurgentes oportunius facere ſolent. Atq; ita iſtos, qui lites intendunt aut ſuſtinent, vno diripiendi & perdendi alium ſtudio, auaritiæ nimirum inſeruientes, aut inuidia & odio flagrantes teneri ait.

Mos antiquus in litib. ſecandis. Pesarah.

Atqui antiquis inſtitutionibus receptum fuerat, vt iudices, ſcribæ, teſtes, & aduocati ante litis intentionem partes ad PESARAH, *id eſt, ad concordem & æquam interpretationem hortarentur, &, quantum fieri poſſet, inducerent, propter communis pacis obſeruantiam, & ſocietatis humanæ cuſtodiam. quod ſi vel neutri, vel alteri partium ſuadere non poſſent, hoc pacto litem admitterent*

D. Mat. locus

vt ex vero iudicio, & ſecundùm iura decernerent. De quo more nos aliàs, Deo deducente, plura & exactiùs, vt illud ex fundamentis intelligatur à

Mat.

ſummo præceptore commendatum. Eſto conſentiens aduerſario tuo dum es in via, &c. Namq; huiuſmodi conſenſum illo in loco intelligimus, quem legitimo vocabulo PASARAH *dictum obſeruauimus. Verùm enimuerò tantum abeſſe, ait Iſaias, vt ab iſtis magiſtratibus & miniſtris, imò nec ab ipſis litigantibus, hæc ineatur atq; obſeruetur honeſta ratio, vt nec illa altera litis ex iudicio & æquitate dandæ admittatur, ſed propter auaritiam nihil aliud quàm litium, cauſarum & iudiciorum frequentia & copia optetur, quæratur, & captetur. Hoc eſt quod in vniuerſum omnibus his, quos reip. præcipua membra eſſe diximus, obiicit, & exprobrat Vates.*

Viam pacis neſcierunt, & non eſt iudicium in greſſibus eorum, ſemitæ eorum incuruatæ ſunt eis: omnis qui calcat in eis, ignorat pacem.

Si quis à iudicibus, à ſcribis, ab aduocatis, à teſtibus quærat, num in votis habeant, ne qua vnquam iudiciorum extet cauſa, quidnam reſpondebunt in promptu diuinare eſt, nimirum ſe non ideo ſtudiis & literis, aut artibus iſtis tot annos tantam dediſſe operam, tantum poſuiſſe ſumptum. Quid ſi nonnulli magno ſibi empta munera & magiſteria cauſentur? Teſtes verò nihilo mitius reſponſuros ex animi vel auari & cupidi vel inuidi impulſu, coniectare licebit. Demum litigatores à propoſiti ſibi commodi, ſpe, & opinione quis abſterreat? Viam pacis, *vel publicæ & communis tranquillitatis & ſocietatis viam, quam Euangeliſtæ & Apoſtoli vno verbo* CARITATEM *appellant,* neſcierunt *cumprimis. quod ſi iam, quod vnum ſupereſt, requiras; vt ſaltem iudicium ex bono & æquo ſtatuatur, & legitimè ineatur, iuſteq; decernatur; conſuetudini ſtandum, & fori moribus agendum ac parendum dicunt, vt litigatorum tempus atq; res longo ſufflamine litis atteratur.* Non eſt iudicium. MISPAT, *ius & ratio.* in greſſibus eorũ. *Greſſus, mores, & conſuetudines hic interpretamur. Cuius peruerſitatis cunctis ita exprobratæ cauſam ſi quis quærat, caritatis defectum, & inhumanum auaritiæ & ſæuitiæ ſtudium vnicuique pro ſuo cõmodo ſuſceptum Vates indicat. non quibus iuris & æqui ratio, aut communis hominũ coniunctionis ac ſocietatis regia via, quæ per caritatem inſtruitur, placeat: ſed*

Via pacis. Caritas.

quibus

quibus ſuum priuatum cuiuſq; commodum vltra ius vltraq; fas comparare, certum decretumq; animo inſederit. Semitæ eorum incuruatæ ſunt eis. *Quas vnuſquiſque ſibi à regia deflexit via. atq; ita iuris interpretationem, dictionem, & exercitationem, teſtimoniorum dicendorum rationem, formam, modumq;, accuſandi ac defendendi artem, poſtulationem, & negationem, denique omnem cum alio agendi rationem, actionum ſummam vniuerſam ab illa communi & ſacra via ad ſingularem vniuſcuiuſque ſemitam detortas pertrahi ſpectatum eſt. quas ſemitas, quaſq; priuatas rationes à caritate quàm longiſsimè aberrare neceſſe eſt.* Omnis qui calcat in eis, ignorat pacem. *atq; ita omnes à coniunctionis & concordiæ humanæ æquitate degenerantes ſeſe à Deo vnico & vero vnionis, concordiæ, atque caritatis amatore, communiq; omnium Patre abalienarunt. vt in huius ſermonis initio dictum: Peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis, ne exaudiret. Namq; ille regiam viam rectam & ſimplicem probat, ab eademq; deflectētes, vel diuerſas execratur ſemitas, per quas inueniri ſe perſæpè negauit: vtpote diſtortas, cæcas, & vmbroſas atq; obſcuras, in peiuſq; ſemper ac deteriùs tendentes. quas in meras tenebras deſinere, & ad pœnam exitiumq; præcipites euadere conſentaneum ſit. Atque hunc eorum, qui pacem auerſantur, exitum eſſe, natura ipſa rerum iubet. qualem iſtis expectandum denunciat Vates.*

Propter hoc elongatum eſt iudicium à nobis, & non apprehendet nos iuſtitia: expectauimus lucem, & ecce tenebræ: ſplendorem, & in tenebris ambulauimus.

Diuinæ iuſtitiæ ratio & fas exigit, vt quale quiſque ſeminarit ſemen, tale & metat; verùm id cumulatiùs: quare qui peruerſitates, & iniurias, atq; fraudes condiderant, calamitates, perturbationes, & meras tenebras legant neceſſe eſt. Id quod in perſona totius populi ſentiens, ac miſeratus Vates, lamentatur, declaratq; non mirandum ſi Dei iudicium eos deſerat, qui ipſi iudicium à ſe omne abalienauerint: nec iuſtitiæ clementiæq; diuinæ benignitatem experiantur, qui nec pacem, nec veram iuſtitiam admittere & amplexari voluerint. Atq; iudicium hoc loco id intelligimus, quod homines ab hoſtibus atq; inſidiatoribus preſſi, à Deo in ſui vindictam libertatemq; ieiunantes poſtulare ſe, in ſuperiore capite iactabant, atq; adeò iudicium illud arcanum, cuius lis inter hominem, & mundi huius principem inſtituta eſt. Id namq; ne quiquā ab iis expectatur, quibus pacis iudicium numquam cordi fuerit. S.S.E. Si enim vos non remiſeritis hominibus ex “corde veſtro, neque Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. Et quidem “nonnulla in iſtis humanis ſemitis agi ſolent, quibus pietatis arrogato nomine; auctores ipſi ſeſe decipiunt ſibiq; plaudunt; exiſtimantes ad lucem illa demum pertentura, atque diuinam conciliatura iuſtitiam & gratiam: tamen ex amatis, optatis, atque affectatis tenebris, nihil præter tenebras, ac tenebrarum pericula expectandum eſſe Vates hic docet, quantumcunque ſibi induſtriæ propriæ inuentis & argumentis plaudat, quantumcunq; aliorum etiam plauſu prædicetur, tamen expectauimus lucem, & ecce tenebræ:

Iuſtitiæ diuinæ ratio.

Iudicium.

nebræ: ſplẽdorem, & in tenebris ambulauimus. *Quidquid enim præter diuinæ doctrinæ lucem agitur, nec lucis nomen, nec ſplendoris etiam habere aut vſurpare iure poteſt; ſed ſuo proprio vocabulo, hoc eſt, tenebrarum, dictitari debet. Nam quod à Dei ſapientia diuertit, quamquam humano ingenio lucidum, magnum, & prudenter excogitatum putetur, tamen*

Perſius. *Publica lex hominum naturaq́; continet hoc fas,*
Vt teneat vetitos inſcitia debilis actus.
Idem. *Et quid tam parum eſt? ſed nullo farre litabis*
Hæreat in ſtultis breuis vt ſemuncia recti.

Fieri igitur nequit, vt ex ſtultitia ſapientia, ex tenebris oriatur lux: ſed quæ tenebras conſequitur, cæcitas, eaq́; periculoſiſſima expectanda fuerit.

Palpauimus ſicut cæci parietem, & quaſi abſque oculis attrectauimus: impegimus meridie quaſi in tenebris, in caliginoſis, quaſi mortui.

Senſum omnium humani corporis ad cognoſcẽdas res poſtremus tractus Cæcitas. *habetur: qui tamen iis, qui oculis capti ſunt, ad periculum & caſum vitandum præcipuè vſurpatur, vtpote luce deſtitutis, cuius virtute & indicio ca-* Ioan. 11 *ſus vitari poſſunt. S. S. E. Qui ambulat in luce, non offendit; quia lumen* » *huius mundi videt: ſi autem ambulauerit in nocte, offendet; quia lux non* » *eſt in eo. Eſt autem duplex cæcitatis vitium diuerſa origine natum: aliud quidem ex malo oculorum habitu vel capitis morbo effectum: aliud verò ex diuturna & perpetua tenebrarum conſuetudine & vſurpatione: qua ita ſenſus ille afficitur, vt in lucem poſtea tranſmiſſus præſtringatur, & in-* Galen. *tendere coactus virtute priuetur propria. Quo orbationis genere tyrannus quidam ad homines excæcandos aliquando narratur vſus, in tenebris diutius antè retentos, & ſubito ad candidiſſimum conclaue in clariſſima diei luce productos. Huiuſmodi affectatam cæcitatem ſibi homines afferre Vates ait; nempe à doctrinæ diuinæ lumine ſeſe vltro ſubducentes, & totius vitæ actionumq́; rationem ex tactus & manuum facultate & oportunitate inſtituentes. quam facultatem muris & parietibus inſiſtentes exercent, cæcorum conſueto exemplo ac more: qui caſus & offenſionis metu coacti, manu parietem frequenter tentantes, quo deuenire volant, pergere ſtudent. ita iſti humanis tantùm rationibus inſiſtentes, quæ inſtituere, peragere tendunt. Quem tamen actio habitura ſit exitum, incerti prorſus, tentantes tamen, & alium aliumq́; parietem, cui innitantur, nanciſci curantes. quod ſi ad lucem meridie clariorem, hoc eſt, ad manifeſtam fidei ac diuinæ voluntatis diſciplinam reuocentur, non magis aduertunt, aut intelligunt, quàm, qui poſteriore modo excæcati fuerint, in meridie videre ſolent: quo enim ſplendidior fuerit lux, eo minùs iſti nocturnarum auium inſtar cernunt.*

Nagaſsesah *Verbum* NAGAS, *ex quo frequentantiuũ vocabulum* NEGAſSESAH, *à Vate vſurpatum, propriè accedere, adniti, admoueriq́; ſignificat, quanquam nonnullis interpretibus à* MASAS *tractum videatur. quod literaturæ non fert lex & ratio. Eſt autem, vti diximus, frequentatiuum, illamq́; depingit crebram parietis repetitionem à cæcis manu frequentatam: pro quo interpres*

noſter

noſter reddidit, palpauimus. *Hiſpani hac tranſlatione vſi, cùm conſilij incertitudinem ſignificare volunt, dicere ſolent, Andamos à tienta paredes.* impegimus in meridie quaſi in tenebris. NESEPH, *nocturnas tenebras quæ intra domos clauſaq; loca obiiciuntur, interpretamur. in quibus qui mouetur, frequenter ſolet offendere & impingere, vtpote cuius pedes nullo diriguntur, quale ille laudabat lumine: Lucerna pedibus meis verbũ tuum, & lumen ſemitis meis.* Pſal. 118. in caliginoſis quaſi mortui. BEASAMIM CAMETHIM, in periculis ſicut mortui. *Significat nõ magis ſibi conſulere poſſe aut proſpicere non modò ad futura, verùm ad præſentia & inſtantia pericula ac diſcrimina, quam ſi mortui eſſent; quos eodem loco iacentes, quodcunque periculum ingruerit, tamen reperiat immotos. Hoc pacto affectos homines, hoc eſt, tot criminibus inuolutos, & à pura & ſimplice doctrina degenerantes; nec tamen reſipiſcentes, verùm in ſua manentes orbitate, quidnam clamores, quid verba largius profuſa iuuent, è veſtigio declarat Vates.*

Rugiemus quaſi vrſi omnes, & quaſi columbæ meditantes gememus: expectauimus iudicium, & non eſt: ſalutem, & elongata eſt à nobis.

Ex tribus antiquis muſicæ exercitationis generibus id, quod Chromaticum dicitur, ad preces, lamenta, deprecationes, luctus, & querelas canẽdum vſurpabatur: quod gemitus ac ſuſpiria, eiulatus, & fletum referre ac repreſentare, atq; etiam audientium animos ad ſimilem impellere ſenſum poſſet. Chromaticũ muſicę gen⁹. *Hanc canendi rationem Itali noſtro tempore muſici excitare ac reſtituere ſtudent: &, ſi pergant, facturi nobis videntur, vt illa gens, vbi intenderit ingenium, valet. Atq; de tribus illis muſicæ generibus quæ commodè apud Amoſum agebamus. ſi cui cognoſcere libeat, illinc liceat repetere, admonito tamen mendum in locum ex incuria irrepſiſſe, commutatis nimirum nominibus; quæ corrigere conueniat, & pro Diatonico legere Enharmonium, rurſusq; pro Enharmonio, Diatonicum reponere.* In Amoſi cõment. locus emendãdus. *Atq; harum cantandi formarum imagines ab animaliũ vocibus & affectionibus ars imitata eſſe videtur, vti cetera omnia quæ in artem à natura traducta ſunt. & quamquam humana vox ad omnem animi motum efferendum idonea & habilis ac flexibilis naturæ ſit; quia tamen non eodem, aut pari ſpiritu, nec conſimili ſono aut æqua vi ab omnibus communiter editur: quibuſdam enim tenuior, aliis denſior, nonnullis fractior aut lentior; partim etiam vehementior & concitatior, pluribus inquam multiplici diſcrimine varius cõtingit ſonus, conſultiſsimum fuit, animantum aliarum tum quadrupedum, tum bipedum obſeruare voces: quarum ſingula genera ſuos, quos natura ſortita ſunt ſonos, non ſolùm ſimpliciter & conſtanter perpetuò obtinent, ſed efficaciter etiam referunt. Ad horum itaque generum rationes artis induſtria & iudicio obſeruatas, & in legem ac normam redactas humanæ vocis modos, tonos, & numeros reuocare antiqui ſtuduerunt artifices. qui, quantum in ea re valuerint, à Plinio, Boëtio, Platone, aliisq; grauibus narrãtur auctoribus. Ex hac autem ratione ſimilitudines ad omnem humani animi*

motus & affectus indicem vocem à ſacris petunt ur ſcriptoribus. Hinc illa:
Mich. 1. *Super hoc plangam & vlulabo, vadam ſpoliatus & nudus, faciam planctum velut draconum, & luctum quaſi ſtruthionum. Vt verò varij incidunt humana animo affectus, ita variæ, quæ huiuſmodi affectus exprimant, voces ab aliis atq; aliis animantibus editæ percipiuntur. quas ad imitationem exprimere vel priuatè mens conetur, vel ars communiter & ſtudioſè curet.*
Vrſæ vox. Columbæ gemitus. *In doloris autem & mœſtitiæ ſenſu vrſæ vox primas obtinet: in deſiderij verò indicando affectu, columbarum gemitus præcipuè valet. Quarũ animantum voces vel priuata imitatione exprimendas, vel communibus, & ex arte conformatis modis in cantu ac muſicis repræſentandas; nihil tamen apud ſimpliciſſimum & veritatis amantiſſimum Deum effuturum ire, Vates docet; quamdiu ab iis, qui vel lugentes & eiulantes, vel canentes, & communi querimonia ſiue deprecatione imitantur, cauſa quamobrẽ vexantur, excepta atq; ſummota non fuerit. Hoc eſt, quàm diu peruerſæ vitæ & ratio & forma in ſimplicem & veram pietatem non fuerit mutata. Hoc igitur eſt quod Vates prædicens, obteſtatur. Eſto, inquit, ſinguli ſeorſum vel communiter* omnes rugiemus quaſi vrſi, & quaſi columbæ meditantes gememus.
Pſal. *ſic etiam Dauid, Meditabor vt columba. quæ non ſolùm interdiu, ſed noctu etiam gemere, ac deſiderij indicem edere vocem ſolet. Sed quamquam huiuſmodi voces & lamenta exprimantur aptiſſimè, non tamen profecerint admodum: quippe* expectauimus iudicium Dei *aduerſus eos, à quibus oppreſſi vexamur cùm corpore tum animo,* & non eſt. *expectauimus etiam* ſalutem, & elongata eſt à nobis. *Nequicquam igitur poſitam ab illis in luctibus ac gemitibus vel edendis, vel cantu ac modulatione effingendis operam, ait. Nec verò propter diuinæ prouidentiæ defectum aut ceſſationem (quod exceptum ſuperiùs fuit) ſua ſe ait fuiſſe ſpe fruſtratos: ſed rationem veram & proximam requiſitæ ſalutis reddens, ait:*

Multiplicatæ enim ſunt iniquitates noſtræ coram te, & peccata noſtra reſponderunt nobis: quia ſcelera noſtra nobiſcum, & iniquitates noſtras cognouimus.

Non opus eſſe diuino ac ſingulari ad vnamquamque poſtulationem reſponſo, vel ex hac Vatis confeſſione docemur. Etenim, quæ iam ſemel Deus declarauit, cùm perpetuò conſtent, nouam minimè requirunt ad ſingula exempla vel repetitionem, vel confirmationem: ac multo minùs nouam recipiunt aut admittunt exceptionem: neque enim mutatur Deus; qui ſe vnicuique ſecundùm opera ſua redditurum eſſe clamauerat. Quamobrem facilè fuerit pro temporum & locorum ratione ex declarati iam conſilij diuini manifeſta notitia, quid ſperandum, quid non expectandum ſit, non conjectari modò, ſed conſtanter etiam reſponderi. Illud autem certum cumprimus eſt, nulla humana facta, ſed ne cogitata quidem, Deum fallere laterève poſſe. Deinde illud ſecundum fuerit, eos, qui peccato obnoxij ac dediti ſeruiunt, nec ex animo renunciant vitio, indignos ſeſe, qui ad ſalutem exaudiantur, præbere.
Nemo mundus à ſorde. *Tum demùm quotuſquiſque eſt qui ſeſe peccato immunem Deo probet? præcipuè in populo tot malis, tamq; multiplicibus exem-*

plis

plis corrupto. Quod ſi quis vel propterea quòd nullo publico fungitur munere, nullam ſequitur litem, nihil cum aliis commercij habet, ſeſe puras ſcelere habere manus, hoc eſt, neminem vnquam à ſe læſum hominem affirmet. An tamen iis vitiis & ſordibus atq; peccatis, quæ poſtulatam ab homine inter ſe ac Deum puritatem & ſimplicitatem ſpectant, ſe omnino liberum & integrum quiſquam illius oculis atque legi defendet & aſſeret? ne dixeris: namque multiplicatæ ſunt iniquitates noſtræ coram te. PESAGHENV NEGDECHA, defectiones noſtræ coram te. *Si non ſcelera & flagitia aduerſus alios admiſſa, ſi non iniuriæ illatæ cuiquam, tamen* defectiones noſtræ coram te, *quæ noſtram erga te pietatem & integritatem violatam accuſant; adeò vt nemine, qui nomine tuo hoc obiiciat, opus fuerit, quãdo* peccata noſtra reſponderunt nobis. *quæ ſi iam à nobis reſecta, pulſa, longeq; ſemota eſſent, fortaſſe vel nobis non audiri cauſaremur, vel ſalutem tuam nobis proximã fore ſperaremus, animo videlicet vitiis vacuo & expurgato, atq; ad gratiam & reconciliationem compoſito & apparato, verum enimuerò longis à ſalutis tuæ opportunitate ſeiũcti ſumus interuallis.* quia ſcelera noſtra nobiſcum: *Et non permanebit ſpiritus Domini in homine, quando caro eſt. Atqui non modò illa, quæ occulta, & ſoli Deo nota ſunt, à conſcientiis non exulant noſtris; ſed ea etiam quæ in alium prauè & iniuſtè ſuſcipiuntur, adeò manifeſta & publica manent, vt nemini noſtrũ ſint ignorata. De priori genere occultarum à Deo defectionum prior confeſſionis huius exponenda pars fuerit.* PESAGHEINV ITHANV: *de poſteriore verò poſterior.* VEGHAVONOTHENV IADAGHNVM. & prauitates noſtras cognouimus eas. *pronomen adiunctum.* M. *quod vertimus in* eas. *certam & conſtantem, ſingularem etiam confitetur notitiam: quarum omnium diſtinctas formas definitione ex adiunctis & effectis quamprimũ diſtinguens Vates, certam cognitionis confeſſionem declarat, & ex conſequenti, homines in culpa ſibi eſſe, ſuarum calamitatum, aduerſarumq; rerum: atque ita Dei gratiam, fauorem, ac præſidium ſibi ipſis auertiſſe.* Gen. 6.

Peccare & mentiri contra Dominum: & auerſi ſumus ne iremus poſt tergum Dei noſtri, vt loqueremur calumniam & trãſgreſſionem: concepimus, & locuti ſumus de corde verba mendacij.

TOTVM *populum in culpa & crimine poſitum, ex ſingularum, quæ numeratæ ſunt, populi partium, tum conſcientia, tum etiam manifeſtis moribus repetit, & confirmat, ordine ab extremis ad primos conuerſo. Nam ſi infimos culpæ, defectioni, & ſceleri obnoxios eſſe conſtiterit, maiores & potentiores maioris flagitij cenſura premi conſentaneum eſt. Incipit ergo ab iis qui iudicio contendunt, eo primum arrepto, qui non ſponte, ſed coactus, atq; adeò extractus in iudicium eſt. quem Latinè vel reum, vel cauſam dicentẽ, in ſacra lingua* NITHBAGH, *hoc eſt, demerſum dici accepimus. quem quidem vtpote inuitum, vel culpa carere, vel exigua nota, aut etiam venia dignum, ratio defendere poſſet: niſi manifeſta damnaret tum defectio, tum verò iniuria. Atq; vt omittamus quòd cum aduerſario ante cauſam nõ conſtituerit, cùm ipſe aduerſarij improbitatem, vel importunitatem, aut incle-* Reus.

men-

mentiam cauſari fortè poſſet, tamen pietatem & fidem in Deum in iis partibus, quas tenere ipſe debuit, prodidiſſe, atq; iniuriæ etiam ſcelus admiſiſſe arguitur. Nam q; à iudice de debito vel de cauſa rogatus, negationē pro confeſſione, & pro religionis cultu ac ſanctitate, quam omnibus humanis rebus, atq; adeò vitæ etiam & capiti prælatā oportuit, periurium repoſuit. Hanc partis huius peruerſitatem ita notat Vates. Peccare & mētiri contra Dominum. *Primæua ſic habent verba.* PESOAGH VECHAHHES BAIEHOVAH. deficere & pernegare in Domino. *Triplicis flagitij culpam vno in facto complicatam arguit. primi* deficere *à pietate ac timore Dei, cuius maieſtatem ſanctiſſimam, & reuerenter atq; piè ob oculos habitam, cuius legem obſeruatam eſſe oportuit: tamen contempta conſtet, vel ex eo quod quis iudicium negādi, vel turbandi, aut aliàs fraudandi animo adeat, nedum ſi reapſe neget, & audace ac ſacrilega mente negationi periuriū addat, nomine etiam Dei appellando & pronunciando vetante lege:* Exod. *Non aſ-
" ſumes nomen Dei tui in vanum. Hoc verò audaciſſimum & impium facinus, quod tribus verbis concluſit Vates, pluribus expreſſit humanorum vitiorum atque morum grauis ac diligens notator ille:*

Iuuenal. Sat. 13.

Intercepta decem quereris ſeſtertia fraude
Sacrilega; quid ſi bis centum perdidit ille
Hoc arcana modo, maiorem tertius illa
Summam quam patulæ vix ceperat angulus arcæ?
TAM facilè & pronum eſt ſuperos contemnere teſteis,
Si mortalis idem nemo ſciat. adſpice quanta
Voce neget, quæ ſit ficti conſtantia vultus. *& paulo pòſt.*
Sic animum diræ trepidum formidine culpæ
Confirmat, tunc te ſacra ad delubra vocantem
Præcedit, trahere imò vltrò ac vexare paratus:
Nam cum magna malæ ſupereſt audacia cauſæ,
Creditur à multis fiducia.

Hæc breuiter de reo fidem ſuáſque Actor. THOBEAGH. *prodente partes. De improbo verò malæ fidei ac doloſo auctore (quem* THOBEAH *ſacra lingua) illud ſubſequitur:* Auerſi ſumus, ne iremus poſt tergum Dei noſtri. VENAZZOG MEAHHAR ELOHEINV. & recedere de poſt Deum. *Gubernatorem & iudicem noſtrum, qui timorem ſui hominibus indixit, vt iudex, vt gubernator; quem antè omnem alium iudicem adiri, conſuli, & ſpectari oportet reueriq;: nec improbis in alium quēquam repertis cauſis offenſum reddere. à quo quiſquis aliter audet aut agit, haud dubiè deſciſcit & recedit.* Teſtes. *Iam verò quidnam à teſtibus peccetur, expediendum.* vt loqueremur calumniam & tranſgreſſionem. *Infinitiui modi verbum hoc etiam cum ſuperioribus eſt, & communem iam factam cōſuetudinem coarguit.* Chosek zzarah. LODABER CHOSEK VEZZARAH. Loqui GHOSEK & ZZARAH. *prius nomen in* calumniam, *poſterius in* tranſgreſſionem *noſter vertit interpres, idq; rectè, verùm rem ipſam expoſitoribus diſtinguendam reliquit. Duobus autem modis officium ſuum peruertere ſolent ij, qui pro teſtimonio dicturi producuntur; vel excogitato & conficto mendacio,*

falſoq;

ſalſoq́ pronunciato, cui nulla verè ſuperfuerit res. & hæc propriè GHOSCK *ſiue* calumnia *hoc loco dicitur. vel dicto aut facto eius, in quem teſtimoniū ſumitur, aliter quàm res habet, inuerſo, aut ſiniſtra interpretatione immutato. quod genus* ZZARAH *vocatum interpres noſter* tranſgreſſionem *dixit. His verò aduocatorum peruerſitas qualis nam eſſe ſoleat, ſubiūgitur:* Aduocati.

Concepimus, & locuti ſumus de corde verba mendacij. *In exemplari* HOROH VEHOGO MI LEB DIBREI SAKER. *Eodem infinito modo verbum vtrumque pronunciatur, vt poſitum ſtudium, datamq́; ſignificet operam.* HOROH, *concipere, cum interprete noſtro, atq; etiam docere, ſiue, quod proprium iuriſconſultorum & aduocatorum eſt, cauſam informare ſignificat. Atq; ita ſcriptum de ſacerdote legimus.* VL HOROTH ETH BENE IISRAEL. *& ad informandos vel erudiendos filios Iſrael. ſignificat etiam influere, vel fluere. Quæ omnia ſimul ſignificata aduocatorum eloquentiæ conueniunt. quorum animo præmeditatæ & compoſitæ rationes torrente eloquio in iudicum aures influentes ex mala bonam, ex bona malam perſuadere, & inuertere ſolent cauſam. Id quod non citra ſtudium & meditationem, attentamq́; actionem fieri poßit; ita vt dicendi ac perorandi argumenta, ac verborum oportuna diſpoſitio non ex rebus, ſed ex callida dicentis inuentione atq; diligente arte petita fuerit. Hoc eſt quod Vates ait:* Concipere informare fluere & meditari de corde [*non de veritate nec de re*] verba mendacij. *Verba in plurali numero oratorium vocabulum eſt. namque verborum copia & artificio magis quàm rerum veritate cauſidicorum huiuſmodi conſtat ars. Ita apud Latinos: Verba facit leno. & quod Latini:* Horatius. *Verba dare, dicunt. Vates hic* verba mendacij *vocat. Reſtant porrò iudi-* Serm. 3. 3. *cum & ſcribarum peruerſa, notanda ac deſcribenda officia, vel maleficia potiùs. Primi autem iudices examinandi, qui priores partibus audiendis, ac* Iudices. *teſtibus examinandis, inſtruendæq́; liti operam dant. quæ omnia à ſcribis excepta, in acta referuntur. Atqui iudicum tale illud eſt elogium.*

Et conuerſum eſt iudicium retrorſum [*vtpote cui nullus ad iudices conceſſus fuerit aditus, aut acceſſus: ſcribarum verò illud*] & iuſtitia longè ſtetit.

Nomen TSEDAKAH *iuſtitiam cum clementia & bonitate coniunctam ſi-* TSEDAKAH. *gnificare ſæpius repetimus. hanc autem ſemper ex bono, benigno, humanoq́;* Iuſtitia. *animo proficiſci, intelligere eſt. Namq; MISPAT, id eſt, iudicium, inſtantum,* MISPAT. *rationemq́; dicere poſſumus, quæ non arbitrij, aut ſtudij, aut gratiæ, ſed pu-* Iudicium. *ræ ac ſimplicis nudæq́; veritatis auctoritate nituntur: atque ita ei vni tribuuntur, cui res ipſa vendicanda conſtiterit, ſiue hoſti, ſiue aduenæ, ſiue ciui, ſiue amico. ſicut ſcriptum eſt: Vt paruulum ita magnum audietis. quod ſi* « *iudicio ipſi nullus apud iſtos relinquitur locus, quid nam de iuſtitia illa, quam cum bonitate & humanitate coniunctam dicimus, exiſtimandū eſt? illud nimirum:* & iuſtitia longè ſtetit. *Admirabili proſopopæa virtutum iſtarum rationem, ordinem, habitum, atque inter homines exiſtimationem oculis veluti ſubiecta, proponit Vates. Sunt verò virtutum nomina,* iudicium, iuſtitia, veritas, æquitas, *ſiue* NECHOHAH. *& quidem iudicium*

liberrimum natura eſt; nec inuidiæ, nec gratiæ, aut odij, aut magni, aut parui, aut ſummi, aut infimi rationem habens: vtpote quod non ad hominem quemquam, ſed ad ſupremum iudicem Deum reſpectum tantùm habet. Deut. 1. *S. S. E. Ne timeatis à facie cuiuſquam: quia iudicium Dei eſt. Quod ſi iudicium Dei eſt, ipſum nulli loco vel perſonæ concedere, ſed omnia penetrare & adire liberum oportuerit. Verùm enimuerò nunc ab iſtis moribus id, quod ſuum eſt, dum petit, repulſum à iudicibus,* conuerſum eſt retrorſum *id quod ea, quæ ponè ſequitur* iuſtitia *intuita, & excluſum, atque terga dare coactum iudicium conſpicata,* à longè ſtetit, *vtpote quæ non mitiorem paſſura eſſet repulſam ſi iudicem adire tentaret. Verbum* conuerſum eſt, *non vltrò actum, ſed vi, & indignis modis adactum atque inuerſum, tergáque dare compulſum interpretari. Vox paſſiua* HUZZAG *iubet. Iam verò ſi* Veritas. *cum iudicio & iuſtitia ita apud iudices & ſcribas agitur, reſtat veritas incitanda, vt adeat, vt clamet, vt ſeſe audiri admittíque poſtulet, vt cælum terræ, ac mare cælo clamando miſceat; quæ quanto communior, & populo, pariter atque primoribus oportuna, familiaris, & neceſſaria eſt, eo minùs dubitare, minùs principum potentiam reuereri debet: nam ſi non admittatur à magiſtratibus & iudicibus, poteſt plebem appellare; cuius impetum certum eſt à magnatibus metui. Atque ita vbi veritati fores patuerint, iuſtitiam, vel iudicium ſaltem admittendi ſpes affulſerit. Nihil tale expectes; quia*

Corruit in platea veritas.

Platea. Rehhob. *Platea, ſiue* REHHOB *publicus locus omni hominum conditioni & ordini communis & peruius emptoribus & venditoribus, viatoribus, hoſpitibus, ciuibus, aduenis, indigenis, omnibus denique mortalibus patens ad communis conſuetudinis & ſocietatis oportunitatem & commoditatem inſtitutus. in quo, ſiuſquam maximè, præcipuas & primas partes, veritati tributas oporteat. Quippe quæ ſola & vnica omnes omnium ordinum, linguarum, nationum, atque ſententiarum, conſiliorum ac munerum, imò & religionum ac ſectarum homines, quamquam aliàs diuerſos ac diſſentientes; tamen conciliare, componere, concordare, atque ſuſpicione liberare, tueri, ac ſecuros animi reddere valet. Id quod vbicunque terrarum ſuſcepta eſt, à ſe effectum, abundéque præſtitum perpetuò probauit. Verùm enimuerò id apud iſtos mores expectandum eſſe negat Vates. apud quos* Veritas in platea corruit, *atque adhuc iacet, nemini eorum, qui verſantur, reuocata, retẽta aut ſublata, & erecta; & quod maximè ſtupendum eſt, publicè neglecta. nempe* in platea. *Ex quo conſequitur mendacium & falſum cunctis pariter, impunè & impudenter placere. Quis nam igitur iudicum, ſcribarum, teſtium, & aduocatorum, atque litigantium fraudi, dolo, calliditati, malisque artibus obſtiterit aut interceſſerit, vbi veritas ipſa; quæ omnibus pariter mortalibus oportuna, vtilis & commoda, atque adeò neceſſaria tutatrix & aduocata diuinitus conſtituta eſt; tamen dum cunctis operam dat, & conſulit, impingere & corruere ſpectata, deſpectáque, iacet, & mendacium viget, ſtudioſéque colitur.* Ratio. *Atqui vbi ſic res habet, ſupereſt vna veritatis comes, ratio. Cuius partes & officiũ eſſe ſolent, veritati vel cognoſcendæ & ſuſcipiendæ*

præire,

præire, vel reuocandæ operam dare, vel ad dubia & obſcura loca admittendæ lumen prætendere, vel labanti ſuccurrere, aut iacenti manum porrigere; atq; adeò currenti viam ſternere, denique nuncium & legatum veritatis apud ſummos & apud imos in omni loco agere, & quidem id non cum faſtu aut ſuperbè vel poſtulat, vel incipit & exequitur, ſed modeſtè, ſed blandè, ſed luculenter & ciuiliter, atque adeò humanè. Nihil enim inter mortales ratione humanius, nihil ſimplicius, nihil etiam vel aſpectu gratiùs, vel cognitu amabiliùs. Præterea legationis ius inter gẽtes omnes præcipuè ſanctum ac liberum integrumq́; habetur: ita vt legato aut nuncio acceſſum negare, nefarium, & ab humanitatis vſu & ſenſu cenſeatur alienum. Nihilominus autem iſtis, quos Vates notat & confitetur, moribus rationi ipſi veritatis comiti & nunciæ non modò aures non præbentur, ſed vel iacentem veritatem leuandi cauſa nec aditus conceditur, nec datur acceſſus. Legationis ius.

Et æquitas non potuit ingredi.

Quod interpres noſter vertit in æquitas, *in primæua lingua eſt* NECHOHHAH, *quod Latinè* collationem *dicere poſſumus. Significat enim oppoſitionem rerum & collationem mutuam, ſiue medium & argumẽtum; quo res collatæ num conſtent & congruant, num diſtent & diſsiliant, examinatæ cognoſcuntur. Itaque licet hac voce rationem, argumentum, argumentationem, collationem, collectionem, comparationem, & compoſitionem atq; examen rectè dicere. Quæ omnia* æquitatis *nomen ab interprete noſtro pro loco quæſitum ſignificat. Italicè aptum huic voci nomen frequentis vſurpationis eſt, riscontro: Hiſpanicè verò legitimum etiam, ſed ciuitatibus tantùm cognitum, contraſte. Huic itaque examinandæ rei ac veritatis iuuandæ miniſtræ, hoc eſt, æquitati ſiue rationi, contra ius moresq́; gẽtium acceſſum & ingreſſum interdictum, atque publicè communiterq́; impedimentum obiectum eſſe, ait.* LO THVCHAL LABO. Non poterit intrare. NECHOHHAH *Similem apud Ieremiam audire eſt de moribus iſtis querelam, quamquam non adeò tot partibus diſtinctam & amplificatam: Circuite vias Ieruſalem, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem: & propitius ero ei. Quòd ſi etiam Viuit Dominus, dixerint, & hoc falsò iurabunt. Atq; in tanta rerum humanarum peruerſitate, confuſione, malitia, & prauitate, non modò apud eos qui lege carebant, ſed apud eos etiam, qui diuinis legibus & præceptis eruditi fuerant. Poſtquam conſtiterit, nullum repertum eſſe hominem, cuius virtute, munere, & opera his medicina fieret malis, diuinam demum bonitatem & miſericordiam humano generi conſulentem, propoſitoq́; conſtantem ſuo, ipſam vltrò redimendi & ſeruandi, atque reficiendi generis hominum tempus conſtituiſſe, & modum præteritis caſtigationibus & animaduerſionibus poſituram, atque nouum ſalutis inituram fœdus, cuius qui participes eſſe voluerint homines quocumque ex loco vel genere omnes recipiantur, & ad veritatis ſcientiam & regenerationis, ac nouæ vitæ communionem adoptentur. Hæc breuiter totius reliquæ in hoc ſermone partis* Ierem. 5. Nouũ fœdus

 ad

ad finem vſque ſumma fuerit expoſitio, quæ accuſationi & confeßioni hactenus declaratis adiungitur.

Et facta eſt veritas in obliuionem: & qui receſſit à malo, prædæ patuit: & vidit Dominus, & malum apparuit in oculis eius, quia non eſt iudicium. Et vidit quia non eſt vir, & aporiatus eſt, quia non eſt qui occurrat: & ſaluauit ſibi brachium ſuum, & iuſtitia eius ipſa confirmauit eum.

Iudæos & gentes ſub peccato eſſe.

Rerum humanarum ſtatum omni ex parte labefactatum, atque prorſus inuerſum diuini iudicij cenſura, atq; ipſa hominum confeßione ſuperiore ſermonis parte intelleximus. id quod cùm ita apud Ieroſolymorum ciues, quibus legitima præcepta & inſtituta, quibus etiam ſacra & ſancta ex Dei conſilio atq; præſcripto contigerant, quid nam apud reliquas orbis nationes omnes vera deſtitutas & egentes, diſciplina repertum iri exiſtimandum? Id nimirum, quod hoc loco narrat Vates. non ſolùm veritatem iacere, ſed in obliuionem eſſe factam, *atq; è mentibus animisq; hominum exulare, iuſtitiam verò nullam eſſe poſſe vbi iudicium non eſſet, iudicium autem ſine veritate non modò non conſiſtere poſſe, ſed boni atq; decori humani tantùm eſſe odium, vt ſi quiſpiam à maleficio abhorreret, idem ipſe propterea iniuriis ac damnis accipiendis pateret. Id quod diuinum non latere iudicium Vates ait: imò vehementer fuiſſe improbatum; & quamquam certis animaduerſionibus caſtigatum; non tamen correctum & emendatum, atq; vlteriùs etiam corrumpendo promotum. Hoc ſignificatur toto primo verſu. Cuius verba omnia, quamquã præteritum tempus Latinè ſonent; tamen ad futurum referenda eſſe, & rerum ſeries atq; ordo & ratio vnà cum primæuæ linguæ obſeruatione docet. præcipuè cùm prophetica oratio ſit, cuius mos frequentißimus eſt, quæ ventura expectantur, velut iam peracta & ſpectata pronunciare,* & qui receſſit à malo prædæ patuit VEZZOR MERAGH MISTHOLEL. & recedens à malo direptum ſe [*reperit*] *id eſt, eo ipſo quo à maleficio abſtineret, damnum ſibi accipiendum & ferendum intellexit, ſi maximè non grauiora, hoc eſt, iniurias & contumelias pateretur, tamen ſpoliationem ac direptionem apertam & impunitam non effugeret, aut vitaret. Venit in mentem prouerbij apud Arabes vulgati recordatio, quod quia ſuis literis & vocibus nunc exprimere non liquet, Latino verſu tamen referre non pigebit ferè ex verbo expreſſum.*

Prouerbium Arabicum.

Eſſe lupis eſcam te noſtra ætate neceſſe eſt;
Sed patiare, niſi te iuuet eſſe lupum.

Atqui hunc mundi atque hominum ſtatum graue & miſerabile atque improbabile ſpectaculum Dei oculis præbiturum, ac dignum correctione & emendatione viſum fuiſſe & fore, Vates ait, atq; ex conſequenti illi de mutandis & nouandis rebus hominum agi, agendumq; eſſe ſubindicat. Nam cùm Deum ſemper ſibi ſimilem eſſe conſtet, ſemper eadem, quæ bona & recta ſunt, probare & corrigere, quæ verò diuerſa, reprobare, caſtigare, expectare corrigenda: ſin minus, prorſus euertere, delere, & in meliorem reſtituere formam: idem in hoc iam publico & cõmuni peruerſa malitiæ exemplo

Mundi innouatio.

plo parare & ordiri, Vates videt, quod in primæuo, diluuij videlicet ætate, decreuerat, peregerat, & confecerat. Siquidem conſimilem, & illius primæui, & ſecundi iſtius ab hominibus vitæ fabulam in hoc orbis terrarum theatro agi, rerum & verborum ſimilitudo apud hunc relata Vatem declarat. De illa enim ætate ſcriptum legimus: Videns autem Deus quod multa Gen. 6.
malitia hominum eſſet in terra, & quod cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum quòd hominem feciſſet in terra: & tactus dolore cordis intrinſecus: Delebo, inquit, hominem quem creaui, à facie terræ. Hîc verò ſic audimus, Et facta eſt veritas in obliuionem, & qui receſſit à malo, prædæ patuit. Et vidit Dominus, & malum apparuit in oculis eius, quia non eſt iudicium. *Eadem in vniuerſum hîc & illic ſententia: quæ ſi ſuis primæuis verbis vtrobique conferatur, eadem ſanè orationis quoque agnoſcetur vis: hoc tamen hæc poſteriora tempora illis deteriora vitioſioraq́ notabuntur, quòd nemo in iſtis homo reperietur, qui communi & publica nequitiæ, improbitatis, ac malitiæ excipi poßit cenſura: cuius opera & exemplo, vel ceteri omnes ad correctionem & meliorem vitam reuocari curentur, vel recuſantibus ac renuentibus cunctis, & ob id iudicio diuino perditis, atque de terra deletis; eiuſdem tamen boni & probati viri ſuperſtitis, tanquam humani ſanguinis reliquiis inſtaurando generi inſtituatur ſeminarium. Ita enim quondam conſultum ac decretum demumq́ feliciter effectum præſtitumq́ à Deo fuiſſe, veris literarum monumentis, & recepta omnibus quondam locis & nationibus hiſtoria traditum ac declaratum eſt. Namq́ cogitanti de hominibus diluuio abolendis, ac decernenti Deo, vnus exceptus conſtitit Noahbus, qui pœnitentiæ primùm* Noahbi præconium.
per centum, & eo ampliùs annos, præconem, ac diuini iudicij denunciatorem ſedulum, fortem & fidelem, aßiduumq́ ageret: idq́ muneris & opera, & voce exequeretur; ac demum quamquam in ea re nihil melius illud ſibi conſuleret ſeculum, tamen ipſe ſibi ac domui ſuæ, ac tandem toti terrarum orbi optimè conſuleret poſteritatis amplißimæ, ac terras omnes occupaturæ in caput & fundamentum, atque vberrimum ſeminarium euaſurus. Delebo, inquit, hominē quem creaui, à facie terræ, ab homine vſque ad animantia, à reptili vſque ad volucres cæli. Pœnitet enim me feciſſe eos. Noë verò inuenit gratiam coram Domino. Hæ ſunt generationes Noë. Noë vir iuſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulauit: & genuit tres filios, Sem, Cham, & Iapheth. Corrupta eſt autem omnis terra corā Deo, & repleta eſt iniquitate (Omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram) dixit ad Noë: Finis vniuerſæ carnis venit corā me: repleta eſt terra iniquitate à facie eorum: & ego diſperdam eos cum terra. Fac tibi arcam de lignis, &c. & paulo pòſt: Ecce ego adducam aquas diluuij ſuper terram, vt interficiam omnem carnem, in qua ſpiritus vitæ eſt, ſubter cælum, & vniuerſa quæ in terra ſunt, conſumētur. Ponamq́ fœdus meum tecum; & ingredieris arcā tu, & filij tui, & vxor tua, & vxores filiorum tuorum tecum: & ex cunctis animantibus vniuerſæ carnis bina induces in arcam, maſculini ſexus & feminini, vt viuant tecum. Deinde tandem

ſubditur: Fecit ergo Noë omnia quæ præceperat ei Deus. Dixitq́ Dominus
Indid.7. *ad eum, Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam: Te enim vidi iuſtum*
„ *corã me in generatione hac. Tranſacto verò iam poſtea diluuio, atque die ac*
pace & oportunitate omni terris à Deo reſtituta, Dixit Dominus ad Noë:
„ *Vos autem creſcite & multiplicamini, & ingredimini ſuper terram, &*
„ *implete eam. Hæc quoque dixit Deus ad Noë, & ad filios eius cum eo. Ecce*
„ *ego ſtatuam pactum meum vobiſcum, & cum ſemine veſtro poſt vos. &*
„ *poſt quædam: Erant ergo filij Noë, qui egreßi ſunt de arca, Sem, Cham, &*
„ *Iaphet. Porrò Cham ipſe eſt pater Chanaam. Tres iſti filij Noë: & ab his*
„ *diſſeminatum eſt omne genus hominum ſuper vniuerſam terram. Huiuſmodi illa primæui mundi publica & communis malitia, & qualis etiam de vnico Noahho melior cenſuræ nota excepta fuerat. Atqui vel iſto vnico probitatis exemplo, ſecula illa non adeò malè audierunt, atq́ poſteræ hominum ætates in dies deteriùs habentes, ac tunc maximè perditæ cùm ſeculorum à Deo recenſitorum finis acceßit: in quo, per quem humanæ corrigerentur, emendarentur, atq́ curarentur, ſin minus autem reſtitui inſtaurariq́ poſſent res, neminem repertum iri, Vates præuidit ac declarauit noſter.*
„ Et vidit quia non eſt vir. *Conferendum cum illo, Noë autem vir iuſtus,*
„ *atque perfectus fuit in generationibus ſuis: cum Deo ambulauit.* Et aporiatus eſt, quia non eſt qui occurrat. *Mirandum maximè in toto hominum genere, etiam poſt illud publicum, & commune diluuij temporum exemplum, quod aliquos, vel paucos ſaltem ſecutos, & generis humani, atq́ ſuis ipſorum rebus vel conſeruandis, vel quod poſtremò optandum eſſet, reſarciendis conſulerent: neminem tamen eſſe inuentum. Sed illud verißimè*
Pſal. *deprehenſum ac deploratum: Deus de celo in terram aſpexit ſuper filios ho-*
„ *minum, vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum. Omnes declina-*
„ *uerunt, ſimul inutiles facti ſunt; non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* aporiatus. *Ex primæuo vocabulo* VAIISTHOMEM, *reciproco videlicet verbo: cuius origo eſt* SAMAM, *idem quod Latinis* admiratus eſt, *ſignificat, oportunum Deo in tanta virtutis ac probitatis humanæ penuria, ſacro ſermone tribuente, affectum: admirationis videlicet iudicij, veritatis atq́ ceterarum humanarum virtutum ſolidi exempli requiſiti, ac prorſus deſiderati; adeò vt ſi iudicium antiquum illud repetendum inſtaurandumq́ fuerit, nulla iam reliqua eſſe hominibus, aut apparere poßit conſeruandi, vel ſaltem inſtaurandi generis humani ſpes. Admirationem autem Deo adpingit Vates, quia circumſpicienti vndiquaque mundum, terrasq́ omnes hominum refertißimas, Adami filiorum,* non eſt qui occurrat, *non eſt qui iudicium exercere iam paranti, ne totum penitus de terra aboleatur genus, intercedat: namque hoc propriè, ac legitimè ſignificare participium* MAPHGIAGH, *multis obſeruauimus exemplis. Ex quibus illud planißi-*
Ierem. 36. *mum. Verumtamen Elnathan & Delaias & Gamarias contradixerunt*
„ *regi ne combureret librum.* HIPHGIGHV BAMELECH, *interceſſerunt & impetrauerunt apud regem. Igitur hunc ſtatum cùm res humanæ tenuerint, quo iure, qua ratione, quonam pacto vel conſeruari, vel corrigi, vel*
reſti-

reſtitui poßint, vnius Dei ſapientiæ, virtuti, atque miſericordiæ conſulere, decernere, atq; efficere eſt permittendum, atq; adeò ſupplicandum. quod & Vates alios, & maximum illum ac ſapientiſſimum Pſaltem egiſſe accepimus, qui huiuſmodi tempora in ſpiritu intuitus, in illam abſolutè precationem irrupit: Salua Domine; quoniam defecit ſanctus: quoniam diminutæ Pſal. 11.
ſunt veritates à filiis hominum. Vana locuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum: labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt. Atq; ex hoc loco & argumento, quod admirationem Deo adſcripſerat, & omni, non modò hominum, ſed Angelorum etiam ſapientiæ dubitationem afferre potuit, opportunam capit anſam Vates, ad miſericordiæ diuinæ repetendas, & celebrandas laudes, oſtendendamq; bonitatem Dei propoſitum vrgentis & promouentis proprium de hominum genere non inſtaurando ſolùm, ſed exornando, ſed ad ſummam dignitatem amplificando. quod per nullũ Adami filium mortalem, & Adamo patri ſimilem præſtari poſſe, res ipſa impediebat. Eramus enim omnes natura filij iræ, ſicut & ceteri. & tamen ipſe idem per Filium ſuum tum oportunè inchoatum cùm maximè opus eſſet, & cùm apertiſſimè ſuum ſolius eſſe opus cognoſci poſſet, cepit, effecit, & conſummauit, ac præſtitit. Id quod, quia certum Deo, quaſi iam factum ſpectauerit, Vates prædicit. & ſaluauit ſibi brachium ſuum; & iuſtitia eius, ipſa confirmauit eum. *In hanc ſententiam & cauſam illud ex Moſaico cantico aptiſſimè conuenit: Iudicabit Dominus populum ſuum, & in ſeruis ſuis miſerebitur: videbit quod infirmata ſit manus, & claudi quoque defecerũt, reſiduiq; conſumpti ſint [ſiue domeſticum & ruſticum ſubſidium] & quæ deinceps arcanè Vates ille perſequitur, ac demum ſubiungit: Videte quod ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me; ego occidam, & ego viuere faciam; percutiam, & ego ſanabo; & non eſt qui de manu mea poßit eruere.* Deut. 32.
Humanum itaq; genus multis malis affectum, multis obnoxium vitiis, ac prorſus perditum, vtpote innumeris hoſtibus & inimicis deditum, ſolius Dei miſericordia, ſapientia ac virtute liberandum, idq; decretum & ſuſceptum, quemadmodum, quibus copiis, quibus viribus, quibus armis & artibus conficiendum fuerit, arcanè ac verè deſcribit Vates, illud ſignificans, totum ex Deo diuinoq; beneficio, totum ex diuina virtute & efficacitate conſtiturum quodcunque in hominum ſalutem poni & expediri, opus fuerit: nempe inimicorum excidium, & vitiorum ac peccatorum depulſionem, & iuſtitiæ, ſanctitatis ac vitæ nouæ facultatem & copiam. & ſaluabit ſibi brachium ſuum. *Filium, hoc eſt Verbum, per quem omnia ante facta fuerant, & per quem omnia denuò reficienda & perficienda erant, brachium Dei Vates vocat. Cùm, inquit, omnis humana, imò & angelica manus, vis & poteſtas deficeret, ac tantæ rei efficiendæ impar eſſet, reſidui quoq; eſſent cõſumpti, ſuo ſibi brachio, virtute, efficacitateq; ſua ſalutis huius negotium perficiendum ſtatuit, idq; præſtitit ſingularis elocutionis forma.* Saluauit, *ſiue* ſeruabit ſibi brachium ſuum. *Salutem illam ſe dignam ſuo ſingulariter brachio, virtute, & efficacia ſua præſtare conſtituit ac præſtitit. Hoc idem in eandem rem carmen à ſanctiſſima virgine vſurpatum in gratulatione*

Humana ſalus à ſolo Deo.

Brachiũ Dei.

tione illa admirabili canitur. Fecit potentiã in brachio ſuo. Quo verò præ-
Iuſtitia Dei hominibus cõmunicata. *ſidio fretus & innixus, tantam conficiendæ rei molem ſuſceperit, videlicet, vt quos iniuſtiſſimos, ac prorſus perditos offenderat, homines ad iuſtitiam reuocaret? indicat etiam Vates ſuam ipſius fuiſſe iuſtitiam, cuius communicatione hominibus facta propoſitum abſolueretur & præſtaretur conſilium.* & iuſtitia eius MAZZACHATH HV, confirmans, *ſiue* ſuſtentans eum. *Nam aliàs nullam tantum pondus ferre, tantumq́; valere poſſe aliam niſi vnicam diuinam iuſtitiam, non humanam humanis præceptis & normis, non etiam legalem obſeruantia & inſtitutis legis quãlibet inſtructam,*
Philip. 3. *Spiritus ſanctus per Apoſtolum docuit, Vt inueniar in illo habens nõ meam*
» *iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti, quæ ex Deo eſt*
» *iuſtitia in fide ad cognoſcendum illum, & virtutem reſurrectionis eius, &*
» *ſocietatem paſſionum illius, configuratus morti eius, ſi quomodo occurram*
» *ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis. Vnà autem cum iuſtitia cetera omnia diuina dona & beneficia in homine perficiendo ponenda ex Deo quoque eſſe, & nulli, præter illum, accepta referenda, Vates docet, cùm quibus partibus & armis inſtructus Deus, illã confecturus fuerit ſalutẽ deſcribitur.*

Indutus eſt iuſtitia vt lorica, & galea ſalutis in capite eius, indutus eſt veſtimentis vltionis, & opertus eſt quaſi pallio zeli.

Iuſtitia. *Promiſſorum ex bonitate & miſericordia factorum veritatem, & conſtantiam,* iuſtitiam *hoc loco appellat Vates. quã Deum ſalutis homini præſtandæ cauſa indutum, hoc eſt, fœderis à ſe cum patribus pacti memorem,*
Lucæ 1. *executum fuiſſe ait. S. S. E. Recordatus miſericordiæ ſuæ: Iuſiurandum,*
» *quod Iurauit ad Abraham patrem noſtrum, daturum ſe nobis, vt ſine ti-*
» *more de manu inimicorum noſtrorum liberati ſeruiamus illi in ſanctitate,*
» *& iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.*
Salutis opus. *Duo autem maxima opera in ſalutis beneficio edenda fuerant. alterum deiectionem & internecionem hoſtium, peccatorum inquam, diaboli ac mortis, quorum tyrannide genus opprimebatur humanum; alterum verò traductionem à ſeruitute in libertatem, à morte in vitam, à metu in pacem ac ſecuritatem diuinã. Sicut modò citauimus, Vt ſine timore de manu inimicorum noſtrorum liberati ſeruiamus illi in ſanctitate & iuſtitia corã illo omnibus diebus noſtris. Vtrãq; autem Iſaias Dei inſtructione & apparatu indicando ſignificauit.* Iuſtitia vt lorica, & galea ſalutis in capite eius. *vt iuſtitiam illam ſuam cum*
Dona Dei per Chriſtũ. *caritate coniunctam & ſalutem quoque ſuos induens incolumes & victores, atq; virtutum ſuarum participes efficeret. id quod & ipſi agnoſcentes*
1. Theſſ 5. *prædicant. Vos autem, fratres, non eſtis in tenebris, vt vos dies illa tãquam*
» *fur comprehendat: omnes enim vos filij lucis eſtis & filij diei; non ſumus*
» *noctis neque tenebrarum. Igitur non dormiamus, ſicut & ceteri; ſed vigi-*
» *lemus, & ſobrij ſimus. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt; & qui ebrij*
» *ſunt, nocte ebrij ſunt. Nos autem, qui diei ſumus, ſobrij ſumus, induti lori-*
» *cam fidei & caritatis; & galeam, ſpem ſalutis: Quoniam non poſuit nos*
» *Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum Ieſum*
» *Chriſtum: qui mortuus eſt pro nobis, vt, ſiue vigilemus, ſiue dormiamus,*

ſimul

ſimul cum illo viuamus. Atq; hoc ad alterum Dei opus, hoc eſt, ad ſalutem, & vitam referimus, ad vaſtationem verò & vltionem hoſtibus & inimicis paratam illud: Indutus eſt veſtimentis vltionis,& opertus quaſi pallio zeli. *Deliberatam & certam, atque ideo abſoluendam vltionem habitus & indumentum declarat, vt conſulto ſuſceptum, non ad terrendum aut ad minas tantùm, ſed ad vltionum antiquarum, quæ maximè celebres commemorantur, inſtar, verùm id longiùs multò latiusq; pertenturum.*

Sicut ad vindictam & quaſi ad retributionem indignationis hoſtibus ſuis,& viciſſitudinem inimicis ſuis, inſulis vicem reddet.

COMMVNEM, *publicam, abſolutamq; fore vltionem, ait, & grauem & conſummatam inſtar earum, quæ quondam Ægyptiis atq; Aſſyriis & Babyloniis illatæ fuerant propter detentos & malè habitos eos, qui Dei nomen profitebantur & cultum, alteris in vna orbis parte, hoc eſt, Africa, alteris in altera, id eſt, Aſia, degentibus. Verùm hãc multo fore ampliorem, vtpote quæ ad iſtas eaſdem, & ad tertiam quoque partem terrarum, id eſt, Europam, ſit pertentura. Namq; terra omnis in tres in vniuerſum diuiditur partes, vnam, quæ Iapeti filiis primùm, alteram, quæ Chami; tertiã, quæ Semi poſteris occupatæ ſunt. His verò totum genus hominum diſtributum fuit. quod, qua parte Dei creatura & opus fuerat, eiuſdem ſeruus & populus dicitur: quo verò nomine peccati ſeſe ſubdiderat tyrannidi, inimicorũ Dei ſeruus captiuusq; audiebat. à qua conditione liberandum, & ſibi poſtliminio reuocandum atq; liberum aſſerendum Deus ipſe recepit, & magnis donis, humanoq; exemplo ſublimioribus augendũ adornandumq; decreuit. Ad duas itaq; Dei vltiones in figura quondam editas, eaſdemq; duabus in partibus orbis ſpectatas, illa ſimilitudinis repetitio refertur.* Sicut ad vindictam & quaſi ad retributionem indignationis hoſtibus ſuis, & viciſſitudinem inimicis ſuis. *ad tertiam verò, quæ tertiam quoque terræ partem ſpectat, illud,* inſulis vicem reddet. *Inſularum nomine Europam omnem intelligimus Iapeti familiis & poſteritati tributam partem. S.S.E. Ab his diuiſæ ſunt inſulæ gentium in regionibus ſuis. Atque ita diuinæ virtutis, benignitatis, & beneficientiæ notitiam & conſequentem ex illa religionem ac pietatem omnibus gentibus communem fore, vtpote quæ ad ipſarum omnium ſalutem & felicitatem communiter pertentura canitur.*

Vltio Dei de generis humani hoſtib.

Orbis partes. Gen. 10.

Populus Dei liberandus & amplificãdus.

Inſulæ. Europa.

Gentium conuerſio.

Et timebunt qui ab Occidente, nomen Domini,& qui ab ortu ſolis gloriam eius: cùm venerit quaſi fluuius violentus, quem ſpiritus Domini cogit.

Terrarum ſitus longior quàm latior ſpectatur, hoc eſt, ab ortu & occaſu, quàm à Borea & Auſtro patentior. Atq; ita ſæpiſsimè ortus & occaſus, pro toto terrarum orbe vſurpantur. vt, Ab ortu ſolis vſque ad occaſum laudabile nomen Domini. Atque orbis longitudo à Geographis dicitur; cuius æſtimationem antiqui ab occaſu inchoabant. id quod eadem ratione ſecutus videtur Vates hic, atque ex eo etiam, quòd proximè inſularum fecerat mentionem: quæ dicenti Vati Occidentales erant. verùm hæc vtraque myſterio non vacant ſalutis ab Occaſu prioris mundi incæpturæ, & in noui mundi,

Terrarum ſitus.

 ac rege-

Timere. *ac regenerationis peruenturæ ortum.* Timebunt, *hîc non ſolùm metum & pauorem, ſed reuerentiam etiam, religionem, & obſequium ſignificat verbum. Quod* SEM, *nomini & efficacitati, Domini adſcribitur, propter admirandam virtutem occidendi occaſum humanum. idem verbo* CHABODO, *id eſt, gloriæ, magnificentiæ, & amplificationi orientis compotibus communicãdæ adrogatur. Quòd illi efficacitatem mortis Chriſti, hi virtutem reſurrectionis eiuſdem eſſent veneraturi ac celebraturi propter vtramque hanc virtutem ex vno, & ab vno, & per vnum in vtroſque, qui in vnum etiam conuenturi eſſent, perfectam. id quod per ſpiritum & aquam expe-*

Aqua & ſpiritus. *ditum iri declaratur alluſione ad primam orbis creationem facta.* Cùm venerit quaſi fluuius violentus, quem ſpiritus Domini cogit. *Duarum alacriter ſeſe mouentium, & efficaciter percurrentium naturarum ſimilitudine illius diuini operis impetum & vim depingit, fluuij ſponte inundantis, atq; à vehementi etiam impulſi vento. vtraque enim natura cùm ſeorſim valet & præſtat, tum ſimul iuncta, nullo retineri poteſt impedimento, quin omnia loca peruadat, & compleat. Atq; ita factum eſſe, res ipſa docuit in illo ſacroſancto pentecoſtes die, & qui illũ poſtea Ieroſolymis, in Iudæa,*

Act. 2. *in Galilæa, & Samaria, & vſque ad vltimã terræ ſecuti ſunt. In illo enim*
» *factum eſſe repente de cælo ſonum legimus, tanquam aduenientis ſpiritus*
» *vehementis, & impleuiſſe totam domum, vbi erant ſedentes, & apparuiſſe*
» *diſpertitas linguas quaſi ignis, & ſediſſe ſupra ſingulos illorum, & cetera quæ in illa hiſtoria narrantur, ad hoc referenda vaticinium. Atq; virtutem efficientiamq; illam tum aliis multis, tum verò aquæ & ſpiritus nominibus*

Ioan. 3. *dici obſeruare eſt. quorum vel clariſſimum iſtud fuerit exemplum: Niſi*
» *quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt videre regnũ Dei.*

Sup. *&, Aquæ inundabunt, & delebitur fœdus veſtrum in morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit. Hoc autem tum effectum iri indicatur, cùm humanum genus, quod diuinæ benignitati, fidei ac tutelæ creditum & receptum fuerat, ex humili loco ad ſublimem euectum fuerit gradum.*

Et venerit Sion redemptor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Iaacob, dicit Dominus.

Redemptio quibus communicanda. *Vltionem & excidionem hoſtium à Sionis redemptore eadem opera factum iri docet: exponit etiam quibus eam communicandam expectari oporteat.* eis, qui redeunt ab iniquitate in Iaghacob. *qui fide & pænitentia*

Teſtamentum nouũ & æternum. *animati ac ducti, præteritæ vitæ emendationem ſeriò inierint: ita enim promiſſum, & nunc etiam confirmatum eſſe à Domino.* Dicit Dominus, *qui etiam perpetuum hoc fore beneficium, idq; non terrenum, ſed ſpiritale, ac planè cæleſte declarat. & huius noui & æterni teſtamenti formulam Vati dictatam pronunciari, & in tabulas referri iuſsit.*

Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, nõ recedent de ore tuo & de ore ſeminis tui, dicit Dñs, amodò & vſq. in ſempiternum.

VNICO *diuino dicto gemina ſubeſt in hac orationis formula dicentis mens & interpretatio: altera, qua ſignum pronũciatur: altera, qua ſignificatum*

catum informatur. Significat namque Deus promiſsi ſui veritatem eodem pacto, quo præmonſtratam voluit, conſtituram demum, hoc eſt, certam, ſpectatam, atq; æternam fore. Cuius exemplum à ſe profectum, & per Vatem relatum atque in Ieroſolymitano populo præſtitum, poſtea quoque reponendum eſſe, idq; perpetuò manſurum ait. Promiſſorũ examen triplici ex parte inſtituitur, promittentis, eius per quem promiſſum fit, ſiue mandatur; & illius cui fit. Quæ omnia cùm ſibi reſpondeant, & rectè conſtent capita, certiſsimum ſtatuunt & probant promiſſum. Ait autem Deus promiſſum de humani generis redemptione ac ſalute eodem ab auctore profectum, qui & ipſe ſumma eſt veritas, & quidquid effatur, veriſsimè effatur. hoc eſt, à ſe. idemq; per Iſaiam Vatem enunciatum; cuius in omni vaticinio ac mandato veritatis complura exempla breui fuerint ſpectanda; vt de prædicta ſanitate regis, de Senacheribis caſu iam ſpectato, de iis etiam, quæ non longè diu poſt ſpectanda erant: vt Cyri felicitas, Babylonis excidium, Solymorum ac templi reſtitutio ex Cyri edicto & ſumptu. quorum nullum promiſſum ſuo quo præſtandum eſſet, requiſitum tempore fuerit. Ad eundem igitur modum & maximum hoc beneficium ab eodem promiſſore profectum, eidem Vati creditum, ac populo futuro Dei, qui creabitur mandatum; totidẽ partibus examinandum, verum, certum, & conſtans compertum fore dicit. Eſt itaq; dicti huius illa interpretatio: Hoc fœdus meum, *quod cum eis feriam, eodem modo efficietur, atq; id omne, quod* ſpiritus meus, qui eſt in te, *effectum præſtabit*, & verba mea, *cetera omnia*, quæ poſui in ore tuo, *vt illa* non recedent de ore tuo, *ſic non recedent de ore ipſorum, vtpote certa, vera, & ſpectanda euentu ipſo.* & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui vſque in perpetuum. *atque eo modo, quo tibi refero, cum eis etiam actum iri recipio*, Dicit Dominus, *idq;* amodò [*cùm hæc dicuntur*] vſque in ſempiternum, *cùm omnia manebunt. Hic enim Melchi-ſedech rex Salem ſacerdos Dei ſummi, qui obuiauit Abrahæ regreſſo à cede regum, & bene dixit ei, cui & decimas omnium diuiſit Abraham, primùm quidem per interpretationem rex iuſtitiæ, deinde autem & rex Salem, quod eſt, rex pacis, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neq; initium dierum, neque finem vitæ habens, aſsimilatus autem filio Dei, manet ſacerdos in perpetuum. Et alij quidem plures facti ſunt ſacerdotes, iccirco quod morte prohiberentur permanere; hic autem, eo quòd maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium; vnde & ſaluare in perpetuũ poteſt, accedens per ſemetipſum ad Deum ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.*

Promiſſorũ examen.

Heb. 7.

ARGVMENTVM VATICINII TRIGESIMITERTII.

CIVITATEM *illam ſanctam, quam Ieroſolymæ nomine Vates, auctoresq́ ſacri omnes indigetant, boni nuncij omine & expoſitione Iſaias ad excipiendam illam publicam ſalutem, de qua verba hactenus facta, vocans alloquitur, atque à metu, triſtitia, luctuq́ omni alienam vniuerſum terrarum orbem, nationesq́ omnes gentium excitare iubet, ad videndum & cognoſcendum admirabile illud felicitatis lumen, quo ipſa à Deo fuerit illuſtrata. id quod apertè cognoſcendum eſſe ait, collatione ſtatus & conditionum vtriuſque partis, populi inquam à Deo redempti, & ſumma animorum felicitate magna pace & ſecuritate donati, & aliorum in tenebris degentium, atq́ multis animi & conſcientiæ ærumnis vexatorum & maximis laborantium curis & anxietudinibus. Id quod cùm videant & verè cognouerint gentes, magna alacritate & frequentia ad ſanctæ ciuitatis admirationem, & exoptatam communionem confluituræ prædicuntur: adeò vt præ multitudine dubitationem primùm efficiant ciuibus ipſis, donec omnino cognoſcantur participandæ felicitatis & lucis cauſa & ſtudio conuenire, & aurum, argentum, atq́ diuitias omnes, quas habuerint ad Dei domum ornandã, & ſacra inſtruenda ſecum conferre, hoſtias præterea ſacris factitandis idoneas agere & adducere, ſeſe etiam ceteris piis, & verè Iſraelitis ad ciuitatem properantibus præbituros viæ comites, adiutores, & ſocios; atq́ operam aßiduam, denſam ac diligentem daturos ad ſacri templi promouendam ædificationem. Magnam verò ac perpetuam ex illa communione & ſocietate in ſe ipſos deinceps pacem fore ab omni iniuria, damno, & incommodo prorſus alienam, pacem inquam & beatitatem diuina prouidentia conſtituendam & conſeruandam ſingulari, tanta amplificatione, tanto ornamenti ac decori exceſſu, vt omnes iam deinceps illius populi conciues, ſacerdotes, & ſemen Deo benedictum audiant, nomineq́ indigetentur nouo, & corona pulchritudinis in manu Domini vocitentur, perpetuo lætabundi, hilares, & ad diuinum cultum alacres. Id quod Vates ipſis Ieroſolymitanis agendum, & cogitandum, expectandumq́ commendat, atque aßiduis precibus vt maturetur, vt adueniat, vtq́ efficiatur, ex Deo poſcendum ſuadet magna cum fide & ſpe impetrandi, vt videlicet, ſicut à Deo benignè promiſſum, liberaliter & libẽter præſtatur: ita ab ipſis auidè, ſtudioſè, & alacriter excipiatur. Famam deinde tantæ ſalutis ac felicitatis terræ peragraturam fines, atque hoſtes omnes, qui anteà populo Dei fuerant infenſißimi, vel in amicitiam, & gratiæ caritatisq́ cõmunionem conuerſum, vel alias reconciliari nolentes, omnino ſuperatum & perditum abolitumq́ iri. Idq́ non ex humana virtute aut efficacitate vel iuſtitia, ſed ex Dei bonitate atq́ efficacitate & vi præſtandum ait. Quæ omnia ſimpliciter pronunciata ad veritatem & ſpiritũ arcanè fuerint referenda.*

CAP.

CAPVT LX.

SVRGE illuminare [Ieruſalem] quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt.

PROMISSVM *ſuperiùs iam explicatum de hoſtium & inimicorum populi Dei ruina, conſeqenti nuncio & bonis verbis atque monitis exornandum ſuſcipit Iſaias, populum ipſum adhortatus ad allatam à Deo ſalutem. quam veluti præſentem per enthuſiaſmon indicat, libenter & alacriter accipiendam, idq; duobus imperatiuis verbis enunciat.* Surge, illuminare. *quorum alterum corpori in terra propter laborem & fatigationem, atq; oppreſsionem iacenti; alterum verò animo mæſtitia, & miſeria tanquam tenebris denſiſsimis obruto conuenit. Nomen* Ieruſalem, *quamquam in primæua lingua, atq; in antiquis Chaldaicis, Græcis, & Latinis etiam quibuſdam codicibus non reperiatur, oportunè tamen ex ſuperioribus capitibus inductum, & Ieroſolymæ in ſpiritu præcipuè fuerit nobis adſcribendum: cuius felicitatem & ſalutem duplici nomine conſtitutã intelligimus, ſurrectione & excitatione à peccatis, criminibus, & ignorantiis, & illuminatione interna communicatione arcanorum ſapientiæ Dei, quem huius beatitatis auctorem vnicum ſtatuere, cognoſcere, appellareq; oportet. Iiſdem his verbis vſus D. Paulus nos docuit: Omnia, quæ arguuntur, à lumine manifeſtantur: Omne enim quod manifeſtatur, lumen eſt. Propter quod dicit, Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Quam interpretationem vt huic loco propriam citamus, totiusq; ſermonis argumenta & ornamenta ad ſpiritum referenda accipimus. Hanc itaq; illuminationem præclaram & certam, atq; luminis inſtar manifeſtam felicitatem animorum tenebrarum, dubitationis, atque omnis ignorationis expertem. Namq; antehac tantum in orbe terrarum lumen luxiſſe, nunquam vel ſpectatum, vel auditum. & quidem cùm omnis ea quæ ſapientia humana dicitur, manifeſtæ ac palpabiles tenebræ potiùs dici meruerit, diuina lex, quæ in Sina monte lata fuerat, lucernæ nomen meritò obtinuit. S.S.E. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Veruntamen propter humanæ carnis infirmitudinem ſplendorem illum non attigit, quem humanæ tenebræ prorſus pellendæ requirebant: vnde factum vt nihil ad perfectum adduceret. Atq; ex eo euenit vt ceteræ orbis nationes variis erroribus pallantes, ac de certa vitæ via pulſæ, cùm nihil præſtantiùs in publicis illorum, qui ſub lege erant, moribus cernerent, non modò illorum doctrinæ non ſe crederent, ſed etiam illuderent atq; inſultarent. atq; ita tenebris immerſi ſuis in ſumma veri ignoratione atq; beatitatis priuatione communiter agerent. Hunc autem ſtatum res humanæ vſque ad Chriſti glorificationem tenuerunt. Poſtquam verò diuina ſalus iis, qui propè tunc erant, Ieroſolymis allata, atque ſancta illa cæleſtis ciuitas in terris conſpici cœpta eſt, tanto lumine illuſtrata, diuini beneficij præſtantiam ſenſit, & exemplo ſpectaculoq; ſui ceteras nationes ad admirationem, deinde ad communionis optionem & petitionem, atq; adeò copiam à Deo faciendam pellexit. Communem*

Ieruſalem ſpiritualis ſalus.

Epheſ 5.

Lex lucerna.
Pſal.
Legis infirmitas.

munem illum & publicum ignorationis & erroris, quem diximus modò, ſtatum & conſequentem lumen Dei conuerſionis rerum ſpem atque fidem ſubiuncto verſu indicat Iſaias, hoc etiam ad gratulationis cauſam adiuncto, quòd ceteris in obſcuro loco degentibus, ipſa ſancta ciuitas luce, qua donabitur gauiſa alius luminis etiam partem porrectura ſit ad publicæ communicationem ſalutis.

Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur.

Lex, vti iam adnotauimus, quam in Sina monte datam accepimus, lex quidem Domini & lucerna Domini dici potuit, atq; his nominibus & viribus luxit; verùm vt lux illa Dominus *diceretur, non obtinuit, donec*
Sup. *Deus ipſe venit, & ſaluauit nos. Tunc enim aperti ſunt oculi cæcorum, &*
Ioan. *aures ſurdorum patuerunt. Ceteris autem gentibus, doctrinis, ac ſectis in-*
Lucæ 1. *ter meras ac denſas verſatis tenebras, Oriens ex alto Ieroſolymā viſitaſſe canitur, illuminare iis, qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.* gloria eius. CHE BODO GHALAIICH
CHABOD. IERAEH. *Magnitudinem, amplitudinē, & magnificentiam nomen* CHA-
Gloria. BOD *ſignificat, pro quo* gloriam *Latini reddunt. Hanc gloriam certis & manifeſtis exemplis ſpectandam, atque in populo Dei viſendam cognoſcendamq; ait, nempe apud eos, qui illius præcepti, ac diuini beneficij compotes*
Mat. *fuerint, quod ab auctore ipſo indicatum eſt. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt. Atque huius argumenti illud Euangelium gloriæ beati Dei eſſe*
1.Tim.1. *intelligimus, quod Paulus creditum ſibi ait. Atq; Dei gloriam non incertis conjecturis, verùm ſignis manifeſtis videndam & cognoſcendam, ait in*
Sup. *populo illo, de quo dicēdum fuerit: Iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus. Quo exemplo animati & inducti, qui anteà Iſraelitarum fidem ac religionem tanquam ſuperſtitioſam auerſati deteſtabantur, iam nunc deinceps & ipſi veri Iſraelitæ fieri cupientes ad luminis illius communionem libenter, imò ſtudioſiſſimè properent. Idque votum omni conditioni & ordinibus cunctis ardenter concipiatur, & fiat.*

Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui. TVNC *verè præſtandum illud, quod aliàs apud hunc eundem Vatem obteſtatus eſt Deus, Poſui te in lucem gentium, vt ſit ſalus mea vſque ad extremū terræ.* In ſplendore ortus tui. *Naſcentis Eccleſiæ ſplendidiſſimo ortu omnibus gentibus lumen veritatis affulſurum, & per hunc Vatem prædici Deus curat, & re ipſa Eccleſiaſticas hiſtorias legentibus compertum eſt. Non potuerunt reges & principes mundi tantæ ſapientiæ & virtuti, quantam ſimplicitas illa & veritas Chriſtiana probarit, non manus dedere, & obſecundare atq; concedere. Id quod ſi minus nunc in humanis ſpectetur agnoſcaturq; rebus; tamen & effectum & præſtitum Deus demonſtrauit, & porrò demonſtraturus eſſe Vatum carminibus, & Apoſtolicis prædictionibus declaratur. hodieq; fieri, quanquam non ita frequenter, tamen fieri intelliget quiſquis arcanā ſignificationem nominis* regum

terræ

tertiæ cognoueris. Hanc autem gentium in Eccleſiam confluxionem & conſpirationem non vnius cuiuſpiam priuatæ regionis aut prouinciæ limitibus, verùm totius terrarum orbis finibus eſſe æſtimandam.

Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi, filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent.

Huius libri initio idem hoc promiſſum fuerat, quod nunc per enthuſiaſmum, veluti præſens inductum repetitur. Et venient populi multi, & dicent: Venite aſcendamus ad montem Domini, & docebit nos, &c. Terrarum orbem longitudine & latitudine deſtingui iam diximus, longitudinem ab occaſu in ortum, latitudinem à Septentrione in mare æſtimari, ex ſacra didicimus geographia: totum autem ipſum orbem vocari, quanquam longius quàm latius, quod ad terram attinet, ſpectetur; tamen cum mari verum conficit orbem. vt itaq; gentes omnes vndique ad veritatis lumen venturas indicet, oculos in circuitu leuare iubet, & vndique ſe adeuntes conſpicere nationes ad publicam & manifeſtam lucem vndequaq; conſpicuam conuenientes. appellat autem filios & filias, vt omnem ſexum & conditionem huius beneficij communione concludat, & omnes ad filiorum gloriam adoptandos declaret. quod & Apoſtolus præſtitum docet. In Chriſto Ieſu non eſt mas neque femina, ſeruus nec liber, Iudæus nec Græcus. de longè *diſtantiã locorũ atq; etiam orbis longitudinẽ ſignificat: vt &* latus *quoque idem indicat, ſecundùm terræ latitudinem tamen. atq; ita omnis deſcribitur orbis. Latus quoque mundi à Latinis auribus non abhorrere adnotauimus. Excute ſolers omne latus mundi. & latera Aquilonis Pſaltes dixit. Verbum* ſurgent, *in primæua lingua* THEAMANAH, *nutricũ officio functuras ſignificat. quòd in quamplurimis piis ac ſanctis mulieribus quõdam ſpectatum, hodieq; non in vno ſpectatur tantùm loco; vbi pietatis cauſa operam dantes, & impenſam ponentes mulieres purpurariæ illius Lydiæ, atq; adeò Mariæ Magdalenæ, Salome, & aliarum antiquarum ſecutas exemplum commemorare eſt. Sed meminerimus in hoc etiam arcanæ maris ac feminæ ſignificationis rationem habendam, atq; vtramque ſimul diuinæ adſcribendam eſſe Ieſu Chriſti in hominibus efficientiæ & ſanctificationi.*

Orbis terrarum. Mundi latus.

Tunc videbis, & afflues: & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.

Inimicos & hoſtes populi Dei ſalutis publicæ expediendæ tempore occiſum iri Vates prædixerat. quod cum hoc reſponſo pugnare in ſpeciem videtur; verùm hæc controuerſia facilè dirimitur duplici definitione hoſtium indicata. altera eorum, qui omni hominum generi inimici ſunt, quos verè hoſtes dici, arcana doctrina docet, eorumq; partem intra hominem verſari carnem & ſanguinem appellatam tradit; partem verò extra poſitam, tamen tanquam leonem rugientem & quærentem prædas circumire. Altera verò hoſtium factio viſibilis dicitur, ab illo, qui Diabolus & Satanas vocatur, ad perdendum populum Dei inſtructa. Rei autem gerendæ ſeries ita

Hoſtes populi Dei.

habuit,

habuit, vt in ſalutis publicæ expeditione inuiſibiles illi hoſtes, qui intra naturæ humanæ penetralia verſari ſolent, primi perderentur, eorum duce, qui aliàs mundi huius princeps dicitur, de ſede deturbato ac pulſo, externi tamen hoſtes, quos diximus, viſibiles interim ſupereſſent: vincendi quidem & ipſi pari ferè modo & ratione atque interni victi fuerant; verùm non pariter. Namq; primi illi & immitiores, magisq; perpetuò infeſti, verbi Dei obedientia, patientia, atque morte ſuperandi, & occidendi fuerant. id quod Ieſu Chriſti, qui idem Verbum Dei eſt, cruce confectum conſummatumq; fuit. S. S. E. Quia princeps huius mundi iam iudicatus eſt. & , Princeps huius mundi eiicietur foras. & , Venit enim princeps huius mundi, & in me non habet quicquam, ſed vt cognoſcat mundus quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. & quod Apoſtolus de ſe, commilitonibusq; ſuis indicat. Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Atque hos etiam externos hoſtes eodem modo ab eadem Verbi Dei virtute domitũ iri, decretum fuerat: virtute inquam Dei: verùm in ſuis ſpectanda & probanda militibus, qui labore, patientia, tollerantia, ſanguine fundendo, ac morte fortiter ſubeunda, denique perſeuerantia vſque in finem, Euangelicæ veritati ac virtuti vel immaniſſimos hoſtes ac tyrannos ſuperbiſſimos tandem cedere & ſuccumbere cogerent. Id quod idem ille Apoſtolus à ſe curari, agiq; ſedulò declarauit. Euangelium, quod audiſtis, quod prædicatum eſt in vniuerſa creatura, quæ ſub cælo eſt: cuius factus ſum ego Paulus miniſter: qui nunc gaudeo in paßionibus meis pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt, paßionum Chriſti in carne mea pro corpore eius, quod eſt Eccleſia, cuius factus ſum ego miniſter ſecundùm diſpenſationem Dei, quæ data eſt mihi in vobis, vt impleam verbum Dei. Myſterium quod abſconditum fuit à ſeculis & generationibus: nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis eius: quibus voluit Deus notas facere diuitias gloriæ ſacramenti huius in gẽtibus, quod eſt Chriſtus in vobis ſpes gloriæ: quem nos annunciamus, corripientes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni ſapientia, vt exhibeamus omnem hominem perfectum in Chriſto Ieſu. In quo & laboro certando ſecundùm operationem eius, quam operatur in me in virtute. His artibus, virtutibus, atque modis victos hoſtes, & alias etiam gentes virtutis huius fama & exemplo, manifeſtisq; experimentis impulſas turmatim & cateruatim ſeſe Eccleſiæ obſequiis dedituras, hoc loco ſignificabat Vates: idq; ad ſtuporem & admirationem vſque populi Dei promouendum eſſe aiebat.

Victoria de Diabolo ac peccato.

Ioan.

Epheſ. 6.

De externis hoſtibus victoria.

Coloſſ. 1.

Tunc videbis, & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum.

Quod ex diuina hiſtoria eueniſſe cognouimus, id omne tot ante ſeculis vaticiniis veraciſſimis prædictum, certam & ſacroſancto conſilio conſtitutam ſingularis erga populum Dei prouidentiæ fidem firmat. Nouum, & non antea ſpectatum exemplum confluentium ad Eccleſiam Dei gentium non ſolùm admirationem, verùm etiam dubitationem ac metum quodammodo illis, qui è populo Dei eſſent, principio effecturum: donec diuina voluntas,

luntas, & certa eorum qui confluebant fides atq; probitas conſtaret: tunc verò maximè ex vtroque populo, Iſraelitarum videlicet atque gentium, communis coiret ſociareturq; ciuitas maxima cum lætitia & publica gratulatione eorum etiam qui primi de admittendis ad ſocietatem communiter gentibus dubitauerant. Atque huius argumenti ſeriem omnem verſus hic verborum ſingulari indicat ordine. Tunc videbis magnam aduentantium copiam, & afflues NAHARTH. ab aquarum & fluuiorum curſu mutuatum verbum. ſignificat Eccleſiæ primos ciues in admirationem corripiendos, intellecto primùm gentium ad ſe aduentu, atque ex ea admiratione in dubium & pauorem proceſſuros, demum re verè cognita vehementer perfundendos gaudio. Id quod quemadmodum euenerit, cognoſcere operæpretium fuerit. Vos ſcitis, quo modo abominatum ſit viro Iudæo coniungi aut accedere ad alienigenam; ſed mihi oſtendit Deus neminem communem aut immundum dicere hominem. Propter quod ſine dubitatione veni accerſitus: Interrogo ergo quam ob cauſam accerſiſtis me? & Cornelius ait: A nudiuſquarta die vſque ad hanc horam, orans eram hora nona in domo mea; & ecce vir ſtetit ante me in veſte candida, & ait: Corneli, exaudita eſt oratio tua, & eleemoſynæ tuæ commemoratæ ſunt in conſpectu Dei: Mitte ergo in Ioppem, & accerſi Simonem, qui cognominatur Petrus; hic hoſpitatur in domo Simonis coriarij iuxta mare. Confeſtim ergo miſi ad te; & tu benefeciſti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conſpectu tuo adſumus audire omnia quæcunque tibi ſunt præcepta à Domino. Aperiens autem Petrus os ſuum, dixit: In veritate comperi quia non eſt perſonarum acceptor Deus; ſed in omni gente qui timet Deum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. Verbū miſit Dominus in Iſrael annuncians pacem per Ieſum Chriſtum, &c. & poſt paulùm, nondum abſoluta Petri oratione, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebāt verbum. Et obſtupuerunt ex circunciſione fideles, qui venerāt cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc reſpondit Petrus, Nunquid aquam quis prohibere poteſt, vt non baptizentur hi, qui Spiritum ſanctum acceperunt, ſicut & nos? Et iuſſit eos baptizari in nomine Domini Ieſu Chriſti. Tunc rogauerunt eum vt maneret apud eos aliquot diebus. Audierunt autem Apoſtoli & fratres, qui erant in Iudæa, quoniā & gentes receperunt verbū Dei. Cùm autem deſcendiſſet Petrus Ieroſolymam diſceptabant aduerſus illum qui erant ex circunciſione, dicentes: Quare intraſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis? Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem, dicens: Ego eram in ciuitate Ioppe orans. & cætera à D. Petro de hac re facta verba. Quibus auditis, tacuerunt, & glorificauerunt Deum, dicentes: Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. Quæ omnia, vti narrata citauimus, hoc in reſponſo cernimus prædicta. videbis, & afflues, & mirabitur. In exemplari VPAHHAD, pauebit. admirationem cum pauore ſignificat, propter magnitudinem & inſolentiam tam nouæ rei. & dilatabitur, propter veritatis notitiam & gratulationem: Quia gentibus pœni-

Act. 10.

tentiam dedit Deus ad vitam. Quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.

Omnium verò nationum homines in hanc, quam diuina virtus adornabat, ciuitatem voto & ſtudio conſpiraturos ac conuenturos recipiendosq́ eſſe, eosq́ magna frequentia, tum ſummos & magnates, tum etiam minoris cenſus, ex earum rerum, quibus nationes abundare, & ſingularius vti memorantur, ſignificat.

Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian & Epha: Omnes de Sabba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.

Dromedarij. BICHRIM. *Multitudinem & frequentiam hominum vehiculorum copia metonymικῶς indicat, & verbum* operiet te, dromedarij Madian. BICHRIM *minores quàm* GAMELIM *habentur. atq́ ita magnos & paruos in hanc ſocietatem conceſſuros ait. Sabbæum verò thus vt illius regionis proprium & celebratiſſimum natiuumq́ ſuffimentum omnibus auctoribus notiſſimum; cui & aurum ab hoc Vate additur; quod vel indidem peti, vel copiosè eodem comparandi thuris cauſa deferri ſoleat. Certè Magos, Christo recens nato, ab Oriente profectos, aurum ac thus obtuliſſe accepimus. id quod vltro & libenter ac piè, non coactè, ſed ex animo, & hilariter alacriterq́ paratum, & Deo colendo expeditum & allatum, ac dedicatum fore ait, vt publicæ ſalutis auctori.* Laudem Domino annunciantes. *Itaq́ diuitias opesq́ omnes ad Dei populum conferendas animorum eorum, qui poſſidebant, ſtudiū & curam in vera pietate colenda poſitum iri, ſignificat, & cetera, quibus diuini cultus profeſſio exercetur, conſecutura ſubiunguntur, vt victimæ, hostiæ, ſacrificia, pura ac ſancta, nullis contaminata vitiis, nullis excipienda maculis.*

Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth miniſtrabunt tibi, offerentur ſuper placabili altari meo, & domum maieſtatis meæ glorificabo.

Arabes & Nabathæos orientales Ieroſolymis gentes paſtionibus deditos, ex ſacræ geographiæ obſeruationibus accepimus, boues autem, armenta, & pecora materiam antiquis hoſtiis ac victimis fuiſſe, notiſſimum eſt. Huiuſmodi verò copiosè & frequenter ab iſtis, quas nominat, gentibus, & ex metonymia ab horum ſimilibus quoque cunctis ſuppeditandam prædicit. Ita tamen vt ex illius ætatis ratione ad verum ſacerdotium, & ad ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Ieſum Christum oraculi huius referatur interpretatio. vt iam ſæpius ex diuina Apoſtolorū doctrina inſtructi ſumus. Orientales illas eſſe gentes, atq́ ideo orientis filios dictitatos, aliàs commemorauimus, & Latinis etiam auctoribus non eſt ignotum.

Ouid. Metamorph. 1.

Eurus ad auroram Nabathæaq́ regna receſſit,
Perſidaq́ & radiis iuga ſubdita matutinis.

Templi Dei glorificatio. Et domum maieſtatis meæ glorificabo. *quippe quam ex viuis lapidibus in æternum constructam, iiſdemq́ variè pretioſis ſpiritualium ſacrificiorum frequentia celeberrimā reddere, Deus inſtituerat. Ad hoc vaticinium illud*

illud etiam pertinet: Quia tunc reddam populis labium electum, vt inuo- "
cent omnes in nomine Domini, & ſeruiant ei humero vno. Atq; hanc ſan- "
cti populi frequentiam magna celeritate & alacritate poſt luminis illius diuini donum, non ex Iſraelitarum tantummodo diſperſione, ſed ex omnium gentium regionibus inſtar auium vndique conuolantium, cum magna admiratione ſpectandam eſſe ait.

Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras tuas. COLVMBÆ *ſimpliciſſimum atq; innocentiſſimum auium genus & ſocietatis amantiſſimum habentur: quarum ſingulæ compares ſingulis, qua oua reddant, & pullos educent contentæ feneſtris nihil præterea alienum vel inuadunt, vel appetunt; & ſi alicubi forſitan diu detentæ fuerint, vbi demum liberè volare ſinuntur, cùm tantum, quem ſortitæ fuerãt, repetunt, fouent, atq; habitant nidum: cetera mutuam & ſimplicem colunt ſocietatem. Valent autem volatu & pernici, & vltra ceteras auium formas contentiſſimo. Ex hoc autem auium genere Chriſtianæ ſimplicitatis, caritatis, ac ſocietatis imago præcipuè ad Ieſu Chriſti Eccleſiæ capitis, & illius probatorum diſcipulorum virtutem, probitatem, & vitæ innocentiam deſcribendam vſurpata obſeruatur. vt, Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes,* "
& ſimplices ſicut columbæ. Quam hiſtoriam omnem breuiter ſubindica- "
tam, ad filiorum Dei futuram, & vndique conuolaturam copiam attingẽs, Iſaias accommodauit. Animaduertendum verò eſt, columbas, longè velocius verſus proprios nidos aduolare, quàm inde auolauerint. Atque hoc ad alacritatem facere eorum qui, cùm à gratia Dei antè exulauerint, redituri, ac recipiendi ſunt in gratiam. Quæ verò anteà indicatæ fuerant gentes ex Aſia, aut etiam ex Africa venturæ prædicebantur: in quibus filij Kedar quoque degunt Arabes. His autem & Europæos etiam conſcribendos eſſe, pollicetur Deus; vtpote non ſecus atq; ceteros hominum ad ſuum ius ac dominium pertinentes, & in filios etiam adoptandos.

Columbæ. Chriſtiani colum bis comparati.

Me enim inſulæ expectant, & naues maris in principio: vt adducam filios tuos de longè: argentum eorum, & aurum eorum cum eis, nomini Domini Dei tui & ſancto Iſrael, quia glorificauit te.

Hos omnes, qui à Dei cognitione procul aberant, atq; à legis diuinæ notitia alieni fuerant, Chriſtianæ Eccleſiæ augmentum futuros & participes amplitudinis à Deo in Eccleſiam ſuam collatæ: atq; in hac ſocietate cũ opibus diuitiiſq; ſuis, virtutibus inquam pretioſis & probatis conſcribendos. atq; ita ciuitatem illam ſanctam, non modò inſtauratum, ſed etiam dilatatum, & ampliſſimis muris exornatum iri; id quod ad antiquæ Ieroſolymæ reſtitutionem per Cyrum curatam, alludens prædicit.

Et ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum miniſtrabunt tibi: in indignatione enim mea percuſſi te, & in reconciliatione mea miſertus ſum tui.

Concluſerat enim Deus omnia ſub peccato, vt omnium miſereretur. Rom.
Porrò autem ſummam pacem, tranquillitatem, perpetuamq; ſecuritatem

Pax ciuitatis Dei. *ciuitati ſuæ idem auctor promittit conſtabiliendam Deus, non qualē mundus dare fraudibus, fallaciis, ac ſuſpicionibus plenam, & nunquam tutam ſuis cultoribus dare mundus conſueuit.*

Et aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & reges eorum adducantur.

Portæ vrbium noctu ac die perpetuò patentes, magnam ciuitatis pacem, quietem, certámque ſignificant ſecuritatem. Id quod apud omnes gentes commune habetur ac ducitur ſignum.

Signa ego Punicis
Affixa delubris & arma
Militibus, ſine cæde, dixit
Direpta vidi, vidi ego ciuium
Retorta tergo brachia libero,
Portasq́ non clauſas, & arua
Marte coli populata noſtro.

In hunc modum perpetua pace conſtituta, noctu diuq́ venturam gentem, & intra muros vrbis admittendam ſignificat. Atq́ huius lucis diuinæq́ felicitatis notitiā ipſam gentes omnes propriæ ſalutis auentes amplexuras, & Euangelij doctrinam ſuſcipientes, virtutem quoque experturas ait. idq́ verè & efficaciter. contrà verò, quicunque tanti boni diuinitus oblati, & certiſſimis demonſtrati exemplis communione propter ſuam culpam caruerint, ſuo in peccato perituros. S. S. E. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur. ſua ipſius culpa, vt qui oblatam vitam & lucem infidelitate ſua repulerit. S. S. E. Ego lux in mundum veni, vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Et ſi quis audierit verba mea, & non cuſtodierit, ego non iudico eum; non enim veni vt iudicem mundum. Qui ſpernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum: ſermo, quem locutus ſum, ille iudicabit eum in nouiſſimo die. Quia ego ex me ipſo non ſum locutus: ſed, qui miſit me, Pater, ipſe mandatum mihi dedit, quid dicam & quid loquar. Et ſcio quia mandatum eius vita æterna eſt. Vtriuſq́ verò partis, eorum inquam, qui Euangelium ſuſceperunt, & eorum qui repulerunt, varium euentum vnus ex idoneis & fidelibus miniſtris veritatis diuinæ gratulabundus declarauit. Deo autē gratias, qui ſemper triumphat nos in Chriſto Ieſu, & odorem notitiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco. Quia Chriſti bonus odor ſumus in his qui ſalui fiunt, & in iis qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam. & ad hæc quis tam idoneus? Vtrumq́ autem vitæ ac ſalutis, & mortis damnationisq́ exemplum, illud in credentibus & obedientibus Deo, hoc rurſus in repugnantibus & infidis manifeſto iudicio edendum, per Vatem reſponſum eſt, declaratumq́ neminem extra Chriſti Eccleſiam ſalutis Chriſtianæ fore participem.

[Margin notes: Salus nulla extra Eccleſiam. — Mar. — Ioan. 12. — 2. Cor. 2.]

Gens enim & regnum, quæ non ſeruierit tibi, peribit: & gentes ſolitudine vaſtabuntur.

Quiſquis aliud nomen ſibi ad ſalutem propoſuerit, quiſquis alij quàm Chriſto,

Chriſto, aut aliter, quàm conſtitutum eſt, ſeruierit; nihil ſibi præſtitiſſe, demum pereundo comperiet. neque opinionum turba, neque vlla, quamquam frequentiſſima ſecta, quamuis magnis copiis instructa, à vaſtatione ſeſe tueri defenderéve poterit. gentes, *quamquam frequentes & magnæ,* ſolitudine vaſtabuntur. *Ceteros vero, vndecunque venientes cum muneribus & donariis propriis gratè & feliciter excipiendos ait. Munera autē hoc loco, quia naturalia in ipſa imagine nominātur, virtutes, & partes vniuſcuiuſque perſonæ à Deo conceſſas & impoſitas interpretamur, ſiue ſcientiam, ſiue prophetiam, ſiue linguarum genera, ſiue ſanitatum dona, aut myſteriorum interpretationem, quidquid deniq; ad communem vitæ ſpiritalis opportunitatem vtilitatémque faciat, quidquid ad Eccleſiæ ædificationem conferat, id quàm optimum & quàm ſelectiſſimum in templi Dei ſarta tecta, & integrum opus conferendum fore.* Dona Deo offerenda.

Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus, pinus ſimul, ad ornandum locum ſanctificationis meæ, & locum pedum meorum glorificabo.

Ex antiqua Hirami Tyri regis hiſtoria promiſſi temporis arcanā imaginem adſtruit: vt enim rex ille Salomoni magnam lignorum & materiæ omnis, eandemq; ſelectam, ſuggeſſit copiam ad ſancti illius fani inſtructionem: ita quidquid raræ & oportunæ atque probatæ virtutis & facultatis cuique ex diuino contigerit beneficio, in ſacroſancti templi arcanum vſum & commodam ædificationem conferendum. Quid ergo eſt, fratres? cùm conueneritis, vnuſquiſque veſtrum pſalmum habet, apocalypſin habet, linguam habet, interpretationem habet; omnia ad ædificationem fiant. Gloria Libani. *Quidquid vnicuique loco egregium & præſtans, aut rarum ſuo in genere contingit, gloriam, & famam celebritatémque arrogat, vt Ægypto equi; Sabææ, thus; Hauilæ, aurū; & Libano, cedri, atq;* BEROS THIDHAR, *&* THEASSVR. *De quarum arborum naturis iam aliàs egimus.* Et locum pedum meorum glorificabo. *Perſtat in antiqui templi figura; qua ſanctum ſignificabatur templum, (quod eſtis vos, ait Paulus) conſtiturum ex cæleſti ac terrena partibus, hoc eſt, ex animo & corpore humano, quorum illud cælum, hoc verò terra arcano ſermone dicitur; vt illo in reſponſo ſignificatum eſt. Cælum ſedes mea, & terra ſcabellum pedum meorum. Hanc terram glorificandam ſibi Deus recipit. quod aliàs alia formula, aliaq; ſub imagine Pſaltes præcinebat: Benedixiſti Domine terram tuam. Magnam præterea mutationem humanorum ſtudiorum & conſiliorum in melius, & ad fidei & pietatis probandum cultum, inclinationem; & conuerſionem promittit Eccleſiæ Deus.*

1. Cor. 14. " "

Magni operis corpore prima parte. Templi Dei. Cælū, terra.

Pſal.

Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, & vocabunt te ciuitatem Domini ſancti Iſrael.

Conſiliorum, ſententiarum, atq; ſtudiorum erga Eccleſiam Dei conuerſiones, & voluntatum deditionem ex manifeſto illo lumine, quod initio indicatum eſt, intelligimus euentura: ita vt vel ipſi, qui antea veritati legis

tutes, Pax æterna, & Iuſtitia, præpoſitum iri dicantur. quarum altera ab externis hoſtibus, altera verò ab inteſtinis fraudibus, dolis, iniuriis, & inſidiis ciuitatem ſecuram præſtitura & conſeruatura ſit. Id quod in proximo etiam exponitur verſu. Viſitationem tuam. *Duo præcipua magiſtratuum munera ſunt; alterum, quod cuſtodiæ præeſt; alterum verò, quod vectigalibus, tributis, & pecuniæ publicæ ad ciuilium rerum conſtitutionem cogendæ inſtitutum eſt. alterius miniſtri duces ac milites, alterius verò publicani & exactores dicuntur. Ab vtriſque autem (vt mores hominũ ſunt) reſpublicæ non rarò pro iuuamento detrimentum vel damnum, vel vtrumque accipiunt: dum illi inſolentius agentes, aut à muneris fide deſciſcentes, vel hoſtis inſidiis conſentiunt, vel ipſi contumelioſi in ciues efficiuntur. Hi verò nimia cupiditate acti iuſti & æqui metas prætergreſſi, tum ciues, tum hoſpites etiam ſpoliant. id quod huic Dei ciuitati minimè dicitur eſſe metuendum, vtpote cui ipſa (non qualem dat mundus) verùm Chriſti pax, ipſa, qualem iam ſæpè definiuimus* TSEDAKAH, *iuſtitia, ſuum officium vnaquæq; factura præficiendæ ſint.* viſitationem tuam PEKUDATHCCH præpoſituram, ſiue præfecturam *atq;* cuſtodiam, *tu enmienda, ſiue corregimiento Hiſpanicè. ſic* PEKUDIM *commendadores, ſiue encommendados dicti.* Præpoſitos tuos. NOGSAICH, exactores. *vt aliàs etiam noſter vertit interpres. Quibus rectè conſtitutis, & officio ritè functis, proprio illud conſequitur.*

Magiſtratuũ munera.

Non audietur vltrà iniquitas in terra tua, vaſtitas & cõtritio in terminis tuis: & occupabit ſalus muros tuos, & portas tuas laudatio.

Pacem & ſecuritatem ſummam non in vrbibus modò, & intra muros, ſed in agris omnibus conſtituram promittit. Nam quæ intra vrbem, & in ciuitate admittuntur, contra commune commodum ac ius flagitia HHAMAZZ *propriè; quæ verò in agris patrantur ſcelera aut furta, in duo ſumma diuiduntur genera.* SOD, *quod* ſpoliationem *vel direptionem, &* SEBER *quod latrocinium dicere poſſumus. Illud ab interprete noſtro* iniquitas, *hæc verò duo* vaſtitas & contritio *vocantur. Salutem in muris futuram pro cuſtodibus & præfectis militum: in portis autẽ, vbi iudicia aguntur, nihil quod ad damnationem aut improbationem pronũcietur, auditum iri ait: ſed meras & perpetuas Dei laudes, cum commendatione eorum, qui rectè & piè egerint. Namque duplex poteſtatis officium eſt, ad vindictam malorum, & laudem bonorum. Huiuſmodi beatum reipub. & communis hominum ſocietatis tempus optandum, magis quàm ſpectatum apud gentes, ita celebrare poëtæ ſolent.*

Hhamazz. Sod. Seber.

Inſtar veris enim vultus vbi tuus
Affulſit populo, gratior id dies,
Et ſoles melius nitent.
Tutus bos etenim rura perambulat,
Nutrit rura Ceres almaq; fauſtitas,
Pacatum volitant per mare nauitæ,
Culpari metuit fides.

Quid

Quod verò hic de metallis arcanè promittitur, hiſtoriam reſpicit antiquæ illius Salomonis ætatis, cùm terra Iſraelitis ſumma in pace & quiete eſſet, ſapiente & prudente regis gubernatione tenebatur. Cum tantum auri, argenti, & æris, lignorũ, ac ferri, pulcherrimiq́ marmoris Hieroſolymis fuiſſe memoratur, quantum nulla antea viderant ſecula, cum admiratione ſumma, non finitimorum modò, ſed procul etiam agentium principum. Id quod omne tanto exceſſu Euangelij tempore ſuperatum iri prædicitur, vt pro ære, quod tunc plurimum fuerat, aurum, pro ferro argentum, pro lignis æs reponatur. Sed quale aurum, quale argentum, qualiaq́ cętera exiſtimanda ſint? nempe eiuſmodi, qualia Ieremias partim obſcurata, partim deſiderata, ac direpta lamentatus, noſtris etiam requirit ſeculis. Itaq; noui Salomonis ætate, gubernatione, & prouidentia non modò horum omnium, quæ diuitem facere ciuitatem poſſunt, longè maiorem copiam, ſed meliorem, & præſtantiorem, pretioſioremq́ multo naturam ſuperfore intelligimus: quanto maiorem nouimus eſſe illius aureæ ætatis regem, de quo verè ſcriptum: Et ecce plus quàm Salomon hic. Namq; omnia diuina hic intelligenda, omnia de inexhauſtis cæli petita theſauris. Quid mirum? quando & ipſa luminarium, à quibus metalla omnia conſtari & formari dicuntur, tanto præſtantior adfutura, influxura, ac terras illuſtratura eſt virtus, quanto Deus ipſe auctor cunctis orbis aſtris ac luminibus præſtat. quippe ipſe in iſta nouanda ciuitate ipſe idem ſolis ac lunæ efficientias, pro ſua virtutis magnitudine præſtiturus. Elegantis quidem & amplificatæ felicitatis vſum, illo carmine Latinus Lyricus laudauerat: Inſtar veris enim vultus vbi tuus, &c. Sed quid ad illam ab Iſaia prædictam beatitatem?

Non enim tibi amplius ſol ad lucendum per diem, nec ſplendor lunæ illuminabit te: ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.

Totius huius argumentum ſermonis in luminis illius admiratione verſatur, quod initio ciuitati huic affulgere indicabatur. Iam verò quod, & quale lumen, quantæ virtutis & efficacitatis illud ſit, apertè declaratur: non id, quod orbibus & cælis Deus initiò dederat terris affulſurum & influxurum, Solem in poteſtatem diei, lunam & ſtellas in poteſtatem noctis. Quæ non vno ſemper modo lucent, aut influunt, aut efficiunt, quæq; & viciſſitudinem ortus & occaſus ſeruant, atq; adeò interdum defectus & labores patiuntur varios; ſed ipſum æternum Deum, immenſum, infinitum, & efficaciſſimum, omnia creantem & fouẽtem, omnis occaſus omniumq́ defectus prorſus expertem, iamq́ deinceps ſingulari prouidentia interno æternóque numine & lumine ciuitati ſuæ indulgentem. Hunc ait eſſe ſolem, quem iuſtitiæ appellant ſacra carmina. hunc iam ſibi oſtenſum teſtatus eſt Iohannes. Et ciuitas non eget ſole neque luna, vt luceant in ea: nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna eius eſt agnus. & ambulabunt gentes in lumine eius, & reges terræ afferent gloriam ſuam, & honorem in illam, & portæ eius non claudentur per diem: nox enim non erit illic. & afferent gloriam & honorem gentium in illam. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum,

Threni 2.

Nouæ Ieruſalē lumen.

Apoc. 21.

natum aut abominationem faciens & mendacium, niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ agni. Sed erit Dominus in lucem [*ſanctis, qui ſunt in terra eius*] ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. LETHIPHARTHECH, in decus tuum. *ita vt quidquid fueris, fueris autem admirabilis, totum Dei muneris eſſe agnoſcas; nec amittendū tamen metuas tantum lumen, vtpote quod benignè ſeſe vltrò tibi, præſenſq́ue ſemper præbeat.*

Non occidet vltrà ſol tuus, & luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & complebuntur dies luctus tui.

Regna, imperia, opes, potentiam, & gloriam, & multa alia quæ ab hominibus, vt bona expetuntur, à cælorum atque aſtrorum efficientiis proficiſci humanæ ſapientiæ profeſſores exiſtimant. qua de re in præſentiarum nihil, alias nonnihil ex vera diſciplina diſputabimus. Verùm ſiue aſtra, & cælorum conſtitutiones in hoc genere quicquam valeant, ſiue non valeant, nihil iſtud ad ſanctam ciuitatem curare aut cogitare attinet: quippe quæ nullam vmquam contingentis maximæ felicitatis mutationem aut viciſsitudinem expertura, quare neque ſuſpicione ac metu expectatura fuerit; tum ex parte efficientiæ ſupremæ, hoc eſt, diuinæ virtutis mutationē nullam admittentis, propter æternam ſimplicitatem ſuam: atq́ue etiam ex parte diſpoſitionis, vti dici ſolet, ciuitatis ipſius; quæ cùm ſemper eodem tenore, eodemq́ue modo habeat, quare mutationem viciſsitudinemq́ue metuat, nulla ſuberit vel ratio vel cauſa. Et quoniam omnia hæc nomina & verba, luminis, ſolis, lunæ, lucere, occidere, & cetera ex tranſlatione petita ſunt, ad regnum Chriſti æternum & perpetuum referri in veritate oportuerit. de quo ſcriptum eſt: Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Quid autem ſit regnum Chriſti, & quale ij qui conſcripti ſunt ciues, nouerunt, quippe qui ſecum internum poſsideant per Spiritum ſanctum. cuius fructus ſunt pax, gaudium, lætitia inenarrabilis omni dolore, omni immunis metu.

Chriſti regnum. Lucæ 1.

„ *S.S.E. Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & non erit am-*
„ *plius neque luctus, neque clamor; quoniam priora tranſierunt. A mundi enim conſtitutione ad Chriſti vſque regnum, etiam iis qui diuina inſtructi fuerant lege, luctus & lamentorum tempora fiebant perpetua; vtpote à quiete & pace perpetua alienis, & frequenti atque aſsiduæ internorum & externorum hoſtium inuaſioni ac ſeruituti obnoxiis. A pacifici verò Principis ac regis diebus vnus perpetuus iuſtis conſtat lætitiæ dies, nulla calamitatis aut prauitatis, vel incommoditatis ac triſtitiæ nocte mutandus. quippe quibus perpetuus ſol & luna indeficiens, imò & nunquam imminuenda: vnus idemq́ue Deus dicatur, & ſit.* non imminuetur. *ad variam faciem lunæ, nunc creſcentis, nunc decreſcentis alludit verbum. Semper enim plenilunium conſtiturum dicit. id quod ex parte efficientiæ diuinæ conſtiturum ait, ex parte verò eorum, quibus proſpiciendum eſt, illud ſubiungitur.* Populus autem tuus omnes iuſti, in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manus meæ ad glorificandum.

Luctus tempora ante Chriſti regnum.

Efficien-

Efficientiam in homines credentes & obedientes Euangelio, diuinam Euangelios
hoc modo Zacharias deſcripſerat. Et educam tertiam partem per ignem, & Zachar. 3.
vram eos ſicut vritur argentum, & probabo eos ſicut probatur aurum. Ipſe "
vocabit nomen meum, & ego exaudiam eum: Dicam, Populus meus es, & "
ipſe dicet, Dominus Deus meus. Hunc vrentem, purgantem, ac probantem "
ignem ſe in terram miſſurum veniſſe Chriſtus ait. atque huiuſmodi purgatos
igne, his nominibus verè & perpetuò appellãdos, Populus meus, iuſti om- Sanctorum
nes, germen plantationis meæ. Plantatos in domo Domini, in atriis Dei tituli.
noſtri, florẽ fructumque facientes, Ego ſum vitis vera, & Pater meus agri- Ioan.
cola eſt. Omnem palmitem in me non facientem fructum, abſcindent eum, "
& in ignem mittent. quare & eos qui in Chriſto fructum fecerint, perpe- "
tuò manere, & foueri conuenit. Opus manus meæ ad glorificandum.
In laudem & gloriam auctoris & agricolæ ipſius, non ipſarum plantarum:
quæ de ſe illud profiteri ſolent. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex 2. Cor.
nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. &, Viuo ego, iam Gal.
non ego: viuit verò in me Chriſtus. Quod ſi gloriam aliquã illis quiſquam "
tribuendam putet, non aliam quàm illam exiſtimato. Et gloriamur in ſpe "
gloriæ filiorum Dei. &, Nos enim ſumus vera circunciſio, qui ſpiritu ſer- Philip. 3.
uimus Deo, & gloriamur in Chriſto Ieſu, & non in carne fiduciam ha- "
bentes. Atque ita omnes qui viderint eos, cognoſcent, & dicent, quòd iſti ſunt "
ſemen cui benedixit Dominus. Hoc autem diuinæ ciuitatis beneficium plu- "
ribus eſſe communicandum, & non vni tantùm genti, ſed omnibus confe-
rendum, atque ex omnibus vnam conflatum iri ſanctam atque Deo caram
publicam rem, docet Vates, eamque tanta frequentia inſtructam, vt antiquis
filiorum Iſrael familiis, quamquam ex paruo numero ad magnã ſummam
quondam auctis, tamen hæ cæleſtis ciuitatis tribus celebritate & frequen-
tiæ cenſu mirum in modum excellant.

Minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortiſſimam. Ego
Dominus in tempore eius ſubitò faciam illud.

In tribuum cenſu antiquarum aliam numero, aliam honore, atque aliam Populi Dei
munere & miniſterio aliis nouimus conceſſiſſe: longè verò maiorem huius amplificatio
ciuitatis amplitudinem fore, in qua, quæ minori cenſebatur antea capitum
& animarum copia, mirum in modum augenda eſt, vt minimus natuque po-
ſtremus in mille, & paruulus, exiguiſque præ ceteris opibus & robore, ta-
men in gentem fortiſſimam GHATSVM, oſſeam & firmiſſimam, in-
ſuperabilemque euadat. Et quidem admirabile fuerat quondam, & ſingula-
ris prouidentiæ argumentum, Iſraelitarum tribus ex octoginta animabus,
ad ingentem virorum excreuiſſe ſummam, vel ipſis potentiſſimis inimicis
metuendam. S. S. E. Ecce populus Iſrael multus, & fortior nobis eſt. Ve- Exod. 1.
rùm enimuerò illa amplificatio populi totis ducentis annis ad illum perdu-
cta eſt cenſum: hæc autem, quam ſufficiendam ſingulari conſilio Deus fo-
uet, immane quantum & felicitate, & celeritate atque omni nomine illu-
ſtrior erit. Ego Dominus in tempore eius ſubitò faciam illud. Adeoque
hoc verum conſtat, vt vel prima, qua lumen hoc affulſit, die, præter Apo-

 ſtolo-

ſiliorum ac diſcipulorum numerum poſt primum Petri teſtimonium, qui
Act. 2. *receperunt ſermonem eius, baptizati ſunt; & appoſitæ ſunt in illa die ani-*
,, *mæ circiter tria millia. & paulo pòſt, Dominus autem augebat qui ſalui fie-*
,, *rent quotidie in idipſum.* Ego Dominus in tempore eius ſubitò faciam
illud. *Ad orbis creationem reſpicit oraculum hoc, quam maxima celerita-*
te, hoc eſt, ſex dierum tempore, editam & abſolutam Deus præſtitit.

Capvt lxi.

SPiritvs Domini ſuper me, eo quòd vnxerit Dominus me: ad annunciandũ manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem.

Hvivs *profeſſionis ab Iſaia inductæ perſonam Spiritus ſanctus apud*
Lucæ 4. *Euangeliſtas Chriſtum eſſe docuit: qui, vt venit Nazareth, vbi erat nutri-*
,, *tus, intrauit ſecundùm conſuetudinem ſuam die ſabbati in ſynogogam, &*
,, *ſurrexit legere: & traditus eſt illi liber Iſaiæ Prophetæ, & vt reuoluit li-*
,, *brum, inuenit locum vbi ſcriptum erat:* Spiritus Domini ſuper me, pro-
,, pter quòd vnxit me, euãgelizare pauperibus miſit me, & ſanare con-
,, tritos corde: Prædicare captiuis remiſſionem, & cæcis viſum: dimit-
,, tere confractos in remiſſionem, prædicare annũ Domini acceptum,
,, & diem retributionis. *Et cùm plicuiſſet librum, reddidit miniſtro, & ſe-*
,, *dit. Et omnium in ſynagoga oculi erant intendentes in eum. cœpit autem*
,, *dicere ad illos, Quia hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auribus veſtris. &*
,, *omnes teſtimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ; quæ pro-*
,, *cedebant de ore ipſius. Dixerat autem in ſuperioribus Iſaias, promiſſum il-*
Chriſti partes. *lud de ciuitate ſancta inſtruenda oportuno ac prouiſo per Deum tempore,*
magna celeritate præſtitum fore; nunc iam illud ipſum tempus animo in-
tuitus, quòd verè fuit quando Chriſti exſtitit hora in Lucæ Euangelio in-
dicata, Ieſum Chriſtum ipſum Patris fidem præſtandis promiſſis liberatu-
rum inducit. qui auctoritatis ſuæ rationem atq; ius profeſſus, partes etiam
quas peracturus aduenerit, exponit: omnes humanam atq; publicã ſalutem,
libertatem, vitam, atque amplificationem & filiorum Dei regenerationem
ſpectantes. Quibus explicandis humanæ vitæ ſtatum propter primam ge-
neris defectionem, atque illam conſecuta peccata prorſus labefactatum &
conuulſum ad Ieſu Chriſti vſque ætatem in ſumma iacuiſſe miſeria, atque
interim in illa Iſraelitarum Ægyptiaca ſeruitute fuiſſe repræſentatum.
cuius ſeruitutis à Deo in libertatem conuerſæ hiſtoriã omnem notiſſimam
eſſe oportet, iis quibus diuina audiuntur oracula. vtpote quæ omnia ferè ad
Lex quæ per Chriſtum impleta. *illam expreſſè & ex amuſſi referenda ſint imaginem. Hiſtoriam autẽ om-*
nem eam dicimus, quæ à deſcenſu filiorum Iſraelis in Ægyptum, vſque ad
terræ promiſſæ antiquis habitatoribus pulſis & perditis, initam poſſeſſio-
nem producitur, cum legibus, doctrina, & inſtitutis interim datis & con-
ſcriptis. Namque omnia hæc Chriſti Ieſu auctoritate & efficientia inte-
Mat. *grata, verè præſtita, atque conſummata conſtiterunt. S. S. E. Nolite putare*
quo-

quoniam veni ſoluere legem; non veni ſoluere, ſed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec tranſeat cælum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Iam verò hæc præfati noſtrum audiamus Ieſum vnctum, ſuas partes in hoc Iſaiæ reſponſo exponentem, & principio profeſſum, ſe non humani, verùm diuini ſpiritus veritate, efficacitate, virtute atq; auctoritate præditum, qua parte hominem ageret, conſtare: atq; ea in parte vnctum eſſe alterius, quàm obtineret, naturæ vi & virtute, ſacri ſermonis vocabulo Spiritus *appellatæ. Vnctionis verò nomine præſtantiſſimam præ ceteris omnibus diuinis miniſtris auctoritatem & efficacitatem intelligimus Chriſto, vt homini tributam, vt maximas, & planè diuinas acturo, geſturo, & expedituro abſoluturoq; res. Vt quondam ex hominibus vel ad regnum, vel ad ſacerdotium delectos viros, oleo ſancto vnctos, atque eiuſdem olei ſignificatione & virtute ad ſua peragenda munera, inſtructos, animatos, & auctos accepimus. Ex qua ratione decantatum illud celebratur: Speciosſus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis: propterea vnxit te Dominus oleo lætitiæ præ cõſortibus tuis. Quarum igitur rerum, quarum agendarum partium vnctus fuerit, eueſtigio declarat. Primùm quidem ad Euangelij prædicationem: in quo liberationis & ſalutis quondam promiſſæ, & iam iam expediendæ ac præſtandæ arcana ratio continetur; & ei reſpondet nuncio, quem in imagine Moſes Iſraelis filiis magna, diuturna, ac dura ſeruitute oppreſſis, & animo fractis de proxima iam, imò ferè præſenti, liberatione attulit. Quam etiam huius nouæ ac veræ ſalutis imaginem quinquageſimo quoque anno inſtauratus referebat iubilæus. Quippe omnia hæc conſummaturus, & credentibus ac verè pœnitentibus præſtiturus ipſe aduenerat. Hos appellat hîc Ieſus* contritos corde, *qui anteactæ ſub peccati iugo vitæ pertæſi melioris cõditionis à Deo propoſitam ſpem anxiè arripiunt ac tenent.* Captiuis, *peccati tyrannidi obnoxiis*, indulgentiam: clauſis *in ergaſtulo ac ſeruitutis domo* apertionem *carceris atq; ergaſtulorum. Ad ſeruitutem Ægyptienſem alludit, & iubilæi quoque reſpectat annum, quo captiui ac ſerui in libertatem vindicabantur. quam imaginem ſubiuncto proſequitur verſu.* Vt prædicarem annum placabilem Domino. SANAH RATSON. annum voluntatis [εὐδοκίας] Domini. *Quo Dominus populum viſitans proprium in libertatem aſſerere conſtituit. Id quod inimicis atq; hoſtibus tyrannisq; velementis & repugnantibus, imò & vltis ac perditis intra vnius anni tẽpus apud Ægyptios confecit, nunc breui præſtantius inſtauratũ confecturus eſt. Nec verò ad hoc tantùm agendum, hoc eſt, ad remiſſionis annum prædicandum, Euangeliumq; nunciandum ſeſe, ſed etiam ad eadem promiſſa efficienda & præſtanda vnctum eſſe ait. Promiſſorum autem duplex pars fuerat, ſeruitutis depulſionem altera, libertatem verò ac decus, & filiorũ Dei coronam & cognomentum altera continebat.*

Chriſti vnctio.

Pſal. 44.

Euangelium

Pœnitentia.

Vt ponerem lugentibus Sion; & darem eis coronam pro cinere, & oleum gaudij pro luctu, palliũ laudis pro ſpiritu mœroris, & vocabuntur in ea fortes iuſtitiæ, plantatio Dñi ad glorificandum.

Beati qui lugent. LVGENTES *Sion, eos intelligimus, qui vrbem atque arcem Dauidis cultoribus vacuam lamentantur non terreſtrem illam vrbem, quam Iebuſæi priùs tenebant, Iudæi ceperunt, & poſtremò Dauid expugnauit, ſed quam hæc ſignificabat, à vero Dauide dilecto ac ſancto Dei Chriſto expugnandam & inſtruendam. De his autem lugentibus dictum: Beati qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur. Conſolationem autem abſolutum votorum finem ac deſiderij curam ademptam interpretamur, quod non verbis tantùm, ſed rebus etiam præſtatur. Id quod à ſe efficiendum Chriſtus in hoc oraculo recepit, & receptum, illo indicat verbo,* vt ponerem, *quod ſtatim declarat,* vt darem coronam pro cinere. *Lugentes enim cinerem capiti*

Cinis capiti inſperſus. *ſuo inſpergere ſolent, quod cinis nullius vſus, nulliuſq; decoris particeps habeatur. vtpote cui omni abſumpta pinguedine, ſalſa tantùm & ſterilis materia ſuperſit.*

Corona. *At verò corona ex viridi ramo & fronde contexta, & ſpem, & lætitiam ſignificat, & decus capiti arrogat. Huiuſmodi coronam nomen*

Pear. PEAR *hoc loco ſignificat, ac decoris ornamentiq; ſymbolum habetur. Itaque lætitiæ ornamentis coronandos eſſe ait eos, qui Sionis anteà ſolitudinem lugebant.*

Oleum lætitiæ. Vnguenta. Gaudium in Spiritu ſancto. Pſal. oleum lætitiæ. *vnguentum, quod feſto, ac præcipuè natali die, capiti infundere veteres conſueuere, lætitiæ oleum dicitur. Eſt autem olei vis ad penetrandum efficaciſſima. S. S. E. Et introiuit ſicut aqua in interiora eius, & ſicut oleum in oſſibus eius. Quare non leuem, aut breuem, vel momentaneam lætitiam, ſed hærentem, ſed interius etiam ad animum, ad oſſa vſque penetrantem, totoſq; exhilarantem homines promittit. qualem diuini ſpiritus ſacra vnctio per Chriſtum præſtat, præſtat, inquã, non verbis modò, ſed re, ſed virtute, ſed veritate & efficientia certiſſima. S. S. E. Fidelis*

2. Cor. 1. » *autem Deus: quia ſermo noſter, qui fuit apud vos, non eſt in illo* EST *&*
» NON: *ſed* EST *in illo fuit. Quotquot enim promiſſiones Dei ſunt, in illo*
» EST. *ideo & per ipſum Amen Deo ad gloriam noſtram. Qui autem con-*
» *firmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui vnxit nos Deus; qui & ſignauit*
» *nos, & dedit pignus Spiritus ſancti in cordibus noſtris.* *Eſt autem in horum ſtructura verborum pulcherrima antitheτων figura, quæ ſub ipſius contemplanda ſpecie mutationem conuerſionemq; rerum oculis veluti ſubiicit. vt pro* EPHER PEAR, SEMEN *pro* EBEL. MAGHATEH THEHILAH *pro* RVAHH BEHAH. *& alia cum his, quæ tamen omnia nec Latinis deſcribere notis, nedũ vocibus repræſentare poſſumus. Quare & tum aliis multis, tum verò huiuſmodi orationum & ſententiarum dulci ſenſu, eorum, qui linguas non callent, aures oculi atque animi carere coguntur.* pallium

Mœrentium habitus. laudis, pro ſpiritu mœroris. *Qui mœrent, ſordidatis incedunt veſtibus, iiſdemq; diſciſſis, & negligenter indutis; qui verò feſtos celebrant aguntq; dies, nouas induunt ſtolas, & pro patriæ conſuetudine rectè concinnatas, præcipuè illi, qui chorearum & carminum celebrandorum partes ſumunt, vti Dauid, qui ephod lineo amictus ante myſticam ciſtam luſiſſe & cãtaſſe narratur. Atq; hoc pacto habitos* fortes iuſtitiæ, *&* plantatio Domini ad glorificandum *vocatum iri prædicit.* ALLEIHA TSEDEK. cerui iuſtitiæ

Iuſtitia Dei. illius. *Diuinæ iuſtitiæ ſingularis conſpicuè cõpotes & anteſignani. tranſlatione*

tione à magnis ceruis ac totius gregis ductoribus petita. quæ alias in ſacro obſeruatur ſermone. Iuſtitiam autem non humanam, verùm diuinā, quam hic audimus, intelligere nos articulus H *docet. qui certæ cuiuſdam ac ſingularis rei perpetuo eſt index. dilectos & gratos, iuſtitiaq́ donatos, diuina illos vocatum iri ait, &* plantationem Domini, *miſericordiæ ac iuſti, & efficacis,* ad glorificandum. *Vt ſimus, ait Apoſtolus, initium aliquod creaturæ eius ad laudem & gloriam ipſius. Solet enim agricolæ ars, diligentia & induſtria ex plantarum ſpecie & pulchritudine laudari. vt,* [...], arti cultu · Iacobi 1.

Omnia quæ multo antè memor preuiſa repones,
Si te digna manet diuini gloria ruris.

Iam verò quò hæc omnia tendant, quem in vſum euaſura ſint, declarat idē, qui inducitur, Chriſtus, nempe hoc pacto inſtauratum, imò & amplificatum iri humanum genus ab illa ingenti antiqua ac prima ruina, atq́ à ceteris caſibus & labibus, quibus per anteacta ſecula conuulſum iacebat.

Et ædificabunt deſerta à ſeculo, & ruinas antiquas erigent, & inſtaurabunt ciuitates deſertas diſſipatas in generationem & generationem.

Ædificationem & inſtaurationem æternam & perpetuam fore ait, non modò deſertorum à ſeculo, à prima vſque generi per Adamum inducta labe, ſed ceterarum ruinarū, quæ variis vitiis, flagitiis, & ſceleribus admittendis per ſecula antiqua editæ ſunt. id quod vnica Chriſti hominibus communicata virtute effectum Spiritus teſtatur ſanctus. Et non ſicut delictum ita & donum: nam delictum quidem ex vno in condemnationem: donum verò ex multis [peccatis] in iuſtificationem. Banv, ædificabunt. *Verbum primæuum latioris & amplioris eſt, quàm Latinorum* inſtaurare, *idemq́ iuris verbum* HHIDDESV *vendicat. quod Latinè* nouare *dicere poſſumus. Nouam enim non tempore modò, verùm arte, opere, ac materia fore huius ciuitatis ſtructuram ſignificat. id quod & exemplo ipſo confirmatum conſtat: Et vidi cælum nouum & terram nouam: primum enim cælum & prima terra abiit, & mare iam non eſt. Et ego Iohannes vidi ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouam deſcendentem de cælo, à Deo paratam ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Quamquam hæc omnia Ieroſolymorum & Iſraelitarum reſtitutionem portendere videantur, tamen quo, & quatenus pertineant, ipſamet certis indicant verbis, ex quibus vnū eſt,* deſerta à ſeculo, *vnum etiam* inſtaurabunt, *ſiue* nouabunt. *Atq́ ita cuncta ad ſpiritum & veritatem ab Apoſtolis declaratam referenda. Hanc vrbium, agrorum, & fundorum nouatam copiam magna cultorum frequentia & multitudine inſtructam eſſe, ſubiungit; cultorum, inquam, etiam ex omnibus nationibus ad communionem admittendorum, non tamen qui ſegnes aut otio indulgentes, & inertia perditi ſint, ſed qui vtilibus ad vitam artibus ac rebus [illegible] operam.*

Ieruſalē ædificatio à Deo · Rom. 5 · Apoc. 21

Et ſtabunt alieni, & paſcent pecora veſtra, & filij peregrinorum agricolæ & vinitores veſtri erunt. Vos autem ſacerdotes Domini vocabimini, miniſtri Dei noſtri dicetur vobis: fortitu-

dinem

dinem gentium comedetis, & in gloria eorum ſuperbietis.

Sapientia ſanctorum. *Scientias, diſciplinas, arteſq́ omnes humanas, atq. ſtudia omnia, quibus occupantur animi, ſi cum ſanctorum ſapientia comparentur, eam rationem ſubibunt, quam pecuaria & ruſtica ars ad ſacerdotum vacationem comparata ſeruat. Et quidem in Eccleſiam Dei, tanquam in ſagenam in mare miſſam, perfectos & imperfectos admittendos eſſe, & fuiſſe admiſſos ac receptos intellex imus: & imperfectos iis diſciplinis & artibus operam dare ſiuimus, quas pro conditionis ſuæ ratione, & pro animi præſente captu diſcere & exercere ius ratioq́ ferebat, verùm ſi ſapientiam inter perfectos agitatam ſpectemus, eam vltra omnes comparationum & æſtimationum calculos iſtis præſtare, qui norunt, apertè declararunt. & tamen his nõ abhorruerunt ſancti viri, ſed eatenus vſi ſunt, quatenus ad cæterorum informationem vtilibus habitis, iiſdemq́ longè melius, præſtantius, & opor-*

1.Cor.2. *tuniùs vſurpatis. S. S. E. Spiritualis [homo] iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur. Hoc eſt quod allegorικῶς in hunc verſum pro tempore commentamur, quem cum aliis etiam per allegoriam, ſiue potius per analogiam vates cantarunt. Eſſe autem illius ciuitatis præcipuè, & iam in domũ Dei conſcriptos ciues genus electum, regale ſacerdotium, gentem ſanctam, populum acquiſitum ad enarrandas Dei laudes iam in hoc opere, & aliàs quoque retulimus. Eſtq́ hæc deſcriptio ad legitimæ imaginis imitationem inſtituta, in qua Leuitæ ac ſacerdotes, ij præcipuè qui altario ſeruirent, cùm ex aliorum labore & muneribus conferendis viuerent, nullis ſeſe miſcebant ſecularibus negotiis ſuo muneri officioq́ præſtando ſolummodo intẽti. Ideo dicit :* Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eorum ſuperbietis. *Omnem illorum ſcientiæ & ſapientiæ gloriam & famam immenſo ſuperabitis interuallo.* THITHIAMARV, *palmarum procerarum & arduarum inſtar extollemini. Sic ille, vbi de præteritis ſtudiis cum diuino*

Philip. *beneficio componendis verba facit, Omnia, inquit, quæ mihi fuerunt lucra,*

3. *hæc arbitratus ſum propter Chriſtum damna, & vt ſtercora reputaui pro-*

8. *pter eminentem in me Chriſti ſcientiam. Atque vtriuſque ſapientiæ, hu-*

Sapientiæ humanæ cũ diuina comparatio. *manæ, inquam, ac diuinæ, euentus quales expectari conueniat, prædicitur in hoc oraculo. Manifeſtum enim eſt diuinæ ſapientiæ ſimplicitatem & veritatem piis optatam & cultam apud humanæ ſapientiæ profeſſores riſui & ludibrio haberi, vt planè ſtultam, & nihil ingenio vel induſtriæ debentem, maximè apud eos qui ea quæ in præſentiarum ante oculos ſunt, ſolummodo reſpiciunt. At verò cùm ad vtriuſque ſapientiæ exitum deuentum eſt, diuina ratio, vis, & virtus conſtare & feliciter valere cognoſcitur, contrà verò humanæ machinationes, moles, & artes omnes in meram inſaniam deſinere deprehenduntur, atque vtraque in generatione ſua ſtultitiæ nomen apud alteram fortiter vicisſim, verùm diuina victrix demum & conſtans euadit; humana verò ſtultitiæ geminæ nomine damnata ſuccumbit. Hoc eſt quod obſcuriore nonnihil oratione ſubiuncto ſignificatur verſu.*

Pro confuſione veſtra duplice & rubore, laudabunt partẽ eorum: propter hoc in terra ſua duplicia poſſidebũt, lætitia ſempiterna erit eis.

DVPLEX eſt terra, altera filiorum Adam hæc, quam mortales incolunt omnes, non quam calcant, ſed quam circumferunt, & in qua verſantur, inquam; quàm aliàs generationem filiorum huius ſeculi appellatam obſeruauimus. Altera verò terra eſt illa noua, apud hunc Vatem promiſſa, & à Iohanne ſpectata, vtpote iam facta, & filiis Dei ad habitandum conceſſa, de qua ſcriptum: Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terrā. In illa priore pij omnes Iaghacobi familiares & filij, tamquam hoſpites, vel extorres, vel captiui degunt: filij autem ſeculi huius, vt in propria patria, ſibi viuentes, blandiuntur, indulgent, & gratulantur, piorumq; ſimplicitatem & probitatem deriſui & probro habent, ſuam verò calliditatem, induſtriam, & prudentiam magnificis commendant elogiis; atq; ideo probis inſultant, & illudunt, tamquam inutiles prorſus & mundi foro, vti neſciis. Cuius rei imaginem breuem producere in promptu eſt.

Terra duplex

Generatio filiorū huius ſeculi.

Mat.

Pers. Sat. 6

En, quid agam? rogitas? en ſaperdam aduehe,
Caſtoreum, ſtipas, ebenum, thus, lubrica. Ponto
Tolle recens primus pipere ſitiente camello,
Verte aliquid; iura: Sed Iuppiter audiet. Eheu
Vare, regustatum digito terebrare ſalinum
Contentus perages, ſi viuere cum Ioue tendis.

Quo autem magis probus ac ſimplex vnuſquiſque vixerit, eo ſtultior habetur ac dicitur; quod ſi ratione & veritate ſuas defendere ſtudeat partes; tum verò philoſophus vulgò, etiam apud ſapientiores iſtorum appellatur, ita vt philoſophi nomen tantundem quantum nimis inſanus valeat.

Dixeris hæc inter varicoſos centuriones
Continuò craſſum ridet Vulpenius ingens,
Et centum Græcos curto centuſſe licetur.

Nam filij huius ſeculi prudentiores ſunt in generatione ſua quàm filij lucis. “
Itaq; pro confuſione veſtra duplici & rubore, quo vos vera & proba ſecutos afficere, & ſuffundere ſolebant: idq; non ſimpliciter, ſed dupliciter.
Namq; Hus populus ridet, & multum toroſa iuuentus
Ingeminat tremulos naſo criſpante cachinnos.

Atq; ita vobis probis, contemptis & ſpretis; imò deriſis, laudabunt partem eorum. Id quod in paraſiti illius comici perſona optimè, & ad viuum poëta expreſſit, qui bonum & probum, honeſtumq; virum ſimplicitatis, & pudoris amantem, præ ſe contempſiſſe aiebat. Dij, inquiens, boni, homini homo quid præſtat! Verùm enimuerò cùm pij & probi à mundi, in qua exulabant, captiuiq; agebant, vetere terra ad ſuam, id eſt, nouam, fuerint diuino beneficio traducti. propter hoc in terra ſua duplicia poſſidebunt, lætitia ſempiterna erit in eis. Id quod alterius partis & ſapientiæ profeſſores & ſectatores admirati, ac ſerò reſipiſcentes pauebunt. S. S. E. Tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum. Videntes, turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes intra ſe, pœnitentiā agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes. Hi ſunt quos aliquando habuimus “

Terent. Eunuch.

Sap. 5.

IIi in de-

» *in deriſum & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum*
» *æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: Ecce quomodo com-*
» *putati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Ergo errauimus à via veritatis & iuſtitiæ, lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ*
» *non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & am-*
» *bulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis*
» *profuit ſuperbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Huius au-*
tem felicitatis piorum auctoritatem vni Deo fauenti, & probis conſulenti referendam & Pſaltes cecinerat, & Chriſtus apud Vatem noſtrum docet:
Pſal. 1. *ille dixit, Quoniam nouit Dominus viam iuſtorum, & iter impiorum peribit. Hic autem legimus:*

Quia ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocauſto: & dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis.

Ex corrupto & improbato ſemine perditam expectari meſſem oportuerit: contra verò bonum ſemen in bene exculto agro ſimilem ex Dei benedictio-
Pſal. *ne ſortietur fructum. Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent:*
» *Euntes ibant, & flebant, mittentes ſemina ſua; venientes autem venient*
» *cum exultatione portantes manipulos ſuos. Prauitatis genus omne adeò abominatur Deus, vt etiam ſacrificium ex rapina factum, quamquam à feris rapta fuerit victima, tamen deteſtetur; nedum quicquam probet, quod à ſimplici, vera, atq; ſincera pietate & probitate diſcrepet: quamquam humanæ ſapientiæ & induſtriæ laudibus fuerit commendatiſſimum. Id quod pij ſperantes, credentes, & obſecuti ſeminauerant, veritatis fructu cumulatiſſimum redditurum eſſe, pollicetur Chriſtus, ita vt quodcunque deinceps proſeminatum fuerit, benedictionis & felicitatis perpetuis promoueatur*
Fœdus nouũ. *ſucceſſibus.* & fœdus perpetuum feriam eis. *Huius loci explicationem, qualem ab alio accepimus Vate, ſimplicem & planiſſimam referre ac deſcri-*
Ierem. 31. *bere iuuat. Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, &*
» *domui Iuda fœdus nouum, non ſecũdùm pactum quod pepigi cum patribus*
» *eorum in die qua apprehendi manum eorũ, vt educerem eos de terra Ægy-*
» *pti: pactum, quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, ait Do-*
» *minus. Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam*
» *eam: & ego ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Et non docebit*
» *vltrà vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum dicens, Cognoſce Domi-*
» *num: Omnes enim cognoſcent me à minimo eorum vſque ad maximum, ait*
» *Dominus: quia propitiabor iniquitatibus eorum, & peccati eorum nõ me-*
» *morabor amplius. Itaq; perpetui fœderis ratio illa eſt, vt qui participes fuerint, non fictam aut ſimulatam, vel adumbratam quandam, aut aliàs imperfectam vel imputatam pietatis vt antea præbeant ſpeciem, ſed verã virtutem, remq; ipſam diuinæ legis efficienter & conſtanter præſtent in ſpiritu & veritate, vtpote regni cæleſtis compotes, & cæleſtes planè ciues facientes voluntatem Patris in terra, ſicut in cælo fit. Id quod Apoſtolus exa-*
1. Cor. *minandum ſibi proponebat. Veniam, inquit, ad vos, & cognoſcam non ſermonem,*

monem, ſed virtutem. Non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtu- “
te. Virtutem Chriſti intelligimus ſacroſancti calicis illius participatione
ſpiritali communicatam, atq; ex conſequenti efficacem, quam ipſe omnibus,
qui ritè acciperent, libenter ac benignè ſe dare profeſſus eſt, Accipite, in- “
quiens, & bibite ex eo omnes. Hic eſt enim calix ſanguinis mei, noui & “
æterni teſtamenti (*quod hîc iiſdem planè primariis verbis* fœdus perpe- “
tuum *dicitur*) *myſterium fidei. De quo myſterio nos in Magni operis ani-*
ma agebamus. Atque hanc communicatæ virtutis veritatem non verbis &
iactationibus, & priuatis perſuaſionibus, neque ab ipſo homine ſeiunctis,
vel ſeparatis oſtentationibus, ſed interna animi vi ac totius vitæ actioni-
bus & officiis etiam apud alias gentes communi & vulgari viuentes mo-
do ac more examinatum ac probatum iri pollicetur Deus; quippe quorum in-
ſtituta, mores, & totius conſuetudo vitæ propter communicati diuini lu-
minis præſtantiam inter ceteros Adami filios in medio nationis prauæ &
peruerſæ lucebunt, ſicut luminaria in mundo ad laudem ac gloriam Dei.
Quantum verò in ipſis diuinum iſtud & præſtantiſſimum donum à Pa-
tre luminum deſcendens, boni & felicitatis effecturū fuerit, quis vnquam
exiſtimare valeat, qui modò non acceperit, quando vel ipſum apud ceteras
gentes ſpectabile exemplum, & admirationem effecturum & confeſſio-
nem ac teſtificationem dicatur meriturum.

Et ſcietur in gentibus ſemen eorum, & germen eorum in medio
populorum: Omnes qui viderunt eos, cognoſcent illos, quia iſti
ſunt ſemen cui benedixit Dominus.

Diuinorum promiſſorum fidem non modò eorum, qui re & veritate par-
ticipes euaſerint, confeſſione, verùm etiam certiſſima aliorum, qui ſpecta-
uerint, cognitione & atteſtatione liberandam eſſe docemur. Ita vt tam pri-
mum ſemen, vnde planta omnis exorta, quàm germina ex eodem producta
ſemine, hoc eſt, tam ſtirps ipſa, quàm rami, ex eodem vnico Deo cognoſcan-
tur profecta; id quod fructibus ex ſtirpe fuſis, & per omnes ramos funden-
dis declarabitur. Non enim poteſt arbor bona malos fructus edere. igitur ex
fructibus & ramus & rami ſtirps cognoſcenda & probanda. Neque hoc
experimentum aut priuatum & ſingulare vniuſcuiuſpiam, aut apud pri-
uatos & acutioris ingenij acrioris ve iudicij homines, vel rurſus apud cre-
dulum & variabile vulgus tantùm, ſed vt verum, ſolidum, conſtans, ac ſui
ſemper ſimile apud omnes ex æquo ſine vlla exceptione valiturum eſſe, ait.
vtpote (vti Petrus ait) conuerſationem veſtrā inter gentes habentes bonam, 1. Per. 2.
vt in eo, quod detrectant de vobis, tāquam de malefactoribus, ex bonis ope- “
ribus vos conſiderantes, glorificēt Deum in die viſitationis. Quia qui paſ- Ibid. 4.
ſus eſt in carne, deſiit à peccatis, vt iam non deſiderijs hominum, ſed volun- “
tati Dei, quod reliquum eſt in carne viuat temporis. Sufficit enim præteri- “
tum tempus ad voluntatem gentium conſummandam iis, qui ambulauerūt “
in luxuriis, vinolentiis, commeſſationibus, potationibus, & illicitis idolo- “
rum cultibus. In quo & mirantur non concurrentibus vobis in eandem lu- “
xuriæ confuſionem, blaſphemantes: qui reddent rationem ei, qui paratus eſt “

„ *iudicare viuos & mortuos. Propter hoc enim & mortuis euangelizatum*
„ *eſt, vt iudicentur quidem ſecundùm homines in carne, viuant autem ſe-*
„ *cundùm Deum in ſpiritu, &c. Atque hoc pacto* omnes qui viderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus. *Atque hanc ex Dei beneficio humano generi felicitatem paratam, adeò certam, decretam, & conſtantem Vates ex Chriſti perſona, quam induxit, aſſeuerat; vt iam ſibi tamquam præſentem gratuletur, atque Eccleſiæ ſuæ communicandam geſtiat.*

Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circundedit me: quaſi ſponſam decoratam corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.

Eccleſiæ vel Vati ipſi, vti Eccleſiæ parti, vel Chriſto, vti capiti, & præcipuo auctori gratulatorium carmen hoc adſcribamus, eadem prorſus ratio ſententiaq; conſtabit: quippe cùm idem de membris totius, ac de toto corpore cantare nihil refert, dũmodo illud intelligamus, Eccleſiam corpus, Chriſtum verò corporis caput, & Chriſti Deum caput verè dici, atq; eſſe. Gratulatio gillatæ ſalutis *Carminis autem argumentum gratulationẽ veræ ſalutis hominibus per Chriſtum effectæ ac* **donatæ: per Chriſtum, inquam,** *Dei ſapientiam, & Dei iuſtitiam.* **Qui non nouerat peccatum,** *à Deo pro nobis peccatum factus eſt,* **vt nos efficeremur iuſtitia** *Dei in ipſo. Id autem omni veluti effectũ, Deo auctori acceptum, & Vates præco atq; particeps, & Chriſtus efficiens referunt eodem ſenſu, quo illud poſtea à Chriſto poſtulatum & impetratum fuit.* Ioan. 17. *Manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo (tui*
„ *erant, & mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſeruauerunt. Nunc cogno-*
„ *uerunt quia omnia quæ dediſti mihi, abs te ſunt; quia verba quæ dediſti mi-*
„ *hi, dedi eis. & ipſi acceperunt, & cognouerunt verè quia à te exiui, & cre-*
„ *diderunt quia tu me miſiſti.) Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, ſed pro*
„ *his quos dediſti mihi: quia tui ſunt; & mea omnia tua ſunt. & clarificatus*
„ *ſum in eis. & iam nõ ſum in mũdo, & hi in mũdo ſunt, & ego ad te venio.*
„ *Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnũ ſicut et*
„ **nos. Cùm eſſem cum eis, ego ſeruabam eos in nomine tuo. Quos dediſti mi-**
„ *hi, cuſtodiui, & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis, vt Scriptura im-*
„ *pleatur. Nunc autem ad te venio, &* **hæc loquor in mundo, vt habeant gau-**
„ *dium meum impletum in ſemetipſis. Ego dedi eis ſermonem tuum, & mun-*
„ *dus eos odio habuit, quia non ſunt de mundo, ſicut & ego non ſum de mun-*
„ *do. Non rogo vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerues eos à malo. De mũdo non*
„ *ſunt, ſicut & ego non ſum de mundo. Sanctifica eos in veritate: ſermo tuus*
„ *veritas eſt. Sicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum. &*
„ *pro eis ego ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate. Non*
„ *pro eis autem rogo tantùm, ſed pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum*
„ *in me, vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te: vt & ipſi in*
„ *nobis vnum ſint. vt credat mundus quia tu me miſiſti, & ego claritatem,*
„ *quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus: ego in*

eis,

eũ, & tu in me; vt ſint conſummati in vnum, & cognoſcat mundus quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti. Claritatem dilectionemq́ hanc Patris in Filium Deum, populo Dei per Filium communicatam, hoc in carmine gratulationibus celebratã didicimus, & in figuris atque ſchematis, & ſimilitudinibus deſcriptam, quæ fœdus declarare perpetuum valent. Gaudens gaudebo. Duo verba hîc legimus, SAS, & GIL. Illud ad plenam totius hominis lætitiam, animo quidem perceptam, & corporis etiam geſtu, habitu, atq; hilaritate indicatam; hoc ad animi internam referendum affectionem. Ideo priùs abſolutè poſitum ac repetitum Gaudens gaudebo; poſteriùs verò cum animæ nomine iunctum, & exultabit anima mea in Domino. Atque hoc ipſum à ſanctiſſima virgine in admirabili illo carmine relatum, Et exultabit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Gaudij autem & exultationis rationem Eccleſia exponens, ait: quia induit me veſtimentis ſalutis. vt captiui & ſerui craſſo ac ſordido veſtiuntur amictu; ita contrà, liberi, & à ſeruitute in libertatem vendicati, ac ſuæ ſpontis redditi, ſplendido ac decoro viſuntur veſtiti veſtimento. id quod ſibi iam conceſſum ac proprium ex diuino beneficio factum gratulatur. Quali autem ex materia, & quo more atq; modo veſtitus ille conſtet, è veſtigio declaratur. & indumento iuſtitiæ circundedit me. Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt, ſicut & ille iuſtus eſt. Veſtitum hoc modo populum ſeſe regi Deo carum declarari ille antiquus mos docebat, quem apud Danielem legimus obſeruatũ. Virum, quem rex honorare voluerit, veſtiet veſtimento ſuo. Veſtimentum autem Dei iuſtitiam eſſe, Vates hîc in ſuperiore capite declarauit: Indutus eſt iuſtitia vt lorica, &c. Verùm veſtimẽta hæc, quæ Deo vti arma ad efficiendum tributa ſunt, populo ſuo ad ornamẽti perpetui poſſeſſionem communicanda eſſe dicuntur. Nam Deus efficit ac donat iuſtitiam, quam is accipit, qui iuſtificatur; tanquam donum à donante; & velut ſacerdotum veſtimenta. Et quia plena iuſtificatione ſeſe donatum agnoſcit populus ille, circundatum ſeſe confitetur ſiue amictum & circumueſtitum. Idq́ ſui iuris ac proprium ex liberali ac benigno donantis munere factum, ait; perinde atq; nuptiarum iure noua nupta poſt ſponſationem iam in vxorem ducta dotis & ornamentorum omnium, quibus donata fuerit, legitima poſſeſſione fruitur, vt ſponſus etiam ad obtentæ, ac ſibi iam addictæ coniugis declarationem corona, antiquo more, inſignitus incedebat; atq; ſeſe ita vterque alterius eſſe declarabat. Sic illa canebat: Dilectus meus mihi, & ego illi. quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis. Id quod Ioannis teſtimonio factum accepimus. Vidi ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouam deſcendentem de cælo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Corona hoc loco ſponſo Chriſto, monilia & ornamenta ſponſæ Eccleſiæ conueniunt. Atq; hanc tantam felicitatem in terris, atque adeò in hominum animis, mentibus, moribus, & conſuetudine ſpectandam, non naturæ, aut cælorum virtuti, non alicui humanæ induſtriæ, aut arti; ſed voluntati, benedictioni, efficientiaq́ diuinæ humani generis terram influenti, inebrianti, & germinare facienti, non ad imputationem,

Claritas caritatis Dei.

Lucæ 1.

Liberorum veſtitus.

1. Ioan.

Veſtimenta Dei.

Mos antiquus in nuptiis.

Cant. 2.

Apoc. 21.

ſed ad meram atque efficacem fructuum veritatem tribuendum eſſe.

Sicut enim terra profert germen ſuũ, & ſicut hortus ſemen ſuum germinat, ſic Dominus Deus germinabit iuſtitiam, & laudem coram vniuerſis gentibus.

Manifeſtum eſt, terram non imputatiuum germinare ſemen, ſed verum: atq; ita dare ſemen ſerenti, & panem comedenti, eodemq́; pacto hortum cultori ſuo commendatum ſibi ſemen germinare, aliàs inutilem & ingratum futurum. Ita autem & ſublimiore ac præſtantiore modo Dominus Deus *iuſtus, efficax, & miſericors, idemq́; gubernator, & prouidens* ADONAI ELOHIM germinabit, *abundantiſſimè & vberrimè, atque vt ſe dignum eſt,* iuſtitiam *in iuſtificationem hominum,* & laudem ſuam, *ſibiq́; adſcribendam, atq; tribuendam* coram omnibus gentibus, *ſine perſonæ aut generis vllius exceptione, ſed in omni gente qui timet Deum, hic acceptus illi fuerit, & miſericordiam virtutemq́; diuinam coram ceteris magna confitebitur ac teſtabitur virtute. Aliud etiam in hac ſimilitudine*

Chriſtus germen iuſtitię. *myſterium latet negotij ac modi ſalutis à Deo efficiendæ per Chriſtum verum & vnicum iuſtitiæ ſemen & germen; qui & ipſe frumenti granum ſeſe nominauit affirmauitq́;, mortuum ſemel maximo, vberrimo, & generoſiſſimo fructu auctum, denuò rediturum, atq; ita virtutem ſuam quàm plurimis in orbe terrarum communicaturum, verè & reapſe, credentibus, inquam, & obedientibus Patri ac ſibi. Hoc autem ſuo tempore certiſſimum fore, ſimilitudine etiam terræ & horti ſignificatur.*

CAPVT LXII.

PROPTER Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam, donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius, & ſaluator eius vt lampas accendatur.

HVIVS *initium capitis ac ſermonis Dei nomine per Vatem opportunè adnectitur ei, quam ſuperiore proximè expoſueramus, gratulationi & ſupplicationi de ſalute publica à populo Dei expectata: quam verè & reapſe efficiendam & communicandam à ſe Deus pollicetur, iamq́; adornari & parari ait; ſe, inquam, nunquam vel prædicendo & annunciando, monendo, atque opportuna omnia agendo ceſſaturum, quoad abſolutè perfectam & conſummatam explicet, & publicè ſpectandam, gentibusq́; exhibeat cognoſcendam. Duo autem nomina proponuntur, quorum amplificandorum rationem*

Sion & Ieruſalem. *ſibi ſuſceptam declarat, Sion & Ieruſalem. quæ, cùm ad eandem referãtur vrbem, tamen dignitate diſtinguuntur ac ſitu. Nam Ieruſalem priùs habitari cœpta eſt à Iudæ tribu, quàm Sion à Dauide caperetur, & capta, regiæ*

Moria. *nomen ac dignitatem obtineret. Erat autem Sionis pars mons ille Moria, in qua templum Domini à Salomone fuit poſtea exſtructum. Hæc omnia à Chaldæis diruta, poſtea Cyri imperio ac ſumptibus reſtituta legimus. Quæ figura certiſſima fuere humani generis ad ciuitatis Dei communionem electi, & regiæ Sionis à vero Dauide Chriſto expugnatæ, poſſeſſæ, & in re-*

in regiam conſtructa propriam, atque etiam ſanctiſſimi illius templi ab eodem Chriſto, vero Salomone, in perpetuum Dei cultum dicati, initiati, & conſecrati. Ita effectum eſt, vt Ieruſalem à Iuda priùs habitata, cum Sione coniuncta, & in templi communionem admiſſa, vna eademq́; fieret ciuitas confitentium & laudantium, in qua Deus in hominibus & cum hominibus habitaret. Huius autem ciuitatis arcanæ ad eum, quem diximus vſum, inſtruendæ cauſa ſe per Vates prædicendo ac monendo, & per alios ſuos miniſtros cæleſtes ac terrenos, atq; ſua ipſius ſingulari virtute & efficientia, nunquam vel taciturum, vel ceſſaturum ait, donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius. *Nomen* TSIDKAH *ſemotis punctis, vt ab interprete noſtro lectum eſt, & iuſtum, & iuſtitiam ſignificare poteſt: cum punctis verò, vti nunc legitur, iuſtitiam ſignificat. Nobis vtrumque recipitur edoctis, iuſtitiam hominum ipſum eſſe iuſtum Chriſtum, quem non obſcurè, aut per*

Chriſti aduentus.

exiſtimationem, ſiue imputationem, ſed planè, clarè, apertè atq; efficaciter extiturum perinde atq; ſplendorem lucidiſſimum: de quo ſcriptum eſt: Sicut fulgur exit ab oriente, & apparet vſque in occidentem, ſic erit aduentus Filij hominis. Nec verò lumine & illuſtratione ſolummodo, ſed etiam efficientia internos animi affectus, & ſenſuum etiam externorum vires incenſurum ac purgaturum eſſe Chriſtum Deus ait, atq; ſpiritus virtute omnia penetrantis, purgantis, ac recreantis præſtandum eſſe, ſubiuncta expolitione declarat. & ſaluator eius vt lampas accendatur. CHE LAPID IIBGHAR. *Magna, conſpicua, & efficax ignis flamma* LAPID *vocatur,*

Lapid.

qualem Abrahamus conſpexiſſe narratur. Et apparuit clibanus fumans,

Gen. 15.

& lampas ignis tranſiens inter diuiſiones. In illa die pepigit Dominus fœdus cum Abraham. Huius veritatem & cauſam fœderis integrandam ſignificat hoc loco Deus idem, qui in Sina antiquum pacturus fœdus ſimilium etiam flammarum maieſtate ſeſe præſentem probauit. Cunctus au-

Exodi 20.

tem populus videbat voces, & lampades, & ſonitum buccinæ, montémque fumantem. Atq; de huius flammæ ſiue lampadis efficientia Ieroſolymorum ergo præſtanda ita apud Zachariam Deus: In die illa ponā duces Iuda ſicut

Zach. 12.

caminum ignis in lignis, & ſicut facem LAPID *ignis in fœno, & deuorabunt ad dexteram & ad ſiniſtram omnes populos in circuitu; & habitabitur Ieruſalem rurſus in loco ſuo in Ieruſalem. & ſaluabit Dominus tabernacula Iuda ſicut in principio, vt non magnificè glorietur domus Dauid, & gloria habitantium Ieruſalem contra Iudam. In die illa proteget Dominus habitatores Ieruſalem, & erit, qui offenderit ex eis, in die illa quaſi Dauid, & domus Dauid quaſi Dei, ſicut Angelus Domini in conſpectu eorū. Quæ omnia ad eandem cum hoc, quod exponimus, vaticinio rem pertinere intelligimus. atq; diei illius initium tunc fuiſſe interpretamur, Cùm com-*

Act. 2.

plerentur dies Pentecoſtes, erant omnes pariter in eodem loco; & factus eſt repentè de cælo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes: & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditq́; ſupra ſingulos eorum, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto: & cœperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus ſanctus dabat elo-

qui

qui illis. Hactenus nec taciturum, nec quieturũ ſeſe, apud Vatem noſtrum Deus ait. Cùm autem hic ignis, quem Chriſtus in terram ſe miſſurum veniſſe dicebat, arderet; tunc verò maximè illud inſigne exemplar ſpectãdum eſſe Vates ait: cuius exemplum quàm illuſtre atq; rariſsimũ, imò vnicum, longè tamen dignitate ac præſtantia inferius quondam Ieroſolymis fuerat viſum Salomonis & ſapientiſsimi & locupletiſsimi regis. Namque vltra omnem comparationem Salomone Chriſtus Ieſus maior declarandus erat.

Et videbunt gentes iuſtum tuum, & cuncti reges inclytum tuum: & vocabitur tibi nomen nouum, quod os Dñi nominabit.

IESV *Chriſti virtutem, iuſtificationem, & efficacitatem atq; efficientiam erga Eccleſiam ſuam omni hominum ordini, tam ſummis quàm infimis eſſe adeò cognoſcendam, vt conſpectam & conteſtatam aſſeuerare oporteat:* Eccleſiæ nomen. *verùm longè præſtantiùs fore teſtimonium Eccleſiæ ipſius, vtpote gloria, honore, & amplitudine regia affectæ & coronatæ ab ipſa Domini manu, atq; ita in regia auctoritate collocatæ.* Pſal. 40. *S. S. E. Aſtitit regina à dextris* » *tuis in veſtitu deaurato circundata varietate. Præterea etiam eodẽ in tempore nouo nominandæ nomine, non ab hominibus indito, ſed per Deum ip-* Apoc. *ſum pronunciato; quod nemo ſciat, niſi qui acceperit.* quod os Domini nominabit. IIKABENV, pronunciabit, definiet, *& concinnabit. Quamobrem & verè impoſitum & perfectum, perpetuumq; euaſurum intelligere oportet. Nam ſi omne, quod vocauit Adam animam viuentem, hoc eſt nomen eius; lõgè maiore iure, omne quod vocabit Dominus ſpiritũ viuum, illius æternum fuerit nomen. Atque nomen illud Deo, & ipſis qui acceperint, notum fore, in Apocalypſi audiuimus; verùm & apud homines, apud alias gentes, apud reges & principes, vel volentes & lubentes, vel inuitos nominis quoque mutationem, eamq; à Deo efficiendam fore, ait.*

Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis vltrà derelicta, & terra tua non vocabitur amplius deſolata, ſed vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua habitabitur: quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur.

Regni cæleſtis ius. *Regni & principatus cæleſtis populo Dei, nouæ, inquam, Ieroſolymæ, coronam non tyrannica vſurpatione, aut hominum ſeſe ſubdẽtium electione & conſenſu, ſed regia efficaci & potenti manu Domini, obtentum iri,* » *ait. Id quod ipſorum, qui obtinent, confeſſione declaratur: Dignus es Do-* » *mine accipere librum, & aperire ſignacula eius; quoniam occiſus es, &* » *redemiſti nos in ſanguine tuo ex omni tribu, lingua, & populo, & natione;* » *& feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes, & regnabimus ſuper terram.* in manu Domini [*miſericordiæ & efficacis*] in manu Dei tui, *qui tibi ſingulari proſpiciet in perpetuum prouidentia, amota, & obliuioni tradita, omni antiqua culpa & infamia generis corrupti ac perditi, Deóque, propter peccata inuiſi: vtpote quam communicata à Deo iuſtitia non iræ, vt antea, ſed caritatis atq; amoris filiam & ſponſam dilectam euadere, diuina fecerit miſericordia. Ieroſolymam illam terreſtrẽ, derelictam, ac deſolatam fuiſſe,*

*fuiſſe, ex prophanis ac ſacris nouimus hiſtoriis, eamq́; poſteà ex Cyri imperio non ad primum ſplendorem antiquum, verùm inſigniter repoſitam. atque vtroque nomine totius Dei populi perſonam referre ſæpius oſtendimus. Hanc ciuitatem, arcanam inquam Ieroſolymam, à Deo propter peccata repulſam, & multis magnisq́; virtutibus ex conſequenti ſpoliatam, dereli*ctam, *atque terram ipſam humanam* deſolatam *vocari ſolitam: iam deinceps Deo caram, gratam, placentem, & ſi quid nominis eſt, quod voluntatem amoremq́; magis declaret; id ipſum vocatum iri ait. Quippe ea omnia, & iis etiam plura, ſignificat illud à Deo pronunciatum.* HEPHTESIBAH, voluntas mea in ea. HHEPHETS, *amoris, affectus, atque gratiæ maximæ voluntatem ſignificat, eiuſdemq́; ponderis cum illo eſt: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Huius dilectionis communicatio Dei populo, nouæ Ieroſolymæ, per ipſum Dei dilectum Filium præſtanda ſignificatur hoc loco; eademq́; præſtita aliàs etiam declaratur. De cuius plenitudine (Ioannes ait) omnes accepimus, & gratiam pro gratia. &, Sanctis, qui ſunt in terra eius, mirificaui omnes voluntates meas in eis. &, Deus eſt qui operatur in vobis velle & perficere pro bona voluntate [ſua.] In quo etiam oramus ſemper pro vobis, vt dignetur vos vocatione ſua Deus noſter, " & impleat omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute, vt clarificetur nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti in vobis, & vos in illo, ſecundùm gratiam Dei noſtri, & Domini Ieſu Chriſti. Hanc autem voluntatem Dei feliciſſimam & efficaciſſimam fore ait, pacis, quietis, & ſecuritatis, perfecta innocentia & caritate inter homines, concordiaq́; vſu ac fructu vberrimo, hoc eſt, totius illius iuſtæ ac ſanctæ reipublicæ incremento admirabili; idq́; omne fauſtum, proprium ac perpetuum diuina cuſtodia atque gratia ſemper præſente ac fauente conſeruatum permanſurum.*

[Margin: Hhephets. Mat. Ioan. 1. Pſal. 15. Philip. 2. 2. Theſſ. 1.]

Habitabit enim iuuenis cum virgine, & habitabunt in te filij tui. Et gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus. SVMMAM *concordiam, pacem, probitatem, & ſecuritatem ſine vllius vel gradus, vel ſtatus, vel ordinis, aut ſexus offenſione, ſine vlla omnino ſuſpicione. Hæc iuuenum cum virginibus, ſponſi cum ſponſa læta ac iucunda habitatio indicat. Id quod etiam apud alios exteros obſeruatur auctores:*

[Margin: Eccleſiæ pax]

Nullis polluitur caſta domus ſtupris,
Mos & lex maculoſum edomuit nephas.
Laudantur ſimili prole puerperæ.

Verùm hoc tanto lætiùs, tanto beatiùs atq; tutiùs agendum, quanto meliore conſtabit auctore, id eſt, fauente, volente, & perpetuum conſulente Deo. & gaudebit ſuper te Deus tuus. *Pulcherrima gradatio, ſiue augeſis,* iuuenis cum virgine, & in te filij tui; gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, & ſuper te Deus tuus. *Iam verò huius promiſſi recordationem aſſiduo officio repetendam ſe curaſſe, & curare Deus ait, atque populo etiam ipſi ad vſque perficiendi tempus curandam commendat.*

Super muros tuos, Ieruſalem, conſtitui cuſtodes, tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt.

Vatum officium.

SVVM illud maximum in homines beneficium à ſe quondam promiſſum, ac magis atque magis in dies repetendo, declaratum, tantùm abeſt, vt negaturus fuerit Deus, vt ipſe eius cōmemorandi & expectandi cauſa perpetuos cuſtodes ac monitores cōſtituerit; Vates inquam, quos officio faciendo noctu atq; vacare, & nunquam ceſſare iuſſerit. idq; ſedulò acturos ait: id eſt, Deo ſemper pro ſalute publica ſupplicaturos, atq; promiſſa commemoraturos, ac pariter populum fidei ac pœnitētiæ admonituros, vtpote exactarum ad ſalutem obtinendam virtutum. Cuſtodum *nomen Vatibus iure impoſitum, & res, & ratio docet; præterquam quod ſacrorum oraculorum confirmat ſermo. Namque vt bene inſtitutis ciuitatibus, cuſtodes vrbium portis ac muris præficiuntur: quorum munus & officium eſt proſpicere, & cauere ne quid exterius incommodi vel damni vrbi ex improuiſo afferatur: ne quid intra vrbem vel incendij, vel nocumenti ſuboriatur, cui non facilè occurri & ſuccurri poßit: ſic in eo quem Deus ſingulari prouidentia fouebat, populo Vates poſuit: quos perpetua vigilia & cura intentos eſſe iußit; atq; populum beneficiorum Dei præteritorum recordatione, & futurorum expectatione excitare, & ab inimicis Dei, ac ſui ipſorum admittendis & recipiendis, quoad id per ipſos præſtari poſſet, ſedulò diſſuadere & auocare. Futura etiam tum inſtantia, tum ſerius & diutius vel expectanda, vel timenda commoda & incommoda prædicere. denique hos felicitatis & beatitatis populo ſtudioſos eſſe procuratores voluit. Ex quo iure & munere illa*

Cuſtodes.

Habac. 2.

Habbakuki profeßio fuit: Super cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum
„ *ſuper munitionem, vt videam quid dicatur mihi, & quid reſpondeam ad*
„ *arguentem me.* Tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt. *Salutem publicam à Deo poſcentes, & populum ſui admonentes officij.*

2. Par. 24.

S. S. E. Et mittebat eis Prophetas, vt reuerterentur ad Dominum. Verùm enimuerò quemadmodum ij, qui cuſtodiæ ac vigiliæ aßiduæq; commemorationi ac deprecationi præfecti fuerant, officio ſuo ritè ac fideliter fungebantur: ita etiam eos, quorum res agebatur, ſibi non deeſſe; ſed monitos vigilare, ſuas res componere, atq; ſeſe ad ſalutem accipiendam comparare, & auctorem ipſum ſalutis precibus ac vocibus aßiduè ac iugiter ſolicitare oportuit. Id quod in maximis beneficiis apud liberales principes curandis vſu venire ſolet; vt præter eos, quos principes à libellis & à memoria habent, (quales in Salomonis aula fuiſſe accepimus) ij etiam, quibus beneficiū dandum eſt, principi ſua promiſſa commemorare iubeantur. Namque hoc pacto & ab illis magni fieri, & principi fidem haberi commonſtratur. Priores itaque, hoc eſt, Vatibus impoſitas partes vbi iam Deus indicauit, poſteriores etiam populo, hoc eſt, ſuas ipſorum commendat: iis videlicet, qui publicam cupiunt & expectant ſalutem; ad quos, qui ſubiungitur verſus, referendus fuerit.

Inuocantiū nomen Dñi partes.

Qui reminiſcimini Domini, ne taceatis, & ne detis ſilentium ei: donec ſtabiliat, & donec ponat Ieruſalem laudem in terra.

Vt Vates à Deo conſtituti, nunquam ceſſant ab officio faciendo, ita & vos, qui reminiſcimini Domini, *quibus curæ eſſe oportet reminiſcentiæ*

Domini

Domini miſericordis & efficacis. Verbi huius vis & acumen niſi in primæua lingua ſimplici alio verbo nec Latinè, nec etiam Græcè repræſentari poteſt; duobus aut pluribus vtcunq; repræſentabitur. HAMAZCHIRIM ETH IEHVEH, Vos illi recordari facientes Dominum. *Inter Salomonis miniſtros quidam Iehoſaphat filius Abhilud* HAMAZCHIR *titulo recenſetur. quem Latinus interpres* à commentariis *vocauit. Et quamquam omnes ij, quibus propria ipſorum curæ eſt ſalus, hoc nomen cum officio vſurpare poſſint ac debeant etiam; tamen & in ſacræ Deoq; dicatæ Eccleſiæ muneribus publicis has quoque partes certis etiam conſtitutis miniſtris datas eſſe conuenit. qui pro ſe, & reliquo populo huiuſmodi vacent, tum laudibus diuinis celebrandis, tum petitionibus & poſtulationibus frequentandis. Tales etiam à Salomone iiſdem cum vicibus ac muneribus inſtitutos legimus. Conſtituitq; coram arca Domini de Leuitis, qui miniſtrarent, & recordarentur operum eius, & glorificarent atq; laudarent Dominum Deum Iſrael. Vbi Latinè legimus,* & recordarentur operum eius. *in exemplari eſt,* VL HAZCHIR, ad recordari faciendum, *abſolutè, ſine adiuncto ſingulari: quippe quod ad eundem pertineat, ad quem duo alia verba, glorificarent atq; laudarent Dominum Deum Iſrael. Itaq; & ſingulos ſeorſum, & hos præ ceteris, & pro ceteris, quibus hæ obtigerint in Eccleſia partes, illud ſedulò ac diligenter agere oportere, Deus ait.* Ne taceatis, & ne detis ſilentium ei. *Commemorare, promiſſa petere, inſtareq; perpetuò iubet eodem ſenſu, quo D. Paulus monens ait: In omni oratione & obſecratione petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. Et quoniam Vatibus datas partes perpetuò agendas commendauit, illud perpetuum non ad æternitatem referri debere, ſed ad aſsiduitatem officij, præterquam quod vocabulũ* THAMID *ſacram linguam ſcientibus indicat, ipſa ſubiuncta exceptio ac definitio exponit: nec enim Prophetas ad ſalutis promiſſæ commemorationem, & poſtulationem ſemper mitti oportuit. S. S. E. Lex & Prophetæ vſque ad " Ioannem, à diebus autem Ioannis Baptiſtæ regnum cælorum vim patitur, " & violenti rapiunt illud. Huiuſmodi modum ac terminum Vatibus & cu- " ſtodibus definitum eſſe hoc loco Deus indicat. atq; ita promiſſi ſui fidem & ſpem confirmat.* donec ſtabiliat, & donec ponat Ieruſalem laudem in terra. GHAD IECHONON. donec componat, ſtabiliat, & concinnet *ciuitatem iſtam, quam adornat, & donec eandem non modò laudabilem, ſed ipſam laudem eſſe faciat. Laudem, inquam, non in cælis tantùm, ſed* in ter*ra poſitam & celebrem. Namq; hoc vtriſq; partibus curantibus, ac fideliter, ſedulò, & ſtudioſè agentibus, nulloq; nomine ſibi ipſis deficientibus, Ieroſolymam ſalutem publicam maturè & cumulatè præſtandam ſperare conueniet. Cuius ſalutis felicitatem, beatitatem, & ſecuritatem, atque adeò perpetuitatem comites fore, Deus idem non modò verbo promiſit, ſed iuramento etiam firmauit.*

Marginal notes: MAZCHIRIM. — 1. Par 4. Paralip. om. locus. — Philip. 4.

Iurauit Dominus in dextera ſua, & in brachio virtutis ſuæ: Si dedero triticum tuum vltrà cibum inimicis tuis, & ſi bibent filij alieni vinum tuum, in quo laboraſti. Quia qui congregabunt

illud, comedent, & laudabunt Dominum: & qui comportant illud, bibent in atriis ſanctis meis.

Piorum, & bene animatorum, ac de diuinis promiſſis fideliter ſentientum conſtantem orationem gratam ſibi, & ad impetrandum efficacem eſſe, iuramento adhibito, Deus aſſeuerat. Promiſſi autem iuramento firmati argumẽtum eſt. Perpetuam ſalutem populo, eandemq́ ęternam fore præſtandam cum magna ſecuritate ab omni inimicorum & hoſtium metu alienam, & hanc ſalutem conſecuturum eſſe totius vitæ cultum cum vberrimo fructu, & innocenti ac iucundo vſu; ita vt quidquid deinde per omnem vitam operum peractum fuerit, tum auctoribus ipſis, tum etiam aliis propter caritatis communionem vtile & commodum euadat ex benignitate ſingulariq́ fauentis Dei gratia. Ad hanc verò ſententiam ſignificandam, antiquam repetit imaginem terreſtris Ieroſolymæ; quæ, quo tempore Deum ſuis infenſum reddiderat culpis, identidem caſtigata, nec ſuis fructibus cum labore partis vtebatur, vtpote ab hoſte interceptis, aut cæli ac terræ ſterilitate deficientibus; quamobrem & vt priuatè viueret, & vt etiam publicè læta dies celebraret feſtos, omni oportuna rerum deſtituebatur copia. Id quod & apud hunc ipſum Vatem indicatum meminimus: Terra veſtra deſerta, ciuitates " veſtræ ſuccenſæ igne, regionem veſtram coram vobis alieni deuorabunt, & deſolabitur ſicut in vaſtatione hoſtili. Meminiſſe quoque expedierit ritum illum Iſraelitis quondam præſcriptum & imperatum; decimæ videlicet ſecundæ ſiue poſterioris, & primi fructus cuiuſcunque plantatæ arboris, quos priuatè ac domi comedere fas non erat: ſed moris erat ſeruare Ieroſolymam vel in eum locum vbi tabernaculum ſanctum, vel templum eſſet, ad ſolennes feſtos dies comportandos, & ibidem cum lætitia & gratiarum actione ſumendos cum Leuitis & miniſtris, & viduis ac pauperibus communicatos. Namq́ & hunc ritum hoc in loco Deus inſtaurandum, perpetuoq́ ſeruandum indicat. quia qui congregabunt illud, comedent, & laudabũt Dominum: & qui comportant illud, bibent in atriis ſanctis meis. *Quæ omnia vti quondam in ſpeciem verè ac ritè factitabantur; ita in virtute & veritate ſpiritus factitanda, & perpetua cũ lætitia repetenda promittuntur. ita vt qui huius ciuitatis conſcripti ciues fuerint, virtutibus, actibus, & officiis propriis ſanctè, purè, & rectè, atque libentes impauidè fruantur, abſque vllo iam deinceps migrationis aut abductionis vel alterius perturbationis, calamitatisve metu. Huius promiſſi contemplatione incitatus Vates, collegas, comminiſtrosq́ ſuos omnes, magiſtratus, doctores, & ceteros populi curam & cuſtodiam ſortitos, atq́ adeò Apoſtolos, quos κατὰ ἐνθουσιασμὸν compellat, ad officium diligenter faciendum, ad parandum Domino plebem perfectam adhortatur, inſtantis iam ſalutis atque aduentantis ſeruatoris certos, aliisq́ nuncium exponere iuſſos.*

Salutis æternæ ſecuritas.

Sup. 1.

Decimæ ſecundæ.

Tranſite, tranſite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, & eligite lapides, & eleuate ſignum ad populos.

Iſraelitæ quondam quocunque loco intra ſuam regionem cùm morarentur, ſacrum tabernaculum vel templum ter quotannis viſere & celebrare

ex more & lege debuere; idq́ ſtatis & ſolenniter dicatis diebus factitabât. Quamobrem ſtatim poſt peractam brumam ſingularum vrbium præfectis ac tribunis inſtaurandarum viarum cura etiam erat. vt ſi quid per hyemis & imbrium aut alluuionum iniuriam corruptum deprehenderetur, diligentia, arte, & opera ad viatorum commoditatem corrigeretur. Qua de re cum aliis multis ad antiquitatis monumẽta, in ſtudioſorũ vſum reuocanda nobis aliàs, Deo propitio, fuſiùs agendum. Hunc igitur morem intuitus Vates, miniſtros omnes publicos, & populi diſciplinæ curatores appellans, hortatur ad adeundas portas vrbium, & quam regionem quiſque ſortitus fuerit, opportunis adhibitis operis viarum munitionibus inſtruendam. Cuiuſmodi impoſito munere Ioannem Zachariæ filium functum ſacra tradit hiſtoria. quem primum Euangelij præcurſorem fuiſſe nouimus ita præconio edicentẽ: Parate viam Domino, rectas facite ſemitas eius: omnis mons & collis humiliabitur, & omnis vallis complanabitur: & erunt praua in directa, & aſpera in vias planas. Id quod per hunc noſtrum Vatem dictatum, ab illo præcone fuit relatum. Atq́ ille de inſtante iam, imò & præſente ſalutis auctore Iſraelitis indicando acturus conſtitutus eſt; hoc verò loco de pœnitentia ceteris etiam gentibus ad ſalutis communionẽ vocatis indicenda, ac demum de vtraque re agitur. Eligite lapides, *offendicula omnia è media via tolli ac dimoueri monet.* ZZAKELVMEABEM. *Verbum* ZZAKAL, ZZAKAL. *cum* B, *iunctum* ſternere, *cum* MIN *verò, tollere & remouere lapides ſignificat. Illud Hiſpanicè empedrar, hoc verò, deſpidregar dicitur. Itaque* eligite lapides, *idem hoc loco ſignificat quod Auferte lapides [importunè obſtantes, & rectum præpedituros iter] vt in alio etiam apud hunc Vatem loco: Et lapides elegit ex ea.* Et eleuate ſignum ad populos. *Hunc etiam* Sup 5. *morem feſtis diebus & conuentibus atq́ celebritatibus indicendis obſeruatum aliàs referemus. Quæ omnia cùm in figura illis fuiſſent imperata ad veritatis expectandum atq́ inſtantem aduentum Vates reponit, his etiam ſignis ac præparationibus proximi feſti præconium ex editis locis ex more fiebat. quod ſimiliter nunc à Vate indicatur Dei iuſſu opportunè Euangelij verbo promulgantibus miniſtris faciendum.*

Viarũ cura (margin)

Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, dicite filiæ Sion: Ecce ſaluator tuus venit, ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo.

Euangelij ſummam verſus hic exhibet, cuius argumentum eſt, Deum Euangelij ſumma. *ipſum veniſſe, Ieroſolymisq́ primum ſpectatum; aduentus autem illius cauſam publicam ſalutem eſſe omnibus credentibus obedientibusq́ ſibi præſtandam. quam ſalutem vnà cum ipſo allatam, imò ipſum eundem eſſe, præſtandam verò eſſe proprio & peculiari ſuorum populo, hoc eſt, puſillo piorum gregi. Nam ſic interpretamur.* opus eius coram illo. *Ex primæua lectione* VPEGHULATO, *quod ex verbo,* & peculium eius, *dicimus cum ipſo eodem interprete Chriſto ita adlocuto: Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri dare vobis regnum. Atque hunc puſillum gregem hoc ipſum peculium quod cùm coram ipſo ſit, nemo de manu illius rapiet, fauſto,*

 illuſtri.

illuſtri & obſeruando nomine ac titulo donatum iri ait:

Et vocabunt eos, Populus ſanctus, Redempti à Domino.

Eccleſia ſancta. *Atq; hoc pacto illud verum, conſtans, proprium ac perpetuum euadet:* Deut. *Sancti eritis mihi, quoniam ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter. At verò ipſam Ieroſolymam totam ſeruatorum ac ſanctorum communem rempublicam & ciuitatem perpetuò eodemq; felici cognomento augendã, quod diuinæ virtutis, miſericordiæ, & caritatis monumentum conſeruet æternum; ita vt iam deinceps poſthac humanæ gentis à Deo redemptæ & ſanctificatæ communio,* Quæſita ciuitas, & non derelicta, *perpetuò audiat. Namq; ex poſteriore affirmatione prior negatio argumentando ex oppoſitis conſequitur. Exiſtimabat enim genus humanum ſe, quòd tantis miſeriis obnoxium ſua culpa ſentiret, à Deo derelictũ; quod tamen falsò exiſtimaſſe aut aliqua ex parte conqueſtum eſſe, ex eo manifeſtum ſit, quod cùm ipſum ſua virtute & opera Deum reperire, aſſequi, & adire non valeret, vltrò ſe quærentem, accedentem, ſuſcipientem, & ſeruantem atque beantem expertum fuerit. Id quod ita etiam à Pſalte celebratum eſt:* Pſal. *Hæc requies mea in ſeculum ſeculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. Huius loci ſententiam breui ſumma D. Paulus complexus reddidit.* 1. Tim. 3. *Et manifeſtè magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria.*

CAPVT LXIII.

QVIS eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra: iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ? Ego, qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum.

Chriſti victoria. SVPERIOREM *ſermonis huius partem inſtantis iam ſalutis ac ſeruatoris aduenientis præuiſa imagine concluſerat Vates: hanc verò poſteriorem à præuiſa etiam, & veluti ſpectata ſeruatoris Ieſu Chriſti victoria exorditur, admiratus in primis tantam rem, tanta celeritate, tam exactè confectam, eamq; ab vnico viro expeditam & abſolutam, quem nullis phalangibus, legionibus, turmis, nullis denique humanis militibus aut ſociis comitibus ſtipatum, vel præeuntibus deductum, vel pone venientibus aut latus tegentibus inſtructum; ſed vnicum incedentem contemplatur, non fugientis aut euaſi, ſed victoris ac triumphantis habitu, geſtu, & greſſu. atq; huius admirationis oportuno ſchemate dialogiſmum inducit inter ſe, & victorem Chriſtum, quo arcana illa expeditio, pugna, & victoria, quibus humana parta fuit ſalus, ſublimi orationis genere deſcripta ſubindicatur. Vt verò myſterij huius ratio ac modus aliqua ex parte nunc pro tempore nobis teneatur, donec pleniùs ab eodem reueletur Chriſto, nominum & verborum germana vis fuerit cumprimis veſtiganda. Verbum* ADAM *Latinè* rubere ADAM. AHAMAH. *interpretamur. à quo nomen* ADAMAH *factum, terram ſignificat, rubẽtem:*

quæ

quæ tamen frugibus ferendis habeatur idonea. Ab hac verò primis hominum parentibus nomen ADAM, à conditore Deo inditum conſtat. Eadem etiam origo eſt nominis DAM, quod propter colorem & ſubſtantiam, ſiue naturam terræ congenerem, idem quod apud Latinos ſanguis dicitur. Eſt enim ſanguis ruber admodum, concretus autem & ſiccatus, terram refert, vel potiùs terra rubens eſt. Sed cùm ruber purus color degenerat, in mediũ tranſit inter ſe & flauum, quẽ πυῤῥὸν Græci vocant; nec rubri inſtar candentem, nec flaui aſſecutum nitorem. Atq; ita EDOM in ruffum Latini vertunt, quem ex rei ratione rubrum degenerem interpretari poſſumus. Atqui Adami, id eſt, hominis naturam primorum parentum noxa degeneraſſe, labemq́; contraxiſſe maximam, è ſacra edocti ſumus diſciplina; deinde verò corruptionem illam magis etiam ſingulorum hominum vitiis auctam, duo primi ex Adamo orti fratres, Cain & Abel commonſtrauere: quorũ hic paternam tantùm conditionem, eamq́; ſimplicem, retinens; quantum res tunc & natura ferebat, iuſtè viuens, iuſti cognomen meruit; ille verò ad naturæ labẽ proprij ſceleris adiunctis criminibus maximæ corruptelæ contraxit infamiam. Totum deinde humanum genus in has duas diductũ partes, ad diluuij vſque tempora perdurauit, cùm ſimplicior pars Filij Dei, altera verò nequam, & filij hominum vocarentur. Atque ita poſt diluuium etiam huiuſmodi porrò præceſſerunt factiones, demumq́; geminorũ capitum diſtinctione diductæ ac ſeparatæ ſunt; alterius, qui propter exoptatam ſimplicitatis conditionem, & filiorum Dei imitationem, arcano vocabulo Iaghacob; alterius verò, cui exhorridioris corporis & ingenij durioris nota GHESAV priùs, deinde verò propter propriam impietatẽ EDOM admiſſum nomen perpetuò retinuit. Atq; in his duobus tanquam exemplaribus totius humani generis diſtinctio conſiſtit. S. S. E. Deprecatusq́; eſt Iſaac Dominum pro vxore ſua, eo quòd eſſet ſterilis; qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Sed collidebant in vtero eius paruuli, quæ ait: Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere? Perrexitq́; vt conſuleret Dominũ. Qui reſpondens ait: Duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populusq́; populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori. Iam tempus pariendi aduenerat, & ecce gemini in vtero eius reperti ſunt. Qui primus egreſſus eſt, rufus erat, & totus in morem pellis hiſpidus, vocatumq́; eſt nomen eius Eſau. Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu, & iccirco appellauit eum Iaghacob. Sexagenarius erat Iſaac quando nati ſunt ei paruuli. Quibus adultis factus eſt Eſau vir gnarus venãdi, & homo agricola, Iaghacob autem vir ſimplex, habitabat in tabernaculis. Porrò, vt nonnihil etiam in myſterio proficiamus, illud addidiſſe expedierit. Humanæ gentis conditionem ante ſeruatoris Chriſti efficientiam & gratiam, ſiue illam in vno ſingulari homine, ſiue in cunctis definire libeat, (perinde namq; vtrobique eſt) his duabus quaſi factionibus fuiſſe conſtitutam, Iaghacobi, & Edomi videlicet: illius, inquam, interioris, huius verò exterioris hominis vim facultatemq́; obtinentis. Vnicum verò Ieſum Chriſtum, ex virgine ſanctiſſima & puriſſima ortum, qua parte hominem diuina

Dam. — Sanguis. — Edom. — Adami filiorum conditio duplex. — Filij Dei. Filij hominum. — Iaghacob, & Ghesau. — Gen. 25. — Humanæ gentis ante Christum conditio.

uina virtute fieri iuſsit. Adamum primum retuliſſe, non qualem culpa vi-
Lucæ 3. tiauit, ſed qualem Deus auctor & conditor formauerat. S. S. E. Qui fuit
Adam, qui fuit Dei. Eundem verò ea cauſa hominem factum ac tenta-
Heb. tum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato, vt illius virtute atq; efficacitate maior minori ſeruire cogeretur; hoc eſt, vt Edom Iaghacobo fratri cederet, & interior homo primas in paterna domo partes ageret, atq; ita qui primum locum indignè vſurpabat, inimicitiasq; cum fratre gerebat perpetuas, victus & ſub iugum miſſus Edomi nomine deinceps poſteà obliterato, totus in minoris obſequium concederet. Id quod nullis humanis vel viribus, vel opibus confici potuit, vnius Chriſti Ieſu virtute & efficacitate, non ſine prœlio & ſanguine confectum & conſummatum eſt. Quod præuidens admiratusq; Vates noſter, ſub hac vaticinatus, commendauit imagine; perpetuam hoc pacto atq; ingentem gratulationem ſuadens ei deferendam, qui ſolus & vnicus lapſum & afflictum, atque inimicorum imperio addictum genus à tyrannide vindicauit. Illud præterea ad hæc, quæ præfati
Idumæi. ſumus, adiectum meminiſſe retulerit, Idumæos ab Edomo illo antiquo ſecundùm carnem prognatos & propagatos Iſraelitarum à Iacobo deductæ ſoboli perpetuo infenſos fuiſſe, atq; in ea re inſtar habuiſſe occulti illius veteris Edomi in hominis natura interioris Iaghacobo moleſti, ac ſemper inſtantis; nec vnquam, niſi ſola diuina virtute, ſuperati. Eſt autem tota hæc oratio allegorica, imaginem ſemper ipſam, & id quod imagine ſignificatur, pariter perſecuta; vt qui alteram partem probè tenuerit, alteram eadem cognoſcat ac teneat opera. Siue autem in hoc colloquio rogantium partem Angelis, ſiue Vati ipſi noſtro, ſiue Iſraelitis ſecundùm carnem tribuamus, perinde fuerit; atq; eadem probè ſequax conſtabit ſententia, modò reſpondentem ſtatuamus Chriſtum, ſuas & Patris, & ſancti Spiritus partes in hac narratione agentem. Nobis verò inducta rogantis perſona genus ipſum hominum à Chriſto redemptum, voce ac ſententia refert, tum aliàs ſemper, tum præcipuè hoc tempore, quo Iſrael ſecundùm carnem nondum totus ad gratiam (vt promiſſum fuerat) reuocatus & reconciliatus venit, id autem fiet vbi plenitudo gentium (vt ait Apoſtolus) intrauerit. Igitur humanum genus Chriſti victoris redeuntis habitum, inceſſum, & integritatem admiratum ad rei magnitudinem ex accurata interrogatione, & conſequenti, atq; ſigillatim expoſito reſponſo per noſcendam nullam certam inductã perſonam, ſed abſolutè quemlibet, qui modò reſpondere verè poſſit, ſciſcitatur. Namq; huiuſmodi abſolutæ interrogationes, & maius cognoſcendæ rei ſtudium, & res ipſas cognitu digniſsimas, verùm minimè communes, & cui-
Ierem. libet promptas indicant. vt, Quis dabit capiti meo fontem lacrymarum?
Pſal. Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ? Quare nec rogantur expreſſè Angeli, nec certa hominum pars, nec eius, de quo ſermo fit, comites; ſed res ipſa, quæ admirationem efficit, apud quemcunque conſtiterit, petitur, & exigitur. Quis eſt iſte, qui venit de Edom. Verbum venit reducem, perſonam & rem, quæcunque illa fuerit, confectam indicat. de Edom. Ille nũquam fuerat idumæus, nunquam ſanguineus, aut rufus, neque caro & ſanguis

natura

natura appellatus, ſed gerendarum cauſa rerum eodem, id eſt, Idumæam, petierat, vnde iam redux venit; ſed qualis redit, vt ex habitu rei actæ partē aliquam coniiciamus? tinctis veſtibus. *quæ non otioſum aut ſegnem, ſed exercitum fuiſſe docent. Namq; veſtibus adhærentes notæ vel pulueris, vel ſanguinis, vel cuiuſuis alius infectionis, artis atque exercitationis indices eſſe ſolent. Erat autem Idumæorum regia & metropolis ciuitas* BOTSRAH, Botſra. *cuius in ſacris chartis mentio aliàs fit. cuius nomen munitionem & vindemiam ſignificat. Loci autem, vnde reditus ille redit, notatio atque diligens appellatio rem ſtudioſè, fortiter, & ſtrenuè geſtam adnotat; non in vicis, aut circum pagos & compita, ſed in ipſa principe vrbe, quam expugnatam, cetera loca omnia ſubacta conſequantur: vtpote à ſuo rege pro viribus propugnatam quidem, tamen non liberatam. In myſterio cor interpretamur* Cor. *humanum totius regni carnis & ſanguinis arcem munitiſſimam, ac totius corporis vindemiandi cellarium, ſiue lacum.* Iſte formoſus in ſtola ſua. *Non vilem aut vulgarem aliquem, ſed principem, & ſummum virum ipſe cultus & veſtitus indicat. atq; eundem dignitate nitentem veſtimento non alieno, vel conducto, vel commodato, aut aliàs per vim vſurpato, indutus; ſed* in ſtola ſua, *eademq; decentiſſima, & pro perſonæ & muneris dignitate apprimè hærente. Iiſdem verbis hanc adnotationem Vates expreſſit, quibus Dei veſtitum Pſaltes antea deſcripſerat. ille dixerat:* HOD VEHADAR LABASTHA, confeſſionem & decorem induiſti. *Hic verò dicit,* HADVR BILBVSO, formoſus decoratus in veſtitu ſuo. *atq; hoc nomine totus & integer quoque redire, victorisq; habitum hac ex parte præferre declaratur. Quippe qui victi ſunt, quiq; fuga ſalutem ſibi conſulunt, vel veſtes omnino abiiciunt. S. S. E. Et robuſtus corde nudus fugiet in die illa:* Amos *vel temere indutas & ſuccinctas, imò, quantum poſſunt, mutatas, latendi & euadendi cauſa geſtant. Hic verò* formoſus ac decens in ſtola ſua, *quæ principem, liberum, integrum, & ſuæ ſpontis indicat. Et quidem humana Chriſti natura, qua diuinitus indutus eſt, omne aliàs naturæ totius decorem & pulchritudinem ſuperat. Nec verò habitum & inceſſum reſpicienribus minor dignitas atq; integritas & virtus probatur.* gradiens in multitudine virtutis ſuæ. *non fugientis feſtinum, non laſſi tardum, nō ægrotantis vel debilitati lentum; ſed firmum, compoſitum atq; ita verè fortiſſimum inceſſu ipſo patere ait. Pertinet vtique motus & greſſus ipſe ad facultatis ac dignitatis argumentum. vt apud poëtam:*

Pedes veſtis defluxit ad imos,
Et vera inceſſu patuit Dea.

Chriſtum victorem reducem totum & integrum ex illo, quem Ieroſolymis completurus venerat, exceſſu exſtitiſſe, vaticinium hoc admirantum & rogantum teſtimonio indica. S. S. E. Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà Lucæ 6. *nō dominatur. quòd enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel, quòd au-* " *tem viuit, viuit Deo. Hoc ſignificat* in multitudine fortitudinis ſuę, *pro-* " *priis, maximis, & integris viribus illum ex illo conflictu redire; arcaneq; indicat ſimiles illi fore, qui in ipſo malignum vicerint, vt membra de cor-*

pore fortiſſimi & efficaciſſimi, atq; ex Iaghacobo victore in Iſraelis nomen atq; decus iri traductum. Hæc ad myſterium obiter modò ſatis. Hanc admirantum interrogationem nemo præter ipſum, de quo ſermo ſit, excipere, & apto veróque reſponſo ſatiare potuit. quod & factum Vates præuidens inducit.

Ego, qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum.

Eundem ſe eſſe victorem declarat, qui Euangelij auctorem ſit profeſſus. Eſt enim Euangelij ſummā vnico verbo complexa iuſtitia, aliàs iuſtificatio apud noui Teſtamenti ſcriptores nominata. Iuſtificatio verò, ſiue iuſtitia id præſtat, vt male parta atq; iniquè vſurpata vindicet, & quæ legitimè arrogari poſſint ei, qui ius habet, arroget; vlciſcaturq; nocentes, innocentes verò tueatur & ſeruet. Hoc ipſum ſeſe profeſſum abundè præſtitiſſe & præſtare Chriſtus ait. Ego, qui loquor. *ſeriò, ſtudioſè, ſedulò, inſtanter, & efficaciter. Hæc omnia verbi* MEDABER *forma adnotat.* Iuſtitiam, BITSEDAKAH, loquens in iuſtitia, *Dei ex miſericordia polliciti, & verè iuſtificantis miſericorditer.* Propugnator ad ſaluandum. RABLE HOSIAGH, plurimus, idemque maximus ad ſaluandum. *qui vt infinitam Dei iuſtitiam cum miſericordia coniunctam prædico & annuncio, ita infinita virtute, & liberaliſſima voluntate ad ſaluandū præſto, idq; mihi perpetuum aio. Hæc formula* RAB LE HOSIAGH, RAB LAHHEZZED, *multus ad ſeruandum, multus ad miſericordiam, præſtantiam ſignificat maximam ac Deo diuinæq; naturæ propè ſemper adſcribitur. Igitur ſalutis & miſericordiæ penuria, breuitas, parcitas, & huiuſmodi anguſtiora vocabula, Deo, aut Chriſto illius nullo tribuuntur pacto: Qui diues eſt in miſericordia in omnes, & ſuper omnes qui inuocant illum. Atq; ita ſe aduerſariorum victorem fortiſſimum eſſe Chriſtus ait. qui tamen nihil per vim, aut per iniuriam egerit, fecerit, facturusve fuerit, ſed iuſtè iuſtoq; iudicio apud Deum, apud Angelos, & homines omnia, quæ humanam ſpectant ſalutem, expediturus, victis & exſpoliatis ac direptis iis hoſtibus & inimicis, qui ſuum Ioghacobum oppreſſerant, diripuerant, & ſpoliabāt, perpetuoq; vexabant. S. S. E. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus eſt. idem autem anteà dixerat: Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mūdi eiicietur foras: & ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum. Priùs itaq; iuſtitiam, quam prædicauerat, Deo iudici probaſſe ait: verùm quia ad iuſtitiam fortitudinem quoque adhibitam oportuit propter tyranni immanem contumaciam, qui niſi in manu valida prædā, quam arripuerat, minimè dimiſſurus erat, addidit:* Et propugnator ſum ad ſaluandum, *ſiue* multus ad ſeruandum. *Neque enim aliter ſalus fieri poterat aut per alium quàm iuſtum, & cauſæ in iudicio compotem ac principem eundemq; fortiſſimum, & præſtantis ad ſeruandum virtutis. S. S. E. Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet, donec fortior illo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius auferet, in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Atque ita iuſtitia & fortitudine rem omnem ſemper egiſſe Seruator declarat. Neque verò exiguum, aut*

facto

Iuſtificatio. Iuſtitia.

Ioan. 16.

Idem 12.

Luc. 11.

factu leue negotium id fuiſſe exiſtimandum ex eo, quòd ille totus ac integer redire cõſpectus fuerit, perinde atq; dux aliquis magnus qui in prælio, conſilio, & hortatu milites ducit & exercet, ipſe verò pugnæ & laboris expers nec viribus laſſus, nec curſu aut alio incommodo affectus euadat, ſibiq; conſtat. Imò hos inductus rogator miratus nouum exemplum, integritatem, & prælij ſubiti atque ſuſtentati argumenta cognoſcens, rémque ipſam doceri auens interrogat.

Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?

Ab initio huius colloquij Botſræ vrbis nomen ad partes inductum audiuimus, tinctis veſtibus de Boſra. *Diximusq; vnũ de nominis Boſra ſignificatis eſſe vindemiam. quod verò* tinctis legimus, *in exemplari eſt,* HHAMVIS, *quod non infectionem propriè, nec penetrantem tincturam, ſed ruborem, ſiue rubedinem adhærentem ſignificat, quam elui & ſeparari non ſit difficilè, vtpote externæ tantùm ſuperficiei admotam, minimè verò conbibitam. Id quod ad myſterij cognitionem obſeruare conuenit, atq; illud etiam quod in hoc verſu primæ linguæ germana ſcriptio habet, vbi Latinè legimus:* quare ergo rubrum eſt indumentum tuum? *In exemplari eſt.* MADVAGH ADOM LILBVSECHA. *Ex verbo,* quare ADOM indumento tuo? *Diximus* ADOM *affine valdè eſſe* EDOM. *Edom verò non perfectè & purè rubrum, qualis primam terram, ex qua Adam formatus, ſed ruſum, aut ſubrubrum, vel rubrum degenerans dici. Diximus etiam* IESV *Chriſti carnem myſtico vocabulo veſtimentum hoc loco appellari, eámque perfectè eum obtinere colorem, quem puriſſima primùm Adami terra tenuerat, antè quàm infecta in rufum degeneraret. Myſterij præterea conſultiſſima ratio poſtulabat, vt Chriſtus fratribus ſuis, quos liberandos ac ſeruandos ſuſceperat, per omnia ſimilis fieret, non ſolùm natura idem, hoc eſt, humana, homo cum ipſis, verùm etiam laboribus, & humanis affectionibus omnibus pro ſimilitudine abſque peccato. Tentatus itaq; eſt per omnia, vt omnibus compati, omniumq; miſereri experimẽto proprio ſciret. Verùm ad hæc etiam opus fuit vt idem qui peccatum non fecerat, totius humani generis peccata in carne ſua, non vt auctor aut obnoxius, verùm vt ſuſceptor, atq; ideo reus vicariusq; ſubiret. S. S. E. Eum, qui non nouerat peccatum, " pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iuſtitia Dei in illo. Quoniam " verò Ieſus Chriſtus hoſtia pro humano genere conſtitutus, humanis peccatis non infectus (vtpote à peccato prorſus immunis) ſed, vt ita loquamur, affectus fuit, vt peccatorum omnium perſonam repræſentaturus, & peracturus, atq; in ſe ipſo mundi peccata exſtincturus & ablaturus. Ideò aptè hîc interrogatur,* quare ADOM, rubedo, *ſiue* rufor, ad veſtimenta tua? *Namque hoc loco non adeò aptè reſpondet datiuus caſus Latinorum voci* LILBVSECHA, *atq;* ad veſtimenta tua. *non enim rufor ille illatus, ſed allatus, non inhærens, verùm adhærens viſebatur. Id quod eadem obſeruata vindemiæ tranſlatione expoliendo declaratum eſt.* & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? *Manifeſtum eſt, eorum qui in lacubus vuas*

Redemptionis myſtica ratio.

Heb.

 calcant,

calcant, veſtimenta, quæ plerunque linea ſumuntur, muſti colore & ſucco non infici, ſed affici. Cui rei argumento pura aqua fuerit, cuius beneficio eiuſmodi ſordes & maculæ atque affectiones prorſus abluuntur. Atq; hanc rationem ad multorum exhaurienda peccata à Chriſto Ieſu vnico iuſtiſſimo, & virtute præſtantiſſimo atq; etiam puriſſimo, ſine vllius mortalium hominum aut etiam immortalium Angelorum ſubſidio & ope initam, vt ſignificaret Vates rogantem alterum, & ipſum Chriſtum Dei reſpondentem induxit. Vt itaq; qui vindemiam calcant, totis veſtibus operam ſuam indicant, ſordidatis nimirum, & muſti colorem exhibentibus: ita victor hic eorum quos calcauerat & ſubegerat, occiderat, atq; de medio abſtulerat, peccatorum, hoc eſt, veteris Adami filiorum cruore ſacroſanctum ac triumphale veſtimentum ſuum non infectum, ſed veritatis declarandæ cauſa affectum & exhibitum. Manifeſtum enim ex re ipſa eſt, Chriſtum Ieſum ex mortuis extantem præter clauorum & lanceæ aperta vulnera, quæ ab Apoſtolis poſt aliquot dies conſpecta & explorata fuere, multarum præterea plagarum, quas pugnæ, hoc eſt, paſsionis tempore pertulerat, ſigna, vibices, & veſtigia retinuiſſe; quæ ſecundùm naturæ exempla illo toto triduo quo mortuus durauit antè quàm reſurgeret, ſanari & aboleri omnino non potuerunt. Quod ſi ex tanti propter diuinam virtutem & carnis puriſſimæ ſanctitatem quamprimum ſublata ſunt; tamen interrogantis animo & cogitatione ad naturam rei inſtituta, veluti ſi ſpectarentur, admirationem, & cognitionis cupiditatem efficiunt. Ille rogabat, ſi victor iuſtus ex prælio integer prorſus & viuens valenſq; redis, nec laborem aut infirmitudinem atq; laſsitudinem habitu, geſtu, inceſſuq; te perpeſſum indicas, num per alios rem cõfeciſti, princeps & imperator ipſe? quod ſi per alios, quare veſtimentum tuum iſtum præfert EDOM *colorem? Hanc interrogationem vera narratio excipit cum conſilij & animi atque facti circunſtantiarumq; ad rem oportunarum commemoratione.*

Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum: calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui.

Occidendorum à ſe Idumæorum, hoc eſt, peccatorum & veteris hominis, pugnam nullo hominum aut Angelorum iuuante, vel opem auxiliumq; ferente ſibi ſoli ſubitam & initam atque peractam & ſuperatam ait. Neque enim quiſquam hominum in ea re quicquam Chriſtum adiuuare potuit, cùm omnes natura filij iræ, & eo nomine Idumæi quoque eſſent. Sed nec Angelorum quiſquam, quòd nec horum naturæ, virtutis, aut muneris id præſtare fuit, cùm omnes non ſeruatores, verùm adminiſtratorij ſint & dicantur ſpiritus. Atq; hic expreſsè excipiuntur gentes, vt omnes peccauiſſe

Is, Vir. *& gloria Dei indigere omnes declarẽtur.* nõ eſt vir mecũ. *Is, vox hæc Latinè in vir vertitur, & eſt diſtributiuum pronomen, idemq; valet atq; illud: Et nemo quiſpiam qui virum ſe præſtare ad eam rem valeat, aut quicquam meæ virtuti ſimile probare poſſet, apud me vllo loco ac nomine inuentus eſt,*

quippe

quippe hunc ſolum & vnicum propitiatorem Deus pro peccatis noſtris poſuit. Quoniam verò expeditio hæc à pugnæ ac prœlij tranſlatis verbis narratur (vt verè vnum ex Domini prælijs maximum fuit) ideo ex eodem argumento ſumptis vocibus producitur & explicatur. Ex Euangelicis hiſtoriis accepimus Moſem & Eliam in monte ſancto cum Ieſu περὶ τῆς ἐξόδου, de exceſſu, *ſiue* expeditione, *quam Ieroſolymis completurus erat, collocutos. Atqui eadem vox illic vſurpatur, quæ toti narrationi de liberationis & ſalutis ex hoſtis Ægyptij ſtrage partæ nomen dedit: atq; vt illic ita hîc bellicis verbis omnia traduntur. Appellat autem* torcular *ipſam Idumæam ipſaq; Idumeæ regia* BOTSRAH, *quam interpretati ſumus. Hunc lacum à ſe tantummodo calcatum victor Chriſtus ait, hoc, inquam, prælium à ſe ſolo initum exterioris ac veteris hominis filiis, Idumæis, inquam, reſiſtentibus; interioris verò hominis grege ſpectante, & nihil præter admirationem præſtante. S. S. E. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Exod. 14.
Exacta verò atque abſoluta occiſione filiorum Edom cruorem iſtum veſtimentis inſperſum ſuis ait, & omnia veſtimenta ſua inquinata, vt de peccato damnaret peccatum in carne, quod erat contrarium nobis, ait Apoſtolus. Rom. 8. Epheſ. 2.
Hactenus enim à conſtitutione mundi in multa patientia diuinū Verbum filios iræ in interitum aptos, tulerat & expectauerat, atq; in gregem ſuum interioris hominis Iaghacobiq; ſobolem inſoleſcere & ſæuire ſiuerat, verùm cùm iam tempus acceſſit, ſalutis efficiendæ ac præſtandi conſilium ac iudicium expeditum fuiſſe declarat.

Dies enim vltionis in corde meo, & annus retributionis meæ venit.

VBI *Latinè legimus* enim, *primæua lingua habet* GHI, *rationis, opportunitatis, & cauſæ atque conditionis indicem vocem. Quandoquidem vltionis mihi decretæ & certæ atq; etiam optatæ dies, peragendæ rei atq; promiſſæ redemptionis humani generis à ſuis inimicis & oppreſſoribus exactoribuſq; liberandi annus venit. Pendet adhuc ſententia, ſubiunctumq; expectat verſum. Alludit autem ad imaginem Ægyptiacorum temporum & anni illius, qui vltimus illi ſeruituti ferendæ fuit, atq; etiam ad Iubilæi annum, qui redemptionis huius expectandæ cauſa inſtitutus quōdam fuerat. Formula verò* in corde meo, *rem certam, decretam, & exoptatam, in votiſq; poſitam atque maturatam ſignificat, & ex idiotiſmo linguæ relatiuum includit Latinum* qui in corde meo. *vt illud: Iudica me Domine ſecundùm iuſtitiam meam, & ſecundùm innocentiam meam ſuper me. quæ eſt ſuper me. Hunc verò diem fuiſſe in corde ſuo idē ipſe cùm ſeſe iam ad prælium accingeret, declarauit: Deſiderio, inquit, deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum antequam patiar.* annus retributionis. *Redemptionem populi hoc loco interpretamur, vt antiqui complures Latini codices habent, ex primæuæ linguæ vocabulo* GEVLI. *Iam verò quemadmodum ſibi ſoli ſuſcepta & parta fuerit hæc victoria, è veſtigio ſubiungit.* In corde meo. Relatiui ellipſis. Pſal. Mat.

Circunſpexi, & non erat auxiliator: quæſiui, & non fuit qui adiuuaret: & ſaluauit mihi brachium meum, & indignatio mea ipſa auxiliata eſt mihi.

Salutis auctor.

SALVTIS *publicè præſtandæ efficientiam cùm Chriſto tribuimus, Deo etiam Patri auctori adſcribimus. Ipſe enim erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Spiritui quoque ſancto adrogamus: quippe qui tres vnum ſunt. Patri autem, vt auctori, Filio, vt Patris brachio; Spiritui ſancto, vt vtriuſque voluntati, & conſilio atq; agendarum rerum ſolicitatori. qui tamen & natura, & externa efficacitate vnum ſunt. Filium hîc brachium ſuum. Spiritum ſanctum,* HHAMATH, calorem, *Deus appellat ſuum. Ait verò primùm publicam ſalutem à nemine extra ſe potuiſſe non modò effici, ſed nec adiuuari: idq; ſibi planè conſideratum atque exploratum conſtituiſſe. Ideoq; vſurpat verba illa,* circumſpexi & quæſiui. ESTHOMEM, *quærere & periculo facto admirari ſignificat. Priùs, inquit,* circumſpexi, & non fuit qui adiuuaret. *non modò re & ope, ſed neque ſermone, exhortatione,*
» *& verbo argumento huius rei vel illud fuerit. Et aſſumpto Petro & duobus*
» *filiis Zebedæi, cœpit contriſtari & mæſtus eſſe. Tunc ait illis: Triſtis eſt*
» *anima mea vſque ad mortem. Suſtinete hîc & vigilate mecum. & paulo*
» *pòſt: Et venit ad diſcipulos ſuos, & inuenit eos dormientes, & dicit Petro,*
» *[qui dixerat, Etſi oportuerit me mori tecum, non te negabo] ſic non potui-*
» *ſtis vna hora vigilare mecum? Vigilate & orate, vt non intretis in tenta-*
» *tionem: Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Iterum ſecũdò*
» *abiit, & orauit, dicens: Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire niſi bibam*
» *illum, fiat voluntas tua. Et venit iterum, & inuenit eos dormientes: erant*
» *enim oculi eorum grauati. & relictis illis, iterum abiit, & orauit eundem*
» *ſermonem, dicens. Tunc venit ad diſcipulos ſuos, & dicit illis: Dormite*
» *iam & requieſcite: ecce appropinquauit hora, & Filius hominis tradetur*
» *in manus peccatorum. Surgite, eamus, ecce appropinquauit qui me tradet.*
Ex qua hiſtoria humana imbecillitas & inopia arguitur maniſeſtè; quando apud quenquam hominum, etiam apud diſcipulos ſingulariter delectos, & aliquid præſtare poſſe iactantes; nihil tamen quicquam ſubſidij, ſed neque ſolatij aut exhortationis vel facto, vel verbo fuerit repertum tanti conflictus prælium inituro. & nõ fuit qui adiuuaret. VEAIN ZZOMECH. & non fulciens. *Alludit ad prælium antiquum à Ioſue confectum, orante, manuſq; tendente Moſe, eodemq; à duobus comitibus hinc & hinc fulto. Quamquam verò iſtud, quo de agimus, cum Edom prælium, nullius vnquam alterius comparationem admittat, propter ducem principem tenebrarum videlicet, & propter innumerabiles oppugnantium copias, tamen in tanta humani auxilij aut ſubſidij, aut etiam adhortationis vel ſolatij inopia* Saluauit mihi brachium meum. *vt adimpleretur quod ſcriptum eſt: In brachio virtutis tuæ depoſuiſti inimicos tuos.* & indignatio mea ipſa auxiliata eſt mihi. HHAMATHI, calor meus, *quem iam interpretati ſumus. Gallicè, mon courage. Cuius conſilij, animi, decreti, ſtudij atque facti ſecundum, & pro voto fauſtiſſimum exitum eueſtigio declarat, veram videlicet, & abſolutam ex hoſtibus partam, quam iam reportat victoriam.*

Et conculcaui populos in furore meo, & inebriabo eos in indignatione mea, & detraxi in terram virtutem eorum.

VNI-

VNICVM *atque ſolum ſe vnico prælio, eoq́ cruento, omnem rem confeciſſe ſpiritus diuini ac caleſtis virtute & efficientia, quam* Furorem *ſuum vocat.* BEAPI, in naſo meo. *In facie naſus animoſitatem & ſpiritum atq́ affectum indicat, vti ſæpè docuimus. Idem autem qui miſericordiæ ſpiritu incenſus erat ad miſeros & afflictos liberandos, vltionis & iudicij ſpiritu contra hoſtes vigebat. Eſt autem poſterior natura naſi calefactio, ſed ſpectantibus prior cognitu quàm* HHAMAH, *quæ prior intra pectus accenditur. Atque hoc ordine in oratione vterque affectus collocatus eſt.* & detraxi in terram virtutem eorum NETSHHAM, victoriam, *firmitudinem, & robur, ac perpetuitatem vocabulum ſignificat. Idumæorum autem victoria, firmitudo & robur ſi rogemur quidnam nobis eſſe videatur, illud referemus: Abſorpta eſt mors in victoria. Vbi eſt mors victoria tua, vbi* 1. Cor. 15. *mors ſtimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum eſt, virtus verò pec-* " *cati, lex. Deo autem gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum no-* " *ſtrum Ieſum Chriſtum.* Inebriabo, *& ſimilia verba, calicis iræ & indi-* Inebriare. *gnationis tranſlationem ſequi ſolent, turbationemq́ ſignificant, atq́ defenſionis prorſus ademptam copiam, quam in poſterum perpetuò ſublatã, idem nomen* NETSAHHAM *indicat: Quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtrueretur corpus peccati, vt vltrà non ſeruiamus peccato. Atque hæc breuiter de tota allegoriæ huius arcana ratione.*

ARGVMENTVM VATICINII TRIGESIMI QVARTI.

POST *enarratum publicæ hominum ſalutis negotium à Deo Chriſti virtute & opera confectum, commodè in Iſraeliticæ* Iſraelitarum reprobatio. *reprobationis præuiſum iudiciũ propheticus incidit ſermo, cum admiratione tanti caſus. Quippe partam vniuerſo hominum generi ſalutem Iſraelitæ, qui promiſſam anteà & creditam ſperauerãt, non ſtatim obtinuerunt; ſed vel deſiderare & requirere, vel aliis collatam inuidere coacti viſi ſunt; partim quidem in captiuitatem abducti, partim verò exiliis & ſeruitute, quibus anteà retinebantur, adhuc detenti, ac deteriùs, multo quàm antea, accepti & habiti. Id quod cùm ipſis atq́ aliis quoque gentibus admirabile videatur; tamen iuſto iudicio factũ in hoc indicatur ſermone, nimirum ob incredulitatem atq́ Euangelium ab iſtis repulſum, cuius vim & efficientiam duplicem eſſe Deus voluit, vitæ & ſalutis credentibus* Euãgelij duplex vis. *& obtemperantibus: contrà verò, mortis & reprobationis non credentibus nec obſecutis. Verùm enimuerò non eo conſilio hoc à Deo decretum & exercitum, vt Iſraelitarũ etiam ſecundùm carnem ſoboles omnis & gens prorſus abolita periret; ſed vt vitioſis, incredulis, & improbis ex iuſto iudicio Dei purgata, demùm ex miſericordia ad reconciliationis reuocata gratiam,* Iſraelitarum reconciliatio *communis quoque ſalutis particeps & conſors reddita, diuinorum promiſſorum antiquis patribus factorum compos, fidem, veritatem, & conſtantiam re ipſa experiretur; & experta, vnà cum ceteris gentibus, ad eandem*

ſalu-

ſalutem vocatis & admiſsis perpetuis laudibus gratulationibusq́, vacet. Id quod multis argumentis deductum, compluribus etiam orationis ornamentis in hoc vaticinio tractatur.

MISERATIONVM Domini recordabor, laudem Domini ſuper omnibus quæ reddidit nobis Dominus, & ſuper multitudinem bonorum domus Iſrael, quæ largitus eſt eis ſecundùm indulgentiam ſuam, & ſecundùm multitudinem miſericordiarum ſuarum.

Iſraelitarum reprobatio. E SACRA *Apoſtolorum hiſtoria, ac D. Pauli Epiſtolis edocti ſumus Iſraelitas ob repulſi Euangelij crimen fuiſſe à Deo in reprobum ſenſum degenerare permiſſos, ac tanto diuinæ ſalutis munere magna ex parte priuatos, & ex conſequenti, in varias decidiſſe calamitates bellorum, famis & peſtis; atq; partim, qui diſperſi antè agebant, non reſtitutos, partim verò, vt Ieroſolymitanos, & Iudææ incolas, variis vexatos inuaſionibus, demũq́; de ſua abductos & pulſos patria: atq; ita variè diſsipatos, &, quod omnium miſerrimum eſt, à Dei gratia, atq; admirando illo beneficio, quod patribus ipſorum expectatum fuerat, pulſos, atque eo in miſerrimo ſtatu per multa ſecula manſiſſe, hodieq́; partim manere; vt ex aliis etiam ſcriptoribus, atque manifeſtis ferè totius orbis exemplis conſtat. Huius Iſraeliticarum ſecundùm carnem rerũ ſtatus admiratores Iſraelitas, ac tantæ mutationis, tam diuturniq́; mali cauſæ inquiſitores præuiſos Vates, in hunc ſermonem inducit commemorantes in primis diuina beneficia, tantis, tam aſsiduis & admirandis prouidentiæ ſingularis argumentis in ipſorum quondam gentem collata. quorum exempla nunc aſsiduè requiſita, iam prorſus ceſſaſſe intelligantur, manente tamen & incolumi eodem quondam auctore, & perpetuo potente atque efficace Deo, & promiſsis illius ad patres toties factis, perpetuo in hominum memoria extantibus. Quòd ſi audiant, nullum apud eos ipſos nunc exſtare magnum meritum, quamobrem ſimilia antiquis admiranda viſantur beneficia; hanc rationem ſcitè anteuertentes, aiunt: Neq; vnquam apud antiquos tanta fuiſſe promerita, vt quæ accepta & obtenta ſunt quondam, ex iuſto & æquo expectarentur commoda & bona; quæ vni tantummodo largientis ipſius bonitati, liberalitati, & miſericordiæ ab iiſdem ipſis, in quos conſtitere, accepta relata ſunt. Hæc huius verſus argumenti ac ſententiæ ſumma eſt.* Miſericordias Domini recordabor. *Non ego, inquit vnuſquiſpiam ex illis, mea, aut patrum meorum allegabo merita; ſed tantùm commemorabo, ad cauſam,* Domini *benigni beneficia, qualia*
Gen. 32. *pater Iaghacob recordatus confitebatur: Minor, inquiens, ſum cunctis miſerationibus tuis, & veritate tua, quam expleuiſti ſeruo tuo. Quæ omnia, tot ac tanta fuiſſe ait, vt non niſi cum perpetua laude & gratulatione referri & recoli poſsint.* laudem Domini ſuper omnibus, quæ reddidit nobis Dominus. *Neque verò nunc de communibus in omnes hominum nationes, ac perpetuis beneficiis à gubernatore omnium vnico Deo profectis agi; ſed ſingulariter de admirandis, & apud alias gentes nunquam ſpectatis bonis, quæ ſingularem, tum in Iſraelitas gratiam, tum prouidentiam proba-*

prohauerant liberaliſſimè declaratam. & ſuper multitudine bonorum domus Iſrael, quæ largitus eſt eis [*non ſecundùm promerita, verùm*] ſecundùm indulgentiam ſuam, & ſecundùm multitudinem miſericordiarum ſuarum. *Hæc prima diſputationis huius pars eſt, qua diuinæ prouidentiæ ſingularis manifeſta erga Iſraelitas argumenta, vti notiſſima in genere commemorantur ad comparationis, quæ iam adornatur, momentum ex altera parte exiſtimandum. Atq; hæc eadem pars expoliendo magis ac magis explicatur & confirmatur. Nam præterquam quod ipſa per ſe beneficia antiqua auctorem Deum ſua ſponte indicabant, atq; alijs etiam gentibus teſtabantur, ipſorum etiam, qui recepere, confeſſione, laude, gratulatione, & ſcriptis carminibus, alijsq; monumentis commemorata & agnita conſtant. Hoc enim in illo quoque ſignificatur orationis membro.* laudem Domini ſuper omnibus, quæ reddidit nobis Dominus. *Quam laudem ſæpius repetitam nunc etiam commemorari ait. atque ita verbum* recordabor, *ad vtrumq; refertur orationis nomen, videlicet* miſericordias, & laudem. *Atq; ita manifeſtam & in confeſſo poſitam diuinæ erga Iſraelitas liberalitatis rationem declarat & firmat, ipſique Deo, quem ſuæ cauſæ vno nomine arbitrum, altero verò reſponſorem conſtitutum vult, commemorat; quamquam tertia perſona appellato. quod in Sacra lingua etiam apud præſentes, quibus cum agitur, frequentiſſimi exempli eſt. Cùm verò prima huius dialogiſmi pars ab Iſraelitis propoſita ſit, qua collata in ſe beneficia commemorantur, & ad miſericordiam & bonitatem diuinam referuntur, oportunè Deus ipſe reſpondens à Vate inducitur, qui idem propoſitam argumentationis partem non modò concedat & firmet, ſed vlterius etiam amplificet cum expoſitione benigniſſimæ volũtatis & conſilij ac propoſiti ſui aduerſus eos, quos non modò liberandos, atq; ex miſera ſeruitute aſſerendos, verùm etiam filiorũ inſtar fouendos, ornandos, & amplificandos ſuſceperat, atq; id longo præſtiterat promoueratq; tempore.*

Et dixit, Veruntamen populus meus eſt, filij non negantes, & factus eſt eis ſaluator, in omni tribulatione eorum non eſt tribulatus, & angelus faciei eius ſaluauit eos in dilectione ſua, & in indulgentia ſua ipſe redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus ſeculi.

Verum eſſe Deus ait, illum ſibi fuiſſe electum nominatumq; populum ſingulari præter ceteras nationes prouidentia & indulgentia fotum, atque à Deo filium nominatum, & coram Ægyptijs eo nomine appellatum, & quidem tunc non negantem ſe, nec mentitum, ſed agnoſcentem ſibi redemptionem à Deo allatam. S.S.E. Locutuſq; eſt Aharon omnia verba quæ dixerat Dominus ad Moyſen, & fecit ſigna coram populo, & credidit populus. Audieruntq; quòd viſitaſſet Dominus filios Iſrael, & quod reſpexiſſet afflictionem illorum, & proni adorauerunt. Filios autem illos appellatos ita narrat ſcriptura. Hæc dicit Dominus, Filius meus primogenitus Iſrael; Dixi tibi, Dimitte filium meũ, vt ſeruiat mihi. & noluiſti dimittere eum. Ecce ego interficiam filium tuum primogenitũ. Hoc igitur pacto habitis &

Iſraelitæ Dei populus & filij.

Exodi 4.

Ibid.

acceptis, nec negantibus, ſed beneficiũ cognoſcentibus & gratulatis. Factus eſt eis ſaluator. *Quæ ab Iſraelitis propoſita & cœpta fuerat, diuinorum in ſe beneficiorum commemoratio ab ipſo Deo non ſolùm affirmatur, ſed narratione à principio repetita explicatur. Verum eſſe ait Deum beneficum atq; adeo patrẽ ſe illis præbuiſſe non negãtibus, imò agnoſcentibus quondã paternam in ſe & conſtantem voluntatem, atque apertè in omni oportuno expertis tempore; cùm primis enim ſeruatorem ex Ægyptiaca ſeruitute & miſeria; deinde verò nullo non tempore fauentem, proſpicientem, liberatorem & vindicem non ſentientibus. Quidquid enim vel incommodi, vel importunitatis, vel locorum, vel temporum, vel hominum vi incidere accidit, præſenti efficacitate virtuteq́; Dei depellere atq; euadere contigit.* & in omni tribulatione eorum non eſt tribulatus. *Primæua huius membri lectio duplex ab antiquis indicatur. Nam particula* LO *in codicum cõtextu per Aleph ſcribitur, in margine verò, atq; in nonnullis codicibus cum Vau legitur, alterum Latinè ſonat* NON; *alterum verò* ILLI, *ſiue* IPSI. *vtrumque interpretationem aſciſcit, & veram, & diuinæ miſericordiæ indicem.*

Miſericordia Dei.

Chaldæus interpres negantem retinuit ſignificationem, Latinus verò noſter vtramq; agnoſcere videtur, quippe cùm vertat, Non eſt tribulatus, *ita vt diſpungendum ſit inter* non, *&* eſt tribulatus. *vt ſignificet nullam illis incommoditatem accidiſſe, quam Deus ſibi allatam non duxerit propter ſummam miſericordiam. iuxta illud: Heu vindicabor de hoſtibus meis, & vindictam ſumam de inimicis meis. quo ex affectu diuinæ bonitatis, & paternæ caritatis magnitudo impenſiùs commendatur. atq; huiuſmodi affectu Deo nullam allatam eſſe paſſionem, ſed excitatam atq; maturatam opis indigentibus ferendæ curam. Atque hoc pacto illis ita prouiſum, vt nulla officeret anguſtia. Vtrique autem lectioni hæc interpretatio conuenit. quòd ſi negantem prorſus particulam cum Chaldæo retinere placet, exponendum eſt, nulla vel difficillima illis extitiſſe tempora, quæ difficultatem vllam Deo inicerent, quo minùs oportuniſsimum pararetur, & præſto eſſet auxilium per præſentem atque illis deſtinatum Angelum, qui tutelaris Dei partes agebat.* Et angelus faciei eius ſaluauit eos. *Iam aliàs ex antiqui & noui teſtamenti lectione oſtendimus diuinam erga Iſraelitas & ſingularem prouidentiam per Angelum fuiſſe exercitam, quem ſuas partes ſuoq́; nomine expediendas ac declarandas præſtare Deus voluerit. hic apud Vatẽ noſtrum* Angelus faciei *appellatur, eadem ſignificatione, qua Latini perſonam alicuius gerere dicunt. Totum autem tempus, quo prioris fœderis ius & ratio viguit,* CHOL LEMEIGHOL*am,* cunctos dies ſeculi *hoc loco interpretamur. Adeò enim ſibi ipſi conſiliis promiſſisq; ſuis perpetuò cõſtat Deus, vt quamquam perſæpè ab Iſraelitis offenſus, & ad iram atq; vltionem prouocatus, tamen nunquam perditos atq; abolitos voluerit, ſed etiam in ipſo caſtigationis tempore, vbicunque capti vel abducti agerent, præfecti à ſe Angeli cuſtodia ac tutela conſeruatos retinuerit. aliàs in tanta non modò ſuarum, ſed totius etiam mundi rerum turbatione, & variato atq; conuulſo ſtatu perituris. Vndè etiam illius erga ipſos miſericordia, clementia,*

Sup. 1.

& in-

& indulgentia in aduerſis etiam probatur temporibus. S. S. E. Miſeri- “
cordiæ Domini quòd non ſumus conſumpti. In dilectione ſua, & indul- “
gentia ſua ipſe redemit eos, & eleuauit eos cunctis diebus ſeculi.
Gholam, æternitatem aliquando ſignificat ad mundi totius durationem Gholam. Seculum.
relatum nomen, ſed frequentiſſimè certum tempus, quod vnicuique rei ab-
ſoluendæ ac duraturæ definitum conſtet; vti fuſiùs in magno diſſeruimus
opere. Iſraelitarum verò ſecundùm carnem ſeculum ad Euangelij, id eſt, Iſraelitarum ſeculum.
ad noui vſque Teſtamenti dies, hoc eſt, ad Chriſti vſque mortem, conſtitu-
tum fuerat. Quo tempore vniuerſo orbi ſalute allata ac parta, vterque po-
pulus in vnum corpus, vnamq́ Eccleſiæ rempub. coniungendus fuerat: atq;
ita exponimus illud, & eleuauit eos cunctis diebus ſeculi. Et quidem an-
tiquum fœdus huius alterius noui cauſa fuerat Iſraelitis pactum. cuius ad-
uentui & præſentiæ illud alterum poſthabendum fuit, & tam rei ipſi tam
præſtitæ imaginem cedere oportuit, quam tamen conditionem & legem
cùm Iſraelitæ ipſi repudiauerint & abiecerint, vt à Deo ipſi abiicerentur,
commeriti ſunt.

Ipſi autem ad iracundiam prouocauerunt & afflixerunt ſpiritum Iudæorum repudiatio ob quod crimen.
ſancti eius: & conuerſus eſt eis in inimicũ, & ipſe debellauit eos.

Immane quidem & nefarium Iudæorum ſcelus fuit, Ieſum Chriſtum,
ſibi promiſſum, ac tam diu à patribus expectatum, atq; ab ipſis bonum ac be-
neficentiſſimum ſpectatum occidiſſe. Verùm iſtud non illud fuit quamob-
rem tota Iſraelitarum gens à Deo repudiata in reprobum traderetur ſen-
ſum: tum quòd non omnes Iſraelitæ mortis Chriſto inferendæ auctores aut
conſiliarij fuerant, ſed Ieroſolymitani primores tantùm, qui & plebi per- “
ſuaſerunt vt peterent Barabam, Ieſum verò occidendum poſtularent. Tum “
etiam, quod ita oportuit pati Chriſtũ, & intrare in gloriam ſuam: nec ideò “
tamen ipſi culpa vacant, eaq́; grauiſſima: verùm quia ignorantiam atque
inſcitiam, tametſi prauam & iniquam excuſare quadamtenus iſti poſſent:
Qui ſi Dominum gloriæ cognouiſſent, nunquam crucifixiſſent. Præcipuè 1. Cor. 2.
cùm id legitimè à ſe cœptum, quanquam non legitimè peractum, allegare
etiam poſſint: tamen hoc crimen non illud eſt, propter quod excæcati fuere,
ſed illud propriè ac præcipuè Euangelij pacis & reconciliationis Dei per
Spiritum ſanctum Chriſti efficacitate allatæ & propoſitæ, atq; adeò vltrò
oblatæ, repulſa & auerſatio. Id quod tum aliàs compluribus argumentis di-
ctis & reſponſis; tũ verò illo admirando Petri ſermone intelleximus. Hunc Act. 2.
Deus reſuſcitauit, cuius omnes nos teſtes ſumus. Dextera igitur Dei ex- “
altatus, & promiſſione Spiritus ſancti à Patre accepta, effudit hoc donum, “
quod vos videtis & auditis: Non enim Dauid aſcendit in cælum, dicit au- “
tem ipſe, Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam “
inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Certiſſimè ſciat ergo domus Iſrael “
quia & Dominum eum & Chriſtum fecit Deus hunc Ieſum, quem vos “
crucifixiſtis: His autem auditis, compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Pe- “
trum, & ad reliquos Apoſtolos, Quid faciemus, viri fratres? Petrus verò “
ad illos, Pœnitentiam, inquit agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in “

» *nomine Ieſu Chriſti in remiſsionem peccatorum veſtrorum; & accipietis*
» *donum Spiritus ſancti. Vobis enim eſt repromiſsio & filiis veſtris, & om-*
» *nibus qui longè ſunt, quoſcunque aduocauerit Dominus Deus noſter. Aliis*
» *etiam verbis plurimis teſtificatus eſt, & exhortabatur eos, dicens: Saluami-*
» *ni à generatione iſta praua. Qui ergo acceperunt ſermonem eius, baptizati*
» *ſunt, & appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia. Atqui genera-*
tio illa praua ideo reprobata eſt, quod quanuis à Chriſto ne in Spiritum ſan-
ctum peccaret, monita fuerit; tamen manifeſtam, & multis modis cōteſta-
tam Spiritus ſancti virtutem, atque ipſis oblatam gratiam, tamen impu-
Mat. 3. *denti contumacia repudiarunt. Audierant enim ab ipſo Chriſto: Amen*
» *dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata & blaſphe-*
» *miæ, quibus blaſphemauerint: qui autem blaſphemauerit in ſpiritum ſan-*
» *ctum, non habebit remiſsionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti. &*
Lucæ 10. *iterum: Omnis, qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi: ei au-*
» *tem qui in Spiritum ſanctum blaſphemauerit, non remittetur. Igitur mul-*
tifariam, ac ſæpiùs ab Apoſtolis ac diſcipulis moniti, admoniti, & inui-
tati, quod nec obaudire, nec parere vellet, nec ſancto Spiritui obſiſtere & re-
pugnare deſinerent, illud à Deo decretum atque ſæpius anteà ad cauendum
prædictum demum in ſe exercendum audierunt iudicium, quod in Apo-
Act. 13. *ſtolorum praxi narratur. Notum igitur ſit vobis, fratres, quia per hunc vo-*
» *bis remiſsio peccatorum annuntiatur ab omnibus, quibus non potuiſtis in*
» *lege Moyſis iuſtificari; in hoc omnis qui credit iuſtificatur. Videte ergo ne*
Habac. 1. *ſuperueniat vobis quod dictum eſt in Prophetis: Videte contemptores, &*
» *admiramini & diſperdimini, quia opus operor ego in diebus veſtris, quod*
» *non credetis ſi quis enarrauerit vobis. Exeuntibus autem illis, rogabant vt*
» *ſequenti ſabbatho loqueretur ſibi verba hæc. Cumq́ dimiſſa eſſet ſynagoga,*
» *ſecuti ſunt multi Iudæorum & colentium aduenarum Paulum & Barna-*
» *bam; qui loquentes ſuadebant eis vt permanerent in gratia Dei. Sequenti*
» *verò ſabbatho penè vniuerſa ciuitas conuenit audire verbum Dei. Viden-*
» *tes autem Iudæi repleti ſunt zelo, & contradicebant iis quæ à Paulo dice-*
» *bantur blaſphemantes. Tunc conſtanter Paulus & Barnabas dixerūt: Vo-*
» *bis oportebat primùm loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, &*
» *indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes. Sic enim*
» *præcepit nobis Dominus, Poſui te in lucem gentium, vt ſis in ſalutem vſq́*
» *ad extremum terræ. Hanc Iudæorum & Iſraelitarum ſecundùm carnem*
reprobandorum cauſam apud Vatem noſtrum hoc loco Deus indicandam,
ac prædicendam dictauit. & afflixerunt Spiritum ſanctū eius [*blaſphe-*
mantes, vt hiſtoria declarat] & conuerſus eſt eis in inimicum, & ipſe
debellauit eos. VEHVNILHHAM BAM. & ipſe præliatus eſt in eos.
Nunquam hactenus Deum populo illi OIEB, hoſtem, *redditum, quam-*
quam ſæuè ac frequenter infenſum, indignatum, iratum, & animaduer-
tentem legimus: verùm poſtquam GHATSBV, contriſtauerunt Spiritum
ſanctum eius, *quem antea ſæpè patrem & fautorem, interdum corripien-*
tem, ſemper autem clementem, atque ſingulariter conſulentem habuerant,
hoſtem

hoſtem ſibi & expulſorem habuerunt. Id quod facilè, imò apertè & planè
intellecturos illos ait, cùm præteritorum ſeculorum recordatio, & cum po-
ſteris temporibus ineatur comparatio.

Et recordatus eſt dierum ſeculi Moyſi & populi ſui.

Primæua lectio inter MOSEH *&* GHAMO *nihil interiicit: ita vt* GHA-
MO *recti & obliqui caſus Latinè eſſe poßit: recto ille erit ſenſus*, & recor-
datæs eſt dierum ſeculi Moyſi populus eius. *Iſrael, inquit, vbi dies Mo-*
ſis ætatis recordatur, immanè quantum poſtera tempora diſcrepare compe-
rit ac ſentit. obliquo autem clara eſt etiam interpretatio. Et recordatus eſt
Iſrael dierum Moſis populi, inquam, ſui. Namque hoc nomine, populus
meus, *identidem tunc audiebat: Dimitte populum meũ. Educam populum* “
meum. Cuius veri nominis argumento manifeſto fuerant exempla quam-
plurima adMiranda, quæ nunc commemorata triſti cum ſenſu, non requi-
runtur modò, ſed deſiderantur prorſus. Namque à Moſe ipſo prædicente
audierant: Prophetã ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus de medio fratrum Deut.
tuorum, ſicut me. Ipſum audies: Omnis anima quæ non obedierit Prophetæ “
illi, abſcindetur anima illa de populo Dei. Talem Prophetam ab iſtis requi- “
ſitum non ſolùm non repertum iri, ait Vates: verùm etiam exempla illa,
quæ multo illuſtriora & præſtantiora perpetuæ & ſingularis in ſe proui-
dentiæ reponenda expectabantur: atq; adeò ipſa eadem quæ, quamuis in fi-
gura, tamen ad huius mortalis vitæ felicem curſum commoda & oportuna
contingebant, requirentur prorſus, non (vt cenſebantur) de futura, quoad
ille alter ſuſcitaretur Propheta, quem ſicut ſe ſuſcitandum & agnoſcẽdum
ipſe indicauerat Moſes. Atqui quæ magna, multa, communia, & publica,
vtilißima, ac ſingularem prouidentiam probantia beneficia, Moſe duce &
& Vate conſtiterant, generatim recenſere in promptu fuerit.

Vbi eſt qui eduxit eos de mari cum paſtoribus gregis ſui? vbi eſt
qui poſuit in medio eius Spiritum ſancti ſui?

Huiuſmodi argumentis & ſignis ad oculum, vti dicitur, ſpectatis & com- Iudæi ſigna petunt.
probatis populus ille inſipiens veritatem omnium Vatum ſibi examinãdam
exiſtimabat (iis, qui melius de diuinis rebus, futuroq; ſeculo ſenſere, exce-
ptis) reliqui verò humanæ ſapientiæ arrogantia tumidi atque inſanientes,
non modò antiquos multos Vates, ſed Chriſtum ipſum hoc pacto experiri
voluerunt. Magiſter, inquiunt, volumus à te ſignum videre. & rurſus alij Lucæ.10.
tentantes, ſignum de cælo quærebant. Moſe videlicet, quem ſuo more Pro- “
phetarum dominum appellabant, hodieq; appellant, in exemplum ad cenſu-
ram propoſito. Cuius cùm partes, eodem prorſus modo actas non repere-
rint, diuinum nihil ſibi adeſſe aut afferri cenſebant. S. S. E. Qui dixerũt: Pſal.
ſigna noſtra non vidimus, Iam non eſt Propheta [ille ſicut Moſes] & nos “
non cognoſcet amplius. Hæc itaque oratio, hæc examinationis formula illis “
in ore frequentior, à Vate vſurpatur ac refertur, ad arguendum errorẽ illo-
rum, omnia, quæ ad terreſtris & caducæ vitæ oportunitatem corporeis cer-
nebantur oculis, fore per Vates, ac præcipuè per expectatum Chriſtum, in-
ſtauranda ducentium, alioqui nihil credentium, imò Deum à ſe iam exiſti-
mantium auerſum.

Vbi eſt [*Moſes alter*] qui eduxit eos [*populum illum antiquum*] de mari, cum paſtoribus gregis ſui?

Paſtores gregis ſui Aaronem & tribuum proceres, & familiarum capita hoc loco interpretamur, quibus deducēdi populi cura per Moſem diſtributa fuerat. Id autem cùm tempore Chriſti non eodem pacto conſtaret, nec nunc etiam conſtet, non aliter expectandum aut examinandum cenſent, quid mirum cùm eadem etiam Chriſti diſcipulis etiam poſt reſurrectionem adhuc carnalibus opinio, antequam Spiritus daretur ſanctus, inhærebat.

Act. 1. *Igitur qui conuenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine ſi in tēpore*

» *hoc reſtitues regnum Iſrael? & an hoc idem ab aliis pronunciatum. De Ieſu*

Lucæ 24. *Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere & ſermone coram Deo,*

» *& omni populo; & quomodo eum tradiderunt ſummi ſacerdotes & prin-*

» *cipes noſtri in damnationem mortis, & crucifixerunt; Nos autem ſperaba-*

» *mus quia ipſe eſſet redempturus Iſrael. Neque verò Moſen ſpiritu Dei plenum requiri tantummodo aiunt, ſed etiam ſpiritus illius copiam, qualem affluenter quondam conſtitiſſe fama eſt, adeò vt & Maria, & alij complures vaticinandi facultate præditi narrentur, imò ex eodem, quo Moſes abundabat ſpiritu, ſeptuaginta duo ſeniores aucti commemorentur. qualem vim & copiam cùm minus nunc videant conſtare, Deum ipſum inſpiratorem, & auctorem receßiſſe autumant: atque ita vbi ſpiritus eiuſmodi abundantia deſideretur, non mirum ſi virtus & pietas antiqua etiam in populi deſideretur moribus. Hic erat Iſraelitarum Chriſti tempore ſenſus, atque hic idem adhuc eſt eorum, quibus nondum Chriſtiana affulſit lux. Pergit autem examinator, ſiue ſcriba & Phariſæus, ſiue populus omnis inſignis, quæ ſibi requiſita ait, commemorandis.*

Qui eduxit ad dexteram Moyſi brachio maieſtatis ſuæ, qui ſcidit aquas ante eos, vt faceret ſibi nomen ſempiternum.

Vbinam eſt ille, qui brachij ſui virtutē Moſis dexteræ applicuit? Dei brachiū, efficacitatē, & potentiā interpretamur diuinā: hāc verò Moſis dexteræ applicatā (ſiue allatā, vel accommodatā dicere malimus) deſcribunt, vt ſi Deus brachiū ſuū ad mirādas res confecturo Moſi coniungeret. Dexteram namq; manū actionis & efficientiæ ſymbolū eſſe, in Ioſepho declarauimus. ad dexteram, *idem quod* dexteræ. LEIAMIN, *datiui caſus*, eduxit. *verbum* MOLICH ambulare faciens, *applicās. Quidquid itaq; Moſes magnū, & vltrà naturæ exemplū efficere vellet, Dei brachiū dexteræ ſuæ aptatū præſto habebat*, brachium *verò* maieſtatis ſuæ, *quod apertè Deum potentiſſimum, præſentem, & efficientem declarabat, vel hoſtibus ipſis dicentibus:*

Exod. 14 *Fugiamus Iſrael, quia Dominus pugnat pro eis. Atque illius brachij virtute, quantum conficere Moſes potuit, exponitur.* Qui ſcidit aquas ante eos, vt faceret ſibi nomen ſempiternum. *Comparationis examen adhuc agitur, quo nullum exſtitiſſe Moſi ſimilem declaratur, atq; ita ceteri omnes fidem Vatis nondum meriti arguantur: quippe cùm vel vnicum illud ſignum maris ad Iſraelitarum viam aperiendam deſciſsi æternum famæ, & gloriæ nomen Moſi peperit, non apud ſuam gentem tantùm, ſed apud alias totius*

orbis

orbis nationes parere potuit. ante eos. MIPENEIHEM. *Tempus & locum pariter hæc indicat formula. præſentibus & videntibus illis, & antequam iniretur via. Atq; hoc pacto non ſolùm propter magnitudinem rei cōmendatur Moſis auctoritas, verùm etiam propter commoditatem & oportunitatem populo allatam, atque adeò auctam & amplificatam. Nam quibus hoſte à tergo imminente & inſtante, atq; iam premente nullæ nulla ad euadendum via erat, ſed vel ſeſe in mare conijcere ac demergere, vel prærupta & ardua montis Baghal Saphon conſcendere neceſſe erat, vtrobique verò certiſſimum minabatur periculū; tamen Moſes apertum inſtruxit & muniuit, planiſſimumq; reddidit, & compendioſum ad ſalutem iter.*

Qui eduxit eos per abyſſos, quaſi equū in deſerto nō impingētem.

Tria ſimul miracula eodem tempore, vno eodem loco edita ſignificat, ſciſſi maris, & ſoli exſiccati; atq; ita conſtrati & complanati, vt neque greſſus numerandi & continuandi rationem viæ inæqualitas interturbaret, nec etiam plantæ figendæ ſecuritatem ſoli vel mollitudo nimia, vel nimia etiam durities detineret. Id quod ſimilitudine equi, per liberum & planum campum gradientis indicat. equi enim tardius & moleſtius, tam per ardua, quàm per prona ac decliuia gradi & moueri ſolent; verùm vbi planum & ſiccum, ſoleq; duratum nacti ſunt ſolum, compoſitu atque celere paſſu alacres pergunt, ac molliter incedunt. Id quod facilè eques etiam ſentit inſidens. Atq; ita cùm Prophetæ Moſis auctoritatem & præſtantiam, tum verò ſingularem Dei prouidentiam iiſdem argumentis cognitas fuiſſe aiunt: præterea etiam animum ac ſpiritum populo diuinitus ad illud iter per mare peragendum additum, atq; in alterum littus deueniendum, non ſecus atque animantibus per decliue deſcendentibus facilior & leuior greſſus redditur vento aliquo à tergo ſpirante, & motum etiam iuuante.

Quaſi animal in cāpo deſcendens, ſpiritus Dñi inductor eius fuit: ſic adduxiſti populum tuum, vt faceres tibi nomen gloriæ.

Bruta omnia quæ natura mitiore conſtant, vt oues, boues, & muli, pardales, & ſimilia, quæ, quòd corporis & capitis habitu proniora etiam quàm feræ ſunt, commodius & facilius ex alto & edito per decliuia in depreſſum deſcendunt locum, quòd corporis grauiore mole id leuius ferant, quàm contrà, vt ex depreſſo in altum tendant, propter membrorum pondus natura in decliuia pronum ac promptum: tum verò ſi à tergo vehementi aliquo iuuentur vento, immanè quantum nullius ferè laboris laſſata ſenſa, promouētur ac decurrunt. Sic, inquit, ſpiritu & virtute Dei à tergo promotum Iſraeliticum populum, totum iter celeriter, & citra laſſitudinem per mare confeciſſe. Quæ in ſimilitudine colūna illa ignis indicatur, quæ inter Ægyptios & Iſraelitas incedens, illis mentem oculosq; obſcuritate turbabat, his verò lucem præbens, animos & ſpiritum addebat. ſic, Moſe viam aperiente, & præeunte, & columna lucem & fauorem à tergo ſuggerente, adduxiſti populum tuum, vt faceres tibi nomen gloriæ. *Sic enim ſingulare hoc diuini fauoris beneficium narratur. Et Dominus præcedebat ad oſtēdendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux* Exod. 13.

eſſet

„*eſſet itineris vtroque tempore. Nunquam defuit columna nubis per diem,*
„*nec columna ignis per noctem coram populo. Iam verò his quæ commemorata fuerant beneficiis, ac ſingularis prouidentiæ & curæ atq; diuinæ bonitatis ac dilectionis erga ſe argumentis commemoratis ac deſideratis, Iſraeliticus populus Deum tantam admiratus mutationem compellat, quem nec cæcum, nec otioſum, nes humanas res negligetem, vel ex tot narratis exemplis credere conuenit: nec minùs quàm anteà humanæ miſeriæ & ærumnæ ſuæ ipſorum præcipuè miſertum: quippe iſtam miſericordiæ & beneuolentiæ non modò extinctionem, ſed neque remiſsionem diuina ſimplicitas & bonitas naturæ exiſtimare permittit. Verum quidem eſt illum prædixiſſe comminatum, Vadens reuertar ad locum meum, donec deficiatis, & quæratis faciem meam. Verùm id mirabile videtur iſtis, quinam fieri poſsit vt ſuam erga ipſos voluntatem mutarit Deus, magnamq; illam bonitatem & miſericordiam contineat, cùm ipſe mutationis expers credatur, & ſit.*

Hoſeæ 5.

Attende de cælo, & vide de habitaculo ſancto tuo, & ſolio gloriæ tuæ; vbi eſt zelus tuus, fortitudo tua? multitudo viſcerum & miſerationum tuarum? Super me continuerunt ſe.

Vltrà pathos, quod oratio hæc ac ſupplicatio præfert, diuinæ etiam gloriæ ſtudium includit, atq; vtroque nomine ad perorandum & impetrandū inſtruitur. Intereſſe enim diuinæ gloriæ ſignificat curare, vt nihil vnquam de maximi atq; praſtanteſsimi nominis Dei gloria apud mortales minuatur, vel in dubium verti poſsit. Gloriam autem Dei quondam duobus nominibus fuiſſe celebratam, zeli & vltionis in eos, qui populo à ſe delecto iniurij fuiſſent, & fortitudinis, quæ zelum efficaciter vlta fuerit. Hanc verò gloriam vtroque nomine comparatam, perpetuò conſeruatam & aſſertam oportere. Hunc locum vt aptiſsimum & expeditiſsimum repetere, & ad ſuam exorandam cauſam vſurpare ac tractare Iſraelitæ in afflictis rebus conſueuere. S. S. E. Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da glo-
„*riam, ſuper miſericordia tua & veritate tua: nequando dicant gentes, Vbi*
„*eſt Deus eorum? Quamquam verò illum in cælo eſſe credant, atque prædicent, quem antea tanquam principem ſingulari prouidentia inter ſe agere, & præſentiam ſuā in ſacro vel tabernaculo, vel templo multis argumentis probantem agnoſcebant, atq; hoc pacto ſuas in omni controuerſia ac diſputatione apud alios homines defendebant partes, quāquam nunc in ſuum ſolium ſupremumq; cælum reuerſum intelligant: nec iam ſibi vt antea fauentem experiantur; tamen inde proſpicere & intueri, & nomini ſuo magno conſulere poſſe credunt: idq; agere orant, atq; ex conſequenti, vltorem, vindicem, & fortiſsimum ſeſe ipſis propter nomen ſuum præſtare cupiunt, & poſcunt.* Vbi eſt zelus tuus? *quo genti noſtræ grauiſsimam iniuriam ab inimicis illatam, fortiſsimè vltus fuiſti?* & fortitudo tua? *atque adeò quod nominis tui bonitatem & gloriam ſingulari præconio commendare ſolet,* multitudo viſcerum tuorum? *viſcera materna nomen* RAHHAMIM *ſignificat. quæ vehementiſsimi amoris & miſerationis propria ſedes habentur. Hæc ſacer ſermo diuinæ miſericordiæ conſultò, & ex vera efficacitate*

Dei gloria.

Pſal.

affin-

affingit, quæ cùm tantum Dei gloriæ decus arrogent, peruerſa & æterna nunquamq; otioſa eſſe conſequitur: atque ſi ea agerent, nihil proprium in toto hominum genere manere poſſe neceſſe erat. Nec vero eadem aliàs occluſa eſſe, cùm omnibus omnium maiorum hominibus, & publicis rebus conſuluit, nunc ſuper me continuerint ſe. *Maximæ nouitatis argumentum duplex vno verbo pronunciat: alterum eſt, continuiſſe ſeſe viſcera Dei: alterum verò aduerſus eum populum ſe continuiſſe, erga quem antea ſingulari & fauentiſſimo declarabantur affectu. Mirum verò maximeq; ſupernum iſtud in te, viſceribusq; tuis, non paternis modò, ſed maternis etiam, mirum vnquam ſeſe continuiſſe præter omne paterni affectus exemplum. Nemo enim pater eſt, cuius mens, cuiusq; viſcera vllis in filiorum duris temporibus miſereri deſinant. Atqui*

Tu enim pater noſter, & Abraham neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos.

Ingentem affectum & orantium indicare, & audientis Dei tentare, orationis auctor ſtudet. idq; argumentatio ex rerum natura ducta munitur. Eſt autem in argumentatione enthymema expreſſum. Significatum enim erat fieri non poſſe vt paterna viſcera miſereri deſinerent, quæ prior in argumentatione enunciatio fuit: huic altera ſubiungitur, poſterior à Dialecticis ſiue minor dicta, quibus firmatis collectionis conſtat ſententia. Omnis pater filiis miſeretur afflictis: Tu verò es pater noſter. Qui ergo fieri poteſt noſtri vt non te miſereat, non ſolùm communi miſericordia, atque erga omnes homines prouidentia, ſed paterna tua in nos ſingulariter dilectos & filios appellatos: quippe qui neminem, præter te, agnoſcere aut appellare poßimus Patrem: vtpote ſolum ſemper & vnicum in noſtris rebus omnibus experti. Nam quanquam Abraham antiquum & primum, & Iſraelem recentiorem & proximum noſtri ſatorem generis, à quo nomen duximus, fuerimus ſortiti, non tamen illorum in nos vlla paterna vel officia, vel beneficia conſtant, aut conſtiterunt vnquã: quippe qui tam diu eſt quod è viuis exceſſerint, vt illorum neuter vel nos nouerit, vel nobis notus fuerit, aut vnquam proſpexerit, vel fauerit. & Abraham neſciuit nos. *qui antiquiſſimus progenitor noſter dicitur.* & Iſrael, *à quo Iſraelitæ dicimur,* ignorauit nos. LO IACHIRANV, non agnoſcet nos. *in futuro tempore ſingulari ſignificatione pronunciatum. Ille propter antiquitatem non nouit nos, neque vnquam domi niſi vnicum filium, ad ſummum duos vidit nepotes. Hic verò quamquã duodecim familiarum parens fuerit, ſi tamen modò è mortuis extaret,* non nos agnoſceret, *vtpote longè æuo ſuo remotos, & quos nunquam viderit, aut allocutus fuerit, vel aliquo paterno affecerit beneficio. At verò* tu, *qui in æternum permanes, qui ſemper viuis, qui ſemper agis, humanasq; perpetuo res curas & moderaris,* tu *ipſe* Domine Pater noſter, *qui ſingularibus exemplis nobis quondam proſpexiſti & fauiſti, qui præterquam quod inter inimicos conſeruaſti & amplificaſti, opportuniſſimè etiam ex ſeruitute vindicaſti* redemptor noſter. *Demum nec Abrahamus, nec Iſrael à ſeculo fuerunt, niſi quando à te facti & conſerua-*

ſeruati ſunt, nec iidem nūc exſtant, virtus verò & efficacitas atq; efficientia tua æterna eſt, & quod nunc propterea obtines, A ſeculo nomē tuum. ME GHOLAM SEMECHA. præ ſeculo nomen tuum. *Non modò antequam Abraham, ſed antequam mūdus fieret ſemper bonos nomenq; tuum laudesq; valebant. Maior & amplior huius formulæ ſignificatio eſt, quàm vt Latinè reddi ſimpliciter ferat: tamen commentando ex parte declarabitur* MIN *vocula exceptionibus & comparationibus, atque efficacitatibus, temporum etiam exceſſibus, & cauſis etiam quamobrem ſiue finalibus adhibetur ſignificandis cui Latinæ illæ omnes atque aliæ nonnullæ reſpondēt.* vltrà antè, ex, præ, à, præter, propter, ſecundùm. *Nomen verò* GHOLAM *iam aliàs diximus mundum, ſeculum, & abſconditum, atq; iam peractum ſignificare. Erit itaque formulæ huius paraphraſtica interpretatio, Efficacitas tua [Namq; hoc ſignificat* SEM, *pro quo Latinè* nomen *reddimus] efficacitas, inquā, tua ante mundū, ante tēpus, præ totius mundi ac tēporis vt vltra mundū ac ſecula ab omni* GHOLAM, *id eſt, abſconſione immunis, eademq; ſecūdùm* GHOLAM, *id eſt, quādiu fuerit mūdus, & vltrà, nunquā igitur abſcōſa, nūquamq; abſcōdenda, ſed* MEGHOLAM. *Hanc verò confeſſionē apud hunc Vatem declaratā eo tempore, quo Abrahami & Iſraelis ad virtutis & efficientiæ comparationem mentio fieret, quoq; illorum nulla opis ferendæ facultas appareret, quæ cum diutno, perpetuo, & æterno componeretur nomine: hanc ipſam reſpexiſſe nobis videtur Chriſtus, cùm interrogatus, Nunquid tu maior es patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt,*
» *& Prophetæ mortui ſunt? quem te ipſum facis? Reſpondit, Amen dico vo-*
» *bis, antequam Abraham fieret, ego ſum. Quod cùm illi pro loci & argumēti*
» *ratione intellexiſſent, tulerunt lapides vt iacerent in illum. Itaq; colligunt hoc argumento ſolum Deum ſeſe perpetuò curantem, liberatorem, magnisq; beneficiis afficientem fuiſſe expertos, neminē præterea alium habere, quem patrem, beneficum, fauentem atq; proſpicientem appellare debeant, & poſſint, illumq; ſolum à ſeculo fuiſſe & eſſe efficaciſsimū Patrem ante Abrahamum, Patrem perpetuum etiam poſt Iſraelem: neque ipſos vnquam vel redemptorem, vel ſuarum rerum curatorē ac defenſorem amplificatorémve vel habuiſſe, vel agnouiſſe. duobus autem nominatis progenitoribus; primò ac poſtremò, tertium intermedium Iſaacum non opus fuit nominare. Ex hac argumentatione oratio ad deprecationem flexa miſeri ſtatus eorum, qui deprecantur, faciem depingit longè diuerſam, ab eo quod paterni nominis prouidentia & cura poſcere videatur. Namq; erga degenerantes aut errantes filios paterna correptio, obiurgatio, correctioq; ſpectatur, repudiatio verò, abdicatio, & induratio extremi & rariſsimi in filiorum cauſa exemplè fuerit. Vnde hæc, quæ ſubiungitur, argumentatio in querimoniæ formam traducta eſt.*

Min. · Gholam. · Ioan. · Iudæorum miſer ſtatus.

Quare errare nos feciſti Domine de viis tuis? induraſti cor noſtrum, ne timeremus te?

Miſerrimum & calamitoſum, imò & horrendum, Iſraelis ſecundùm carnem ſtatum à ſe prævuiſum Iſaias totius populi nomine ac verbis deſcribens,

bens, lamentatur: ſtatum inquam adeo ab antiquis diuerſum ſeculis, vt illum beatitatem à patre in filios prouiſam, iſtum calamitatem ab aduerſo ac deteſtatore Deo immiſſam iidem ipſi, quorum res agitur, interpretentur. Hunc autem ſtatum ab Euangelij Chriſti ab iſtis repulſi ſeculo, ad hæc vſq; tempora durare, hiſtoriis omnibus, & perpetuis exemplis compertum eſt. Quemadmodum verò ab illis Deus in erroris & indurationis huius cauſa ponatur, audire primùm operæpretium fuerit; deinde verò veritatẽ ipſam ex diuinis petere & cognoſcere ſcriptis. Iſraelitæ, qui in toto orbe diſperſi, vagantur magis quàm agunt, nullius quietis, nulliuſve ſecuritatis compotes, dum ceteras gentes, quas longè ſe inferiores ducunt, quietè ac tutò viuere plerunq; atque inter ſe & alios, etiam eos qui minus probi videntur, quiq; aliis iniurij ſunt, aut inſolenter imperant, magis quàm probos ac ſimplices, & innocentes rebus vti ſecundis cernunt; dumq; ſe præter omnes mortales affligi vexariq; ſentiunt, in communem reproborum ſententiam vergunt & inclinantur, hominum res à Deo vel negligi, & non curari, vel voluntatis mutatione inuerti ac turbari. Atque ita paulatim à virtutis & pietatis cogitatione ad commune hominum improborum ſtudium deflectuntur. Quo in ſenſu propter diuturnitatem dureſcunt, & ex prauis plerunque fiunt peruerſiſſimi. Atq; hoc pacto qui ſuam vicem attentiùs conſideratam dolent, eam, quam Vates refert, orationem vſurpant: non qui putent Deum bonorum auctorem malum ex profeſſo inferre aut ſuadere, quibus illud commune in ore prouerbium frequens eſt. AIN RAGH IORED MILMAGHALAH, MALVM EX SVPERNO NON DESCENDIT. *Id quod de peccato ac ſcelere intelligunt, quod in ſcholis culpæ malum dicitur. Namque pœnas, mulctas, & caſtigationes animaduerſionesq;, atque alias huius vitæ mortalis ærumnas, quæ pœnæ malum dicuntur, vt non ſua illa ſententia complectatur, Micheæ reſponſum iiſdem fere verbis pronunciatum excipit.* CHI IARAD RAGH MEETH ADONAI LESAGHAR IERVSALAIM. *Quia deſcendit malum à Domino in portam Ieruſalem. Quare non auerſionis vel indurationis immediatum (vti loqui ſolemus) auctorem Deũ nominant, ſed eatenus in cauſa eſſe aiunt, quatenus non ita ipſos vt antea defendendo, curando, & vindicando, ſed tantis caſibus agi, tot ærumnis vexari impunè ſinens vt à pietatis virtutiſq; ſtudio, à ſacræ veritatis contemplatione & amore deſciſcere & aberrare permittat. atque hoc nomine querelam illam vſurpent:* Quare errare nos feciſti Domine de viis tuis? [*de lege, quæ iuſtificationum tuarum via eſt*] induraſti cor noſtrum [*malæ ac peruerſæ vitæ longa iam conſuetudine diuturnoq; malorum ſenſu*] ne timeremus te? *Verùm enimuerò nos à ſacris teſtamenti noui ſcriptoribus inſtructi & informati erroneam iſtam prauamq; mentem atque obſcuram & ieiunam diuinorum arcanorum interpretationem, & conſequentem ex his indurationem diuino iudicio illis permiſſam cũ Iſaia intelligimus. non quod ea induratio à Deo, vt auctore, ſed vt à iudice proficiſcatur: nempe diuinum ſuum ſubtrahente ſubſidij lumen, quod aliis gentibus, vſurpare cupientibus, non negatur. Cui ſubtracto tenebras exteriores ſuccedere con-*

Malorũ auctor Deus non eſt.

Mich. 1.

Induratio Iudæorum.

ſequens fuerit, vt ſubducto ſolis calori ac lumini obſcuritas & frigus è ve-
ſtigio ſuccedit: neque tamen ſol propriè frigoris ac tenebrarum efficax dici
poßit, ſed vel permiſſor, vel decretor illorum laborum ex abſentia ſui na-
turali conſecutione expectandorum. Quod quidem horrendum iudicium
non ſemel antea per ſacros Vates prædictum ac denunciatum cauere, vita-
re, atq; omnino auerſari ac deprecari, legitimisq; procurare modis identi-
Ierem. 4. *dem moniti, admoniti, ſuaſiq; fuerant. Hæc enim dicit Dominus viro Iuda*
» *& Ieruſalem, Nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas; circum-*
» *cidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum viri Iuda, &*
» *habitatores Ieruſalem, ne fortè egrediatur vt ignis indignatio mea, & ſuc-*
» *cendam, & non ſit qui extinguat propter malitiam cogitationũ veſtrarum.*
Ibid. 14. *Illud etiam apertiùs: Audite auribus, & percipite, nolite eleuari: quia Do-*
» *minus locutus eſt. Date Domino Deo veſtro gloriam antequam contene-*
» *breſcat, & antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos. Expe-*
» *ctabitis lucem, & ponet eam in vmbram mortis, & in caliginem. Apud*
Ibid. 12. *eundem quoque Vatem præuiſum exercendum iudicium hoc ita declaratur.*
» *Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam, dedi dilectam animam*
» *meam in manus inimicorum eius. Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi leo in*
» *ſylua: dedit contra me vocem [Tolle, tolle, Crucifige eum. &. Nolumus hũc*
» *regnare ſuper nos. &, Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros.] ideo*
Sup 30. *odiui eam. & apud hunc Vatẽ: Propterea hæc dicit Dominus ſanctus Iſrael,*
» *Eo quòd reprobaſtis verbum hoc, & ſperaſtis in calumnia & tumultu, &*
» *innixi eſtis ſuper eo; propterea erit vobis iniquitas hæc, ſicut interruptio ca-*
» *dens, & requiſita in muro excelſo; quoniam ſubitò, dum non ſperatur, ve-*
Act. 28. *niet contritio eius. Cùm autem conſtituiſſent Paulo diem, venerunt ad eum*
» *in hoſpitium plures: quibus exponebat, teſtificans regnum Dei, ſuadensq;*
» *eis de Ieſu ex lege Moyſi & Prophetis à manè vſque ad veſperam. & qui-*
» *dam credebant iis quæ dicebantur: quidam verò non credebant. Cumq; in-*
» *uicem non eſſent conſentientes, diſcedebant, dicente Paulo vnum verbum,*
» *quia bene Spiritus ſanctus locutus eſt per Iſaiam Prophetam ad patres no-*
» *ſtros, dicens: Vade ad populum iſtum, & dic ad eos: Aure audietis, & non*
» *intelligetis; & videntes videbitis, & non perſpicietis: Incraſſatũ eſt enim*
» *cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos ſuos compreſſe-*
» *runt, ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, &*
» *conuertantur, & ſanem eos. Rogatus etiam Ieſus quare in parabolis loque-*
retur ad Iudæos, in cauſa eſſe dixit illorum malitiam atq; mentem à verita-
Matth. 13. *tis amore alienam. Vobis [diſcipulis] datum eſt noſce myſteria regni cælo-*
» *rum, illis autem non eſt datum: qui enim habet, dabitur ei, & abundabit:*
» *qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo. Ideo in parabolis loquor*
» *eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt:*
» *& adimpletur in eis prophetia Iſaiæ, dicens: Auditu audietis, & non in-*
2. Theſſ. 2. *telligetis: & videntes videbitis, & non videbitis, &c. Eo quòd caritatem*
» *veritatis non acceperunt, vt ſalui fierent; ideo mittet illis Deus operationem*
» *erroris, vt credant mendacio: vt iudicentur omnes qui non crediderunt*

veri-

veritati, ſed conſenſerunt iniquitati. Nos autem debemus gratias agere " ſemper pro vobis fratres [qui credidiſtis] dilecti à Deo, quod elegerit vos " Deus primitias in ſalutem in ſanctificatione ſpiritus & fide veritatis, & " vocauit vos per Euangelium noſtrum in acquiſitionem gloriæ Domini no- " ſtri Ieſu Chriſti. Quòd ſi opertum eſt Euangelium noſtrum, in iis qui per- 2.Cor.4. *eunt eſt opertum: in quibus Deus huius ſeculi excæcauit mentes infidelium " vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei. " Hoc argumentum, hæc ſeries, hæc ratio rerum illius querimoniæ.* Quare errare nos feciſti de viis tuis? induraſti cor noſtrum, ne timeremus te? *Verum enimuerò qui pacis & ſalutis, non afflictionis & perditionis cogitationes cogitare ſe profitetur Deus, quamquam iſtos ob propriam noxam conditionem huiuſmodi miſerrimam tenere ſit paſſus; tamen à miſericordiæ ſpe & aſsidua poſtulatione, atque vehementi efflagitatione noluit manere deiectos; ſed, modò ſuam miſeriam & culpā agnoſcentes, deprecari, poſcere, atque ſummis votis apud Patrem omnium, ac ſuum ſingulariter tutelarem Deum agere; vt ab iſto miſerrimo ſtatu in ſanam redacti mentem, ſuiq́ ſceleris verè ac ſeriò pertæſi ad eam reducantur ſortem, in qua ſeſe ad ſalutis veræ communionem orandam ac petendam, diuinoq́ munere obtinendam poſsint præparare. quæ omnia ex certo Dei beneficio ac dono & agere & conſequi, atq; aſſequi poſſe intelligimus. Atque ad hanc rationem illud pertinet: Conuerte nos Domine, & conuertemur ad te. Quo in argumento ac negotio nihil proprij meriti, aut priuatæ iuſtitiæ allegare, ſed ad ſolum diuinæ benignitatis, clementiæ ac miſericordiæ propoſitum prouocare, illudq́ promouendum & firmandum poſtulare, ſeq́ ipſos eo nomine inſinuare, quòd præter omnes nationes orbis ceteras Deus ipſe ſingulari prouidentia ſecretos, atque in duodecim tribus diſtinctos & peculiaris populi titulo inſignitos, multiſq́ beneficiis affectos voluerit; conuentatq́ modò eoſdem totidem nominibus inſtructos, inter ceteras ad lucem admiſſas recipi nationes. Hanc rationem ineundam ac tenendam ſignificans ac ſuadens Iſaias, conformationis ſchemate velut vnus ipſe è populo inſtruit, ac prædicendo dictat.*

Conuertere propter ſeruos tuos, tribus hæreditatis tuæ.

Communis & celebris antiquis locus, ex quo ad petitiones, preces, deprecationes ac ſupplicationes, argumenta & colores petuntur, diuini propoſiti commemoratio & appellatio eſt. quem locum nunquam nequicquam vſurpatum obſeruauimus. vt, Propter Dauid ſeruum tuum non auertas faciem Chriſti tui. Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum, " de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Celeberrima illa & arcana " Habbakuki vatis oratio omnis in hoc diuini propoſiti verſatur cardine, Domine audiui auditionem tuam, & timui. &c. quæ noſtris commentariis " proſecuti ſumus. Hunc locum vt ſacram ſpei anchoram nunc etiam deprecationis huius auctores vſurpant, non ſua merita, ſed electionem allegantes Dei, qui quondam promiſſo & benedicto interpoſito Iſraeli nomen ipſe fecerit, & indiderit, duodecimq́ tribubus diſtinctum voluerit, ſeruosq́ appella-

Propoſitum diuinum.

Pſal.

Habac.3.

 pella-

pellauit ſuos, & ſuæ hæreditatis titulo ſe creauerit. quare & voluntatem illam ſuam firmari ac promoueri conueniat. Id quod ex æquo & bono poſtulatum fuiſſe Angelus apud Apocalypſis ſcriptorem iiſdem ferè verbis, qui-
Apoc.7. *bus hic petitur, declarauit: Et clamauit voce magna quatuor Angelis, qui-*
» *bus datum eſt nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ & ma-*
» *ri; nec arboribus, quoad vſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eo-*
» *rum. Et audiui numerum ſignatorum centum quadraginta quatuor millia*
» *ſignati ex omni tribu filiorum Iſrael. Atq; ita non allegat nunc Abrahamum & Iſaacum, quòd eos ſingulariter quondã curatos & fotos iam compoſitos non exſtare conſtet, ſed eos, quos adhuc ſuis nominibus ſupereſſe & manere Deus voluerit, nempe tribus duodecim non fruſtra conſeruatas, ſed antiquæ Dei hæreditatis adhuc monumentum, vel ipſis nominibus retinentes; cùm nullum Deus facere beneficium, quod non firmare & promouere velit, credendus fuerit; vtpote nec natura mutabilis, nec voluntate*
» *variabilis; Sine pœnitentia enim ſunt vocationes ac dona Dei.*

* Quaſi nihilum poſſederunt populum ſanctum tuum: hoſtes noſtri conculcauerunt ſanctificationem tuam.

Huius Latini verſus explicatio citra primauæ linguæ opem difficilior redditur, cùm videatur ad vnum tempus referri ſententia, quæ ad duo tempora, duasq; perſonas refertur. In ſacra lingua ſic verſus incipit. LEMITS-
Mitsghar. GHAR IARSVGHAM KODSECHA. *Ex verbo.* Ad MITSGHAR poſſederunt populus ſanctitatis tuæ. MITSGHAR *ex verbo ſignificat* prope parum, *cùm ad tempus vel actionem, ſiue* prope paruum, *cùm ad rem aliquam refertur. Hoc vocabulo exceptum & conceſſum ſibi oppidum in Sodomorum euerſione Lot nominauerat, hoc etiam Ieroſolymam vrbem nomi-*
Psal 47. *natam legimus: Memor ero tui de terra Iordanis & Hermonij, à monte modico.* MITSGHAR *legimus, pro quo* modicum *Latinus interpres habet. Porrò ſi legamus* populum ſanctum tuum, *ſignificatio omnis ad alienigenas & hoſtes refertur, qui ſanctam ciuitatem cum templo inuaſerunt, & vſurparunt. Sed verbum* IARASV, poſſederunt hæreditate, *vetat ſententiam ad gentes referri: qui, quamquam hoſtiliter terram & vrbẽ, templumq; inuaſerunt & expugnarunt, non tamen vel bono iure poſſederunt, vel vi hæreditatem coluerunt; imò contrà, quod in altera verſus parte exponitur,* hoſtes conculcauerunt ſanctificationem tuam. *Itaq; interpretationem hanc ſic diſtinguimus, ut vocabulum* MITSGHAR *vtramq; ſignificationem retinere intelligamus.* ad parum paruum ſanctuarium tuum populus tuus poſſederunt. *Paruum ſanctuarium vocatur hoc loco Ieruſalem terreſtris, ciuitas quidem ſancta Deo, ſed cum habitatoris maieſtate, & cum cælo (quod ſolium ſanctum Dei hoc in capite dictum) collata paruum profectò erat, Deo tamen dicatum; vbi ipſi Iſraelitæ, tanquam Lot in* MITSGHAR *ab incendio aliarum vrbium incolumis, à ceterarum gentium turbulenta tempeſtate ſemoti agebant. Atque hoc diuino propoſito prouiſum & conſultum, exiguo tamen tempore poſſeſſum in hoſtiũ non poſſeſsionem, ſed conculcationẽ ceſsiſſe, cum affectu ac dolore queruntur ac lamentantur.*

Nam

Nam ſi tempus, quo reſpublica illa integra manebat: cum ceteris calamita-
tum & captiuitatum temporibus comparetur, quaſi nihilum poſſederũt
populus [*Iſraelis tribus*] ſanctum tuum.

Facti ſumus quaſi in principio, cùm non dominareris noſtri, nec
inuocaretur nomen tuum ſuper nos.

Latina verſio hæc veluti expoſitio, ſiue expolitio videtur ſuperioris ver-
ſus, quod eiecti ac diſperſi Iſraelitæ ſine lege, ſine prophetia, ceteris gentibus
vel ſimili, vel deteriori ſint loco. quæ res cum allegato Dei propoſito non co-
hæreat. Veruntamen primæuæ lectionis quoque ſententiæ ſatisfaciendum
cenſemus. HAIINV MEGHOLAM LO MASALTHA BAM LO NIKRA SE-
MECHA GHALEHEM. *Ex verbo*, Fuimus à ſeculo, non dominatus es
in eis, non inuocatum eſt nomen tuum ſuper eos. *Magnum arcanum* Miſericordiæ Dei erga gentes.
miſericordiæ diuinæ erga gentes comparatione hac ſubindicatur, quod Iſ-
raelitas in admirationem & inuidentiam quandam rapiat, & ad miſeriæ
deprecationem incitet atq; incendat magis. Atq; orationis germanum ſen-
ſum diſpũctio ad exemplar inducta non parum iuuerit. Fuimus à ſeculo,
non dominatus es in eis, non inuocatum eſt nomen tuum ſuper eos.
Sententiæ pondus in comparatione vtriuſque partis conſiſtit, quòd propoſi-
tum Dei conſtare & promoueri oporteat; hoc autem propoſitum in Iſraeli- Differentia Iudæi & Græci.
tarum tribubus oſtenſum ac declaratum fuerit, vtpote à Deo ipſo creatis,
diſtinctis, nominatis, atque à principio ſecretis, & in populi Dei poſſeſſio-
ne & vſu conſtitutis, à Deoq; ipſo per latam legem inſtructis, gubernatis,
& nominis Tetragrãmati appellatione & conſecratione ſingulariter inſi-
gnitis & ornatis. Id quod non fecerat omni nationi, & iudicia ſua non
manifeſtauerat eis. Et nunc alias gentes curari, & ad ſanctæ terræ com-
munionem admiſſas foueri. Tribus autem Iſraelis diſperſas atque negle-
ctas & repudiatas, miſeram & ærumnoſam prorſus conditionem tam diu
tenere. Fuimus, *id omne ſeſe fuiſſe & habuiſſe aiunt, quod gentibus tunc*
datum negant, Eſtq; ecliptica ſimul & pathetica oratio, vt illud, Fuimus Virg.
Troës, Stetit Ilium, & ingens gloria Teucrorum. à ſeculo, *medium eſt,*
& affirmationem præcedentem fuimus, *& negata poſtea vtrimque aſpi-*
cit. à ſeculo non dominatus es eis. MASAL, *legibus & inſtitutis,* Masal.
certiſq; iudiciis gubernare ſignificat. & non inuocatũ eſt nomen tuum
ſuper eos. *Quamquam nomen* ELOHIM *ad omnes omnium regionum* Elohim.
gentes gubernandas appellatum ſit, nomen tamen IEHVEH *Iſraeli ſingula-* Iehveh.
ri prærogatiua adiunctum, frequentiſſimè auditur DOMINVS DEVS
ISRAEL.

CAPVT LXIV.

VTINAM dirumperes cælos, & deſcenderes, à facie tua
montes defluerent.

NVLLAM *rem à Deo ſine certo conſilio, & præter cauſam certam*
fieri, diuinæ ſapientiæ, virtutis, ac bonitatis ratio euincit: quare maxima-
rum Dei actionum maximam, certam, conſtantem, atq; adeo immutabilem
esse

*eſſe oportet cauſam: quòd ſi euenta nondum apertè videantur, tamen exſpe-
ctari conuenit & attendere certiſſima. Hoc idem primum principium ab
Iſaia nunc ex Iſraelitarum perſona ad petitionis & expectationis argu-
menta inductum, Habakuk etiam Vates in illa ſua oratione vſurpauit, illud
cumprimis apud ſe certum ſtatuens, liberationem populi ex Ægypto, cum
legiſlatæ beneficio, & harum circumſtantias quamplurimas rerum non
fuiſſe fruſtrà, aut ad breuem aliquam, & cito deſituram cauſam ſuſcepta.
Hoc idem miratus Iſraeliticus populus nunc in ſuam, & eorum quos hoſtes
vocat, cauſam repetit. Dixerat enim ſuam gentem duodecim diſtinctā tri-
bubus Dei* IEHVEH *populum appellatam, nomenq́; Domini ſuper illam in-
uocatum allegauerat. id quod aliis nationibus nō contigerat. Iam verò alia
complura & miracula, & beneficia commemorat, quæ aduerſum ſe quon-
dam edita conſtitere, quorum exempla apud gentes requirit. quæ ſuis parti-
bus & circūſtantiis enumerata ac deſcripta quorſum tenderent, ſcire aut
& expectat; & maius aliquid atque hominibus cognitu impoſſibile huma-
na tantùm ſentientibus & ſapientibus credit, ſed illa, quæcunque ſint, ſibi
communicari exoptat, vouet, & poſtulat. Incipit autem oratio à dictione*
LV. *indeclinabili* LV, *quæ interdum interrogationi non negante, frequentius
autem exceptioni & optioni ſeruit: hac tamen obſeruatione, quòd quando*
Gen. *futuro adiungitur verbo, optionem & exceptionem indicat, vt,* LV IISMA-
GHEL IIHHIEH. *Vtinam Iſmaël uiuat. Quando verò cum præterito re-
peritur, mediam ſignificationem tam ad præteritum, quàm ad futurum re-*
Iud.8. *ferendam interrogationis & optionis obtinet vim. vt,* LV HCHHITHEM
OTHAM. *Vtinam viuere ſiueretis illos. Hoc loco præteritis vno & alteri, ac
tertio inſeruiens vtrumque, vti diximus, agit, affirmat præteritum exem-
plum, & ſimile etiam requirit. Quo enim tempore lata fuit lex, Dominus
in montem Sinam deſcendiſſe, ſuamq́; maieſtatem & præſentiam, ſingula-
remq́; in Iſraelitas prouidentiam terribilibus ac maximis ſignis declaraſſe
narratur. quæ numquid aliarum cauſa gentium edita fuerint, interrogat
ex perſona Vates, atque vt poſtea etiam ederentur optat, & requirit: vt no-
tum fieret gentium quoque cauſam ſingulariter à Deo foueri & agi. quòd
ſi Iſraelitarum tantùm cauſa illa primùm edita conſtant, nec ſimile vllum
aliàs viſum exemplum, redit ad propoſitum querimoniæ argumentatio, cur
tantarum rerum cauſa non proceſſerit, vlteriusq́; promota fuerit? Sin verò
gentium etiam cauſa ille aduentus Dei fuit, cur ipſi, quibus conſpectus eſt,
& nullis præterea aliis, illius beneficij, quo gētes afficiuntur, fructu & vſu
abdicati ſunt. Verùm enimuerò ſi illud maioris alicuius boni, quo gentes
communicant, ſpiritalis videlicet animorum beneficij communicationē por-
tēdebat, adhuc ſuo in cardine querimonia atq́; deſiderium verſatur, cur ipſi,
qui ſolis portenti & ſigni compotes facti fuerant, ſignificatæ rei communi-
catione excluduntur. Hæc huius argumentationis præcipua ratio ac ſeries,
& ſumma eſt, quam lectione explicanda ſequimur.* Vtinam dirumperes
cælos & deſcenderes. *Exemplar ex verbo habet.* LV dirupiſti cælos, ac
deſcendiſti? *Nunquid non dirupiſti, atq́; vtinā denuo dirumperes noſtra
cauſa;*

cauſa; vel ſi iſtis faues, ipſis etiam dirumperes; quem aduentum tuum illa conſecuta ſunt; conſequerentur etiam denuo; nempe, à facie tua montes defluerent. defluxerunt. Sicut exuſtio ignis tabeſcerent. *Ex verbo*, Sicut exurere ignem liquefactionum. *Illa in lingua* ESHAMAZZIM *ve-* Eshmaz-zim. *hementiſsima ignis atq; efficaciſsima vis dicitur, quæ liquida abſumere, ac dura, vt lapides, terram, metalla liquefacere valet. Ita ignis illius in Sina ſpectati, efficientiſsima fuit virtus; qua montes tabeſcerent*, liquarentur aquæ, arderent igni. *Atq; hoc pacto vt nobis euenit, ita eueniret.*

Vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis, à facie tua gentes diſturbarentur.

Seruatoris, liberatoris, ac principis, legiſlatoris & gubernatoris auctoritas nomine Tetragammato appellato Iſraelitis apud Sinam nota fuiſſe, vel ex illo edicto conſtat: Audi Iſrael, Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi “
te de terra Ægypti: ita etiam fieret inimicis tuis, *ſi modò illorum cauſa* “
quoque deſcendens, & à facie tua gentes turbarentur. *Eadem res hîc repetitur, quæ in illa legitur historia.* MIPANEICHA GOIM IIRGAZV. à facie tua gentes turbarentur. *Illic verò eſt.* VEIAHHARADCHOL HAGAM ASSER BAMAHHANEH. & contremuit omnis populus, qui in caſtris. *Mirabile vero eſſe aiunt, ſe, qui duriora tulerint, ſuauium vſura pulſos, frui autem eos, qui nec eadem paſsi, nec ſimilia ſpectauerint ſigna, ac diuinæ præſentiæ teſtimonia.*

Cùm feceris mirabilia, non ſuſtinebimus: deſcendiſti, & à facie tua montes fluxerunt.

In exemplari BEGHASOTHCHA NORAOTH LONIKVEH. In facere te terribilia non ſuſtinebimus. *Significat maxima ac terribilia aduentus ſui ſigna à Deo apud Sinam montem edita; quæ humanis ipſorum viribus intrepidè ferre non valuerint: nec verò hoc mirandum, quando fortiſsima terræ, & firmiſsima fundamenta montes videlicet à facie venientis Dei fluxerint. quare & Sina mons propter aduentum Dei tantum pauorem hominibus incutientem, terribilis cognomentum obtinuit. Atqui tantum mærorem ac laborem, quantum ipſorum, qui ſpectauerant, animi paſsi ſunt, maximi cuiuſpiam beneficij atq; fructus conſolatione & vſu commutatum iri diuinæ virtutis bonitatisq; ratio promittere credebatur: cuius veritas ſperanda, expectandaq; commendata erat. S. S. E. Vos autem poſtquam audiſtis* Deut. 5.
vocem de medio tenebrarum, & montem ardere vidiſtis, acceſsiſtis ad me “
omnes principes tribuum, & maiores natu, atq; dixiſtis: Ecce oſtendit no- “
bis Dominus Deus noſter maieſtatem & magnitudinem ſuam: vocē enim “
eius audiuimus de medio ignis, & probauimus hodie, quòd loquēte Deo cum “
homine, vixerit homo. Cur ergo moriemur, & deuorabit nos ignis hic maxi- “
mus? Si enim audierimus vltrà vocē Domini Dei noſtri, moriemur. Quid “
eſt omnis caro, vt audiat vocem Dei viuentis, qui de medio ignis loquitur, “
ſicut nos audiuimus, & poſsit viuere? Tu magis accede, & audi cuncta quæ “
dixerit Deus noſter tibi; loquerisq; ad nos, & nos audientes, faciemus ea. “
Quod cùm audiſſet Dominus, ait ad me, Audiui vocem verborum populi “

 huius,

„ *huius, quæ locuti ſunt tibi: benè omnia ſunt locuti. Quis det talem eos ha-*
„ *bere mentem, vt timeant me, & cuſtodiant vniuerſa mandata mea in omni*
„ *tempore*, VT BENE SIT EIS ET FILIIS EORVM IN SEMPITERNVM?

Iudæorum argumentũ. *Hoc reſponſum promiſſumq́ diuinum Iſraelitici populi perſonã & curam ſuſtinens Vates allegat, atq; argumentationem ſuam ex comparationis loco ac legibus vrget, in hunc modum. Si is, qui terribilia Dei vix ſuſtinere potuit: & tamen vtcunq; ſuſtinuit, maximum Dei beneficium nondum obtinuit, qua ratione, quóve iure ille obtinebit, qui terribilia Dei non ſuſtinuit; ſed nec vidit quidem. Quod ſi tamen ille populus, qui nec ſuſtinuit, nec vidit, beneficiis maximis Dei donatus eſt, cur qui vidit, & vtcunque ſuſtinuit, non potius donabitur? Hanc argumentationem obſeruare, ac diligẽter tenere, lectorem libet monere noſtrum, ſi antiquam Iſraelitarum cum gentibus de Euangelij virtute & veritate controuerſiam & æmulationẽ prudenter intelligere ac percipere iuuet. Expoſtulant enim ij qui à ſummo mane per totum diem laborantes, pondus & æſtus tulerunt, cur nondũ ad promiſſam vocentur mercedem; & cùm vocantur, eos tantundem accipere mirantur, qui vna hora tantùm fecerint; atq; ſe, qui diei laborem ſuſtinuerint*

Actor. *& æſtum. S. S. E. Et mirati ſunt ex circunciſione fideles, quòd & in gentes*
„ *gratia Spiritus ſancti effuſa eſſet, atq; dixerunt. Ergo & gẽtibus pœniten-*
„ *tiam dedit Deus ad vitam. Atq; hoc loco prior huius controuerſiæ pars inducta eſt, quærentium videlicet, cur non admittantur ad promiſſum ſuſti-*

Deut. 5. *nentibus bonum? nam promiſſi vox illa fuerat: Vt bene ſit eis, & filiis eorum in ſempiternum. quod cùm illi nondum obtinuerint, tamen ipſa verborum, quibus promiſſum eſt pronunciatum, formula* BENE SIT IN SEMPITERNVM, *& Dei promittentis facultate, liberalitate, & auctoritate maximũ, & omni humana comparatione præſtantius eſſe, creditur id, quod creditum orantes iſti rectè referunt & confitentur.*

A ſeculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.

Doni Dei magnitudo & ſublimitas. *Cùm ſolum Deum illorum, quæ ſe expectantibus bonorum præparata ſunt, cognitione valere fateantur, diuina planè bona, & nonniſi Dei filius cognoſcenda eſſe colligunt. quæ qualia ſint, & quanta cuiuſque naturæ in-*

1 Cor. 2. *telliget, qui loci huius citatorem Paulum probè tenuerit: Sermo meus &*
„ *prædicatio mea nõ in perſuaſibilibus humanis ſapientiæ verbis, ſed in oſten-*
„ *ſione ſpiritus & virtutis, vt fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed*
„ *in virtute Dei. Sapientiam autem loquimur inter perfectos, ſapientiam*
„ *verò non huius ſeculi, neque principum huius ſeculi, qui deſtruuntur: ſed*
„ *loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſti-*
„ *nauit Deus ante ſecula in gloriam noſtram, quã nemo principum huius ſe-*
„ *culi cognouit. Si enim cognouiſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſ-*
„ *ſent; ſed, ſicut ſcriptum eſt: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec*
„ *in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum. Nobis*
„ *autem reuelauit Deus per Spiritum ſuum: Spiritus enim omnia ſcrutatur,*
etiam profunda Dei. Atqui hæc maxima & humanum captum ſuperantia

bona, iis qui terribilia apud Sinam montem non ſpectauerant, nec ſuſtinuerant; tamen ſine terrore, ſine antiquo illo tanto labore & pauore contingere iſti mirantur & æmulantur: ipſi verò, qui acceperint, ſibi mutuo gratulantur, ac Deo ſupplicationes decernunt: Non enim acceßiſtis ad tractabilem Heb. 12.
montem & accenſibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ ſonum, & vocem verborum, quæ, qui audierunt, excuſarunt ſe, ne eis fieret verbum: Non enim portabant quod dicebatur, & ſi beſtia tetigerit montem, lapidabitur. & ita terribile erat quod videbatur, Moyſes dixit: Exterritus ſum & tremebundus. Sed acceßiſtis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis Ieruſalem cæleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cælis, & iudicem omnium Deum, & ſpiritus iuſtorum perfectorum, & Teſtamẽti noui mediatorem Ieſum, & ſanguinis aſperſionem melius loquentẽ quàm Abel. Aiunt itaq; Iſraelitæ ſe multo metu ac pauore tentatos, legem quidem accepiſſe à Deo: quæ quidem vitæ huius mortalis rationes bene conſtitutas, contineret ac doceret, & quietem pacemq; terreſtrem polliceretur. Verùm bona illa æterna ſibi ac filiis promiſſa, ſuis non præſtaret. atq; adeo neque illa terreſtria bona, reipub. bene conſtitutæ formam, pacis & quietis vſuram, ipſis diuturna fuiſſe, & nec eadem nunc vſui eſſe, nec illa altera maxima ac diuina conſtare, quibus gentes quondam Dei atque ipſorum hoſtes donatos & auctos frui ſe dicant.

Occurriſti lætanti & facienti iuſtitiam, in viis tuis recordabuntur tui: Ecce tu iratus es, & peccauimus, in ipſis fuimus ſemper, & ſaluabimur.

Humanæ induſtriæ ac ſapientiæ peruerſæ arti & conſuetudini illud ſolenne eſt, bona quæcunq; contigerint, vel aduerſa quæ euenerint, Dei abſolutæ voluntati ſine vlla certa vel ratione, vel conditione tribuere tanquam fortunæ mutabili hinc apicem rapienti, hic poſuiſſe audenti. Ex hoc ſemel ſubito errorum diuerticulo in illud grauißimum prædeſtinatorum præceps Prædeſtinatores.
demùm deuenitur periculum; quod immane ſectatoribus ſuis attulit exitium. Ait enim humana ſapientia, Deum per ſe ſolum efficere, vt alij boni ac pij ſint, dum videlicet fauentem, & ſecundum experiuntur; contrà etiam eundẽ in cauſa eſſe, vt alij improbi & ſcelerati euadant, qui videlicet auerſum, & ſui negligentem intelligunt. Huius verò vtriuſque ſententiæ auctorem primum, quantum obſeruatione conſequi potuimus, Satanam fuiſſe deprehendimus, qui Deo Iobi virtutem & integritatem alleganti & indicanti reſponderit: Numquid Iob fruſtra timet Deum? Nónne tu vallaſti Iob 1.
eum ac domum eius, vniuerſamq; ſubſtantiam per circuitum, operibus manuum eius benedixiſti, & poſſeßio eius creuit in terra? Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ poßidet, niſi in faciem benedixerit tibi. Rationem doctrinamq; huiuſmodi tenentes Iſraelitæ, quorum adhuc terreſtris eſt ſapientia, atq; ij præſertim quos Iſaias hac in oratione inducit (nimirum in reprobum ſenſum permiſſos) quondam virtutis ac pietatis oportunitatem & facultatem ex vſu ſingularis prouidentiæ atq; beneficio-

rum fauentis Dei natam, præſentis verò improbitatis occaſionē Dei etiam erga ſe repulſæ & negligentiæ adſcribunt. Ad quod excuſationis commentum illud à D. Paulo relatū facit. Dicis itaq; mihi, Quid adhuc queritur?
Rom. 9. » *Voluntati enim eius quis reſiſtet? Hæc præfati inductam à Vate iſtorū excuſationem ita exponimus.* Occurriſti lætanti. *Id quod D. Paulus ex iſto-*
» *rum referebat controuerſo ſermone. Cuius vult miſeretur. In exemplari eſt* PAGAGHTHA ETH SAS. *Aiunt Iſraeliticum populum quondam latè & hilariter habuiſſe, nempe à Deo obuio & fauente vltrò ſuſceptū & fotum; atq; illo tanto beneficio animatum iuſtitiam & pietatem exercuiſſe, & diuinorum beneficiorum memorem, laudes etiam celebraſſe, vtpote nō ingratum & agnoſcentem, atq; expertum ſingularem & benignam erga ſeſe Dei voluntatem, & in ipſis, quas tenebat agebatq; viis, à Deo ductum.* & facienti iuſtitiam, in viis tuis recordabuntur tui. *vt ſeruatoris & ſoſpitalis Domini atque patroni ſingularis. itaq; quod illi quondam rectè & piè egerint, ex lætitia natum fuerat, quam diuinorū in ſe beneficiorum & ſingularis curæ ac fauoris experimento percipiebāt. Nunc verò cùm vice verſa non niſi diuinam iram, auerſionem, & indignationem ſentiant, vt ipſi deiecto animo, & malorum ac miſeriarum tædio affecti à pietatis, virtutis & iuſtitiæ ſtudio ad peccata & flagitia, atq; vitæ impuritatem prola-*
» *berentur, conſequenter eueniſſe. iuxta illud: Extende manū tuam, & tange*
» *paululum cuncta quæ poßidet, ſi non in faciem maledixerit tibi. Atque nec abſimilis quidem Eteoclis illa apud Tragicum ſententia, qua Thebis victoriam & felicitatem precatus, è Deorum etiam ipſorum re id eſſe ait:*

Aeſcyl. ἑπτ. ἐπὶ Θηβ.

ξυνὰ δ᾽ ἐλπίζω λέγειν:
Πόλις γὰρ εὖ πράσσουσα δαίμονας τίει.

Ecce tu iratus es, & peccauimus, in ipſis fuimus ſemper, & ſaluabimur? *Peccandi, & ſeſe vitiis tradendi occaſionem diuinæ aduerſum ſe iræ & auerſæ gratiæ ac voluntati adſcribunt, mirumq; eſſe aiunt eos ſeruari, qui iſtas in terra viciſsitudines experti fuerint, ex læta, inquam, conditione in miſeram ac triſtem, ex fauente & propitia in auerſam & acerbam Dei voluntatem traducti fuerint, vtpote incommodorum ſenſu, atq; miſeriarum tædio potius in ſeruilem animum atq; mentem deflexerint ac defluxerint, perindeq; habuerint atque ſerui illi, qui domino fauenti & liberali, atq; indulgenti læti & alacres operam dant, laudesq; identidem dicunt, & mores atque ingenium prædicant; contrà verò à ſe auerſo, atque abalienato propter deſponſionem animi non modò non ſeruiunt, ſed ad flagitia ac ſcelera patranda corrumpuntur prorſus. Atq; hoc in loco ſeſe resq; ſuas iſti eſſe aiunt. ita vt pro iuſtitia illa quam quondam populus exercebat, pro aßidua beneficiorum in ſe conſtantium commemoratione nunc rurſus.*

Et facti ſumus vt immūdus omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ, & cecidimus quaſi folium vniuerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos.

Iſraelitarum poſt Euangelij repulſam cōditio.

Ita quidem eueniſſe ex ſacra lectione & animaduerſione intelleximus, vt abalienatorum à ſe Iſraelitarū iuſtitiæ legales illæ ac ceremoniales anti-

quatæ

quata & obſoleta non magis probentur, quàm pannus menſtruatæ, quem tangere ac tractare horrendum & impurum ex lege ducebatur, atque ex eo quoque euenerit, vt qui quondam, dum pietas illa antiquior ſuum nitorem tenebat, foliorum & frondium arborem exornantium inſtar grati & virentes, atq; decori apparebant, eorundem iam autumno & hyeme exſiccatorum more & modo, & à ventis ſecundùm nouum ver flantibus elatorum impulſi, diſsipati, ac diſperſi vagentur & errent. Atq; ex hoc malo illud vlterius prouenit, illegitimæ & profanatæ diſciplinæ & religionis in ſuperſtitionem traductæ, animis vanam & ieiunam ſpeciem pro ſolida pietatis & cultus forma & virtute atq; exercitatione arripientibus & vſurpantibus, & tamen ad hæc omnia Deum à ſe abalienatum cauſatis.

Non eſt qui inuocet nomen tuum, qui conſurgat & teneat te, abſcondiſti faciem tuam à nobis, & alliſiſti nos in manu iniquitatis noſtræ.

Meminerit iterum idemtidemq; nobis admonitus lector, ſermonē hunc non totius humani generis eſſe, verùm eorum tantùm, qui eam conditionem tenent, ad quam Iſraelitæ poſt Euangelium repulſum traducti ſunt, aliàs in diuinæ prouidentiæ, iuſtitiæ, & bonitatis temporibus & rationibus concinnandis & explicandis toto, vti dicitur cælo, & cum magno erraturus periculo. Verùm enimuerò, quamquam duriſsimum ac difficillimū, quamquam valde horrendum, maximaq; ex parte periculoſum & ancipitem hūc ſtatum eſſe ſacra doctrina tradat, non tamen extra omnem remedij, ſalutis, & euaſionis conſtituit ſpem, ſed aliquando ex diuina miſericordia & bonitate in beatam felicemq; ſortem conuertendum, ſi non in omnibus propter iuſtitiæ ac iudicij integritatem & ſeueritatem, at in quamplurimis qui ſuarum miſeriarum primum terminum, hoc eſt, ſeriæ cōuerſionis ac pœnitentiæ ſuæ facultatem, & obdurati hactenus cordis mollitudinem à Deo contentis precibus, & feruenti ſtudio procurauerint & poſtulauerint. quorum orationis breuem ſummam hoc etiam loco Vates præſcribit & refert. Iſraelitarum conuerſio.

Et nunc Domine Pater noſter es tu, nos verò lutum, & fictor noſter tu, & opera manuum tuarum omnes nos.

Aptiſsimis & opportuniſsimis ex locis deprecationis huius argumenta petita conſtant, ex diuinæ efficacitatis, miſericordiæ, & bonitatis atq; propoſiti ſalutaris fide, appellatione, & ſpe. Quæ diuinæ virtutes cùm primò exercentur ac declarantur, nullum ab iis, in quos eduntur, præexigunt meritum & officium; cùm primùm eduntur, inquam; nam poſtquam edita fuerint & conſtiterint, aliam vt promoueantur ac perdurent rationem, cōditionemq; exigunt. Nullum enim hominum creationem præceſsit meritum, non magis quàm argillæ aut luti apud figulum: nullum etiam redemptionem & ſalutem publicam hominum, quod valeret, æſtimatum eſt adiutorium, ſed ſola Dei miſericordia & efficacitas valuit, effecit, & obtinuit. S. S. E. Et de gentibus non eſt vir mecum. Hanc eandem rationem vt ſibi prorſus commodam & neceſſariam, atq; vnicè vtilem deprecationis huius auctores allegant, & ſua in cauſa poſtulant. quam apud Deum æſtimatam, Sup.

 ſacra

ſacri ſcriptores omnes in duriſsimis ac difficillimis temporibus, atque in maximis impetrandis beneficiis tractant. Primum argumentum à voluntate animiq́; impulſu ad beneficentiam promptiſsimo petitur. Et nunc Domine Pater noſter es tu. Et nunc, *quamquam noſtræ omnes res ac rationes turbatæ ac perditæ iaceant, tamen tu, quem mutari natura aut ingenio, vel more impoſsibile eſt, virtutem, conditionem, & mentē, appellationemq́; paternam, ſuaq́; ſponte beneficentiſsimam retines. Quamquam verò nos filij dici iure non poſsimus; tamen non prorſus nihil ſumus, miſericordiæ tuæ quòd non ſumus conſumpti; adhuc in rerum natura manemus, nō certa eleganti forma conſpicui, ſed ad tuæ bonitatis & virtutis exercendam gloriam,* lutum ſumus, *ex quo aliquando ficti & formati fueramus à te; ex quo etiam nunc deinceps vt reficiamur, cùm volueris, ſine vllo potes impedimento.* tu fictor noſter, & opera manuum tuarum omnes nos. *Ab opere ſemel facto alterum argumentum, quod propoſitum quoque Dei ineluctabile ſubindicat. Orat autem vt non quid ipſi ſint, ſed quid fuerint, reſpiciat.* Opera manuum tuarum omnes nos. *Et nihil odiſti eorum quæ feciſti. Ad hunc locum illud etiam pertinet: Et opera manuum tuarum ne deſpicias. & illud: Opus manuum tuarum dirige. Pergit porrò in petitione ac deprecatione munienda ac promouenda verbis blandiſsimis, & ad diuini propoſiti ſtudium aptiſsimis, vt artifici ſui operis, quem natura amorem inſeuerit, ſtudioſa etiam commemoratio commendet.*

Pſal.

Ne iraſcaris Domine ſatis, ne vltrà memineris iniquitatis [noſtrę] ecce reſpice, populus tuus omnes nos.

Redit ad propoſitam initio ſententiam, qua dicebatur Deus auctor & effector bonorum quàm diu læto ac placido vultu hominibus faueret, idem verò auerſus occaſionem improbitati afferre putatus. Falsò quidem: nam Deus nec auctor malorum, nec tentator eſt. Illud autem verum, quòd auerſo & abalienato Deo & hominem ob commeritas noxas deſerente, innumera ſubeant & confluant pernicioſiſsimaq́; mala. S.S.E. Cùm ſpiritus immundus exierit ab homine, ambulat per loca arida & inaquoſa, quærens requiē, & non inuenit. & dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui, & reuerſus inuenit eam vacuam [gratia diuina] & ſcopis mundatam [ſibi, omnibus virtutibus videlicet amotis] tum aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſsi habitant ibi, & fiunt nouiſsima hominis illius peiora prioribus. Hoc ipſum oratores ac deprecatores iſti agunt, iræ diuinæ modum poſtulantes, quem ſciunt ſtatui poſſe ac ſolere ex illo: Ipſe autem miſericors & propitius fiet peccatis eorum, & non diſperdet eos, & abundauit, vt auerteret iram ſuam, & non accendit omnem iram ſuā. Iratum itaq́; agnoſcentes placabilem ſuper malitiam credunt, & vt hoc ipſum præſtet, orant, modum iræ certo tempore ponere poſcentes, quem aliàs miſericordia ſine fine Patrem, præſtitorem, probatoremq́; intellexerunt ex illo: Viſitans peccata patrum vſque in tertiam & quartam generationem, & faciens miſericordiam in mille generationes diligentibus me. Ne iraſcaris Domine ſatis. *Ex exemplari* AL THIKTSOPH ADONAI GHAD MEOD. ne iraſcaris Domine

Mala ex Dei abſentia.
Iacobi 1.
Lucæ
Diuinæ iræ modus.
Pſal. 77.
Diuinæ miſericordiæ nullus modus.

mine vſque valde. *Iratum ſentire ſe aiunt, quantamuis diuinam iram*
horribilem intelligunt, nedum ea de qua MEOD, *id eſt,* valde, *dici poßit. Vt*
verò iræ modus ponatur obliuionē iniquitatis poſtulant. ne vltrà memi-
neris iniquitatis. AL LA GHAD THIZCHOR GHAVON. ne ad vſque me-
mineris prauitatem. *Eiuſdem cum illo ſententiæ: Si iniquitates obſerua-* Pſal.
ueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Nam poſtquā homines, Deo auer-
ſo & irato, in reprobum incidere ſenſum, immane quantum in dies, in ho-
ras, in momenta deprauantur, & præcipites in mala deteriora ſemper fe-
runtur: Fiunt enim nouißima peiora prioribus. hæc ſi Deus ad vſque me-
minerit, *eheu quíſnam iræ & indignationis modus, quare vt non ſolùm*
poſteriorum ſcelerum, ſed nec prioris etiam prauitatis meminerit, oratur.
Cui petitioni vt annuat propitiusq́; reddatur, triplici oratur nomine. Pri-
mum eſt, vt ſuas reſpiciat res: perſiſtitur namque in tranſlatione auerſi &
irati vultus, quem ad reſpiciendum ſolicitare ſupplices iſti ſtudent. reſpi-
ce. *Reſpici dicuntur non quæ præſentia ſpectantur, aut futura expectātur,* Reſpicere.
ſed quæ vel retrò poſita ſunt, vel præteriere. Hoc ipſum agere rogatur Deus
hoc eſt, non vlterius, aut quæ coram ſunt, ſpectare: ſed HABET, reſpice, re-
ſpecta *quinam fuerimus, non qui ſimus; fuimus autem* populus tuus om-
nes nos. *Atq́; ita rem poſſeßionemq́; tuam recuperare atq́; corrigere & con-*
ciliare tibi conſentaneum fuerit. Quod verò ait, omnes nos, *præterquam*
quod ad dominij integritatem conſeruandam facit, illud etiam ex argumen-
tatione indicat, Iſraelitas eo modo, quo Deus diſpergendos pepulerit, fuiſſe
conſeruatos; nec illis alias nationes vanorum deorum cultrices fuiſſe per-
mixtas, quod certæ etiam diuinæ prouidentiæ habetur ſignum, ſi quidē non
fruſtra eos ita ſeorſum inter alias gentes conſeruatos intelligere fuerit, ve-
rùm ad exempli cuiuſpiam ſpectabilis exemplum diuinitus edendum, quod
vt ipſi ſperent, res ratioq́; monet, vt curent, poſtulent & ſolicitent, ſpes in-
citat, & illud apud alium Vatem oraculum. Numquid non vt filij Æthyo- Amos 9.
pum vos eſtis mihi, filij Iſrael, ait Dominus? Numquid non Iſrael aſcen- “
dere feci de terra Ægypti, & Palæſtinos de Capadocia, & Syros de Cyrene? “
Ecce oculi Domini ſuper regnum peccans, & conteram illud à facie terræ; “
veruntamen conterens non conteram domum Iacob, dicit Dominus. Ecce “
enim mandabo ego, & concutiam in omnibus gentibus domum Iſrael, ſicut “
concutitur in cribro, & non cadet lapillus ſuper terram. In gladio morien- “
tur omnes peccatores populi mei, qui dicunt, Non appropinquabit, & non “
veniet ſuper nos malum. In die illa ſuſcitabo tabernaculum Dauid, quod “
cecidit, & reædificabo aperturas murorum eius; & ea quæ corruerant, in- “
ſtaurabo, & reædificabo eum ſicut in diebus antiquis. Huiuſmodi autem vt “
oracula promiſſaq́; præſtentur, populus tuus omnes nos. *Secundum verò*
ad obtinendam cauſam nomen & argumētum illud petitur, quod diuinum
quoque ſpectat propoſitum, zelus videlicet & vindicatio rerum quondam
diuino ſacrarum nomini atq́; in præſentiarum Dei inimicis & contempto-
ribus iniquè occupatarum. quas tamen Deus ſibi non prorſus abiiciendas
declarauit, cumprimis terræ Iſraeliticæ curatæ quōdam, gratæ, & fotæ atq́;

illu-

illuſtratæ, nūc verò ab iniuſtis poſſeſſoribus occupatæ. qua de re illud exſtat promiſſum: Et recordabor fœderis mei quod pepigi cum Iaghacob & Iſaac, Leuit. 26.
» *& Abraham. Terræ quoque memor ero, quæ cùm relicta fuerit ab eis, com-*
» *placebit ſibi in ſabbathis ſuis, patiens ſolitudinem propter illos. Ipſi verò ro-*
» *gabunt pro peccatis ſuis, eo quòd abiecerint iudicia mea, & leges meas deſ-*
» *pexerint. Attamen etiam cùm eſſent in terra hoſtili, non penitus abieci eos:*
» *nec ſic deſpexi, vt conſumerentur, & irritum facerem pactum meum cum*
» *eis. Ego enim ſum Dominus eorum, & recordabor fœderis mei priſtini,*
» *quando eduxi eos de terra Ægypti, in conſpectu gentium, vt eſſem Deus*
» *eorum. Ego Dominus Deus. Hoc etiam promiſſum ſupplices iſti recolentes terræ mentionem ſecundo in argumēto faciunt cum commemoratione præcipuarum vrbium, quibus illa nobilitabatur. Atq; omnia hæc ſi illis ad ſimplicem ſignificationem propter antiquam ruditatem nondum exutam, nobis tamen cum Iſaia ad arcanam terram, arcanamq; Ieroſolymam, Deiq; domum reuocanda ſunt: quam qui nouit, facilè intelliget, qui verò ignorauerit, Iſraelitarum ſtatum ſuum præſentem deplorantium ac deprecantium ſupplicationem ſaltem eſſe animaduertat, & antiqua omnia illis in figura contigiſſe, ſcripta autē eſſe propter nos, in quos ſeculorū deuenere fines. Iam verò ſecundum argumentum metonymικῶς pronunciatum audiamus.*

Ciuitas ſancti tui facta eſt deſerta, Sion deſerta facta eſt, Ieruſalem deſolata eſt.

Primùm omnis terra, vti diximus, in ſumma indicata eſt: namq; terræ nobilitatem habitationis frequentia commendat plurimum. Omnis autem Iſraelitica quondā regio Terra ſancta dictitabatur. Hæc pars ita in exemplari habet. GHAREI KoDSECHA HAIV MIDBAR. vrbes ſanctitatis tuæ fuerunt deſertum. *Hoc de omnibus vrbibus dictum, creſcit autem oratio per ſingularem etiam amplificationem. Namq; regia & principe vrbe ſoſpite & incolumi minùs grauis videretur cæterarum iactura minorū, quamquam deploranda.* Sion deſerta eſt. TSION MIDBAR HaLE THAH. Siom [*illa regia illuſtriſſima & munitiſſima*] deſertum fuit, Ieruſalem verò, *quanquam non prorſus deſertum; tamen id quod retinet, commiſerationem potius mouet, quàm conſolationem, quippe quæ* SEMAMAH, deſolata [*eſt.*] *Hoc tantùm habet, vt ruina ſui quanta fuerit, indicet. Poſſemus in vocabulo* SEMAMAH *immorari non ſine adnotatione, verùm & hoc cum multis aliis ad commodius tempus reſeruātes omittimus. Tertium verò argumentum ſingularem & inſignem atque magis etiam ſacram producit & allegat rem: cuius rationes diuinum cultum & pietatem propius attingere exiſtimantur. Templi videlicet ruina & vaſtatio, atq; antiquorum cultorum deſiderium, totiusq; illius quondam populi ornamenti apud nationes omnes celeberrimi, cum miſerandi & antiquæ dignitati omnino oppoſiti euentus commemoratione.*

Domus ſanctificationis noſtræ, & gloriæ noſtræ, vbi laudauerunt te patres noſtri: Facta eſt in exuſtionem ignis, & omnia deſiderabilia noſtra verſa ſunt in ruinas.

Ex concepta ſanctitatis templi perſuaſione, atq; credita ratione externi cultus ſuam ipſorum rem cum diuina coniungunt ad vindicationis & inſtaurationis conſilium ſolicitandum. *Tantum enim antiqui illi humanæ ſapientiæ compotes externis & ſpectabilibus tribuebant rebus, vt eaſdem Deo etiam ex naturæ externæ iure pretioſas & charas exiſtimarent, quæq; ipſorum ſenſibus grata & mira haberentur, hæc eodem quoque nomine, & pacto diuinæ maieſtati commendata & cara ducerentur (Alius autem Vatum & ſublimius edoctorum, vt aliàs fuſiùs oſtendemus, fuerat ſenſus) Ideoq; & his, quæ commemorata ſunt, ſuo in genere magnis reliquorum in vniuerſum collecta ſumma ad amplificationis abſolutam vim apppendicis loco adiuncta ſunt, quaſi mole, pondere, & multitudine ſua magnū ad perſuaſionem habitura momentum.* & omnia deſiderabilia noſtra MAHHAMEDEINV. *quæ nobis expetenda & auenda ducebantur quamplurima multis modis varia atq; pulcherrima.* HAIAH LEHHARBAH, fuit in ruinam. *Omnium ac ſingulorum magna & pulchra fuerat varietas, quorum nunc eadem miſeranda atque vnica facies, ruina, inquam, vna; in qua nihil præterea cerni ac diſtingui poſſit, nec alio nomine quàm* HHARAB *dici. Demum argumēta hæc peroratione concluduntur, non quæ ſuas ipſorum ſupplicantium partes repetat, ſed quæ inducta nomina tamquam Deum attingentia commemoret, atq; diuinum perorando expectet reſponſum.*

Numquid ſuper his continebis te Domine, tacebis, & affliges nos vehementer?

Suæ noxæ (cui tamen ſi non cauſam, tamen occaſionem Deum dediſſe ſignificauerant) confeßioni, vtpote quæ ad eliciendum Dei reſponſum, non adeò videbatur idonea, tria addidere, vt audiuimus, nomina, Iſraeliticarū tribuum, terræ Iſraeliticæ, atq; templi, & in illo quondam exerciti cultus; quæ tantum ad cauſam valere arbitrabantur, vt vel veniam & reconciliationem, vel vt minimum reſponſum impetratura putarint à Deo, quamquam ipſis irato & auerſo, tamen ſuas ipſius ſibi caras, & antea ſingulariter curatas res non neglecturo. Hæc itaque perorationis explicata ſententia fuerit. Quòd ſi nobis iratus non indulges nec reſpondes propter conditionis noſtræ à te repulſæ prauitatem, numquid ſuper his etiam allegatis nominibus Iſraelis terræ, ac templi, quæ cara tibi fuerunt, quæ nihil commeruerūt, continebis etiam te quin proſpicias, quin cures, quin illa vendices, & reſtituas? Continebis te, *Pathos à nomine miſericordiæ* Domine, *& à verbi duritia nominī non conueniente.* THITHAPEK, durabis, roborabis te ipſum? *Verbum pertinacibus & contumacibus aptum, & iis qui ſibi ipſis indolentiam & rigidam imperant ſeueritatem. Iuriſconſultorum & ſcholarum ſermone affectus huiuſmodi* rigor *vocatur. Hiſpanicè, y eſto podra ſuffrir vueſtro coraçon? Erit igitur vt etiam ſuper hæc non flectaris? vt vel iſtorum cauſa nobis opem non feras? ſaltem vt vel verbo ſupplices non leues tuos, nec vel tuas partes reſponſo tueri velis? imo nō ſolùm malis quæ ferimus grauißima, ſed taciturnitate etiam tua non afflictos, vexatos, atq; oppreſſos velis?* Tacebis, & affliges nos vehementer? *Extremæ abalienationis*

tionis & miſeriæ ſummæ atq; deſperatæ anxietatis fuerit, eius, quem beneficum curatorem, Patrem, & amplificatorem expertus quis fuerit, tantam abalienationem experiri, vt nec ſupplex reſponſo, vel verbo dignus habeare. Huiuſmodi ſenſum illa poſtrema perorationis pars continet. Tacebis, & affliges nos vehementer? GHAD MEOD. vſque valde.

CAPVT LXV.

QVÆSIERVNT me, qui anteà non interrogabant, inuenerunt, qui non quæſierunt me: Dixi, Ecce ego ad gentem, quæ non inuocabat nomen meum.

ISRAELITARVM *ab Euangelij beneficio depulſorum orationem tribus partibus præcipuiſq; membris conſtantem audiuimus; querimonia videlicet, quæ exordij ſiue inſinuationis occupauit locum; argumentatione, quæ ad excuſationem quodammodo concinnata fuit; ac deprecatione, quam peroratio abſoluit. Cuius perorationis poſtulatio bimembris erat: prius enim opem ſalutemq; poſcebat, vel alloquium & reſponſum ſaltem, quod agebatur poſterius. Querimoniæ verò ſiue exordij ſummum argumentum fuerat, beneficij in Gentes à Deo collati admiratio, & repulſæ atq; abdicationis Iſraelitarum lamentatio. Vtriuſque verò partis cauſam & originem ad ſolam Dei voluntatem referri audiuimus; qui ex iſtorum dicentium ſententia: Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat. Illud etiam conſequenter ab iſtis allegatum fuerat, Homines vel bene viuere, vel in flagitia delabi pro diuinæ in ipſos mentis & voluntatis ratione; ita vt quibus ille vltrò fauerit, pariter animum, conſilium, & vires ad virtutem informet, atque ita rectè agere doceat, inſtituat & iuuet. Quibus verò ſe aduerſum, aut infenſum, aut iratum præbuerit; iis animus [ex occaſione] ad impietatem, ad vitæ ac morum corruptelam delabatur. Vtriuſque ſententiæ partis exemplum in ſua ſtatuebant gente, cuius pars ea, quæ vltrò fauentem Deum in Ægypto experta fuerat, vel eo ipſo beneficio ad pietatem colendam animata fuit, quamquam anteà non ſolùm communibus ceterorum hominũ vitiis obnoxia, verùm etiam ſuperſtitionibus & vano cultui apud Ægyptios, vti apud Ezechielem audit, impensè dedita fuiſſet. Ea verò contrà, quæ iratum Deum atq; auerſum habuit, à pietate antiqua tantùm degenerauit, vt iuſtitias ſuas menſtruatæ panno fateretur perſimiles. Atq; ita vtriuſque partis hoc eſt, pietatem colentium, & impiorum, profanorum, vitiiſq; contaminatorum primam originem, atq; adeo efficientiam ad ſolum Deum reuocabãt iſti. Quod ſi quos vult indurat, & quorum vult miſeretur, quid ergo queritur, voluntati eius quis reſiſtet? Atq; ad hanc volũtatem flectendam perorationis neruos omnes intenderunt, argumentis non è ſua ipſorum cauſa, ſed ex Dei propoſito petitis & vſurpatis, & ad illum optatum directis exitum, vt vel auxiliũ à Deo, vel impetrarent reſponſum. Hæc totius illorum actionis breuiter ſumma fuit. Quam iuſtiſſimus & clementiſſimus Deus apud eundem hunc interpoſitum Vatem, non propter orantium bonitatem, ſed propter ſuam iuſtitiam, æquitatem, clementiam, & miſericordiam admira-*

mirabili reſponſo excipere & euincere dignatus eſt. Quo in reſponſo ea primùm quæ vera, certa, propriaq́; ſunt, accipit & ait, perpetuaq́; ſibi eſſe declarat: quæ verò humana ſapientia in diuinis moribus & rationibus perperam opinatur, certiſſimis & notiſſimis argumentis atq; exemplis redargutа refellit. Primùm enim illud verum eſt, Deum ſeſe hominibus in tenebris & miſerabili conditione degentibus, vltrò ſalutarem proferre, etiam nondum ſe Seruatorem agnoſcentibus, id eſt, numquã antea nominis IEHVEH virtutem expertis. S. S. E. Ego IEHVEH Deus, qui apparui Abraham, Iſaac, & Iaacob in ELSSADAI, & nomen meum IEHVEH non indicaui eis. Ego audiui gemitum filiorum Iſrael, quo Ægyptij oppreſſerunt eos, & recordatus ſum pacti mei: Ideo dic filiis Iſrael, Ego educam vos de ergaſtulo Ægyptiorum, & eruam de ſeruitute, ac reducam in brachio excelſo, & iudiciis magnis, & aſſumam vos mihi in populum, & ero veſter Deus, & ſcietis quod ego ſum Deus veſter, qui eduxi vos de ergaſtulo Ægyptiorum, & induxerim vos in terram, ſuper quam leuaui manum meam, vt darem eam Abraham, Iſaac, & Iaacob, daboq́; illam poſſidendam vobis, ego Dominus. Quem etiam morem in ipſis patribus Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo vocandis tenuiſſe, eadem apud Moſen allocutione Deus indicauit. Nunc verò demùm eundem ſeſe morem in gentibus vocandis cum optimo & probando exitu obtinuiſſe ait, nempe gentibus in ſumma ignoratione veri, & in vmbra mortis ſedentibus vltro per Euangelij prædicationem indicatum & propoſitum ſeſe non modò admiſſum, ſed alacriter, ſed fortiter, ſed ardenti ſtudio quæſitum. Hoc ſignificat verbum NIDRASTGI paſſiuum; quod nos à D. Paulo moniti ad hanc ipſam rem citantis paſſiuè quoque interpretamur. quæſitus ſum iis [qui] non rogabant, ſiue poſtulabant. Gentibus enim Deus propter veri ignorantiam non rogatus aut poſtulatus fuerat, verùm vltrò propter ſuam bonitatẽ indicatus, diligenter & ſtudioſè quæſitus fuit. atq; ita illud euenit, quòd inuentus ſum ab iis, qui [anteà] non quæſierunt me. Inuentus, inquam, ſalutaris & beator. Atq; ita verũ hoc, certum, propriumq́; ſibi eſſe, quod ad primam vocationem attinet, annuit, imò & affirmat, ipſe Deus, eaſq́; ſuas erga gentes, & gentium erga ſe partes fuiſſe, declarat. atq; ita nullam eſſe Iſraelitis ad inuidiæ æmulationem, imò neque ad admirationem, cauſam in benigna gentium vocatione magis quàm in ſuarum, quæ allegatæ fuère, tribuum ex Ægypto liberatione, præcipuè cùm ipſis promiſſum apud patres conſtaret iuratũ, quod ſalutis nuncio accepto, meminiſſe, & arripere debuerunt; gentibus verò cùm nullum antea exſtaret promiſſum, bonus nuncius quãprimùm allatus, fide acceptus, & obſequio pœnitentiæ curatus fuit. S. S. E. In quo & vos, cùm audiſſetis verbum veritatis, Euangelium ſalutis veſtræ, in quo & credentes, ſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ in redemptionem acquiſitionis, in laudem gloriæ ipſius. Atque ita quibus tam promptum fidei obſequium fuit, ſeſe libentem liberaliſſimumq́; præbuiſſe, Deus ipſe declarat. Dixi, Ecce ego, ecce ego, ad gentes quæ non inuocabant [antea] nomen meum, vel, quæ non vocauerant in nomine

Dei prima vocatio.

Exod.

Gentium vocatio.

Ephes. 1.

meo. *Hanc itaque reſponſi primam partem ad aſſeuerandam Dei primum vocantis ac ſeſe offerentis bonitatē perpetuò præſtitā, & erga gentes etiam inſtauratam ſpectare dicimus. Alteram verò à Deo refelli ac redargui intelligimus: Quē vult indurat, nam ſi indurationē, reprobationem & iram diuinam ex mera voluntate Dei eſſe, ac ſine vllo malo eorū, qui indurantur merito vel Iſraelitæ, vel quiuis alij putēt: non modò fallūtur, ſed aduerſus miſericordiā iuſtitiamq́ diuinā ſatanæ doctrina, vti indicauimus, imbuti*

Rom.5. *impiè agunt. Nūquid iniuſtus eſt Deus, qui infert iram? abſit. alioqui quo-*

Iſraelitarum reprobatio. ,, *modo iudicabit Deus hūc mundū? Sed illud veriſsimū eſt, eundem Deū, qui vltrò homines ad ſalutem vocauerat, eoſdem degenerantes & aberrantes, clementer & miſericorditer reuocare, monere, ad ſanam mentem, ad pœnitentiam expectare, omniaq́ agere quæ paternam caritatem atque miſericordiam deceant, & probent. Ceterum diu ſatis expectatos, diligenter admonitos, identidem reuocatos, nec pœnitentia ductos, aut conuerſos tamen, iuſtiſsimo iudicio deſeri, & ſua ipſorum, non illata aut immiſſa, verùm gratiæ repulſam conſequente culpa in reprobū ſenſum caſuros dimitti. Id quod Vatum omnium, atq; noſtri præcipuè teſtimoniis & prædictionibus, monitis, & perorationibus abundè ſatis docetur. Hunc itaq; Iſraelitarum à ſe improbatorum eſſe cauſæ ſtatum, hanc veriſsimā rationem ex proprio ipſorum ſcelere in crimen deductam, Deus ait, non autem illam, quam primam*

Sup.64. *& immediatam iſti faciebant: Ecce tu iratus es, & peccauimus. Hæc itaque ſubiunctæ propoſitionis, quæ medium in redargutione locum obtinet, ſententia eſt.*

Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas.

Primam reſponſionis partem, quæ conceſsionis vim exhibet, ſecundam hanc exceptionem ſiue redargutionem ſuis perſonis, ad quas referuntur, diſtinctas interpretari nos D. Paulus docuit ita allegatas. Sed dico, Num-

Rom.10

,, *quid Iſrael non cognouit? Primus Moyſes dicit, Ego ad æmulationem vos*
,, *adducam in non gentem, in gentem inſipientem, in iram vos mittam. Iſaias*
,, *autem audet, & dicit, Inuentus ſum à non quærentibus me, palam apparui*
,, *iis, qui me non interrogabant; ad Iſraël autem dicit, Tota die expandi ma-*
,, *nus meas ad populum non credentem, & contradicentem. Extenſas & ex-*

Manus expanſæ. Lib.Ieremiæ. Sup.

panſas manus petentium & poſcentium, atq; poſtulantium habitum eſſe, in ſacro docebamus Apparatu. & apud hunc Vatem: Cùm extēderitis manus veſtras, auertam oculos à vobis. Hoc habitu ſeſe totam diem duraſſe petentem & poſtulantem Iſraelitarum fidem & pœnitentiam; idq́ ſalutis à ſe allatæ cauſa, Deus ait: & tamen eorum contumacia & auerſione non fuiſſe auditum & receptum. Quanta verò inter vtrumq; populum in Euangelio accipiendo futura eſſet olim differentia, ipſa orationis vtriuſque declarat facies: Namq; gentibus breui tempore accepturis (vt Paulus ait, Cùm audiſſetis verbum veritatis) illud breue & feſtinum reſponſum dictum, dixi, ecce me, ecce me, ad gentem non inuocantem in nomine meo. *Iſraëlitis verò non modo voce & verbis, monitis, Euangelicisq́ repetitionibus,*

bus, & obteſtationibus, verùm etiam habitu longè ſpectabili atque per totam diem durante, & obfirmato prouiſum & conſultum. Totam autem diem eam interpretamur, à prædicati per Iohannem Baptiſtam Euangelij initio ad vltimum vſque Vale ab Apoſtolis dictum. De qua die Chriſtus: Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras: & Ioan. 12.
ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum. Hoc autem dice- "
bat ſignificans qua morte eſſet moriturus. Reſpondit ei turba: Nos audiui- "
mus ex lege, quia Chriſtus manet in æternum: & quomodo tu dicis, oportet "
exaltari Filium hominis? Quis eſt iſte Filius hominis? Dixit ergo eis Ie- "
ſus, Adhuc modicùm lumen in vobis eſt: ambulate dum lucem habetis, vt "
non vos tenebræ comprehendant, & qui ambulat in tenebris, neſcit quo va- "
dat: Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis ſitis. Hæc locutus eſt "
Ieſus, & abiit, & abſcondit ſe ab eis. Cùm autẽ tanta ſigna feciſſet in eis, "
non credebant in eum. vt ſermo Iſaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit, "
Domine quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum "
eſt? Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias, Excæcauit "
oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non in- "
telligant corde, & conuertantur, & ſanem eos. Hæc dixit Iſaias quando "
vidit gloriam eius, & locutus eſt de eo. Hæc nobis dies dicitur, quam totam manibus expanſis vocantem Deum pacem & ſalutem obtuliſſe ait ſe populo non credenti. Verbum ZZORER, pro quo interpres hoc loco incredulũ reddidit, Paulus duplici eſt interpretatus verbo, non credentem, & contradicentem. Non enim non credituros tantùm, ſed oppugnaturos, ſed omnibus artibus, viribus, induſtria, dolis, omni demum conatu Euangelium abolire curaturos. Hæc omnia ſignificat verbum ZZARAR, ad animum primùm, deinde ad conatus referendum. Significat enim ZZVR recedere, peruertere, fœtere, mutare. Talem ſeſe Deo præbiturum præuidebat Iſaias illum populum, non modò non credentem, ſed recedentem, ſed repugnantem, ſed contradicentem, ſed vita & moribus omnis corruptelæ aſſidua præbentem exempla, eaq́; fœtida ac deteſtanda: & tamen ad fidem & pœnitẽtiam patienter expectatum, & per totam diem voce, geſtu, & habitu paternum animum declarante monitum, appellatum, & rogatum, nihilominus poſt ſuas ipſorum cogitationes: idq́; in via non bona, id eſt, in peruerſa doctrina pergentem. Ex facilitate alteri vtriuſque partium ad Euangelij lucem vocandarum, & ex alterius difficultate diuinum iudicium verum, & omnibus nominibus æquiſſimũ declaratur, & miſericordiæ Dei ratio vtrimque ſuperior euadit vtrique parti ſeſe vltrò offerentis; quod ſatis eſſe cenſeriq́; debeat, & difficiliori etiam reuocandæ vlterius etiam quàm ſatis eſt prouidentis & conſulentis, illis dicentis, Ecce ego, ecce ego: His verò tota die manus expandentis. atq; ita illud ſimplicitatis ac veritatis diuinæ conſtantiſſimum & certiſſimum ſuperat reſponſum. Ego Deus, & non mutor. Duplicem verò eſſe viam oraculum hoc ſignificat, alteram bonam & rectam, alteram verò non bonam: bonam autem quam & qualem intelligi oporteat, ex non bonæ notatione indicari: non bonam autem eam, quam humani

Marginal notes: ZZORER. — ZZVR. — Via duplex.

mant cordis cogitationes inſtruunt, Deus ipſe declarat. Ex quo conſequitur eam bonam dicendam, quam diuina lex munit ac demonſtrat. qui graditur in via non bona, *appoſitione,* poſt cogitationes ſuas. *Nunc non eſt ſermo de iis qui legem non habent; quibus tametſi qua via eundum ſit, non ita clarè quidem, tamen nec index, nec munimentum deeſt, nempe opus legis in corde ſuo oſtendentibus; verùm de iis, quibus diuini verbi lucerna accenſa & prætenſa eſt, quales Iſraelitæ fuère, & tamen* populus, qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas. *quam viam, quamuis non malam eſſe putet, deceptus fortaſſe ſpecie recti; tamen bonam appellare non queant, vtpote qui vnicè bonam definire debet eam, quam Deus inſtruxerit; quam deſerere prorſus malum ducendum, aliam verò quamlibet ingredi non tutum exiſtimandum fore, vtpote id ſolum tutum, quod ſolùm bonum: & tamen* graditur poſt cogitationes ſuas. *Rationes & argumenta meditatus, quibus inſtitutum iter defendere curet. Atque hoc ipſum non bona via gradi, & tamen pertinaciter pergere, quamquam ex ſe malum, tamen improbitate, cura & ſtudio, atque manifeſtorum flagitiorum & criminum contumacia amplificatur, & offenſam exaggerat.*

Populus qui ad iracundiam prouocat me ante faciem meam ſemper, qui immolant in hortis, & ſacrificant ſuper lateres: qui habitant in ſepulchris, & in delubris idolorum dormiunt: qui comedunt carnem ſuillam, & ius profanum in vaſis eorum.

DIVINÆ *legis obſeruantiam ab iſtis non modò neglectam, ſed conſulto & impudenter proditam, criminatur Deus; idq́ Iſraelitis culpæ apponit, quod eam, quam tunc ſortiti fuerant, legem ipſa etiam ſimplici ac rudi interpretationis forma, quam ſcriptum exhibebat, impiis & profanis violarent ſuperſtitionibus, ſeſeq́ omni contaminarēt vetito in lege abuſu. Duplex autem legitimi argumenti ratio eſt ad duplicem humani animi portionem referenda: altera credendorum. quibus ea animi portio, quam intellectum dicimus, informatur. altera verò, qua anima, id eſt, portio ea, quæ in actione verſatur, inſtruitur, quid vitare debeat. quid petere & facere poſſit edocta. Priorem partem tria prima diuinæ legis membra ſiue præcepta breuiter ac dilucidè indicabant, & credendam cuſtodiendamq́ tradebant. Poſteriorem verò cetera præcepta ſeptem ſemper ſpiritu & arcanè, Iſraelitis autem & ad verbum quoque obſeruanda tradebant. Quibus tamen non modo interiore & arcano cultu, ſed nec exteriore quidem ritu religioſè, vt illa tempeſtate conueniebat obſeruata; imò impudenter & apertè contēpta, & prodita exprobrantur. Namq́ fidei primùm violatæ, & ſuperſtitionibus proditæ accuſantur.* Qui immolant in hortis, *cùm vnico tantùm loco, quem Dominus Deus elegiſſet, immolare oportuerit.* & ſacrificant ſuper lateres, *quod in lege fuerat vetitum iuſsis in altari vel ſimplicibus lapidibus ac rudibus extructo, vel æneo ſacrificare.* Qui habitant in ſepulchris *mortuos conſulendi ſtudio & cauſa, nefarium in lege declaratum flagitium* & in delubris idolorum dormiunt. *Sacella in agro exſtructa ac dicata intellexit interpres, cùm nomen* NETSVRIM *ita vertit. Solitudines ac deſerta*

Legis partes duæ.

NETSVRIM.

ſerta loca interpretamur. in quibus vmbræ vel dæmones audiri putabantur. Atque his tribus generibus omne complexus eſt, quod aduerſus vnius veri Dei fidem admittitur crimen. His verò ceterorum præceptorũ ad externam & ſenſibilem actionem pertinentium violatio adiungitur, eorum primùm, quæ ſingularem vniuſcuiuſque puritatem externam tangunt, non ſine certa internæ ſimplicitatis continentiæq́; ſignificatione. qui comedũt carnem ſuillam. *vetitam in lege, & propter inſalubritatem & propter ſignificationem præcipuè. Huius verò impuritatis argumentum paßim deprehenſum manifeſtè argui ex conſequente pinguedine vaſis perpetuò hærente; quæ nulla vnquam lotione aboleri poteſt. namq; lardi præcipuè eiuſmodi natura eſt, cùm oleum & pinguia alia facilius eluantur. hoc eſt quod pro manifeſto indicatur ſigno,* & ius profanum in vaſis eorum. *in exemplari*, VPRAK PIGVLIM. & feruor nidorum. *Nidores hoc loco interpretamur popinarum impuros odores. Hiſpanicè, y feruor de cochanbres ſus vaſijas. vſque adeò verò ſuperbos & inſolentes, atq; ſui ipſorum amantes iſtos eſſe ait, vt quamquam non minus quàm profaniſsimus quiſque impuri & profani, nec minus quàm gentes aliæ vulgares, tamen ſeſe pro ſanctis, puris, & ceterorum communi conditione longè ſecretis vendirent, & obſeruari coliq́; poſtulent. quæ ſumma hiſtrionica peruerſitas & improbitas apud Dei ſanctum iudicium cenſetur.* Suilla. Pharilaica hypocriſis.

Qui dicunt, recede à me, nõ appropinques mihi, quia immũdus es.

CETEROS *ait magno faſtu ac ſupercilio ab iſtis ita depictis tanquam profanos & impuros arceri, nec ſibi, non contactu modo, ſed colloquio, aut proximo ſitu dignos duci, imò & palàm damnari, ad inſtar illius, qui ſtans dictitabat: Non ſum ſicut ceteri homines, & ſicut publicanus iſte. In exemplari legimus.* CHI KADASTHICHA. quia ſanctificaui te. *quæ formula iis, quia conſortio tanquam profani vel excommunicati arcentur, conuenit: ex ea ſignificatione qua meretrix* KEDESAH *dicitur. Nam vulgares & alieni, qui ſanctiſsima quæque attingunt, ſacri habentur ac dicuntur. vt illud: Vter ædilis fuerit, vel veſtrûm prætor, is inteſtabilis & ſacer eſto. Huiuſmodi itaq; impuriſsimam improbitatem, & improbiſsimam impuritatem, & inſolentiam in cauſa fuiſſe Deus ait, vt ipſe ad irã irritatus, ac demum incenſus in eos exarſerit, quoad iſtæ ſordes conſumantur cõburendos. Non qui vltrò ardere voluerit, & cœperit, vt iſti cauſabantur, ſed qui tetro vitiorum & impuritatum odore offenſus fumum, quem ex ea re conceperat, efflaturus caluerit, continuatoq́; ac denſato calore in flammas eruperit, quibus per totum etiam ad hanc rem oportunum diem impuritates ac ſordes illæ incenſæ conficiantur & aboleantur.* Sanctificare. Kedesah. Sacer homo. Horat. 2. Serm. Sat. 2.

Iſti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die.

Hæc, inquit, ſunt, quæ naſum meum infenſo ac tetro fumo irritauere. Fumus autem denſus nec frigido, ſed viuente, ſed calente cõceptus naſo Dei in flãmas exardeſcit obuia quæq́;, quæ exuſtioni apta ſunt, exuſturas. Sunt autem exuſtioni apta pinguia, craſſa, & ſordida omnia. Alluditq́; hoc loco Deus ad legitimum purificationis ritum, quo ſancitum erat, vt impura

vaſa, ſi fictilia eſſent, comminuerentur: ſi verò ænea, igne purgarentur primùm, ac deinde viuente lauarentur aqua. Hæc huius hemiſtichij ex rerum naturæ contemplatione tranſlati & pronunciati ſententia eſt: hoc eſt, ex ſacrificiorum, ſordium, pinguedinis, fumi, ignis, & vaſorum imaginibus aptè concinnatis. vbi Latinè legimus. Iſti fumus erunt in furore meo. *In exemplari habetur.* ELEH GHASAN BEAPI, *cum diſpunctione quæ quarta dicitur.* Hæc fumus in naſo meo. *Diximus naſum in facie locum eſſe, in quem primùm iræ impetus ex corde fertur. Fumum verò nimium in loco non frigido conceptum, ad flammæ & incendij naturam vſque caleſcere, atq; materia inuenta, exardeſcere aßiduò didicimus experimēto. vt in Magni etiam operis corpore docebamus. Non itaq; ſe vltrò volentem, & præter cauſam vllam iratum iſtis; verùm tot indignis facinoribus, criminibus & ſceleribus ex illorum culpa irritatum, fumum ab iiſdem excitatum & continuatum in flammas incendiſſe tota die arſuras.* fumus ardens & vrens tota die. IEKADDED, ardebit exurens. *Iram Dei ignis nomine ſignificari, & coniugatis affinibus, atque igni accommodatis verbis deſcribi, notiſſimum eſt iis qui ſacras norunt literas. vt illud: Quia ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima. Et quamquam Deus altàs* ERECH APPAIM, *hoc eſt, amplis naribus, audiat, pro quo Latini reddunt* longanimis; *tamen hoc ex patientia & benignitate habet, vt ad iram lentus & dicatur & ſit. quam tamen importunitas, contumacia, & impudens atq; ſuperba hominum proteruitas aßidua peccandi conſuetudine, & continuato tetri odoris fumo etiam atq; etiam renouatis ſceleribus prouocatam iudicij maturitatem irritat. Atq; ita manifeſtum euadit diuinā iram non temerè, non vltrò, ſed hominum culpa prouocari & irritari; hancq; longe antè præcedentem, illam lentè plerumq; ſecutam demum attingere, niſi legitima interpellarit expiatio. Diximus peccandi diuturna & identidem repetita conſuetudine deteſtationis fumum, quo diuinus offenditur, ac demum accenditur naſus, augeri, tantoq; euadere acerbiorem, quanto minus curatum, & minus ab ipſis qui in culpa ſunt, animaduerſum. Id quod plerumq; in hominum ſpectatur moribus: quibus antiqua, & à parentibus vſque tradita, atque accepta peccandi aßiduitas ac diuturnitas, noua ac recentia peccata minus curare, antiqua verò obliuiſci facit. atq; ita deprecatores iſtos nihil de parentibus, maioribusq; ſuis ad deprecationis materiam contuliſſe animaduertimus, tantum duodecim tribuum primam antiquiſſimamq; inſtitutionem; ſi non ex ipſarum merito, tamen ex diuina electione, rationem habendam exiſtimarunt, atque illorum etiam, qui primi ex Ægypto liberati, piè ac ſanctè vixiſſe ab iſtis credebantur; cùm tamen nec illorum etiam ea virtus & pietas fuit, quæ Deum perpetuò fauentem promereri, conciliare & retinere poſſet; ſed ſola diuina bonitas, miſericordia, & patientia veniam, expectationem, & ad pœnitentiam tempus impetrauere. Quoties exacerbauerunt eum in deſerto, in iram concitauerunt eum in inaquoſo. Poſt hæc autem quamdiu in promiſſa atque tradita conſederunt regione: Et induxit eos in montē ſanctificationis ſuæ, montem, quem acquiſiuit*

[Margin notes: Ira Dei. Ignis. — Dei longanimitas. — Peccandi cōſuetudo. — Pſal. — Pſal. 77.]

ſtuit dextera eius. Et eiecit à facie eorum gentes, & ſorte diuiſit eis terram in funiculo diſtributionis. Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Iſrael: & tentauerunt, & exacerbauerunt Deum excelſum: & teſtimonia eius non cuſtodierũt. & auerterunt ſe, & non ſeruauerunt pactũ, quemadmodum patres eorum conuerſi ſunt in arcum prauum; in iram concitauerunt eum in collibus ſuis, & in ſculptilibus ſuis ad æmulationem eũ prouocauerunt. Hæc omnia quæ deprecatores iſti non commemorauerant, ſed potiùs obliuioni mandaſſe viſi ſunt, ſibi in notatis ac numeratis manere, Deus ait, non quòd ſibi ad commemorandum ſcribi opus fuerit; ſed quòd cauſam iuſtitiamq́ ſuam ipſis etiam aduerſariis iudicibus ſuperiorem probare iuſtiſſimus ipſe iudex ſemper ſoleat. S. S. E. Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci: vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. Hanc itaque ſuam propriam & antiquam rationem vrgens Deus, docet miſericordiæ & clementiæ ſuæ eſſe, quòd, quam Iſraelitæ nouiſſimã experti ſunt, iram non grauiorem experiantur, nec patres illorum fuerint, etiam experti grauiſſimam: nempe vtrique multis criminum commeriti nominibus. Subiungit itaque. Pſal. 51.

Ecce ſcriptum eſt coram me, non tacebo, ſed reddam & retribuam in ſinum eorum iniquitates veſtras, & iniquitates patrum veſtrorum ſimul, dicit Dominus: qui ſacrificauerunt ſuper montes, & ſuper colles exprobrauerunt mihi, & remetiar opus eorum primum in ſinu eorum.

E A *quæ memoriæ monumentis conſecrata volumus, nulli ſigno commodius ac tutius habiliusq́ mandantur, quàm ſcripturæ. quæ & ſeruari diutius poteſt, & ad plurium transferri & communicari notitiam; præcipuè ſi materia in qua ſcribitur, durabilioris & conſtantioris naturæ fuerit, vt lignum, marmor, æs. S. S. E. Vt ſcribantur ſtilo ferreo, aut celte ſculpantur in ſilice. Atqui, quæ in foro Dei ſcribuntur, omnia materiam nanciſcuntur æternam; nec minùs durabilem, quàm cælum ipſum: quippe quæ illic ſunt omnia durabilitatem ſibi vendicant, vt luna perfecta & teſtis in cælo fidelis. Nihil verò eorum, quæ in terris ab hominibus vel rectè, vel prauè fiunt, diuinam fugit notitiam, aut in prouidentiæ rationes ac tabulas non refertur. quippe hoc iuſtiſſimæ ſapientiæ, & ſapientiſſimæ iuſtitiæ Dei conſentaneum eſt, vt iudicium, cùm editum fuerit, conſtantibus humanarũ actionum monumentis cuilibet attentiùs cognoſcere curanti probetur. S. S. E. Hæc feciſti, & tacui, exiſtimaſti iniquè quòd ero ſimilis tui? arguam te, & ordinabo ante faciem tuam. Intelligite hæc, qui obliuiſcimini Deum; ne quando rapiat, & non ſit qui eripiat. Singula itaq́ tam patrum quàm filiorum crimina in iudicij diuini tabulis notata, eaq́ non negligenter aut mutatis vocabulis, aut per obliuioſum, vel negligentem, vel ſuſpectũ à manuenſem, vel ſcribam ſcripta; nec etiam in angulum quempiam reiecta, vel altàs abſcõdita, & ſepoſita, vt aliquando in humanis iudiciis fit: ſed coram iudice ipſo ſcripta, & eiuſdem oculis perpetuò expoſita conſtare.* Ecce ſcriptum eſt coram me. *Numerus ſingularis vnamquamque rem ſuis vocabulis*

Scripta apud Deum.

Iob.

Pſal.

bulis, temporibus, & circũſtantiis omnibus notatam ſignificat coram me. *Ad vtrumque tempus refertur, præteritum ac præſens. quoniam quæ hominibus præterita cenſentur, Deo præſentia ſunt cuncta. Quamobrẽ* CATHVB *in Paghul ſcriptum legitur. quæ vox præteritum ac præſens pariter ac ſimul ſignificat.* non tacebo. *quamquam vos patrum veſtrorum vel obliti eſtis, vel diſsimuletis crimina, ipſe iudex non obliuioſus vobis vt certior conſtet prouidentiæ ac iudicij mei ratio ex ſcripto ſingula per capita ac nomina generatim referam, vt me coram ſcripta, non vt coram vobis vel ad gratiam, vel ad odium, vel negligentiùs, vel nimio plus grauiùs deſcribi res & acta ſolent. Atq; ita documentis & nominibus criminum recitatis & oſtenſis,* non tacebo *diſsimulans, vtpote cui pœnitentia nec veſtra, nec patrum veſtrorum, vt diſsimulem, interceſſerit, ſed* reddam & retribuam in ſinum eorum. *Idem verbum* SILAMTHI *bis repetitum, iudicium in vtramq; accuſatorum partem iuſtè, exactè, & legitimè exercitum ſignificat. Prius enim, quod patres maioresq; ſpectat, præteriti formam plenè obtinet.* CHI IMSILAMTHI, quin potiùs reddidi. *Poſteriùs adiuncto* VAV *ex linguæ vſu futuri vim recipit.* VE SILAMTHI. & retribuam iniquitates veſtras, & iniquitates patrum veſtrorum ſimul [*pari iudicio*] dicit Dominus. *Qui & miſericors eſt, & idem etiam iudex, veritatisq; ſeuerus vindex. quod & nomen etiam* IEHVEH *ſignificat. Iam verò criminum generica narratio, quam ſe non taciturum profitebatur Deus, exponitur.* Qui ſacrificauerunt ſuper colles, & ſuper montes exprobrauerunt mihi. *Publicè & palàm, non in angulis, verùm in collibus, & montibus editis & conſpicuis teſtati cælo ac terræ, atque hominibus aliis ſibi doctrinam non probari meam iubentis ac præcipientis, vno in loco, & mihi vni cultum communiter & Catholicè exhiberi, ceterarum cultus rerũ vt profanæ & contaminatæ, atq; impiæ ſuperſtitiones legitimè damnari, ſiue in cælo, ſiue in terra, ſiue in mari ea eſſent, quibus numen tribueretur diuinũ, meq; eiuſdem criminis zelotem & vindicem declarantis ac profeſsi. Memini me legere apud doctum quendam architecturæ parentum noſtrorum æuo profeſſorem valdè aliàs in arte ſua humanioribusq; diſciplinis doctum non probari ſibi Moſis præceptum de vnico apud Iſraelitas ſtatuendo & celebrando templo, vtpote quod ſenioribus ac debilioribus adeundi fani interciperet ac negaret copiam. quæ forſitan vna ex prætextis Iſraelitarum rationibus ad tantæ tamq; multiplicis Idolomaniæ ac ſuperſtitionum licentiam. Auctoris iſtius nomini conſultò parcimus, quem ex toto opere ſacrorum ſcriptorum prorſus ignarum deprehendimus, atque hac vna in re peccantem, quòd nihil præterea de cuncta ſacra architectura informatum, & hoc vnicum, quod per imprudentiam fortaſſe, aut ab alio audierat, aut in mentem inciderat, inter ignorata etiam omittere oportuiſſet: quippe cui, ſi legis ac præcepti illius diuina conſtaſſet auctoritas, non tanta temeritas aut impietas, vt arbitramur, inceſſeret reprehendẽdi conſilij Dei tametſi nulla ſibi ex parte noti. Quod ſi conſultò hoc fuiſſet admiſſum in eiuſdẽ criminis iudicium incidendũ erat, quod hoc loco Iſraelitis illis reprobis adſcribitur.*

Præceptũ de vnico apud Iſraelitas templo.

& ſu-

& ſuper colles exprobrauerunt mihi. *Illud etiam hoc in loco ſingulariter obſeruandum eſt, non eadem prorſus criminum vel facinorum genera eſſe, quibus priores Iſraelitæ ante Chriſti tempora notati, & ex parte puniti, & quibus ij, qui poſt Chriſti tempora in reprobum ſunt permiſſi cadere ſenſum. Nam illorum nominatim declarata ſunt idolomaniam ſpectantia, iſtorum verò veritatis Euangelij repulſio præcipuum flagitium fuit. S.S.E. Quia repuliſtis verbũ hoc, propterea erit iniquitas hæc vobis ſicut interruptio cadens. Atque hanc vtriuſque partis criminum differentiam hoc etiam loco variatis vocabulis indicatam Deus voluit. nam patribus iniquitatum crimen illatum nominatim declaratum eſt adiuncto genere.* Qui ſacrificauerunt ſuper montes & ſuper colles exprobrauerunt mihi. *Filius autem illud tantùm obiecit*, iniquitates veſtras in ſinum eorum. *Ad patres refertur pronomen* eorum, *ac ſimilitudinem intendit. vt in ſinum eorum retribui, ita retribuam vobis. hoc ſignificat aduerbium* ſimul. *Atq; hactenus Deus primæ deprecantum orationis parti plenè ac planè reſpondens, nullum argumentum non abundè reliquit expeditum, iam verò deinceps reliquam partem expediendam occipit.* Iſraelitarum poſt Chriſtũ flagitium maximum. ʺ ʺ

Hæc dicit Dominus, Quomodo ſi inueniatur granum in botro, & dicatur, Ne diſſipes illud, quoniam benedictio eſt, ſic faciam propter ſeruos meos, vt non diſperdam totum.

Diuini nominis hominibus declaratam rationem miſericordiæ exemplis primùm, deinde etiã iuſtis iudiciis probari ſæpè diximus; ita tamen vt miſericordia & veritas Dei faciem præcedant. atq; hanc partẽ antiquiorem, ſi non apud ipſum, tamen apud nos perpetuò expertos probatam conſtare docuimus, & nunquam deſertam, nunquam non repetitã celebrauimus. Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. ait Habbakuk. Hanc ergo eandem hoc in loco repetit Deus deprecantium ac ſupplicum interceſſioni ſatisfaciens illi, Numquid ſuper his continebis te Domine. *Ait enim ſuum de Iſraele ſeruando, adornando, & amplificando propoſitum nunquã fuiſſe mutatum, nec mutandum eſſe vnquam, ſed potiùs abſoluẽdum & præſtandum, & iis qui verè Iſraelitæ fuerint, declarandum. Non enim omnes qui ex Iſrael, ij ſunt Iſraelitæ; neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filij, ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen. id eſt, non qui filij carnis, ij filij Dei, ſed qui filij ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine. Verè enim Iſraelitas eos eſſe, in quibus dolus non eſt, eos, qui ſimplici corde & recta mente dictis ac promiſſis auſcultant diuinis; quorum quamquam exigua reperiatur copia; tamen nec capillus de capite peribit. Horum autem rationem ita habendã ſibi ſuſceptam Deus ait, vt purgatis reproborum, & à ſe propter prauitatem reiectorum ſordibus, qui reliqui fuerint, accuratè collecti ac delecti ſeruentur; ſeruati, non modò ad antiqui Iſraelis ſecundùm carnem inſtaurentur normam, ſed virtute, ſpiritu, atque conſequenti fructu admirabili pacto ad felicitatem promoueantur amplificenturq; diuinam. Id quod vt viua imagine Deus explicet, ſimilitudinem ex agriculturæ fructibus ſumit, qui cultori ſuo ita grati ſunt, vt quamquam rari, ſi modò generoſi ac probandi ſuc-*

Habac. 3. ʺ

Rom. 9. Iſraelitæ veri ſuſcepti & ornati.

cus fecerint ſpem, in pretio habentur, & nullo pacto diſsipandi ac perdendi, quin potiùs cum laude & elogio defendendi, tutandi ac ſeruandi ducuntur. Quomodo ſi inueniatur granum in botro. *Metonymicῶs pro granis vertit interpres, vt ordeum, triticum, pro ipſo frumento integro. In primæua lingua ratio ac ſignificatio cum imagine ipſa patet.* CAASER IIMATSE HATHIROS BEESCHOL. Quomodo inuenitur ſuccus in racemo. *Vt cùm quis, inquit, hortum inuiſens, quamquam non denſum fructum reperiat; tamen ſi vnum aut alterum botrum non aridum nec rugoſum, vel vitioſum, ſed ſucco plenum, & vſum ſui præferentem intuetur, nullo modo corrumpi vel diſsipari ſinit, ſed potiùs ſeruandum curat, & commendat eo nomine quòd vtilē iudicet, & ad hominis cibos vel etiam ad potus idoneum futurum, atq; adeò ex creatoris Dei munere profectum agnoſcit. (Namque*
Benedictio. *hæc omnia benedictionis nomen ſignificat, vtilitatem, vſum, & Dei donū.) Ita, inquit, in magna illa quondam terrena vinea Domini exercituū, quanquā complures vites infœcundæ ſterilesq; repertæ reprobatæ euadant, quæcunque tamen fidei & ſanæ mentis virtute & ſucco plantationem, hoc eſt, electionem ſuam retinere inuenta fuerit; illa Deo cara, grata, & curata, à ceterarumq; communi improbatione & reiectione immunis conſeruabitur.*
» *Quadrat omnino hoc reſponſum promiſſumq; Dei cum illo: Si fuerit nu-*
» *merus filiorum Iſrael ſicut arena maris, reliquiæ ſaluæ erunt.* Propter ſeruos *ſuos Deus hoc prouiſum curandumq; ſibi ait, tum antiquiſsimos patres qui in ſimplicitate ſeruierunt, tum eos qui reſtituti & in gratiam vocati, poſthac deinceps ritè & purè Deo ſeruituri ſunt. quos in Euangelio Chri-*
Electi. *ſtus Electos nominat, id eſt, in diuina electione manentes: idq; agētes, quod pro temporis conditione ſuarum partium fuerit agere. Hoc autem à ſe promiſſum curandum præſtandumq; Deus ait,* vt ne diſperdam totum LEBILTHI HASHHITH HACHOL. ad non perdendum totum. *Non enim conſilij ſui vnquam fuiſſe perdere quemquam vltrò, ſed tamen iis, qui ita inſanierint, vt perdi velint, reiectis curaturum vt reliquiæ ſaluæ fiant. Atque ita non omnis Iſrael etiam ſecundùm carnem pereat, imo ex iis, qui reliqui fuerint, ſeruatis & conſeruatis, atq; etiam auctis, & benedicto affectis magna, ingens, atq; mirabilis percipiatur humano generi vtilitas magnaq; pietatis & Chriſtianæ virtutis creſcat, abundet, dimanetq; promotio.*

Et educam de Iacob ſemen, & de Iuda poſſidentem montes meos: & hæreditabunt eam electi mei, & ſerui mei habitabunt ibi.

Iaacob. IAGHACOB *quo primum tempore nomen hoc tuebatur vnicus & ſolitarius homo erat communem ſortem non excedens hominum, imò exul, peregrinus, & à fratre fugatus, diu ſeruiens, & ſine coniugio: quòd cùm nactus eſt; tamen diu ſobole caruit, præcipuè ex altera duarum ſibi addictarum à ſocero vxorum, demùm propter fidei ſimplicitatem & conſtantiam, & aſsiduas ad Deum pro ſobole preces, ex vtraq; vxore duodecim tribuum*
Iudas. *pater factus, in numerum propagatus fuit innumerabilem. Iudas diu etiam ſobolis ſpe priuatus manſit duobus liberis orbatus, ac tertium nurui minimè coniungere auſus: & tamen ex eadem muliere, quā fides & induſtriam & ſæ-*

& fecundam fecit, duobus auctus euaſit liberis, quorum alter in copioſiſſimam excreuit gentem. Hanc eandem imaginem felicius & nobilius atque ſplendidius renouaturum ſe Deus recipit, vt videlicet ex tribubus illis decem, quæ per terras diſperſæ exulem & profugum Iaghacobum repræſentant, nouus & innumerabilibus liberis ac nepotibus auctus Iſrael euadat. Atq; Iudæ genus, qui poſtremò abducti diu viduati, atque ſancta ſobole carentes vixere inter gentes, vt ille antiquus inter Chananæos vixerat, nunquam à ſe excogitato aut prouiſo modò, tamen arcano conſilio; & Deo curæ ſe fuiſſe agnoſcat, & multæ ſobolis parentem ſeſe magna gratulatione miretur, vſque adeò vt terram ſanctam, vrbemq; Ieroſolymam ſpiritalem, cum eiuſdem naturæ motibus colendam ſibi datam magna celebret frequentia, alio iam pacto & modo, nempe quo perpetuam habitationem cum ſeruorum Dei nomine & elogio ac titulo ſint obtenturi & conſeruaturi cũ ſumma totius regionis fæcunditate & felicitate; quam pecuaria res, & frugum copia innocentiſſimis artibus partæ diuitiæ exornent, atque ſaturitate expleant. Quæ omnia ex antiqua figura ad ſpiritus diuini locupletem benedictionem Chriſtianum lectorem referre monemus. Iſraelis & Iudæ reſtitutio

Et erunt campeſtria in caulas gregum, & vallis Achor in cubile armentorum populo meo, qui requiſierunt me.

Maximum promiſſæ felicitatis incrementum veris Iſraelitis futurum ex locorum ac temporum comparatione indicatur. Conſtat enim Iſraeliticam regionem ferè omnem poſt abductas & pulſas decem tribus, & poſt Iudæorum captiuitatem ex illa antiqua fertilitate ad maximam penuriam & ſterilitatem degeneraſſe; quam faciem & conditionem hodieq; tenere nouimus cum aptiſſima ſignificatione ſterilitatis, in quam natura humana deuenit, cùm à Dei ſingulari prouidentia & gratia propter ſuam culpã decidit. Illam autem conditionem terræ vſque adeò correctum, imò ſe auctore, & beante mutatum iri Deus ait, vt vel illa loca, quæ antiquis etiam temporibus, cùm cetera vberrima eſſent, tamen ipſa ſterilitatis damnata habebantur, cuiuſmodi Sarõ & vallis Ghachor ſingularia fuere exempla, vſq; adeò læta & vberrima euadant, vt pecoribus & armentis ingenti copia perpetuò paſcendis & alendis pabula ſaluberrima, & omnibus communia, oportuna & commoda ſuppetant. Saronitis regio, quæ vni ex antiquis Chananæorum regibus, & regni nomen & copiam dederat, armentis boum paſcendis nobilis fuerat. Id quod ex Dauidis regis cenſu & iudicio cognoſcere licet. Porrò armentis, quæ paſcebantur in Saron, præpoſitus fuit Setrai Saronites. Hanc eandem regionem hoſtilibus bellis, & incolentium Iſraelitarum defectu vaſtatam, & ad ſummam ſolitudinem redactam poſtea fuiſſe, apud hunc noſtrum legimus Vatem: Factus eſt Saron in deſertum. Verùm eandem diuino beneficio reſtituendam nunc accipimus, nec inſtaurandam modò, ſed in meliores & commodiores promouendam vſus; ita vt quæ bobus tantùm idonea erat, iam deinceps ouibus quoque alẽdis oportuna reddatur. Non enim vtriuſque generis paſtus eodem loco reperiri ſolet probandus, cùm oues gramine, exiguiſq; herbis, boues verò vberiore & humidiore de-

Iſraelitica regio ſterilis reddita.

Iſraeliticæ regionis fœcundatio.

Saron. Ghachor.

1. Par. 27.

Sup. 33.

lectentur fœno. vt iam alio in loco apud Prophetas diſſeruimus. At verò vallis Ghachor ex Ghachami conturbatione ſic dicta paſcendis armentis propter loci depreſsi humiditatem, & defluentem ex montibus virtutē vtilis quondam, ſed propter incolarum, hoc eſt, tribus Iudæ, abductionem deſerta, & ad nominis rationem turbata ad perpetua armentorum cubilia & paſcua reficietur; atq; ex conſequenti nullus nec in oppidis, nec in agris locus erit; quin diuinam teſtetur & oſtendat benedictionem & beatitatem. Itaq; Saron & vallem Achor, ſiue ex metonymia, ſiue ex contentionis rhetoricæ ratione omnem paſtionibus aptum locum ſignificant. & quamuis anteà ineptum, tamen ad ingentem vtilitatem & commendationem reficiendum. Atq; hæc omnia ad delecti, ſibiq; reconciliati ac ſuſcepti & exornati populi vſum & commodum comparaturum ſe Deus recipit. Populo meo, qui requiſierunt me. *Populi mei cauſa. appellat populum ſuum eos quos ipſe ſe requirentes miſeratus receperit, & adoptauerit. Quemadmodum autem illis requirendus Deus fuerit, iam expoſuimus. Interpres noſter pro* SARON, *quod in exemplari ſcriptum eſt, argumentationis vim reſpiciens nomen paſcuorum generale reddidit,* campeſtria. *Atq; hoc pacto ſeſe Iſraeliticis rebus reſtituendis & promouendis prouidiſſe & conſuluiſſe præſtiturum demùm Deus declarat; ceteros verò, qui ſeſe tanto Euangelij beneficio indignos reddiderint, reiectos vlturum & conſumpturum ait. Atq; hoc reſponſo vtriuſque partis euentum Euangelij tempore expectandum indicat: eorum enim qui crediderint, explicatæ ſorti alteram eorum, qui non crediderint, e veſtigio ſubiungit.*

Et vos, qui dereliquiſtis Dominum, qui obliti eſtis montē ſanctum meum, qui ponitis fortunæ menſam, & libatis ſuper eam.

Orationis huius pars hæc eorum vicem tangit, qui à Chriſti Euangelio ad futuram vſque Eccleſiæ ex vtroque populo communionem variis in locis diſperſi morantur, & ceterorum, qui iſtorum imitati mores, nihilo ſapientius de veræ pietatis rationibus agunt & conſulunt. Hos enim Deus à vero pietatis & ſincero ſenſu alienos primùm, ac præterea deliciis & corruptioni omni deditos, & anxiè ſtudentes notat, dignoq; ſua culpa iudicio obnoxios pronunciat. Sententiæ ſumma hæc ex primæuæ linguæ verbis attentè conſideratis producitur, illa priùs adnotatione conſtante. (Adnotatio.) *Quæcunq; ad hæc tempora nouiſsimoſq; ſeculorum fines referuntur, ſiue ea fauſta ſint ſiue infauſta, ad animorum felicitatem vel miſeriam præcipuè à nobis interpretando reuocari. Nam quamquam & hanc ſortem ea quoque conſequantur, quæ mortalis vitæ huius commoda vel incommoda attingunt, iſta* (Iudæorum accuſatio.) *nec tam diu durare poſſunt, nec vllo nomine cum illis conferri debent. Igitur primum illud audiunt ſibi illatum crimen, quòd communem & publicam religionis rerum calamitatem adeò non ſentiunt, vt obliti eſſe dicantur.* Qui dereliquiſtis Dominum. *Rationes & myſteria atque fidem & virtutem, eaq; cuncta maxima ac diuina, quæ nominis* IEHVEH *arcana includuntur appellatione, & in quibus humanæ ſalutis notitia verſatur, hæc non minùs quàm ſi ad vos minimè pertinerent, dereliquiſtis; atque ex conſequen-*

ſequenti obliti eſtis montis ſancti mei *Ieſu Chriſti virtute & efficientia illuſtrandi, exornandi, & ſanctificandi. Quod verò in his Latinis vocabulis continetur arcanum ſacram edoctis linguam nominum* HARKODSI, *contemplatione aliqua ex parte reuelatur; non tamen eadem luce, atque iis, qui illum incolunt & frequentant montem. Significat autem* HARKODSI, grauidationem ſanctitatis meæ. *quam Chriſti efficacitatem interpretamur, paucis pro dignitate intellectam, iis nimirum, quibus ſignatus liber ex diuino beneficio patefactus fuerit: ceteris verò propter ſuum vitium & crimen neglectam, & obliuioni traditam: Iudæis autem huius tempeſtatis nec de nomine quidem notam. Ab hac verò notitia, ab hac ſimplici erga Deum pietate & mente alienatos, quænam ſtudia occupatos teneant, e veſtigio Deus declarat. Neque enim humana mens, quàm diu in hoc mortali degit corpore, prorſus otioſa viuit, ſed niſi bonis dedita ſtudeat, honeſtisq́; rebus & curis, vitiis, & vitæ corruptioni vacat.* Qui ponitis fortunæ menſam, & libatis ſuper eam. *Propter vocabulorum Latinorum, ad amuſsim reſpondentium inopiam breuius hic verſus paucioribusq́; redditur verbis ſimplicibus, ſi circuitione vtamur: ſed nos ad ſtudioſorum vtilitatem id quod conſequi poterimus, ex animo & ſincerè exponemus. Exemplaris verba in hũc habent modũ.* HAGHORECHIM LAGADSULHHAM. *hæc tertia verſus pars eſt. ex verbo*, inſtruentes bono euentui, *ſiue*, bonæ gratiæ menſam. *Significatio ferè ſimilis Latinorum, indulgere genio cum boni euentus ſpe, id eſt, à curis animo auocato cuticulam curare, & lætitiæ operam dare, atque præſentium iucundo vſu futura bono omine expectare, & felicitati commendare. Cuiuſmodi vota & vitam ille docebat.* Chriſti efficacitas.

Diſſolue frigus ligna ſuper foco Horatius.
Largè reponens, atq; benignius
Deprome quadrimum Sabina
O Thaliarche merum diota.
Permitte Diuis cetera, qui ſimul
Strauere ventos æquore feruido
Deprælianteſ nec cupreſsi
Nec veteres agitantur orni.
Quid ſit futurum cras, fuge quærere, &
Quem ſors dierum cumq́; dabit, lucro
Appone.

Namq́; nomen GAD, *felicitas, bonum omen, bonus euentus, & bona gratia actiuè Latinè dici poteſt. Eſt enim idem nomen, quod Zelphæ filio impoſitum cum ſua traditur interpretatione. Sentiens Lia quòd parere deſiiſſet, Zelpham ancillam ſuam marito tradidit, qua poſt conceptum edente filium, dixit: Feliciter. & idcirco vocauit nomen eius Gad. Itaq; ſibi largius indulgere, & voluptatibus operam dare, iſtorum ſtudium eſſe Deus notat, cetera bono euentui permittentium. Gallicè, appreſter la table bien fornie à la bonne grace. Talis mens & huiuſmodi ſtudium iſtorum, cuiuſmodi etiam curis, imò ludis obiretur, poſtrema verſus parte exponitur.* HAMEMALEIM LAMNI MIMEZZACH. *Ad verbum*, qui complen-

Mos in conuiuiis. plentes ad numerum de mixtione. *Moris fuit antiquis pocula in conuiuio numerare ſingulis ebibenda; numerum autem pro regis conuiuio ex ſorte præfecti arbitrio decernere ac diſtribuere, ductum ex literarum ſiue ſyllabarum nominis cuiuſpiam vel diui, vel principis, vel amici ſiue amicæ, ſiue aliàs conſtituti & appellati numinis. ita Muſis nouem ſcyatis, Gratiis tribus bibebatur. Plenæ ſunt Poëtarum & antiquariorum atq; Grammaticorum chartæ huiuſmodi nugarum obſeruationibus & exemplis.*

Horat.

Qui Muſas amat impares
Ternos ter ſcyathos attonitus petet
Vates: tres prohibet ſupra
Rixarum metuens tangere Gratia
Nudis iuncta ſororibus. *& illud:*

Idem.

Te multa prece te proſequitur mero
Diffuſo pateris, & Laribus tuum
Miſcet nomen, vti Græcia Cæſaris
Et magni memor Herculis. *&*

Martial.

Neuia tres ſcyathos, ſeptem Ruffina bibatur.

Atque Latinorum numeri à literis, vel à ſyllabis nominum in conuiuia ducebantur ex more. Iſraelitarum verò numerandi alius fuit vſus ex literarum certo & communiter iam olim recepto ſingulorum elementorũ modo. vt literæ ג*, cum noſtro Latinorum G, & Græcorum* ΓΑΜΑ, *ſono conuenientis ex alphabeti ſerie ternarius,* ד *verò, id eſt, Deltæ, quaternarius tribuitur numerus. Atq; ita pocula nomini* GAD *indicta, ſeptena numerabantur. Vt autem Latinus interpres in filij Zelphæ Genethliaco pro* BAGAD, *id eſt, venit* GAD, *abſolutè reddit,* Feliciter, *ita hoc loco menſam poſitam, ſiue inſtructam* LAGAD, fortunæ *interpretatus eſt. Atq; hoc pacto loci huius obſcuritas illuſtratur. Quòd verò dicit,* libatis ſuper eam, *illud declarat,* complentes ad numerum de mixtione. *Alludit enim ad vinorum variorum vel inter ſe, vel cum melle & odoramentis mixtionem ac dilutionem, quæ in delitiis etiam numeratur, & artem atq; induſtriam ſibi vendicat.*

Niſi Hymettia mella Falerno
Ne biberis diluta. &c.

Iſtiuſmodi curis vel nugis ætatem tranſigere, atq; tempora calamitoſa fallere velle, idq; agere, & omnia felici euentu mutanda ſperare, diuerſum nimium atq; ab humani, nedum pij animi ſenſu alienum inſtitutum eſſe Deus declarat. qui omni tempore vigilare & orare iubet, & quos aliter agentes inuenerit, grauiter ſibi puniendos prædicit, ac certa adeò animaduerſione afficiendos, vt non per ludũ res hominum curare cognoſcatur, quas homines ipſi per ludum tractare ſolent.

Numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis: pro eo quòd vocaui, & non reſpondiſtis: locutus ſum, & non audiſtis, & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui elegiſtis.

Oratoria alluſione, quam vix Latinus exprimere poßit ſermo, ſuorũ ſtudiorum exitus ex diuino iudicio expectandus indicatur; eodem tropo, quo aliàs auctores ſacri certis in locis vti eleganter pariter ac ſignificanter conſueue-

ſueuerunt, vt Iaghacobus dum Dani filij ſortem prædicit, ita canit : DAN-
IADIN ETH GHAMO, *Dan iudicabit populum ſuum. Sic Deus eos quos in* Gen.
numerãdis ex arte poculis curam & operã ponere criminatus eſt, hos etiam
in gladio exciſioneq́ numerandos, vt oues lanienæ deſtinatas & lanio tra-
dendas numero. Verborum alluſio germana illa eſt. Dictum fuerat de iſtis.
HAMEMALEIM LAMNIMIN MAZZACH. Qui implentes [*pocula*] ad nu-
merum ex diluto. *Huic idem verbum* MANAH *repetitum opponitur.* MA-
NITHI ETH CHEM LAHHEREB, & numerabo vos ad gladium; *vt vos*
numerabatis ad GAD, *ad boni euentus, ſiue bonæ gratiæ, ſiue fortunæ, ita*
ego vos ad HHEREB, gladium, *ſiue* exciſionem *numerabo, idq́ numero,*
hoc eſt, certo & numerato, opportuno, ac ſuo tempore edendo iudicio facien-
dum eſſe, ait. quod manifeſtæ prouidentiæ ſingulare & illuſtre fuerit ar- Euangelium repudientium
gumentum. Vbi enim numerus & menſura, ibidem cognitio & cura ſta- Iudæorum
tuitur. & omnes in cæde corruetis. *Verba ex lanienæ ſermone vſurpata,* pœna.
in propria audiũtur lingua. VECHULECHEM LATEBAHH THICHRAGHV.
& omnes vos ad lanienam genu flectetis. *quod Latinus dicit, procum-*
bere apud macellum, ſiue ad lanienam. Hiſpanicè, arrodillareis al matadero.
Poëtæ cadere ad aras, vel ante lanium cadere dicunt. Quod verò ait, Om-
nes, vos, *per partes & numerum occidendos, nemine excepto, ſignificat, eos,*
inquam, quos diuinum iudicium pari crimine repulſi Euangelij inuolutos
inuenerit. Id quod cum illo concordat : Et niſi abbreuiati fuiſſent dies illi, “
non foret ſalua omnis caro; ſed propter electos [qui in electione diuina ma- “
nere curarunt] breuiabuntur dies illi. Hanc conſtitutam recitat ſentẽtiam “
in eos, qui, Euangelio repudiato, ea ſequi & retinere maluerunt, quæ Deus
non mandauerat, vt traditiones paternas, vel inanes, vel à Chriſti tẽpore
iam emortuas & inutiles, vel externum præceptorum & promiſſorũ ſen-
ſum, qualem non permanere Deus voluerat. Hoc eſt, quod indicatur crimi-
nis & culpæ generatim commemorata cauſa. Pro eo quòd vocaui, & non
reſpondiſtis : locutus ſum, & non audiſtis : & faciebatis malũ in ocu-
lis meis; & quæ nolui, elegiſtis. *Euangelij præſente Chriſto, & eodem ad*
cælos recepto, atq; declarato Filio Dei ab Iſraelitis repulſi, ſummam hiſto-
riam continet hoc hemiſtichium. Namq; vt ille dixit : Si non veniſſem, & “
locutus eis non fuiſſem, & ſigna non feciſſem, quæ nemo alius fecit, pecca- “
tum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. & “
illud: Ego vado, & vos manebitis, & in peccato veſtro moriemini. & illud: Ioan.
Filiæ Ieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos flete, & ſuper filios ve- Lucæ
ſtros. Quia ſi in viridi ligno hoc fit, in arido quid fiet? Quod verò ait: & fa-
ciebatis malum in oculis meis. *Pugnam & contentionem aduerſus Eu-*
angelium pertinaciter ſuſceptam, & vim atq; iniuriam diſcipulis Chriſti
illatam, nobis ſignificat: Illud porrò, & quæ nolui, elegiſtis. *contumaciam*
poſt Hieroſolymorum excidium in veteri, & iam antiquata doctrina atque
in frigidis paternis traditionibus adhibitam & conſeruatam notat. Verùm Recipientiũ
enimuerò eorum qui ex puro, pio, ac ſincero animo bono Dei nuncio, id eſt, Euangelium felix ſors.
Euangelio, fidem obſequiumq́ præſtiterint, longè alium futurum euentum

vera, non corporum, ſed animorum, voluptate & felicitate afficiendorum: id quod iſtis aliis Euangelij contemptoribus inuidiæ rabiem augebit. Atq; felicitatem & ſortem hanc iiſdem ferè verbis Deus deſcribit, quibus iſti ſuas delitias ſuamq; beatitatem celebrauerant; verùm longè aliam rerum ſignificantibus naturam, nempe cæleſtem, ſpiritalem, & planè Deo promiſſore & auctore, atq; ſui communicatore dignam.

Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis: ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis: ecce ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce ſerui mei laudabũt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritus vlulabitis.

Votorum humanorũ exitus.

Quæcunque hominibus de terreſtri corporum beatitate, hoc eſt, de concupiſcentia carnis, de concupiſcentia oculorum, ac de vitæ ſuperbia ſuſcipiuntur, & nuncupantur, magnoq; ſtudio ac molimine curantur, vota quales nam ſortiantur exitus, apertiſſimè & planiſſimè per Vatem ſuũ Deus exponit, diuerſos longè, imò prorſus oppoſitos conceptæ ſpei, & eidem hominis etiam parti nocituros, cuius iuuandi & beandi cauſa nuncupata fuerant: Contrà verò, qui propter ſalutis animorum optionem & ſtudiũ ſuſcipiuntur in vita, ac feruntur labores, & quæ pericula tolerantur & adeuntur fortiter, difficultateſq; conſtanter vincuntur, in ſumma gaudia, veramq; felicitatem demum conuerti & commutari, atq; ſecuritatem parere perpetuam. Id quod comparatione in Iſraelitarum populo facta declaratur. Populo, inquam, in duas factiones diuiſo, fidelium & piorum, qui Iſraelis redemptionem ſeriò expetentes, expectauere; & ſedulo optatam poſtulauere, allatamq; alacriter excepere: & ceterorum, qui ſuam ſtatuere volentes iuſtitiam, iuſtitiæ Dei non fuère ſubiecti. Vtrorumque enim vices hoc loco indicat Deus. Illi enim, eſurientes & ſitientes iuſtitiam, ſaturabuntur. Ecce ſerui mei comedent. *Iſti verò corporis tantùm voluptatibus & commodis ſtudentes.* vos eſurietis. Ecce ſerui mei bibent, *in menſa Dei, & de præclaro inebriante calice;* & vos ſitietis *doctrinam veram: quæ verè ſitim extinguit, & aquam viuam ſalientem in vitam æternam. Pro lætitia verò, quam vos, boni euentus ſpe aucupabamini,* ſerui mei lætabuntur *lætitia inenarrabili conſeruata in cælis, iis qui lugent,* & vos confundemini. THEBOSSV, pudefietis, *voto fruſtrati & ſpe eluſi, animiq; ſententiæ redarguti, cùm illis vacaueritis voluptatibus, deliciis, & curis, quæ boni & ſanæ mentis homines vel recordati erubeſcunt. Ciborum autem & poculorum ſaturitatem cordis lætitia ſequi ſolet. S. S. E. Panis cor hominis*

Piorum laborum euentus.

Pſal 103.

» *confirmat, & vinum lætificat cor hominis. Verùm vti diuerſi cibi ſunt ij, quibus Dei ſaturantur ſerui, ab iis, quibus terreſtres explentur homines, ita diuerſum prorſus illorum gaudium ab iſtorum lætitia cenſendum eſt: de illo namq; ſcriptum eſt: Mundus flebit, & vos gaudebetis; & gaudiũ ve-*

Ioan.

» *ſtrum nemo tollet à vobis. Atque cordis gaudium vel huic contrariam affectionem, mæſtitiam videlicet & ægrimoniam, motuſq; omnes animi conſentaneæ voces, lingua interprete, efferre & prodere naturæ impulſu aſſolent.*

lens. S. S. E. Exultabunt ſancti in gloria, lætabũtur in cubilibus ſuis: exultationes Dei in gutture eorum. Hinc hymni, cantus, carmina, laudes: vel ex contraria affectione gemitus, ſuſpiria, lamenta. Ecce ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritus vlulabitis. *Neque verò omnibus hominibus humana tantùm ſapientibus in ſola corporis voluptate votorum ſumma ponitur: nam qui ſublimiore præditi ſunt ſenſu, gloriæ ac nominis celebritati comparandæ ſtudent. id quod alij aliis artibus & modis agunt, & curant. Nonnulli enim diuitiis & opibus cõgerendis hoc ſe conſecuturos arbitrantur; alij verò bellica virtute, alij ſcientiæ atq; diſciplinarum profeßione; denique vel ambitioni, vel auaritiæ ſeſe ad famam dedunt ij omnes, qui elato, &, vt ipſi loquuntur, ſublimi ſunt animo. qui gloriam aucupantur, & hoc agentes, in luce viuere ſeſe aiunt: cęteros, hoc eſt, pauperes ſpiritu ac mites, vt obſcuros & in tenebris degentes, aſpernati. Iſtorum autem quoque diligentiam non ſolùm fruſtratum, ſed in ſummam infamiam deſitum iri, prædicit Deus: bonamq; famam illis ceſſuram, qui nihil de ſe magnum præſumpſerint, ſed omnem omnino laudem & gloriam Deo, vt bonos decet ſeruos, tribuendam duxerint; idq; in omni argumento & occaſione agendum ac defendendum ſibi imperauerint. De illorum inſana ambitione ſcriptum eſt: Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis. De horum modeſtia verò: Domine non eſt exaltatum cor meum, nec elati ſunt oculi mei: nec ambulaui in magnis, nec in mirabilibus ſuper me. Si non humiliter ſentiebam, ſed exaltaui animam meam. Atq; vtrorumque exitus varios atq; prorſus oppoſitos, ita prædictos ex Deo refert Vates.*

Margin: cia. — Gloriæ ſtudium. — Pſal. " " ".

Et dimittetis nomen veſtrum in iuramentum electis meis: & interficiet te Dñs Deus, & ſeruos ſuos vocabit nomine alio.

Iuramentum hoc loco diras preces interpretamur, in quibus exemplum aliquod deteſtabile pronunciari ſolenne eſt, ſiue eæ in ipſum iurantem, ſiue in alium, vt plerumque fit, concipiantur, & mittantur. Huiuſmodi verò iuramenti formulam expreſſam Deus hoc etiam in reſponſo voluit, illam videlicet, Et interficiet te Dominus Deus [*vt interfecit Iſraelitas, Euangelium auerſatos*] Dominus Deus, *qui idem in ſeruos ſuos benignus, & liberalis ſeruatorq; eſt, & iuſtus etiam iudex: hoc enim ſignificat nomen adiunctum* ELOHIM. & ſeruos ſuos vocabit nomine alio. *non ſolùm ſaturandos & exhilarandos, ſed magna nominis celebritate ornandos: In memoria enim æterna erunt iuſti, ab auditione mala non timebunt. non ſolùm celebrandos ait, ſed alio donandos vocandosq; nomine. S. S. E. Et nomine æterno hæreditabit eos. Videte qualem caritatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur, & ſimus. Atque vtramque hanc appellandi nominis rationem aliis in gloriam & famam atq; in laudem Dei, aliis verò in ignominiam & infamiam, atq; in horrendum Dei iudicium legitimum quondam conſtituerat dictaueratq; Deus, nouißimis verò temporibus vtrique parti & nomine & re amplificatum iri prædicit hoc loco. Fuerant autem legitimæ formulæ illæ: In te benedicetur Iſrael, atq; dicetur: Faciat tibi*

Margin: 1. Ioan. — Gen. 48.

 Deus

Deus ſicut Ephraim, & ſicut Manaſſe. dirarum verò contrariæ prædictio
Num. 5. *ita habet: Det te Dominus in maledictionem, exemplumq́ cunctorum in populo ſuo. Et quidem tantum, tamq́ manifeſtum diſcrimen inter veros ac ſinceros Dei cultores, atq́ inter Dei ac regni filios, & inter fictos ac ſimulatores, nedum inter illos & manifeſtos malefactarios & improbos, futurum eſſe ait, vt verè illi filij Dei nominentur, nec per imputationẽ tantùm filij eſſe putentur aut exiſtimentur; nec contrà, qui impij & improbi ſint, quamquam externam ſpeciem præbeant ſanctitudinis & pietatis, tamen celari poſsint, aut fallere; quippe cùm vera filiorum Dei virtus, & ſolida ſan-*
Vera ſanctitas. *ctorum ſanctitas, non minus quàm diei lux clara & manifeſta conſtabit: idq́ non verbis, non alia ementita pietatis ſpecie vel vmbra, ſed aperta virtutis veræ manifeſtatione omnibus exemplis ſpectatæ ac probatæ. Id quod Chriſtus ipſe, tanti boni auctor, dum nuncium ageret, futurum promitte-*
Mat. *bat, & non multo pòſt oſtẽdere diſcipulos hortabatur: Sic luceat lux veſtra*
„ *coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem ve-*
„ *ſtrum qui in cælis eſt. Et, non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita,*
„ *nec accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum,*
2. Cor. *vt luceat omnibus qui in domo ſunt. &, Veniam ad vos, & cognoſcam non*
„ *ſermonem eorum qui inflati ſunt, ſed virtutem: non enim in ſermone eſt*
„ *regnum Dei, ſed in virtute. Atq́ vt apud hunc eundem Vatem promiſſum*
Sup. *conſtat: Omnes qui viderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen, cui*
„ *benedixit Dominus. Hæc itaq́ vera eſt à Deo imponendi nominis ratio.*

In quo qui benedictus eſt ſuper terram, benedicetur in Deo amen: & qui iurat in terra, iurabit in Deo amen: quia obliuioni traditæ ſunt anguſtiæ priores, & quia abſconditæ ſunt ab oculis noſtris.

Benedictio in Chriſto. *In ſemine Abrahæ, id eſt, in Chriſto, benedicendas fore terræ familias, diuino quondam reſponſo promiſſum fuerat. Hanc benedictionem reuera præſtandam, & manifeſtis cæleſtis virtutis exemplis examinandam, Vates omnes & Pſaltes celebrant. Quam virtutem à Deo acceptam, & ipſi, qui acceperint, profeſſuri; & qui viderint exploratamq́ cognouerint, legi-*
Pſal. *timè teſtaturi prædicuntur. Etenim Dominus dabit benignitatem, & ter-*
„ *ra noſtra dabit fructum ſuum: Iuſtitia ante eum ambulabit, & ponet in via*
„ *greſſus ſuos. Itaq́ qui ſuper terrã benedictus fuerit,* benedicetur in Deo, amen. *In vera & ſolida Dei virtute ſibi diuinitus communicata, non in imputatione, aut alia quauis terrenæ ſapientiæ perſuaſione, ſed* in Deo *amen, vero & efficaci ac veritatis communicatæ auctore. Hinc illæ pro-*
1. Cor. 16. *feſsiones & obteſtationes: Caritas mea cũ omnibus vobis in Chriſto Ieſu,*
2. Cor. 1. *amen. &, Cùm ergo hoc voluiſſem, nunquid leuitate vſus ſum? aut quæ co-*
„ *gito, ſecundùm carnem cogito, vt ſit apud me* EST *&* NON*? Fidelis autem*
„ *Deus, qui ſermo noſter, qui fuit apud vos, non fuit in illo* EST *&* NON. *Dei*
„ *enim Filius Ieſus Chriſtus, qui in vobis prædicatus eſt per me, & Syluanum,*
„ *num, & Timotheum, non fuit* EST *&* NON, *ſed* EST *in illo fuit. Quotquot*
„ *enim Dei promiſsiones ſunt, in illo* EST*, ideo & per ipſum Amen Deo ad*

gloriam

gloriam noſtram. Hoc idem eſt quod per Vatem noſtrum prædictum, qui
benedictus eſt ſuper terram, benedicetur in Deo amen. *Quod vero*
ſubiungitur, & qui iurat in terra, iurabit in Deo Amen. *Eiuſdem ſen-*
tentiæ eſt quod ad veritatem & virtutem diuinam attinet. Verùm hoc re-
fert, quòd qui benedicitur, ab alio benedicitur teſtato, vel cognoſcente vir-
tutem Dei in quopiam alio conſtantem; iuſiurandum verò in Deo ab eo iu-
randum eſt, qui diuina illa præditus fuerit virtute & ſanctitate. Qualia
iurare Apoſtoli conſueuere. vt illud: Scio hominem, in Chriſto, ante annos 2. Cor. 12.
quatuordecim, ſiue in corpore, ſiue extra corpus neſcio, Deus ſcit. & illud “
apertiſsimum: Veritatem dico in Chriſto, non mentior, teſtimonium mihi Rom. 9.
perhibente conſcientia mea in Spiritu ſancto. Atque hanc virtutem ſolidam, “
certam, conſtantem, planè diuinam, ſingulari admirabilique beneficio Dei in Iuſtitiæ noui
ſanctis effectam præſtante Iſraelitis Deo conſtituram; cuius veritate & Teſtamenti ad legalem
præſentia illa altera veteris legis temporum legalis iuſtitia antiquetur, & præſtantia.
obliuioni tradatur, vtpote quæ propterea quod infirmabatur per carnẽ, ne-
minem ad perfectum adduxerit, & propter trãſgreſsionem ac violationem
multarum calamitatum & ærumnarum ſuis cultoribus occaſioni fuit. Hæc
poſterioris in hoc hemiſtichio partis explicatio eſt, quia obliuioni traditæ
ſunt anguſtiæ priores, & quia abſconditæ ſunt ab oculis noſtris. *So-*
lent enim noua meliora & præſtantiora, quibus diu optata & expetita ab-
undè contigerint, præteritorum, quæ minora & minus vtilia atque adeo la-
borem, damna, & incommodum quodammodo adnexum habuerant, nõ mo-
dò deſiderium auferre, ſed obliuionem etiam inducere. Id quod à ſe ſuis ele-
ctis præſtitum iri promittit Deus, atque nouo prorſus mundo, eoque præſtan-
tiſsimo creato, præſtiturum declarat.

Ecce enim ego creo cælos nouos, & terram nouam, & non erunt
in memoria priora, & non aſcendent ſuper cor.

Quiſquis humanæ naturæ arcanam conſtitutionem ſacris libris ac diſci- Homo microcoſmos.
plinis traditam, non fuerit edoctus, aut non intellexerit hominem vnum-
quemque mundi in ſe totius argumenta & rationes continere, is profectò
reſponſum hoc, diuinumque promiſſum ad varias res, eaſque omnes extra rem
commentando, Iudæorum modo ac more diſtrahet. Qui verò rationem
quamobrem homo μικρόκοσμος dictitetur, probè tenuerit; is facilè quorſum
hæc tendant, veſtigando conſequetur: quippe quæ renouationem ſignificent Humanæ naturę renouatio.
humanæ naturæ ad Chriſti Ieſu inſtar ſimilitudinemque traducendæ. Qua
de re ſcriptum ac teſtatum legimus: Qui ſuam vxorem diligit, ſemetipſum Epheſ. 5.
diligit: Nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet “
eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam: quia membra ſumus corporis eius de car- “
ne eius, & de oſsibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, “
& adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc ma- “
gnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia. Hunc exiguum mũdum “
ſuis cælis, ſuaque conſtantem terra, atque multifariam à prima integritate &
ſinceritate collapſum ſpiritali modo atque vſu antiquandum atque abolen-
dum, rurſuſque denuò creandũ nouum, pulcherrimum, & magnis multiſque

virtutibus & efficacitatis partibus auctum & amplificatũ, multis inſtructum ornamentis, ſibi creandum Deus recipit: ex quo, & in quo quidquid poſtea deinceps expectetur ac edatur, iucundiſſimum, & lætitiæ atq; laudis perpetuum habeatur argumentum: deniq; eiuſmodi omnia euadant, vt præteriti temporis ac mundi obliuionem inducant. & non erunt in memoria priora [*ad deſiderium & contemplationem; ſiquidem hoc perpetuum ac ſolenne eſt, vt quiſquis bonas quærens margaritas, vnam pretioſam inuenerit, abeat, & vendat omnia ſua (etiam quas antea comparauerat margaritas) & emat illam. Atq; nouam huiuſmodi cælorum ac terræ creationem magno gaudio ingenteq; hominum, ipſorum inquam renouatorum, ac nouæ Hieroſolymæ ciuium perpetuò celebratum iri, naturæ ipſius nouæ ratio docet, ac Deus luculenter promittens indicat.*

Sed gaudebitis & exultabitis vſque in ſempiternum in iis quæ ego creo: quia ecce ego creo Ieruſalem exultationem, & populum eius gaudium. Et exultabo in Ieruſalem, & gaudebo in populo meo, & non audietur in eo vltrà vox fletus, & vox clamoris.

Gaudium in Spiritu ſancto. *Nouam vitam in ſpiritus renouatione initam & peragendam perpetuum gaudium cum pace ac publica lætitia coniunctũ, conſequens fuerit comitari.*
Philip. 4. *Id quod tanti boni compotes facti teſtantur & celebrant: Gaudete in Domino ſemper, iterum dico, Gaudete. Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus: Dominus enim prope eſt. & illud: Diſcipuli autem replebantur* (Act. 13.) *gaudio & Spiritu ſancto. &, Regnum Dei non eſt eſca & potus, ſed iuſtitia, & pax, & gaudium in Spiritu ſancto.* (Rom.) *&, Quod vidimus & audiuimus annunciamus vobis, vt & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum Patre, & cum Filio eius Ieſu Chriſto. & hæc ſcribimus vobis vt gaudeatis, & gaudium veſtrum ſit plenum.* (1. Ioan. 1.) *Atq; duæ cumprimis & generatim cauſæ hominibus eſſe ſolent cùm priuatæ tum publicæ mæſtitiæ, acerbitatis, ac triſtitiæ: altera ex innaſcentibus laboribus ac doloribus, quibus humana ſua ſponte afficitur vita. cuius generis ſunt morbi, ſenecta, debilitationes, fames & ſitis, & cetera multa, quæ in ſacro ſermone mortis dicuntur portæ; atq; à poëtis ad inferi oſtia collocantur. Altera verò cauſa ſunt incõmoda hominibus, ab aliis etiam illata hominibus; vt iniuriæ, contumeliæ, lites, rixæ, inimicitiæ, & bella, fraudumq; artes omnes. quæ etiam opera mortua, ſiue mortis fructus in ſacris vocãtur chartis; in poëticis quoque ad eandem inferorum regionem pertinere indicatæ. Namq; vtrumque genus luculenter diſtributum in arcano libro Latinus poëta complexus eſt.*

Triſtitiæ cauſæ duæ. Mortis portę. Mortua opera, & mortis fructus.

Virg. Aen. 6.

Veſtibulum ante ipſum primiſq; in faucibus Orci
Luctus & vltrices poſuere cubilia curæ,
Pallentesq; habitant morbi, triſtiſq; ſenectus,
Et metus, & maleſuada fames, & turpis egeſtas,
Terribiles viſu formæ, metusq; laborq;,
Tum conſanguineus læti ſopor, & mala mentis
Gaudia.

Hactenus prius genus: alterum poſterius deinceps.

Mor-

Mortiferumq́ aduerſo in limine bellum,
Ferreiq́ Eumenidum thalami & diſcordia demens
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.

Quæ vtraque vti vario modo humanum torquent & vexant ſenſum, ita vario vocum ſono & exemplo efferuntur. Nam quæ innata ſunt vel ex ipſa mortalis naturæ fragilitate & infirmitudine oriuntur, fletu excipi ſolent. Fletus. *qui in primæua lingua* BECHI *dicitur. Quæ verò externè illata ſentiuntur, ea maior, vehementior, atq́ editior ſonus in ſacra lingua* TSEGHAKAH, *in Latina clamor dictus, indicat & proſequitur. vt in quinto huius libri* Clamor. Tseghakah *capite docuimus paronomaſiam illam exponentes in exemplari auditam: Expectaui vt faceret iuſtitiam, & ecce clamor. Neutrum verò iſtorum ge-* Sup. 5 *nerum in ciuitate noua à Deo creanda valiturum vel metuendum eſſe conſequentium vocum & varij ſonus expreſſa negatio declarat.* non audietur in ea vltrà vox fletus, & vox clamoris. *Morbos autem, ſenectam, & celerem mortem ex peccato primi parentis contracta humanum ſibi reddiderãt obnoxium genus. quæ etiam poſt diluuium propter hominum aucta ſcelera, incrementum cepere. atq́ ita multis vitæ dies propter peccatum ſubductos,* Vitæ dies ob peccatũ imminuti. *ac præciſos legimus. id quod in ſancta illa ciuitate metuendum non eſſe Vates ait, eo quòd perpetua virtus & continentia, abſtinentia, ac iuſtitia, Deo* Sanctorum ciuium & reipub. felicitas. *fauente, protecta præſcriptum cuique tempus abſoluendum præſtitura eſt: ita vt nemo citra proprium moriatur tempus. atque ita ſinguli vitam ſuam peragant, vt nullum caris relinquant luctum. quos quocunque tempore ſolutos, & ad meliorem tranſlatos vitam, qui nouerint & amauerint, in pace quieuiſſe, & ſuam ſenectam expleuiſſe intelligant.*

Non erit amplius infans dierum, & ſenex qui non compleat dies ſuos: quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.

Dierum infans *dicitur is, qui propter annorum, quibus vixerit, breuitatem rerum imperitia laborat.* Infans dierũ *Experientia namq́ malorum & bonorum longum ad ſe confirmat, poſtulat, appellatq́ tempus. At verò in illa à Deo creata noua ciuitate nullam priorum ſimilitudinem expectandam dixerat, ex Deo Vates; quare nec vlla annorum diuturnitas ad peritiam, bonorumq́ notitiam cuique vel infanti requirendam. namq́ aliàs ſcriptum eſt: Omnes cognoſcent me, à maximo eorum vſque ad minimum. Quiſquis verò diem obierit ſuum, quocunque in tempore decedat, ſenex dierumq́ ſatur diſceſſurus eſt.* Et ſenex qui non compleat dies ſuos. *Ita omnes prudenter, ita temperatè, ita innocenter ac ſapienter viuent, vt prodigio & monſtro ſimile habeatur, atq́ deteſtabile cenſeatur exemplum, ſi quiſpiam ita affectus à Deo, vel centum annis vitæ peractis, peccet.* Et peccator centum annorum maledictus erit. *Infantes ſenum more, atq́ inſtar ſapientes fore, nedum eos, qui longam vixerint ætatem, adeò vt prodigio par ſit in ſenectute quemquam erraſſe, qui nec in infantia, nec in omni anteacta erraucrat vita.* peccator centum annorum. VEHAHHOTEH BEN MEAHSANAH. Et quiſpiam errans filius centum annorum. IEKVLAL, maledicetur.

Atq́

Atque in huius vaticinij ſententia arcanum illud & paucis notum Pauli
Heb. *documentum latet: Voluntariè peccantibus nobis, &c. Hanc autem innocentiam, prudentiam, virtutem, & ſimplicitatem commoda omnia cùm terræ, tum cæli oportunaq́ tempora, annorum felicitatem, agrorum vbertatem conſecutura eſſe declarantur. Atq; horum promiſſorum præſentem & compertam veritatem à diuinæ reuelationis ſcriba & fideli teſte narratam au-*
Apoc. 21. *dire eſt. Et vidi cælum nouum, & terram nouam: primum enim cælum &*
„ *prima terra abiit, & mare iam non eſt. Et ego Ioannes vidi ſanctam ciui-*
„ *tatem Ieruſalem nouam deſcendentem de cælo, à Deo paratam, ſicut ſpon-*
„ *ſam ornatam viro ſuo: & audiui vocem magnam de throno dicentem, Ecce*
„ *tabernaculũ Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipſi populus eius*
„ *erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus. & abſterget Deus omnem*
„ *lachrymam ab oculis eorum, & mors non erit vltrà, neque luctus, neque*
„ *clamor, neque dolor erit vltrà: quæ prima abierunt. Et dixit qui ſedebat in*
„ *throno, Ecce noua facio omnia. & dixit mihi, Scribe, quia verba hæc fide-*
„ *liſſima ſunt & vera. Et dixit mihi, Factum eſt. Ego ſum α & ω, initium*
„ *& finis. Perpetuam autem ac certam propriamq́, tum vitæ, tum etiam oportunarum ad vitam rerum & commodorum felicitatem hunc ſanctæ reipublicæ ſtatum conſecuturum ab omni prorſus legis maledicto alienam, ita declarat Vates.*

Et ædificabunt domos, & habitabunt, & plantabunt vineas, & comedent fructus earum.

Legis maledicta. *Spretæ, neglectæ, & violatæ legis crimina maledictis ac diris in obnoxiorum publica & priuata re, certo euentu ſpectandis, diuinum iudicium vl-*
Deut. 28. *tum iri prædixerat, in quo genere & illæ recenſentur. Domum & ædifi-*
„ *ces, & non habites in ea: plantes vineam, & non vindemies eam. quas diras cum aliis etiam prædictis improbi ac diuinorum contemptores iuſſorum ſuo cum magno malo ſenſiſſe, & ſacra nobis hiſtoria tradit, & nũc illorum poſteri aſſiduis teſtantur lamentis. Ceterùm perpetuis illis diuinæ legis in ſpiritu & veritate obſeruatoribus & cultoribus, nihil huiuſmodi metuendum eſſe Deus pollicetur. Id quod de ſpiritus vera pace, & commoditate, deq́, illius pacis fructibus intelligimus.*

Non ædificabunt, & alius habitabit: non plantabunt, & alius comedet: ſecundùm enim dies ligni erunt dies populi mei, & opera manuum eorum inueterabunt electi mei.

In illis, quas citabamus, diris duobus modis domorum atq; plantationum vſum improbis intercipiendum auferendumq́ ſignificatum eſt, vel prærmatura morte, vt idem qui laborem & curam pertulerit, laboris priuetur fructu, ſiue hæredi, ſiue alij cuipiam domo ac fundo cedente: vel hoſtibus inuaſuris, ac domos agroſq; vaſtaturis. Neutro verò horum modorum, immo
Opera ſanctorum. *nullo, ciuitatis Dei ciues ſuis laboribus non perfuncturos, & vſu ac fructu carituros ait, quippe quorum vita integra ſuis annis ac diebus conſtitura, quorumq́, rectè ſubiti & poſiti labores in bonos quoque perducendi ſint exitus.* Secundùm enim dies ligni erunt dies populi mei. *Lignum hoc*

loco

loco idem quod arborẽ interpretamur; quæ vbi idoneo ac fertili ſolo aquiſq; deducendis oportuno plantata radices altè egerit, proprij generis æuum peragens, oportunos perpetuò continuat fructus. atq; hanc eandem cum primi Pſalmi carminibus ſententiam eſſe, articulus HA *in exemplari linguæ nomini* GHETS, *id eſt, ligni, adiunctus indicat: certam enim arborem adnotat, cuius iam habeatur notitia. Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit, ſed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarũ, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folium eius non defluet, & omnia quæcunq; faciet proſperabuntur. Ita quod ad vitæ plenum ſpatium facit, hoc loco legimus,* ſecundùm enim dies ligni erunt dies populi mei. *quod verò fructum percipiendum ſpectat,* opera manuum eorum inueterabunt electi mei. Inueterabunt, *ad multos annos producent, ita vt vineis & plantis omnibus à ſe conſitis ad ſenectam vſque plantarum ipſarum fruantur, perpetuoq; gaudeant vſu. atque ita*

Pſal. 1.

Non laborabunt fruſtrà, neque generabunt in conturbatione:

Quia ſemen benedictorum Dñi eſt, & nepotes eorum cum eis.

EOS, *qui vinearum & plantarum antiquitate ac duratione, fructuumq; percipiendorum diuturno vſu, hoc eſt, ſuorum operum, officiorum, piorumq; ſtudiorum præmio donandi ſunt, eorum quoque, quos genuerint, filiorum longa ætate, ac diuturna vita gauiſuros pollicetur. Appellamus autem hîc non tantum liberos naturali procreandos modo, ſed diſcipulos, ac doctrina inſtructos paterna, moribuſq; iiſdem præditos.* generare in conturbatione *dicuntur, qui immatura liberorum vexantur ac turbantur morte. qualia etiam paſſuros incommoda improbos & impios in legitimis diris prædictum eſt. Patribus enim filiorum acerbæ mortes aut abductiones, & captiuitates denunciatæ ſunt. Talia etiam improbi magiſtri in improbis viderunt exempla diſcipulis. Qualia neque probi patres boniq; magiſtri, de quibus agitur, metuent:* quia ſemen benedictum Domini eſt, & nepotes eorum cum eis. *Atq; benedictionem felicitatemq; illam in ipſis vſq; adeò in meliorem vicem tranſlatis perpetuò continuandam pollicetur hoc pacto Deus, filiis videlicet ac nepotibus in eodem numerandis cenſu. quibus difficultatis antiquæ vel naturali infirmitudine, vel ſingulari contractæ vitio, quod interturbare beatitatem valeat, nihil porrò deinceps obſtet. Præterea ſic affectis prouidentiam, gratiam, atque benignitatem ſuam præſentem, præſtoq; fore promittit, vtpote quibus, quid, & quomodo, quandoq; petendum poſcendumq; ſit, ipſe Chriſti ſpiritus dictet & ſuggerat.*

Filij ſanctorum.

Diſcipuli filij dicti.

Orationes ſanctorum.

Eritque, antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus ego audiam.

Magnum Sanctorum in petitionibus, poſtulationibus, & ſupplicationibus conſenſum, vtpote ab eodem profecturum ſpiritu, hæc ſignificat promiſſio. Nam quibus mens eadem, cor vnum, & anima vna conſtabit, eadem quoque votorum ratio conſtitura fuerit, idq; poſtulatura, quod pro rerum

actem-

ac temporum vſu poſcere deceat. quibus petitionibus nondũ etiam pronunciatis, ſed vel communicatis ac decretis tantum ſeſe proſpecturum ac conſulturum, & auditurum recipit. Pluralis numerus, antequam clament, & adhuc illis loquentibus, *poſcentium conſpirationem conſenſionemq́; ſignificat. atq; ita Eccleſiæ in Chriſto conuentionem & communionẽ probat. Nec verò diſcrepantia vlla eſt in illis dictis*, antequam clament, & adhuc illis loquentibus. *Nam prior pars ipſam petitionis pronunciationem voce ac verbis editam ſpectat, poſterior verò conſenſum & communicationem de petitione precibusq́; faciendis indicat. ita vt cùm ipſi inter ſe de precibus agant fundendis, Deum iam tum audientem, præſto, votisq́; annuentem, & præſente munere fauentem experiantur. Hanc eandem rem Chriſtus ipſe dum ſuis beatam illam conditionem promitteret, ſignificabat.*

Ioan. 14. *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipſe faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado. Et quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam. & iterũ:* Indid. 15. *Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis. & rurſum:* Indid. 16. *In illo die me non rogabitis quicquam. Amen, amen dico vobis, Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Vſque modo non petiſtis quicquam in nomine meo. Petite, & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum. Hæc in prouerbiis locutus ſum vobis, venit hora cùm iam non in prouerbiis loquar vobis, ſed palam de Patre meo annunciabo vobis. In illa die in nomine meo petetis; & nõ dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis: ipſe enim Pater amat vos: quia vos me amaſtis, & credidiſtis quia à Deo exiui.*

Matth. 18. *& illud: Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terrã de omni re quãcumq; petierint, fiet illis à Patre meo qui in cælis eſt. Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Huius verò promiſsi præſtiti exempla complura in ſacris noui temporis hiſtoriis obſeruare eſt; ex quibus vnum & alterum illuſtria ſat fuerit indicaſſe.*

Act. 3. *Petrus autem & Ioannes aſcendebant in templum ad horã orationis nonam: & quidam vir qui erat claudus ex vtero matris ſuæ, baiulabatur, quem ponebant quotidie ad portam templi quæ dicitur ſpecioſa, vt peteret eleemoſynam ab introeuntibus in templum. Is cùm vidiſſet Petrum & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat vt eleemoſynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit: Reſpice in nos: At ille intendebat in eos, ſperans ſe aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum & aurum non eſt mihi: quod autẽ habeo, hoc tibi do: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula, & apprehenſa manu eius dextera alleuauit eum. Et protinus conſolidatæ ſunt baſes eius & plantæ, & exiliens ſtetit, & ambulabat: & intrauit cum illis in templum ambulans & exiliens, & laudans Deum. Illud etiam, quod, dum de vocatione Gentium Petrus cum piis viris diſſereret, deliberantibus, ac iam de ſigno petendo agentibus.*

Act. 10. *Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant verbum. Et obſtupuerunt ex circunciſione fideles, qui venerant*

cum

cùm Petro, quia & in nationes gratia Spiritus ſancti effuſa eſt. Audiebāt "
enim illos loquentes linguis & magnificantes Deum. Apertiſſimum te- "
ſtimonium, & præſtiti exemplum promiſſi huius. adhuc illis loquentibus ego audiam. *Animaduertenda verò fuerit diſcriminis magnitudo (quod ad gratiam & voluntatem fauoremq́; Dei pertinet) inter ſtatū hunc Iſraelitis in poſterum promiſſum atq; iſtum, quem Iſraeliticæ res, interim dum non reconciliantur, tenent, quem in hac precum & petitionum ratione longè diſſimilem Ieremias indicauit: Nos iniquè egimus & ad iracūdiam prouocauimus, icc irco tu inexorabilis es: operuiſti in furore, & percuſſiſti nos: occidiſti, nec pepercisti; oppoſuiſti nubem tibi, ne tranſeat oratio. Summam præterea pacem, atq; Christianæ Eccleſiæ concordiam & ſecuritatem huius reconciliationis tempore futuram ſub certis imaginibus & tranſlationibus promittendam Vati Deus dictauit.* Eccleſiæ pax & ſecuritas. Thren. 3.

Lupus & agnus paſcentur ſimul, & leo & bos comedent paleas, & ſerpenti puluis panis eius. non nocebunt, neq. occident in omni monte meo, dicit Dominus.

Animalium horum innocens conſuetudo prædicta ac deſcripta pacē & tranquillitatem ſignificat magnam ex Euangelij virtute & efficientia profectam & confirmatā. uti iam aliàs apud hunc ipſum expoſuimus Vatem. Verùm quia huiuſmodi tranſlata in ſacro ſermone verba plures etiam interpretationes poſtulare ſolent, eas verò non ex commentatorum, ſed vel ex rerum naturæ contemplatione petitas, vel ex ſacrorum ſcriptorum doctrina & expoſitione; nos vtramque ſecuti rationem intelligimus hoc promiſſo potentiorum & imbecilliorum hominum, ſuperborum anteà & modeſtiorum, callidorum ac ſimpliciorum eandem fore mentem, eandem animam, ſimilem circa terrenas & caducas res voluntatem, hoc eſt, ſummam in iſtorum vſu fragilitatem, vt omnes quocunque cibo, quocunque cultu contenti viuant; nec quiſquam eorum, quæ poſſidebit, dicat aliquid eſſe ſuum, ſed diſtribuatur vnicuique prout cuique opus fuerit. Act. *Cuius promiſſi manifeſtum* "
exemplum naſcentis quondam Eccleſiæ Chriſtianæ ſecula videre. idq́; inſtaurandum & continuandum ſperamus. Lupum violentiam cum fraude Lupus.
coniunctam, agnum verò ſummam innocentiam repreſentare, in ſacro do- Agnus. Lib. Ioſeph.
cebamus apparatu: leonem verò abſolutam & formidabilē potentiam, om- Leo.
nia inuadentem, & ſibi ipſi indulgentem, bouem autem iuſtum & innocen- Bos.
tem cum labore victum, eumq́; ſimplicem, & facilè parabilem atq; purum, & à crudelitate alienum. Itaq; omnia hominum Euangelij virtute affectorum ingenia, quamquam antea varia, diuerſa, à ſeq; inuicem diſsidentia, tamen vnius ſpiritus efficacitate ad eandem mentem, idemq́; propoſitum, conſilium, & ſtudium conformanda eo temperamento, vt quæ ſumma & ſublimia in terris vigere antea videbantur, ea tantùm quærant & appetant, quæ agno & boui modeſtiſſimis ingeniis probentur ac teneantur. quorum generatim illa ſumma fuerit. De cetero, fratres, quæcunque ſunt vera, Philip. 4.
quæcunque pudica, quæcunque iuſta, quæcūque ſancta, quæcunque amabi- "
lia, quæcunque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ; hæc cogitate. "

" *Quæ didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me, hæc agite, &*
Eccleſiæ concordia. *Deus pacis erit vobiſcum. Hæc quidem quod ad mores animumq́ue attinet, ita expoſita rerum natura ipſa admittit. Atqui illud etiam arcana Vatum doctrina recolendum & promittendum commemorat, fore vt quæ antea hominum factiones imperiorum nominibus diſcretæ vigebant, in vnius Eccleſiæ concordiam & ſanctam communionem ſocietatemq́ue conueniant; & vt ab vno primo parente proſeminati ac deducti, deinde ab vno redemptore, generisq́ue renouatore Chriſto ſeruati & gubernati: ita vno mitis ſpiritu imbuti & conducti, fraternam perpetuo ſeruent & exerceant caritatem.*

Imperia orbis quatuor. *Quatuor orbis imperia quatuor animalium imagine & nominibus depingi ac ſignificari, interpretatus eſt Daniel. Perſarum lupo, Græcorum caprarum hædo (quem* TALEH *hic appellat Vates vocabulo hædis & agnis communi.)* TALEH. *Fuerat autem ingens quondam inter vtrumque regnū Perſarum, videlicet & Græcorum, inimicitia ad vſque illorum excidium ab iſtis confectum. Aſſyriorum autem imperium, quod Iſmaëlitarum poſtea genus quodammodo æmulatus eſt, Iſraelitis fuit infeſtiſſimum.* Leo. *Leonis verò nomine Aſſyrium ſignificari regnum, ſæpè adnotauimus. vt apud Ieremiam:* Ierem 4. *Aſcendit leo de cubili ſuo.* Bos iſraelitæ *Bouis verò nomen Iſraelitis conuenire, docuit Hoſeas, Ephraim vitula docta diligere trituram, & ego tranſiui ſuper collum eius.* Idumæorum regnum. *Idumæorum autem regnum, ad quos omnis gentium ſuperſtitioſa doctrina, quamquam varia, refertur: abſumendum & extinguendum, atq́ue adeò ſepeliendum eſſe prædicitur.* Romani Idumæi. *Huic autem genti Romani imperij potentia à pluribus tribuitur ſcriptoribus, quā ſerpētis nomine ſignificari aiunt.* Orbis populi duo. *Et certè in duos tātùm populos vniuerſos orbis homines oracula ſacra partiuntur. vt ex reſponſo Rebechæ dato didicimus. Hoc itaque regnum, quod ſerpentis ritu & aſtu totum orbem peruaſit, ita extinctum fore ait, vt nihil niſi puluerem comedere deprehendatur: quippe cuius potentia, doctrináque antiqua omnibus ſuperſtitionum ſectis varia & multiplex in cinerem, & puluerem redigenda ſit per Euangelij virtutem, veritatem, & efficientiam.*

De ſerpente antiqua victoria. Gen. 3. *Atq́ue inter hæc ſignificata arcanum quoque illud ſerpenti datū reſponſum indicatur: Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. quod ſi quando maximè præſtitum fuerit, Chriſti virtute effectū eſt, vt ſerpens ille, qui à mundi vſque initio mortalibus omnibus inſidiatus eſt, & omnium factionum, ſectarum, diſſenſionum, & bellorum prima ſemina in orbem ſparſit, dum homines deuorare anxiè cuperet & ſatageret, in eam conditionem redactus demum ſit, in qua præter aridum puluerem nihil præterea comedat. atq́ue ita hoc malorum omnium excitatore & auctore intra terræ viſcera atq́ue tenebras relegato, ac terram tantummodo comedente, nihil à lupis, nihil à leonibus, nihil ab omnium nocumentorum genere piis & ſanctis Hieroſolymæ à Deo inſtructæ ciuibus metuendum relinquetur.* Non nocebunt, nec occident in monte ſancto meo, dicit Dominus.

ARGV-

ARGVMENTVM VATICINII TRIGESIMISEXTI ET POSTREMI.

POSTREMAM *perorationis ab Iſraelitis in ſuperiori deprecatione tanquam maximi ad perſuadendum momenti allegatam partem exigui admodum ad ſe alliciendum ponderis eſſe, Deus oſtendit: cogitantibus nimirum ex diruti templi recordatione, & noui inſtaurandi meditatione ipſis agitata faciliorem fore ſuarum reſtitutionem rerum à Deo efficiendam. à quo nunc reſponſum referunt. Nullam tantam eſſe poſſe in toto terrarum orbe templi molem, & miraculoſam quamlibet ſtructuram, quæ ſe capere poßit, vel afficere valeat, vt ob eam rem ad annuendũ ipſorum votis moueat. Solam vero benignitatem ac miſericordiam ſuam valere ad propoſitũ vrgendum & perficiendum opus humani generis in maieſtatis habitationisq; ſuæ templum ſtruendi & conſecrandi. In quo ipſe ab iis verè adoretur & colatur, quos ex variis terrarum oris ac regionibus collectos ſibi in nouum populum & regnum aſciſcens adoptauerit, & variis tum aliorum miniſteriorum, tum ſacerdotij muneribus riitè & purè explendis ac præſtandis delegerit & præfecerit, ſua munia ſpirituali ratione perpetuo executurus, idq; in ſumma pace, tranquillitate, & ſecuritate, propter inimicorum omnium iam deuictorum ac debellatorum, atq; fractorum imbecillitatem ad turbandum, & propter præſentem ſingularemq; regis ipſorum Dei gratiam, præſentem tutelæ virtutem & animationem, atq; inſtructionem ad diuinum cultum ſuis temporibus ac legitimis oportunitatibus peragendum.*

CAPVT LXVI.

HÆc dicit Dominus, Cælum eſt ſedes mea, terra autem ſcabellum eſt pedum meorum: quæ eſt iſta domus, quam ædificabitis mihi, & quis eſt iſte locus quietis meæ?

PROMISSIS *in ſuperiore ſermone de redimendorum ac reſtituendorum Iſraelitarum omnino incomparabili felicitate vnum etiam quodàam maximum additurus Deus, eorum quæ in eo genere maximi ducebantur momenti, pondus auctoritatemq; eleuat, & ad vera bona cognoſcenda & expectanda figurarum infirmitudinẽ declarans excitat.* Figurarum infirmitudo. *Audiuimus enim Iſraelitas miſeriarum ſuarum deprecationem abſoluentes, huiuſmodi poſtremo argumento ad placandum cõciliandumq; Deum vſos.* Domus ſanctificationis noſtræ & gloriæ noſtræ, vbi laudauerunt te patres noſtri, facta eſt in exuſtionem ignis, & omnia deſiderabilia noſtra verſa ſunt in ruinas. Nunquid ſuper his continebis te Domine, tacebis, & affliges nos vehementer? *Quo ex epilogo in votis habuiſſe videntur inſtaurare antiquum à Salomone extructum templum, & ſacris atq; hoſtiis mactandis & renouandis aßiduam rurſus operam dare, atque idem animi & conſilij confirmaſſe, dum proximè de ſua redemptione tanta audirent promiſſa. atq; ita propoſito apud ſe munere Deum magis conciliare, & ſollici-* Templum Dei.

tare cogitabant. Quod propoſitum & votum atq; allegatum etiam antiqui templi argumentum ſic Deus eleuat, vt declaret, neque ſe talibus egere muneribus, neque illos quicquam præſtare poſſe, quod diuinæ amplitudini conueniat excipiendæ, præter id, quod ipſe ſibi Deus parauit eo, quo idem ipſe voluit, modo ſibi dicandum & conſecrandum. Aliàs enim humiliter & ruſticè, vel potiùs terrenum ſapere eos, qui quæ mortalibus magnifica exiſtimantur, eadem diuinæ naturæ & maieſtati bona & præclara atque cara haberi arbitrentur. Dicendi verò exordium à nomine ineffabili IEHVEH, *ſalutis & miſericordiæ atq; efficacitatis veræ rationes continente ducitur: cuius dictum & certiſſimo pronunciatum conſilio, & certo euentu præſtandum conſtat.* Hæc dicit IEHVEH. *quod verò dicit hoc eſt, perinde eos facere, qui propter templi ponendi ac dicandi votum ſibi Deum conciliatum iri putant, ac ſi infinitum & immenſum exiguo aliquo modo & loco parent includere. quod vti fieri nequit, ita cogitare & agere manifeſtæ inſaniæ genus eſt manifeſtum. Falli igitur ipſos, quibus huiuſmodi inciderit mens, bona Deo ex hac ſcelerata (vt ille aiebat) ducendi pulpa. Primum autem ad refellendam opinionem argumentum eſt, non opus eſſe ſibi domo ab hominibus conſtruenda propter habitaculi penuriam, cùm nulla ſit, habenti videlicet templum vniuerſo mundo maius & amplius, quod ad formam & modum attinet: quod verò materiam ſpectat, nihil ab ipſis cõferri poſſit, quod cum ſuæ comparetur domus materia: illos ad ſummum lapides, ligna, æs, & aurum argentumq; in opus comportare poſſe: quæ omnia, & multo plura rerum genera ex terra fuerint petenda; ſibi tamen totum cælum pro ſede ac throno teneri, & vniuerſam terram pro pedum ſcabello premi: atque ita vtriuſque partis materiam nullo pacto poſſe ab hominibus æquari: formam verò & modum conſtruendæ ſibi domus, ne cogitando quidem attingi mortalibus poſſe. Quippe quos omnis eius, quod vltra cælum ſuperat, ſpacij ratio prorſus fugiat; ſe verò magnitudinemq; ſuam etiam ſupremo cælo immenſa ratione ſuperiorem eſſe. cuius etiam pedes nec terra tota capiat. compertum verò eſt, eum, qui commodè in throno ſedet, non protenſis, verùm molliter contractis ſedere cruribus, totaq; femora vſque ad genua fere in throni planitie tenere. Ex quo intelligimus, totum ſpatium quod à ſupremo cælo vſque ad terram vndique conſtat, neque tibiarũ Dei plenè eſſe capax. Ex hoc certiſſimo & veriſſimo Dei pronunciato manifeſtè infertur, nec Deo opus eſſe conſtructa per mortales domo, nec illos domum vllam Deo dignam conſtruere & parare poſſe.* Quæ eſt iſta domus, quam ædificabitis mihi?

Dei perpetua actio & quies

Duo etiam admiranda, &, vti videntur, natura inter ſe oppoſita ſibi vendicat Deus; quæ nullo pacto à mortalibus cognoſci, nedum præſtari poſſunt perpetuam actionem, & quietem pariter perpetuam. Namque prouidentiæ virtutisq; ſuæ regium thronum cælos eſſe definiuit, terram autem ſuorum pedum ſcabellum eſſe ait; illos moueri variisq; volui motibus, nemo naturæ peritus eſt, qui ambigat; terram autem in æternum ſtare, nulli non eſt compertum. ex quo conſequitur, eundem immotum perpetuò, mouere & agere, atque in omnem vndique partem virtutem efficacitatemq; ſuam exer-

cere,

cere, omnia proſpicere, omnia viſere, omnia complere immobilem & immotum, & vbique præſentem, ſurſum, deorſum, dextrorſum & ſiniſtrorſum; & tamen eodem ſemper tenore habentem: Si aſcendero in cælum tu illic es; Psal.
ſi deſcendero in infernum, ades: Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris. Etenim manus tua illuc deducet me, & tenebit me dextera tua. Et dixi, forſitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in delictis meis. Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur, ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Atque ita cælum vt ſedes, & terra vt ſcabellum pedum, vtraq; ſimul indicant, Deum ſimul perpetuo agere ac mouere, perpetuoq; quieſcere, non quali quiete ac motu corpus afficitur, ſed quale vtrumque genus infinitæ virtutis numini atq; ſimpliciſſimo ſpiritui tribuendum eſt: apud quem nullum eſt impoſſibile verbum. Quod cùm ita ſit, quòd nec capere locus vllus poteſt Deũ, neque vlla concludere ac tenere terrena domus, quo minus omnia compleat, penetret, viſat, & regat, quis eſt iſte locus [*terrenus*] quietis meæ? *Atque hanc ipſam rationem, vti non nouam, nec recens declaratam, iſtis exploratam ac certã eſſe oportere, Deus ſubindicat, vtpote ab ipſo primi illius templi ſtructore expoſitam & nominatim exceptam. Ergo ne putandum eſt,* 3 Reg. 8.
quod verè Deus habitet ſuper terram? Si enim cælum & cæli cælorum te capere non poſſunt, quanto magis domus hæc, quam ædificaui? Iam verò non ſolùm ſeparandæ domus indigere negat, vtpote tam magnifico ſedentẽ throno, ſed nec ſi ſimile iuuaret quippiam, artificem quempiam terrenum & mortalem, ſed neque ex ſupernis miniſtris & ſpiritibus, id operis redempturum, vtpote cùm

Omnia hæc manus mea fecit, & facta ſunt vniuerſa iſta.

Humani ſermonis rationẽ & vſum, vt aliàs perſæpè, Deus in hoc etiam obtinet reſponſo: nam qui ſedendi habitum, qui pedes etiam ſibi in habitationis ratione adſcripſit, idem nunc in fabricarum ædificationumq; argumento manus quoque ſibi vendicat. Etenim ſi de cælis ac terra naturalibus his, quæ oculis cernuntur corporeis, atq; humano cognoſcuntur ſenſu, agatur, conſtat verbo Domini cælos eſſe firmatos, & ſpiritu oris eius omnem Psal.
virtutem eorum. Verùm, vti repetimus, diuina oratio humano conformatur ſermoni pro loci, temporis, ac rerum oportuno argumento. Quo dicto duo etiam alia ſignificantur, nempe hæc omnia, cælum videlicet atq; terram, cum omni eorum ornatu, motu, virtute, & efficacitate, non fuiſſe æterna: ideoq; ſubiũgitur, & facta ſunt vniuerſa iſta. *Deinde etiam ſibi non fuiſſe neceſſaria, vtpote quæ ab ipſo ſine illis æternum manente creata fuerint, atque ita non ſui cauſa, vel ad ſibi commodos vſus edita. Præterea etiam, ſi denuo creari ſimilia aut complura alia placuerit, integram conſtare ſibi ſapientiam, integram facultatẽ & copiam, cùm eadem, qua iſta omnia creata ſunt, manus efficaciſſima conſtet.* manus mea, *poteſtas, virtus, & efficacitas mea. Verùm enimuerò nobis præter iſtum ſenſibus expoſitum cælorum thronum, ac terrenum ſcabellum pedum Dei, alia ſeſe cognoſcendam & in-* Noua creatura, & templũ nouum.
dicandam, breuiter inſinuat creatura: quæ præſtantiùs in ſe ipſa Dei opus

conti-

continet & probat. atq; ei ſermoni, quo hæc dicta & explicata ſunt, [illegible]
multo conuenit; videlicet humanæ naturæ animo & corpore conſtantis po-
tiſſimæ partes, ipſe, inquam, animus, qui in paruo hoc mundo cæli, & cor-
pus etiam, quod terræ obtinet vicem: ſiquidem vtramque hanc partem ſin-
gulari præter ceteras creaturas modo, atq; vt ita loqui liceat, ſingulari ope-
ra conditam, factam, perfectamq; ex fide accepimus. In aliis namque crean-
Hominis creat. Gen. 1. dis & condendis omnibus legimus: Et dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt
lux. & dixit, Fiat firmamentum, & factum eſt ita. Dixit verò, Congre-
gentur aquæ, & appareat arida. Et ait, Germinet terra herbam virentem,
& factum eſt ita. Et dixit Deus, Fiant luminaria. Dixit autē Deus, Pro-
ducat terra reptile animæ viuētis. Dixit quoque Deus, Producat terra ani-
mam viuentem in genere ſuo. Ac tandem, Vidit Deus quod eſſet bonum, &
ait: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, &c. Et
Ibid. 2. creauit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ad imaginem
Dei creauit illum, maſculum & feminam creauit eos. & paulo pòſt: For-
mauit igitur Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpi-
raculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem. Hunc cælum &
hanc terram, quæ anteà non fuerant, ſingulari conſilio & opificio Dei crea-
ta, ſedem Dei & ſcabellum pedum ipſius magis etiam propriè intelligimus,
quam iſtas vniuerſi mundi primas & maximas partes. Et quidem huius
naturæ ſimilem domum humana arte conſtrui non poſſe. Quis enim alte-
ram creaturam homini ſimilem creare nouit? Hæc autem manu ſua & ſin-
gulari efficacitate atq; artificio & opera facta, nec antea conſtare, nec antea
fuiſſe, ſed in tempore à ſe facta exſtitiſſe, ait: Quam ergo domum ædi-
ficabitis mihi, & quis eſt iſte locus quietis meæ? Quæ oratio eò tendit,
vt ſibi gratam, & conuenientem domum, & ſui capacem nullo pacto, nul-
loq; artificio, conſilio, ſumptu, atq; opere per homines conſtrui poſſe, declaret,
neque aliam excogitari ſedem præter eam, quam ipſe ſibi iam factam tenere
& implere conſtituerit: nempe humanam naturam cælo ac terra conſtan-
tem, quam ipſe condiderit, & ſibi dicauerit, atque iam occupare adornet.
Animaduertendum verò eſt, hoc in reſponſo non dicere Deum, Ego in cælo
ſedeo, & terram pedibus compleo meis. ſed, Cælum ſedes, ſiue thronus
mea, & terra ſcabellum pedum meorum. Non enim neceſſe eſt, vt rex
ac princeps quiſpiam eam, quam ſibi parauerit, ſedem non ante ſuam appel-
let, quam ſedendo occuparit: ex quo enim primum ſibi deſtinauit, ſuam iure
appellare poſſit, quam poſtea certa auctoritate & ratione ſibi dicatam &
conſecratam, ita iam exornat, auget, & amplificat, vt nemini præterea cui-
piam regi minori ſine ſcelere & capitali facinore liceat occupare. Inter ve-
Mitntioth tractatu de iure regio. tita enim ad regiam pertinentia maieſtatem, Thronus, menſa, poculum, &
equus, & vxor numerantur. quæ cuiquam alij vſurpare capitale olim du-
citur. Atqui ante Verbum in terris viſum & conuerſatum humana qui-
dem natura à Deo condita fuerat, ac ſedi temploq; Dei deſtinata, ſed non-
dum plenè vſurpata, vtpote nondum initiata, & ad tantam ſuſtinendam
maieſtatem accommodata & aptata, donec Verbum, in quo diuinitatis ple-
nitudo

nitudo omnis corporaliter inhabitat, caro factum habitauit in nobis, & vi- Ioan.1.
dimus gloriam eius, gloriam quaſi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & ve- “
ritatis; ac de plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia. atq; hoc “
pacto reconciliata, aptata, exornata, & amplificata natura hominum diui-
num templum aptum, gratum, & perpetuum non conſecratum tantummo-
do, ſed vſu ipſo atque veritate poſſeſſum & excultum conſtituit: Si guſtatis 1.Pet.2.
quoniam ſuauis eſt Dominus; ad quem accedentes lapidem viuum ab homi- “
nibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum ipſi, tan- “
quam lapides viui ſuperædificamini domus ſpiritualis. & Paulus: Sicut er- Coloſſ.2.
go accepiſtis Ieſum Chriſtum Dominum, in ipſo ambulate, radicati & ſu- “
perædificati in ipſo in gratiarum actione. An neſcitis quoniam membra ve- 1 Cor. 6.
ſtra templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & “
nō eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio magno, glorificate & portate Deum “
in corpore veſtro. Quis autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim 2.Cor 6.
eſtis templum Dei viui, ſicut dicit Deus, Quoniam inhabitabo in illis, & “
ambulabo, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus. &, Qui vice- Apoc.
rit, faciam eum columnam in templo Dei mei; & foras non egredietur am- “
plius. Huiuſmodi templum non manufactum, id eſt, non huius creationis,
verùm per Chriſti agni Dei virtutis communionem nouum, inquam, ta- Heb.
bernaculum amplius & perfectius quàm vllum aliud humana opera &
arte factum, indicauit & Ioannes in nouæ Hieroſolymæ ciuitate ſibi viſum.
Et duodecim portæ duodecim margaritæ ſunt per ſingulas, & ſingulæ portæ Apoc.21.
ſunt ex ſingulis margaritis, & platea ciuitatis aurum mundum tanquam “
vitrum perlucidum; & templum non vidi in ea: Dominus enim Deus om- “
nipotens templum illius eſt & agnus. & paulo antè idem, Audiui vocem Ibid.
magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & “
habitabit cum eis. Verùm enimuerò quanquam hunc ſibi dictum ac deſti- “
natum thronum, & huiuſmodi ſcabellum pedum ſuorum declararit indi-
caritq; Deus, & illius quoque Apoſtoli interpretati hominum genus hac in Diuini tēpli lapides qui.
ratione ſignificari docuerint, non tamen promiſcuè omnes homines in hoc
ſacroſancto ædificio collocatum & conſtructum iri declarat: ſed eos tātùm
qui ſeſe huic ædificationi idoneos lapides præbuerint; homines, inquam mo-
deſtos, non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes, pares, ſpiritu mites,
& ad naturæ humanæ ſimplicitatem, quæ humanitas dicitur, cōformatos,
fide firmos, & ſpe conſtantes, atq; pœnitentiæ ſtudentes. denique illis ſuo
in genere perſimiles lapidibus, quos Deus ad altaris conſtructionem in fi-
gura vſurpandos præcepit. Et ædificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapi- Deut.27.
dibus, quos ferrum non tetigit, & de ſaxis informibus & impolitis; & of- “
feres ſuper eo holocauſta Domino Deo tuo. Hos itaque ſpiritales & arca- “
nos lapides ſibi ad templi ſui ſtructuram probari Deus ait; qui non huma-
na, ſiue mundana ſapientia & arte aut induſtria ſeſe commendabiles oſten-
tent, ſed quantum præſtari ab ipſis ex Dei beneficio poßit, lapidem illū an-
gularem probatum imitentur; qui ſeſe ita comparatum docebat: Venite ad “
me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos: tollite iugum “

 meum

„ *meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde; & inue-*
„ *nietis requiem animabus veſtris. Tales, inquam, lapides ſe in ſuo concinnando ac ſibi aptando templo optare & probare, tales excepturum, & lapidi illi viuo admoturum declarat, & pollicetur Deus.*

Ad quem autem reſpiciam niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?

Beati paupe-res. *Beati pauperes ſpiritu, ait Præceptor, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum: Beati mites, quoniam ipſi poßidebunt terram.* Pauperculum *autem vocari intelligimus eum, qui nihil præclari ſibi vel tribuit, vel arrogat; ſed ſuam maximarum & ſolidarum virtutum agnoſcens inopiam, fide ad diuinam clementiam benignitatemq́; confugit, atq; emendandæ vitæ, & pœnitentiæ dignis fructibus ferendis omni conatu ſtudet.* Contritum ſpiritu, *propter ſui agnitionem* : & trementẽ ſermones meos: *quibus honeſta præcipio & exigo, contraria veto, vt vtrumque, quod in ſe eſt, obſeruet exequiq́; ſtudeat, & ex diuina exequatur ope. Atque hactenus ad illam perorationis Iſraelitarum partem reſponſum eſt; qua templi terreſtris maieſtas quaſi magnum quippiam Deo reconciliando obiiciebatur.* Domus ſanctificationis noſtræ, & gloriæ noſtræ. *In qua nos ſancti eſſe arbitrabamur, & gloriabamur propter ſtructuræ magnitudinem, pulchritudinem, & vaſorum atq; donariorum copiam & artem: quæ omnia ſumma putãt & æſtimant homines; Deo tamen ſpiritui puriſſimo ac ditiſſimo humanorúmque bonorum nihil egenti, ſola animorum ſimplicitas & veritas, virtutúmque ornamenta probantur, cetera verò quaſi aliena, atque ad ſpiritum non attinentia ſpernuntur: imò & cùm ad improbitatem & abuſus transferũtur, per homines, improbata vaſtationi addicuntur. S.S. E. In iram concitauerunt eum in collibus ſuis, & in ſculptilibus ſuis ad æmulationem eum prouocauerunt. Audiuit Dominus, & ſpreuit, & ad nihilum redegit valde Iſrael. Et repulit tabernaculum Silo; tabernaculum ſuum, vbi habitauit in hominibus. Et tradidit in captiuitatem virtutem eorũ, & pulchritudinem eorum in manus inimici. Et concluſit in gladio populum ſuum, & hæreditatem ſuam ſpreuit. Quod apud hunc Pſaltem* virtus & pulchritudo *vocatur, hoc eſt, tabernaculum, in Iſraelitarum deprecatione* gloriæ noſtræ domus *eodem ſenſu dicitur, niſi quòd hîc templũ, illic verò tabernaculum indicatur. Supereſt autem ad alteram peroratoriæ argumentationis partem reſponſio; in qua ſacrificiorum & ceteri cultus frequentia ab Iſraelitis commemorata, & ad perſuadendum vel impetrandum allegata ſunt. Ea verò duobus commendabatur nominibus, altero cultus & hoſtiarum ac victimarum: quæ laudem gratulationemq́; diuinam reſpiciunt; altero cultorum, qui quo plures & frequentiores fuerint, ſolo numero ab hominibus æſtimãtur; cui æſtimationi antiquitatis etiam auctoritas accedit; quia minoribus & poſteris grauis & auguſta habetur. Vtrumque nomen deprecatores illo orationis membro complexi fuerant.* Vbi laudauerunt te patres noſtri. *Et quidem vtraq; hæc, ſi rectè & legitimè facta rationem, & ſimplicitatem, puritatemq́; ſeruent ſuam, quo tempore à Deo inſtituta & imperata ſunt, quoq́;*

Ad Iſraelitarum argumentationes reſponſio. Templum.

Pſal 77.

Sacrificia & cultus.

quoq; duratura decernuntur, & ſancta & grata ſuo in genere, ſuoq; in foro habentur & probantur. atque ita complurium ex illis antiquis ſacrificiis per Noahhum, Abrahamum, Melchiſedekum, Aharonem, Dauidem, Salomonem, & Heliam factitatis probationem & gratiam atq; litationem obſeruare eſt. Verùm enimuerò cùm iſta vel hominum vitio & moribus, aut negligentia, vel temeritate & audacia, vel alia quauis peruerſitate, aut inſcitia ab instituta ratione ad aliam quamlibet detorquentur cauſam, vel mutantur & inuertuntur, vel ambitiosè aut auarè tractantur: deniq; quocunque contaminantur pacto; vel etiam peracto iam, quo duratura fuere, tempore antiquata & obſoleta rurſus repetuntur, ab inſtitutoris mente & conſilio ac mandato deuia, non magis grata probataq; euadunt, quàm quæ ex natura vel modo vitioſa illegitimaq; pronunciantur. In qua quidem tum plurimos ex antiquis ritibus & cultibus, tum eos qui poſt Euangelium promulgatum exercebantur, à ſe cenſeri Deus ait. Nam de antiquis compluribus iam apud hunc Vatem Deus improbando dixerat: Quo mihi multitu- Sup. 1.
dinem victimarum veſtrarum? plenus ſum: holocauſta arietum, & adipem "
pinguium, & ſanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui, &c. "
De iis verò quæ ſecundùm poſtrema iam antiqui teſtamenti tempora vitioſè factitabantur, per Malachiam prædictum: Non eſt mihi voluntas in Malach. 1.
vobis, dicit Dominus exercituũ, & non ſuſcipiam munus de manu veſtra. "
Atq; de illorum veterum ſacrificiorum extinctione, & noui Chriſtiani ſacrificij perpetui expectatione arcana apud eundem: Ab ortu ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in gentibus; dicit Dominus, & vos polluiſtis illud. Itaque duobus nominibus illa, quæ quondam fiebant, ſacrificia improbata iam eſſe didicimus; altero propter factitantium vitium; quia cùm ipſi impuriores, & propter legis infirmitudinem adhuc maledicto obnoxij eſſent, nihil vſquequaque perfectum peragere poterant; altero verò propter ipſarum hoſtiarum naturam: quæ ſignificare quidem verum ſacrificium poterant, cùm ritè & purè agerentur, verùm litare non valebant. S. S. E. Sacrificium & oblationem noluiſti, neque pla- Pſal.
cita ſunt tibi [quæ ſecundùm legem factitabantur] aures autem perfeciſti "
mihi. & illud: Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem vtique; holocau- Pſal. 51.
ſtis non delectaberis. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum "
& humiliatum Deus non deſpicies. Quàm bene hoc cum Iſaiæ oraculis "
conueniat, nemo non videt. Iam verò poſt ædificatam nouam Hieroſolymam templumq; Deo ex hominibus lapidi Chriſto Ieſu coædificatis exſtructum, dedicatum, & conſecratum nihil minùs quàm vetera illa antiquata, obſoletaq; ſacra, quæ à deprecatoribus allegabantur & cogitabantur, acceptum, atq; probatum iri, Deus declarat & proteſtatur.

Veterum ſacrificiorum extinctio. Sacrificium Chriſtianũ. Indid.

Qui immolat bouem quaſi qui interficiat virum: qui mactat pecus, quaſi qui excerebrat canem: qui offert oblationem, quaſi qui ſanguinem ſuillum offerat: qui recordatur thuris, quaſi qui benedicat idolo.

Antiquorum rituum genera omnia complexus hoc loco Deus, non magis iam poſt Euangelicum ſacrificium ſibi placitura aut probanda eſſe ait, quàm quæ natura impura, vel lege vitioſa declarata, vel omnino fuerint vetita atq; execrabilia pronunciata: nam præſente re figuram rei arripere ſtultum; vmbram pro luce amare inſanum; caduca & infirma veris, æternis & efficacibus præponere pluſquam profanū prorſuſq; nefarium definitur. Neque homo, neque canis, neque ſus legitima ſacrificiorum habita vnquam fuere materia; imò vnumquodque horum inter vetita & nefaria numeratum. Sanguis omnis à ſacrificiis arcetur, atq; vt humi occulatur inſtitutum eſt. Sanguis verò ſuillus duplici nomine reiectus à ſacris, proprio videlicet Benedicere idolo. *ſanguinis, & ſuis, à quo effuſus fuerit. Idolo benedicere idem eſt, quod auctoritatem & numen nihil valenti, nihilq; ſentienti rei tribuere. Cuiuſmodi benedictionis exemplum fuerit.*

Termine, ſiue lapis, ſiue es defixus in agro
Stipes ab antiquis, tu quoque numen habes.
& illud: Nunc Dea tu ſuccurre mihi; nam poſſe mederi
Multa docet templis picta tabella tuis.

Non magis vtiles, nec minus vetitos atq; nefarios poſt Euangelij promulgationem fore antiquos ritus Iſraelitis olim frequẽtatos, quàm quos etiam in lege vetitos exceptos iam inde à principio compertum eſt. Hoc verò Deus ipſe per Vatem pronunciauit. quos etiam & ante Euangelium propter cultorum & factitantium prauitatem repudiatos legimus. Euntes diſcite „ *quid eſt (diuinus monebat Magiſter) Miſericordiam volui & non ſacrificium. Et quidem ij, quos deprecatores Iſaias induxerat, ex eorum numero cenſebantur, qui poſt Hieroſolymam terreſtrẽ à Romanis Tito duce captam ac dirutam, cum Iudæis illinc abducti, per totum terrarum orbem diſperſi* Iudaica inſania. *vagantur, & inter ceteras nationes à Deo reiecti, & Euangelij lumine carentes viuunt, eorum videlicet ſoboles & poſteri, qui primi Chriſti veritatem & virtutem atq; beneficium repulerunt, idq; contumaci quodam antiquorum rituum & paternarum traditionum ſtudio in Euangelij inuidiam incenſo & exardeſcente egerunt, omnibus humanis viribus, artibus, dolis, inſidiis, omni denique conatu & induſtria in eam ſententiam coniurati conuenerunt, ac data opera incubuerunt, vt hærede occiſo, & hæreditate eiecto, paterna ipſi ſcilicet fruerentur, atque Chriſti Ieſu nomine obliterato ſuum Moſen, non qualem Moſes ipſe ſeſe præbuit, ſed qualem ipſi vel inuitum, ac diuerſa multo proteſtatũ ſtatuere & propugnare velle prætexuerunt, præferrent, atq; aſſererent. vel, vt res ipſa habet, vt, qua ipſi iam laborabant, inſania, auaritia, ambitione, totiusq; vitæ & morum corruptela, &* Scandalum crucis. *mundanæ ac terreſtris ſapientiæ profeßione fruerentur, & crucis crucifixiq; nomen & laudem obſcurarent, ac de hominum ſermone & memoria obliterarent. Hoc illud ſcandalum crucis eſt, de quo ſæpiùs agit Apoſtolus. Itaq; tunc impenſiùs gaudebant, cùm Chriſtianorum partes vehementius ab inimicis affligebantur, per eoſdem etiam incitatis & adiutis. S. S. E.* Act. *Miſit Herodes rex manus vt affligeret quoſdam de Eccleſia. Occidit autem*

Iaco-

Iacobum fratrem Ioannis gladio: videns autem quia placeret Iudæis, appoſuit apprehendere & Petrum. Erant autem dies Azymorum. Huiuſmodi criminum grauiſſima exceptione commendationẽ illam prætenſam patrum Iſraelitis deprecatoribus redarguit eleuatq́ue per Vatem Deus, oſtẽditq́ue ſcelus quamobrem reiecti & in reprobum ſenſum permiſſi, ac tandem ad longam correptionem in eas, quas ferunt pœnas damnati ſunt.

Hæc omnia elegerunt in viis ſuis, & in abominationibus anima eorum delectata eſt. vnde & ego eligam illuſiones eorum, & quæ timebant, adducam eis.

Iam, vti arbitramur, prædictionis huius explicata ſententia eſt. qua crimen declaratur vis adhibitæ, & induſtriæ poſitæ, atque pertinaciter continuatæ ad Euangelium Chriſti repellendum & infamandum, idq́ue propter terreſtrium & corruptibilium rerum cupiditatem, hoc eſt, propter auaritiam, & nominis ac loci ſui conſeruationem: quæ ipſis, Chriſto admiſſo, periclitari videbantur. Id quod ab iiſdem etiam declaratum fuit. Quid facimus, quia homo hic ſigna multa facit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum; & venient Romani, & tollent noſtrum locum & gentem. Quod prudenter ſe cauere putantes, nefarium commiſerunt ſcelus; quamobrem venerunt Romani, & tulerunt locum ipſorum & gentem. id quod per Vatem hunc prædictum eſt. & quæ timebant, adducam eis. *Non quidem hæc à Deo iram inferente, ſed iuſto iudicio agente dicta ſunt, nempe ob illam culpam.* Ioan. 11. Excidiũ Hieroſolymitanum prædictum.

Quia vocaui, & non erat qui reſponderet: locutus ſum, & non audierũt: feceruntq; malũ in oculis meis, & quæ nolui elegerunt.

*Plenæ ſunt ſacroſanctæ noui Teſtamenti chartæ teſtimoniis & exemplis vocationis Dei per Ieſum Chriſtum Filium, perq́ue Apoſtolos ſuos editæ & proclamatæ, ſignisq́ue confirmatæ maximis, & proteſtationibus aſſiduis repetitæ. In nouiſſimo die magno feſtiuitatis ſtabat Ieſus, & clamabat, dicens, Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Et tamen maxima & præcipua pars eorum, qui hæc tunc, & ſæpe aliàs his perſimilia audierant, fece-*runt malum in oculis meis [*ait Dominus*] & quæ nolui, elegerunt. *Repulerunt enim verbum ſalutis, ideo facta eſt illis iniquitas hæc ſicut interruptio cadens. vt alibi Vates ait: Quid igitur dicemus? quod gentes, quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam, iuſtitiam autem quæ ex fide eſt: Iſrael verò ſectando legem iuſtitiæ, in legem iuſtitiæ non peruenit: Quare? quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus: Offenderunt enim in lapidem offenſionis. Sicut ſcriptum eſt: Ecce pono in Sion lapidem offenſionis & petram ſcandali, & omnis qui credit in eum non confundetur. Atqui huiuſmodi repulſam Euangelio datam, & vexationem in Euangelij miniſtros tantopere exercitam, quanquam iniurioſam & iniuſtam, prorſusq́ue impiam; tamen diuini honoris & pietatis tuendæ, legis conſeruandæ, & propheticæ rationis vendicandæ & aſſerendæ prætextu ab iſtis, qui hoc loco notantur, paratum & promotum iri Deus ait, fruſtra tamen hoc tentandum,* Ioan. 7. Rom. 9. Iudæorum æmulatio.

tandum, vtpote irritum & ineſficax euaſurum, Euangelio ſemper manente, ſuperante, & ad perfectam victoriam peruenturo. Hoc ipſum interpretatus
Ioan. 15. Ieſus, diſcipulos præmonens docebat: Mementote ſermonis mei, quem ego dixi vobis, Non eſt ſeruus maior domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur; ſi ſermonem meum ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia neſciunt eum qui miſit me. Si non veniſſem & locutus fuiſſem eis, peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Qui me odit, & Patrem meum odit. Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: Nunc autem & viderunt, & oderunt me & Patrem meum; ſed vt adimpleatur ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt: Quia odio habuerunt me gratis. Cùm venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, ſpiritum veritatis, qui à Patre procedit; ille teſtimonium perhibebit de me,
Ibid. 16. & vos teſtimoniũ perhibebitis, quia ab initio mecũ eſtis. Hæc locutus ſum vobis vt non ſcandalizemini, abſque ſynagogis facient vos: ſed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo. & hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem neque me. Sed hæc locutus ſum vobis, vt cùm venerit hora, eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis. Hoc Ieſu Chriſti Domini monitum & prædictum, apertam nobis interpretationem ad eos qui ſubiunguntur, verſus præbet.

Audite verbum Domini qui tremitis ad verbum eius, dixerũt fratres veſtri odientes vos, & abiicientes propter nomen meum: glorificetur Dominus, & videbimus in lætitia veſtra; & ipſi confundentur.

Apoſtolos IESV, Chriſtiq́ primos diſcipulos atq́ Euangelij Chriſtiani miniſtros ex Iſraelitis delectos, ac diuini ſermonis cultores pios illa compellat vox. Audite verbum Domini qui tremitis ad verbum eius. Qui diuinum verbum piè, religiosè, ſtudiosè, atq́ efficaciter auditis, capitis, colitis, & exequimini. Dixerunt fratres veſtri, Iſraelitæ dicti, atq́ iactationis exprimendæ auctores notantur: quos perſæpe ab Apoſtolis, viri fratres, appellatos audire eſt, vtpote Abrahami, Iſaaci, & Iſraelis, eorundem videlicet maiorum poſteros, & ad ſpiritalem etiam regenerationis cõmunionem ſtudiosè vocatos. Quid autẽ iſti Apoſtolis ac diſcipulis ceteris dicturi eſſent, in ſumma refertur, Glorificetur Dominus. Prætexentes cultum & laudem Domini quidquid aduerſus vos conari & male agere valebunt, id accuratè molientur, & tamen diuini nominis zelo & ſtudio ſe id facere
Act. 3. iactabunt. Sequenti autem ſabbatho penè vniuerſa ciuitas conuenit audire
Ibid. 3, 17. verbum Dei. Videntes autem turbas Iudæi repleti ſunt zelo, & contradicebant iis, quæ à Paulo dicebantur, blaſphemantes. Tunc conſtanter Paulus & Barnabas dixerunt, Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei; ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes: ſic enim præcepit nobis Dominus: Poſui te in lucem gen-
Rom. 10. tium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. & Paulus: Fratres, voluntas quidem cordis mei & obſecratio ad Deum fit pro illis in ſalutem. Teſti-

Teſtimonium enim perhibeo illis, quòd æmulationem Dei habent, ſed non
ſecundùm ſcientiam: Ignorantes enim iuſtitiam Dei, & ſuam quærentes
ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Hanc autem Dei iuſtitiam, quam Iuſtitia Dei.
Euangelij miniſtri prædicabant, quamq́ue vnicus efficere poteſt Chriſtus,
Iſraelitæ iſti impugnatores & inuidi ſine Chriſto ſibi promiſſam eſſe, aie-
bant; & vſurpatum iri iactabant. Hoc eſt quod ex iſtorum ſermone refert
Vates. & videbimus in lætitia veſtra. *Lætitiam enim inenarrabilem &*
conſeruatam in cælis prædicantes ac teſtati laudabant Apoſtoli: quã tamen
iſti ſe ſine Chriſto viſuros & obtenturos dicebant; fruſtra tamen hoc ab
iſtis iactatum iri Deus ait. Ipſi tamen confundentur. *De cuius rei viuis*
& certis exemplis illud vnum referri conuenit: Exurgens autem Princeps Act. 5.
ſacerdotum, & omnes qui cum illo erant, quæ eſt hæreſis Saducæorum, re-
pleti ſunt zelo, & iniecerunt manus in Apoſtolos, & poſuerunt eos in pub-
lica cuſtodia. Angelus autem Domini per noctem aperiens ianuas carceris,
& educens eos, dixit: Ite, & ſtantes loquimini in templo plebi omnia ver-
ba vitæ huius. Qui cùm audiſſent, intrauerunt diluculo in templum, &
docebant. Adueniens autem princeps ſacerdotum, & qui cum eo erant, con-
uocauerunt concilium, & omnes ſeniores filiorum Iſrael, & miſerunt ad
carcerem, vt adducerentur. Cùm autem veniſſent miniſtri, & aperto car-
cere non inueniſſent illos, reuerſi nunciauerunt, dicẽtes: Carcerem quidem
inuenimus clauſum cum omni diligentia, & cuſtodes ſtantes ante ianuas,
aperientes autem, neminem intus inuenimus. Vt autem audierunt hos ſer-
mones magiſtratus templi, & principes ſacerdotũ, ambigebant de illis quid-
nam fieret. Adueniens autem quidam, nunciauit eis, quia ecce viri, quos po-
ſuiſtis in carcerem, ſunt in templo ſtantes & docentes populũ. Tunc abiit
magiſtratus cum miniſtris, & adduxit illos ſine vi; timebant enim popu-
lum, ne lapidarentur. Et cùm adduxiſſent illos, ſtatuerunt in concilio; &
interrogauit eos princeps ſacerdotum, dicens: Præcipiendo præcepimus vobis
ne doceretis in nomine iſto: & ecce repleſtis Ieruſalem doctrina veſtra, &
vultis inducere ſuper nos ſanguinem hominis iſtius. Reſpondens autẽ Pe-
trus & Apoſtoli, dixerunt: Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.
Deus patrum noſtrorum ſuſcitauit Ieſum, quem vos interemiſtis, ſuſpen-
dentes in ligno. Hunc Principem & Saluatorem Deus exaltauit dextera
ſua ad dandam pœnitentiam Iſraeli & remiſsionem peccatorum. & nos te-
ſtes ſumus horum verborum & Spiritus ſanctus, quem dedit Deus omni-
bus obedientibus ſibi. Hæc cùm audiſſent, diſſecabantur, & cogitabant in-
terficere illos. & paulo pòſt: Et conuocantes Apoſtolos, cæſis denunciauerunt
ne loquerentur in nomine Ieſu, & dimiſerunt eos. Et illi quidem ibãt gau-
dentes à conſpectu concilij: quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu con-
tumeliam pati. Omni autẽ die non ceſſabant in tẽplo & circa domos docẽtes
& euangelizantes Chriſtum Ieſum. Hanc verò prædictã confuſionem &
pudefactionẽ ſiue arrogatæ laudis fruſtrationẽ declarãs Deus ita pronũciat.

Vox populi de ciuitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis ſuis.

Anti-

Antitheton eſt eius dicti, quod à Deo ex Iudæorum Euangelij inimicorum perſona fuerat relatum. Illi enim inducebantur dicturi, Glorificetur Dominus, videbimus in lætitia veſtra. *quaſi ſignificarent, ſalutis lætitiam ab Apoſtolis celebratam, ſuam eſſe ipſorum; qui legem obſeruarent ac propugnarent diuinam; qui Hieroſolymæ vrbis maieſtatem: qui templi tuerentur & aſſererent ſanctitatem: qui Deum benedictum ſemper in ore haberent, vt Pontifex ille ex communi & perpetuo more interrogabat: Tu es Chriſtus Filius Dei benedicti? Et quia non omnes qui Deum benedictum pronunciant, propterea ſolùm gratum & propitium, aut purè cultum habere dicendi ſunt; ſed qui eundem pro præſcriptæ conditionis ratione colunt, hoc eſt, qui voluntatem illius faciunt; oſtendit ac declarat idē lætitiæ, quam ſibi arrogandam præſumpſerant, celebritatem, quamq́; victoriæ & gratulationis vocibus decantandam ſibi expectabant, in clamores vocesq́; vertendam eſſe, quales in bellicis ac turbatis temporibus edi ſolent tumultus & horroris, doloris pauorisq́; indices tum ex ciuitate ab hoſtibus expugnata, tum verò de templo ipſo capto & incenſo, tum maximè Dei ipſius iram & vltionem in ſuis inimicis edentis ac declarantis. Neque enim Romanorum ſola virtus & potentia ſatis erat ad illius vrbis exciſionem, & gentis abductionem, niſi ex Dei iudicio permitteretur in eum populum expeditionem*

Mat 14.

» ducere propter commerita ſcelera caſtigandum. S. S. E. Et vt appropinquauit Ieſus videns ciuitatem, fleuit ſuper eam dicens: Quia ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circuibunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coanguſtabunt te vndique, & ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem; eo quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ. Vox Domini reddentis retributionem inimicis ſuis. *In Hieroſolymitani excidij hiſtoria inter cetera damnati loci prodigia, & illud inſigne commemoratur vocis de templo auditæ, quæ diuini fauoris migrationem apertè declararet. His itaq; reſponſi huius verſibus explicatis, illius perorationis partis depulſio & redargutio abſoluitur. quam poſtremam deprecatores allegauerant, videlicet:* Domus ſanctificationis noſtræ & gloriæ noſtræ, vbi laudauerunt te patres noſtri, facta eſt in exuſtionem ignis, & omnia deſiderabilia noſtra verſa ſunt in ruinas. *Neque verò ſuum propoſitum de regno ſuo inter homines ſtatuendo, de populo ſibi deligendo, creando, exaltando, & amplificando propter Hieroſolymitanum excidium, & Iudæorum abductionem, ac reliquorum Iſraelitarum reprobationem, irritū, fruſtratumq́; iri Deus ait, vtpote cui integrum ſit vel ex lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ, vel aliam quamlibet ſibi aſciſcere gentem, & aſcitam inſtruere; vt iam Moſi dictum fuerat. Quia quod præcipuum & maximè optandum eſt, atq; ipſi Deo conſtitutum & certum, nouum hominum edere & producere genus, quod nunquam antea edito exemplo hominis, naturam tueatur integram, & ex Deo natum verè dicatur: quippe ad diuinæ virtutis ac miſericordiæ abſolutam oſtenſionem hoc requirebatur ſolùm, vt noua*

Ioſeph de bello Iudaico.

Sup. 64.

Nouus homo.

exſta-

exſtaret creatura; quæ ſecundùm Deum creata in ſanctitate & veritate coram ipſo diuinam probaret regenerationem & filiationem. idq́ue vt manifeſtum declararetur opus Dei, non ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo natum diceretur genus, non naturali pariendi modo, id eſt, non ex huius creationis exemplo, ſed ex repentina mortuorum reſurrectione effectū euaderet, tanta celeritate & virtute, vt nullo modo ad naturæ communem procreandorum ſiue animalium, ſiue hominum legem, ſed ad infinitam fœcūditatem, & inexhauſtam vbertatem benignitatemq́ue Dei referendum eſſet. Hoc maximum ac planè diuinum generationis ac renouationis humanæ arcanum arcanis & figuratis verbis, propheticiq́ue ſermonis ambage ſignificatum hoc loco Deus voluit.

Ante quàm parturiret, peperit: ante quàm veniret partus eius, peperit maſculum.

Humana natura à Deo fœcundata, nouóque generi edendo comparata, quam alio nomine Eccleſiam, alio etiam nouam Ieruſalem, atq́ue adeò Sionis filiam vocatam audiuimus, in hoc oraculo indicatur verbis femineæ terminationis. THAHHIL *&* IALDAH, *&* HIMLITAH, parturiret, peperit, *& ſecundo* peperit, *ſiue* euaſa eſt. *Significatur autem fore vt quamquam Hieroſolyma illa prior vetus reiiciatur, & illius temporis ac reipublicæ facies obliteretur prorſus; tamen eodem tempore frequentiſsimus atque ornatiſsimus Dei filiorum populus ſine vlla pariendi mora editus exſtet, vtpote non ex conſueto terreni Adami, hoc eſt, terreſtris matris more, cui dictum eſt: In dolore paries filios tuos. Verùm ex diuinæ virtutis efficacitate: cui nullum verbum verè dictu & pronunciatu eſt impoſsibile. atque ita illud expeditu quoque facillimum fuerit, vt de ipſius ſponſa dicatur:* Ante dolendum peperit, & ante quàm veniret HHEBEL partus difficultas ei, & euaſa eſt maſculi *[parens.] Nec verò ex hoc argui poteſt, poſt partum dolituram eſſe, quando neque linguæ idiotiſmus, neque rei natura ratióque euincit. Nam ſi dolendum eſt mulieri grauidæ, ſi difficultas fuerit ferenda, id ante partum pati & ferri neceſſe eſt: poſt partum enim non dolens propriè, ſed* HIMALETAH, euaſa *&* læta *mulier dicitur. S.S.E. Mulier cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius: cùm autē peperit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Et quidem in naturalibus & communibus mulierum partubus hæc perpetua affectionum ſeries & conſecutio eſt, triſtitia primùm partus aduentāte hora; deinde dolores, & ipſa partus preſſura, ſiue poſtrema nixio, atq́ue eueſtigio à partu, præcipuè maris, lætitia & gratulatio. Verùm enimuerò in partu diuina ſingulari & præternaturali efficacitate ac virtute edendo longè aliter habet atque euenit res: non enim vllus antecedit partum dolor, nulla comitatur omnino preſſura ac difficultas, & maxima & inenarrabilis conſequitur lætitia. Cui rei teſtem locupletiſsimum & exemplum illuſtriſſimum & primum, atque planè diuinum Mariam virginem producere & indicare conuenit. quam nulla vterum geſtandi fatigatam laſsitudine, declarat officium ſtatim ab ipſo primo conceptu cognata inuiſenda factum:*

Eccleſia.

Gen. 2.

Partuum affectiones.

Ioan. 16.

Mariæ virginis partus.

quod aliàs communi mulieri, primùm prægnanti, fieri minimè potuiſſet, propter importuna & aſsidua ab eo tempore ad partum vſque faſtidia: Verùm de hac ſanctiſsima virgine ſcriptum eſt: Exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum feſtinatione in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Elizabet. Quid expeditius, quid alacrius, quid integrius potuit ſignificari? Præterea iam ipſis poſtremis ac partui proximis diebus iter cum Ioſepho è Nazareth Bethlemam vſque confectum; demum nullum omnino latum dolorem, nullã accidiſſe prorſus preſſuram integerrimæ & intaminatiſsimæ virgini in ipſo pariendi filij articulo, illud etiam apertè declarat. Impleti ſunt dies vt pareret, & peperit filium ſuum [non vllius hominis patris] primogenitum, & [ipſamet] pannis eum inuoluit, & [eadem] reclinauit eum in præſepio. Et paſtores [ad ſpectaculum à Deo atq; ad teſtimonium vocati] venerunt feſtinantes, & inuenerunt Mariam [primam, non iacentem, ſed præſentem, & officio intentam] & Ioſeph [eodem modo & habitu] & infantem poſitum in præſepio. Videntes autem cognouerunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc: & omnes qui audierunt mirati ſunt de his quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos. Huius diuini partus inſtar eum, quem Chriſtiana Eccleſia & Ieruſalem ſancta editura erat, habiturum, Deus auctor per Iſaiam docet; hoc tantùm diſcrimine, quòd illo Mariæ partu vnicus natus eſt, idémque maſculus primogenitus; hac verò, de qua agimus fœcunditate multi edendi ſimul prædicantur, vt maxima celeritate magnus & frequens populus conuentusq; exſtet multorum fratrum ex reſurrectione mortuorũ Ieſu Chriſti, ob eam rem primogeniti ex mortuis & primogeniti in multis fratribus dicti: qui de plenitudine illius accipientes gratiam pro gratia filij Dei nominentur, & ſint. Nam quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ipſe ſit primogenitus in multis fratribus, quos autẽ prædeſtinauit [in gloriam filiorum Dei] hos & vocauit [per Euangelium] & quos vocauit, hos & iuſtificauit; quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit. Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine. Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum Filij redemptionis ſuæ, in quo habemus redemptionem, remiſsionem peccatorum: qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipſo condita ſunt vniuerſa in cælis & in terra viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant. Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus ipſe primatũ tenens: quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cælo ſunt. Ioannes Eccleſiis, quæ ſunt in Aſia. Gratia vobis & pax ab eo qui erat, & qui eſt, & qui venturus eſt, & à ſeptem ſpiritibus qui in conſpectu throni eius ſunt, & à Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ [humanæ] qui dilexit nos, & lauit nos à pecca-

Margin notes: Lucæ 1. — Lucæ 2. — Eccleſiæ partus. — Chriſtus primogenitus ex mortuis, & in multis fratribus. — Rom. 8. — Coloſſ. 1. — Apoc. 1.

peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos regnum & ſacerdotes Deo & "
Patri ſuo. Ipſi gloria & imperium in ſecula ſeculorum Amen. Et quidem "
ex huius primogeniti morte & reſurrectione eorũ, qui Dei filij facti ſunt, mortificatio & reſurrectio effecta eſt; idq́ Dei in illo exiſtentis, & mundum ſibi reconciliantis virtute; verùm hoc diſcrimine res expedita eſt, vt ipſe primogenitus mortem pro omnibus guſtaret acerbiſſimam, atq́ ita deinde vitam reſurgens repeteret diuinam, lætiſſimam, & efficaciſſimam deinceps perpetuo à morte immunem. cuius virtute illud efficeretur, vt qui illi aſciti & vocati coniungerentur fratres, in ipſo commortui, quamquam non dolentes, tamen verè commortui conuiuificarentur, & conreſuſcitati renaſcerẽtur nouæ creaturæ & filij Dei ex eiuſdẽ communicatione filiationis vocati, atq́ ita conreſuſcitati & glorificati in cæleſtibus demum conſederent. Hoc itaq́ pacto noua illa cæleſtis Ieruſalem ſponſo cõiuncta ſuo ante quam parturiret, peperit: & ante quàm veniret partus [*ſiue* preſſura] eius, peperit maſculum. *Hominem interiorem, qui ſecundùm Deum creatus eſt in iuſtitia, ſanctitate, & veritate: hunc enim partum hoc intelligimus in argumento, hunc partum omnium ſanctorum à Deo in Eccleſia editorum, qui inter ſe, & cum capite ſuo, primogenitoq́ fratre vnum ſunt,* Ioan.
ſicut Pater & Filius vnum ſunt. Omnes enim filij Dei eſtis per fidem [quæ Gal. 3.
reuelanda erat] in Chriſto Ieſu. Quicũque enim in Chriſto baptizati eſtis, "
Chriſtum induiſtis. Non eſt Iudæus neque Græcus, non eſt ſeruus neque li- "
ber, non eſt maſculus neque femina. Omnes enim vos vnum eſtis in Chri- Ibid. 6.
ſto Ieſu. In Chriſto enim Ieſu neque circunciſio aliquid valet, neque præ- "
putium, ſed noua creatura. Si quis ergo in Chriſto, noua creatura: vetera 2. Cor.
tranſierunt; ecce facta ſunt omnia noua. Omnia autem ex Deo, qui nos re- "
conciliauit ſibi per Chriſtum. Atque huius nouæ generationis, noui partus Eccleſiæ ex virtute & efficientia Dei ſpectatiſſimum exemplum, idq́ frequens, vnum & alterum magna celeritate, & nullo parturitionis dolore editum. Primùm vno die fere centum viginti ſimul vna hora ante tertiam Spiritu ſancto repletos, & noua creatura effectos admirãtes turbæ reſpondentem Petrum audiere. Dextera Dei exaltatus Chriſtus, & promiſſione Act. 2.
Spiritus ſancti à Patre accepta effudit hunc, quem vos videtis & auditis. & paulo pòſt: Certiſſimè ſciat ergo omnis domus Iſrael, quia & Dominum eum & Chriſtum fecit Deus hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis. His auditis compuncti ſunt corde, & dixerunt ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos: Quid faciemus, viri fratres? Petrus verò ad illos, Pœnitẽtiam (inquit) agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus ſancti. Vobis enim eſt repromiſſio & filiis veſtris, & omnibus qui longè ſunt, quoſcunque aduocauerit Dominus Deus noſter. Aliis etiam verbis plurimis teſtificatus eſt, & exhortabatur eos, dicens: Saluamini à generatione iſta praua. Qui ergo receperunt ſermonem eius, baptizati ſunt. & appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia. En vna die vltrà centum & viginti circiter tria millia animarum facta. non multo etiam poſt, Loquentibus

Act.4. Apoſtolis ad populum ſuperuenerunt ſacerdotes, & magiſtratus templi,
» & Saducæi dolentes quòd docerent populum, & annunciarent in Ieſum
» reſurrectionem ex mortuis, & iniecerunt in eos manus, & poſuerũt in cu-
» ſtodiam in craſtinum: Erat enim iam veſpera. Multi autem eorum qui au-
» dierant verbum crediderunt, & factus eſt numerus virorum quinque mil-
Act.8. lia. Paucis etiam pòſt diebus cùm audiſſent Apoſtoli qui erant Ieroſolymis,
» quòd recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Iohan-
» nem. Qui cùm veniſſent, orauerunt pro ipſis vt acciperent Spiritum ſan-
» ctum: nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantùm
» erant in nomine Domini Ieſu. Tunc imponebant manus ſuper eos, & acci-
Act 10. piebant Spiritum ſanctum. Cæſaræa etiam loquente Petro, & annuncian-
» te Ieſum, cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant verbum; &
» obſtupuerunt ex circunciſione fideles, qui venerant cum Petro, quia in na-
» tiones gratia Spiritus ſancti effuſa eſt. Audiebant enim illos loquentes lin-
Act. 19. guis & magnificantes Deum. Factum eſt autem cùm Apollo eſſet Corin-
» thi, vt Paulus, peragratis ſuperioribus partibus, veniret Epheſum, & in-
» ueniret quoſdam diſcipulos: dixitq́ ad eos, Si Spiritum ſanctum accepiſtis
» credentes? At illi dixerunt ad eum, Sed nec ſi Spiritus ſanctus eſt, audiui-
» mus. Ille verò ait: In quo ergo baptizati eſtis? Qui dixerunt: In Iohannis
» baptiſmate. Dixit autem Paulus, Ioannes baptizauit baptiſmo pœnitentiæ
» populum, dicens: In eum qui venturus eſſet poſt ipſum, vt crederent, hoc eſt,
» in Ieſum. His auditis, baptizati ſunt in nomine Domini Ieſu, & cùm im-
» poſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos, & loque-
» bantur linguis, & prophetabant. Erant autem omnes viri fere duodecim.
Act.16. Denique cùm Paulus & Timotheus Derbem & Lyſtram aliáſque per-
» tranſirent ciuitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab
» Apoſtolis & ſenioribus qui erant Ieroſolymis. & Eccleſiæ quidem confir-
Indid.9. mabantur fide, & abundabant numero quotidie. Eodem etiam tempore Ec-
» cleſia per totam Iudæam & Galilæam & Samariam habebat pacẽ, & ædi-
» ficabatur ambulans in timore Domini, & conſolatione Spiritus ſancti re-
plebatur. Hanc benignam filiorum Dei frequentiam breui tempore, imò &
repentè, regeneratorum ſibi præuiſam Vates noſter admiratus indicabat.

Quis audiuit vnquam tale? & quis vidit huic ſimile? nunquid parturiet terra in die vna? aut parietur gens ſimul? quia parturiuit, & peperit Sion filios ſuos?

Tantæ, tam frequentis animarum & regeneratorum hominum ſobolis inauditum antea exemplum contemplatus animo Vates, atque admiratione proſecutus, reſponſi impetrandi cauſa rogat, quidnam nouæ rei illud ſit, & vnde ortum habeat, quod naturæ vires ac rationes anteuertat, & prætereat? Nam neque terræ, neque animalibus ea vis eſt, eáve fœcunditas, vt vna die ſubitò ſuas in lucem proferat proles: diu enim ſub terra iacet occultum ſemen antequam herbam aut plantam reddat; quæ etiam, cùm primùm in lucem prodit, adhuc tenerrima, & ferè informis eſt. Iam verò animalium, atq; hominum præcipuè, genus eandem, aut etiam longiorem in gignendo,

&

& edendo partu moram perfert, raramq́; profert ſobolem vel vnicam, vel ad ſummum gemellos, qui nutriri & ali poßint. Quamobrem gentē hanc repente enatam, & ſtatim ſuo in genere adultam atq; præſtantem, neq; ex terræ virtute cuiuſpiam, neque ex communi cælorum in terras influxu: nec etiam ex certæ nationis fœcunditate ortam, credere vllo pacto conuenit. Et tamen videmus Siona filios ſuos vna die peperiſſe, & nouam ediidiſſe ſobolem, eamq́; frequentem ac denſam, & ipſo ex partu adultam & valentem: quippe quàm primùm editam eloquentem audire eſt: eloquentem verò variis linguis & magnalia Dei. vſque adeò doctam, ac diuinarum humanarumq́; rerum cognitione præditam, ab ipſo matris vtero euaſiſſe mirandum. Hac interrogationis admirationisq́; ambage illud ab Iſaia ſignificatum eſt, quod breuius & apertius Ioannes de hac regeneratione docuit. Qui non Ioan. 1. *ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Id quod etiam apud Vatem noſtrum Deus apertè declarans, docet: nouum hoc hominum genus nouo modo & exemplo editum ſuum ipſius opus, fœcunditatisq́; ſuæ diuinæ fructum eſſe, ſua virtute editum; atque ita non ſolùm generationis principio, hoc eſt, diuino arcano ſemine, ſed modo etiam, tempore, celeritate, virtute, atq; omnibus aliis partibus ad ſe pertinere, ſuamq́; probare benignitatem & fœcunditatem tanto poſt mundū conditum, interuallo declaratam, naturam virtutemq́; ſuam in plures communicatam filios volentis, & illud verè ac re ipſa præſtare, quod cantatū quidem anteà, nondum tamen impletum, & abſolutè fuerat præſtitum, Ego dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes.*

Nunquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam? dicit Dominus: Si ego, qui generationem ceteris tribuo, ſterilis ero? ait Dominus Deus tuus.

Benignitatis quidem & bonitatis Dei donum vltrò & indulgenter datum totius mundi creatio ex nullo ſemine, ſed ex voluntate ſola, & verbi prolatione edita, ita vt quod non antè erat, eſſe iuberetur, & iuſſum repētè exſtaret. Verùm hoc beneficium mundo collatum, aliud maius requirere & exigere iubebatur, vt quod verè eſſet, ſemperq́; fuerat, ſe ipſum largè effundens, vera atq; admiranda generatione communicaret; atque, vt ex eo, quod non fuerat, id, quod eſt, non extare modò, ſed creſcere & multiplicari conceſſerat, & conceſſum, vt efficeretur donauerat: ita ipſe, qui verè eſt, & naturam ſuam æternam obtinet, nouum quoque ederet, æternumq́; genus, nouoq́; multiplicatū producendi & exiſtendi modo; vt omnis natura in ſuis prolibus multiplicata lætatur, & commendatur: ita ipſe longè maiore iure diuinitatis communicatione ſuæ in ſuis ſanctis admirabilis, laudandus, atque æternis laudibus extollēdus, & ipſa diuina proles in parente ſuo lætaretur Deo. S.S.E. Sit gloria Domini in ſeculum ſeculi, lætetur Dominus in Pſal. 103. *operibus ſuis. Qui reſpicit terram, & facit eam tremere, tangit montes, & fumigabunt. Iucundum ſit ei eloquium meum, ego autem delectabor in Domino. Argumentationis huius vis ex loco à contentione ſumitur. Si quod non erat, per me creatum, & mea benignitate multiplicatum lætatur iure*

Creatio noua & regeneratio.

optimo ego, qui ſolus ſum, æternusq́, ſum, noua, & ex mei communicatione generatæ multiplicatione lætari poſſum. quæ ſoboles tanto dignior eſt vt generetur, quanto id, quod verè eſt, & verè ac ſolidè infiniteq́ bonum eſt, dignius eſt eo quod ex ſe non fuerat, neque id quod eſt, à ſe, ſed à verbo ſpirituque oris mei habet. S.S.E. Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Argumentationis huius explicationem verborum quoque animaduerſio adiuuabit. qui alios parere facio, ASBIR, rumpere

Sabar. *ſiue* frangere faciam. *Verbum* SABAR, *frangere, rumpere, & impertiri ſignificat. Deus autem vnicuique rerum generi ſuas formas, ſuasq́ partes & vices, atq; adeò ſingularia etiam, quæ indiuidua dicuntur, frangit, & impertitur: idem etiam percutit, & ſanat, idem occidit, & viuere facit. Ab*

Seber. *hoc verbo* SEBER *nomen fit, quod inter alia pariendi extremam oportunitatem, atq; ipſum partus diſcrimen ſignificat. quocumque horum ſignificato interpretemur, cum diuina quadrat veritate. Ego, qui aliis naturæ cuiuſq; communicationem & propagationem impertior: ego, qui parturientibus in ipſo diſcrimine præſto ſum atq; opem fero,* ipſe non pariam. *Ex exemplari lingua,* VELO OLID, non generabo & parere faciam? *Namq; hanc explicationem verbi figura, coniugatio, & rei ratio exigit. Quippe ſimplex verbum* pariam, *illic pronunciatur* OLED, *at verò* OLID, gignam *&* parere faciam, *Latinè eſt. In quo ſignificat, ſe veritatis atq; numinis largitione ſui, id eſt, communicatione ſpiritus, Eccleſiam Sionemq́ ſuam fæcun-*

Filij Dei. *daturum parituram ſine dolore ac diſcrimine filios, qui ſecundùm Deum in iuſtitia, ſanctitate, & veritate nati, filij Dei dicantur, & ſint. non ex ſanguinibus, nec ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; quare neque cum dolore & fractione, vt Adami & Euæ filij naſcuntur, ſed ad ſimilitu-*

Lucæ *dinem partus virginei; in qua, quod natum fuit, ex ſpiritu ſancto eſt, & vo-*

Pſal. *catum Filius Dei. Ita & hic populus qui naſcetur, quem fecit Dominus, ex aqua & Spiritu ſancto natus, Filius Dei vocandus præcinitur, atque ita*

2. Pet. 1. *natus & vocatus demũ euaſit. Quomodo omnia nobis diuinæ virtutis ſuæ,*
» *quæ ad vitam & pietatem pertinent, donata ſunt per cognitionem eius, qui*
» *vocauit nos propria gloria & virtute; per quem maxima & pretioſa nobis*
» *promiſſa donauit, vt per hæc efficiamur diuinæ conſortes naturæ fugientes*
» *eius, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem.* & ego, qui generationem ceteris tribuo, ſterilis ero? ait Dominus Deus tuus. ANIHA MOLID, ego ille generare faciens. *Nihil enim quod diuinæ benedictionis expers fuerit, generare poteſt: ergo ego, qui ipſamet infinita benedictio ſum*

Ghatsar. VE GHATSARTHI. & prohibitus fui? GHATSAR, *claudere, retinere, vetare, tardare, impedire Latinis verbis exponitur; & in iis animantibus, quibus generatio, conceptus, & pariendi facultas negatur, frequenter vſur-*

Gen. 16. *patur. Ita Sara ad virum: Ecce concluſit me Dominus, ne parerem. Hoc idem verbum* GHATSARANI *vſurpauit. Eſt autem hoc loco verbum* GHATSARTHI *vtriuſque ſignificationis, actiuæ & paſſiuæ, capax ex formationis ratione & vſu. Ait enim, bonitati, fæcunditati, liberalitati ac prouidentiæ miſericordiæq́ ſuæ non conuenire ſterilitatem aut ſibi ferendam, aut Ec-*

cleſiæ

cleſiæ ſuæ, id eſt, humanæ naturæ valde ſibi amatæ, inferendam. Has enim rationes, hæc iura, nomina Dominus Deus tuus *appellata ſignificant miſericors, benignus, verax, idemq́; gubernator & rector tuus. Pronomen* tuus, *feminina voce in exemplari conſtans, Eccleſiam indicat. cui à ſanctis omnibus ſpiritibus & Angelis, atq; ab omnibus humanè & piè ſapientibus & ſentientibus gratulationem poſtulat, atque adeò ab ipſis nouis, quos præuidet filiis, quin etiam à Vatibus & Patribus omnibus antiquis, huius promiſſi non ignaris, ad quos etiam eiuſdem gratiæ ſocietas & communicatio pertinet.*

Lætamini cũ Ieruſalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio vniuerſi, qui lugetis ſuper eam.

Angelos ſpiritusq́; electos omnes in miniſterium creatos & ordinatos Dei humanum genus exornare & amplificare volentis, & ad eam rem variis ordinibus diſtinctos; præterea homines omnes pios, & humanæ ruinæ calamitatisq́; conſcios, omnes humanam naturam amare, facilè intelligimus; ſuo quoſq́; modo captiuitatem humanam lugentes diuina doctrina ſæpe inducit. Hos omnes, præcipuè verò homines bonos, ad gratulationem doni diuini, & fœcunditatis Eccleſiæ donatæ, Vates vocat. atq; in hunc chorum eos includit, de quibus dictum: Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Mat. *Tum quod bonis animis, & liberalibus, minimeq́; inuidis, gratiſſima bonorum communicatio & effuſio ſemper accedit, tum quod iis ipſis omnibus eiuſdem boni communio parata eſt, ſuis temporibus opportunè impertienda.*

Vt ſugatis, & repleamini ab vbere conſolationis eius, vt mulgeatis, & delitiis affluatis ab omnimoda gloria eius.

Diuinæ liberalitatis datum optimum, ac donum perfectum, ampliſſimum atq; copioſiſſimum eſt. quod nõ ſolùm eos qui regenerati recenſq́; nati fuerint, ſed etiam eos, qui à conſtitutione mundi tanto beneficio ſeſe non reddiderint indignos alere, nutrire, paſcere, ac prorſus beare valet. Donum Dei in omnes. *Id quod denarius ille operis omnibus, à ſummo etiam diluculo conductis expectatus,* Denarius. *apertè declarat: qui, quamquam primùm poſtremis datus, ceteris omnibus plenè & integrè perſolutus fuit. Sterilem autem priùs Eccleſiam illã ſpiritualibus filiis non antea editis, vbi matrem fieri diuino contigerit munere ac dono, conſolatione magna frui turam ſignificat, magnaq́; bonorũ vbertate augendam, & non ſolùm nouis filiis alendis idoneam, ſed ad priores etiam reficiendos ſufficientem.* Eccleſiæ fœcundatæ vbertas. *Omnes enim quotquot fuerunt eruntq́; homines, qui in regno cælorum conſcribentur, ad eandem Eccleſiam pertinebunt, quocumque illi tempore vixerint, ſiue ante, ſiue poſt Chriſtum ad Patris dexteram in gloria collocatum; vt omnes, tam præteriti quàm præſentes & futuri homines, diluuij tempeſtate, in vnica Noahhi arca ſeruati ſunt: maximo diuinæ virtutis & veritatis arcano.* Eccleſia omnium ſanctorum mater. *Hæc omnia, quæ publicã communemq́; piis omnibus beatitatẽ felicitatemq́; ſignificant, orationibus verbisq́; ex partus & pariendi figurato ſermone tranſlatis dicuntur. Sumitur autem figura ex puerpera aliqua, cuius vberibus tanta, tamq́; ſalubris lactis*

copia eſt, vt non ſolùm infantibus à ſe recens editis, ſed aliis familiaribus, & vernis etiam, atq; vicinarum mulierum filiis alendis abundè ſufficiat. quos eodem lacte paſtos, ſimili affectos virtute euadere conſequens fuerit. Ita quæ prima Apoſtolos & diſcipulos Chriſti peperit, noua Ieruſalem, & ad alios ex omni natione edendos virtutem ex Deo accepit, & vbertatē bonorum ſibi diuinitus conceſſorum patribus omnibus, & antiquis piis communicauit. ex quo effectum eſt, vt & ipſi Dei & Eccleſiæ filij euaderent, & verè prædicari poſſent. Neque enim inuidè aut parcè, aut ex parte, ſed plenè, ſed abundè, ſed affluenter de Spiritus ſancti diuitiis ac donis Chriſtiana donata Eccleſia fuit. Antiqua enim tempora ex parte promiſſum audiere diuinum, ex parte vaticinia tulerunt, variiſq; muneribus & beneficiis inſtructa fuere: ſed cùm venerit id quod perfectum eſt, euacuabitur, quod ex parte eſt. Quæ enim noui Teſtamenti ſanctis diuina dona abundanter & affluenter data ſunt, in antiquos etiam patres, reges, & Prophetas vtiliſſima redundarunt: quippe quæ ab vno Chriſto, qui primus & nouiſſimus appellatur, profecta ſunt. Non ſecus atq; ea quæ antiquis in figura contingebāt, ad aureæ ætatis quoque homines re & veritate pertinuere. quæ

1.Cor.10. *etiam ab eiuſdem verbi virtute & efficientia emanauerant. Nolo enim vos*
» *ignorare fratres, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes*
» *mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari,*
» *& omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundē po-*
» *tum ſpiritualem biberunt (bibebant autem de ſpirituali conſequente eos pe-*
» *tra: petra autem erat Chriſtus) ſed non in pluribus eorum beneplacitum eſt*
» *Deo. Nam proſtrati ſunt in deſerto. Hæc autem in figura facta ſunt noſtri,*
» *vt non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt. Neque*
» *idololatræ efficiamur ſicut quidam ex ipſis, quemadmodum ſcriptum eſt:*
» *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. Neque forni-*
» *cemur, ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt, & ceciderunt vna die viginti-*
» *tria millia. Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentauerunt,*
» *& à ſerpentibus perierunt. Neque murmurauerītis, ſicut quidam eorum*
» *murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore. Hæc autem omnia in fi-*
» *gura contingebant illis: Scripta ſunt autem propter nos, in quos fines ſecu-*
lorum deuenere. Hæc igitur ita ſecum in vno Chriſto connexa & communicata ſunt, vt quæ antiquis in figura contigerant, ad noſtræ ætatis pertineant veritatem, & quæ verè & efficaciter diuina dona, dataq; optima noſtris data ſunt, ad illorum etiam referantur vtilitatem & vſum, vtpote ab vno eodem paſtore ad totum comparata ac defuſa gregem. Verùm hoc diſcrimen in his indicatur, quòd in noſtros dona hæc primùm abundare, in antiquos redundare Deus voluit. id quod vel primæuæ linguæ verbis exactè declaratur. Namque vbi Latinè legimus, & delitiis affluatis ab omnimoda gloria eius, *exemplar habet*, MIZIZ KEBODAH. ex ZIZ am-

ZIZ. plitudinis eius. *dicitur autem* ZIZ, *quod ex quacunque copia redundat, vt ex igne flamma, ex lumine ſplendor, ex mare flumina, ex flumine inundante riuorum & ſtagnorum repletio, & pratorum irrigatio ac ſaturitas. Itaq;*

quam-

quamquam Latini hoc vocabulum alias ſplendorem, alias conſummationem
vt hoc loco, id eſt, abundantem; interdum pulchritudinem *interpretětur,*
commune tamen & amplum nomen eſt, ad omnem redundantiam ſignifi-
candam. Hiſpanicè proximam huic vocabulo vim obtinet Reſulta. *Deſu*
reſalta de ſu grandeza. Perſiſtitur enim in tranſlatione à mammillis
quod vel leniter preſſum, dum mulgetur aut ſugitur, abunde effluit, vt
extra ſugentis infantis os etiā redundet, in ſinumq; deriuetur materni.
Id quod Deus ipſe viua & appoſitiſsima ſimilitudine per Vatem declarat.

Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi
fluuium pacis, & quaſi torrentem inundantem gloriam gen-
tium: quam ſugetis, ad vbera portabimini, & ſuper genua
blandientur vobis.

Diuinæ doctrinæ, ſapientiæ, & virtutis Eccleſiæ communicandæ dono-
rum abundantem ac redundantem copiam lactis fluminibus ac torrentibus
perſimilem fore ait (Namque inſtitutam noui partus, & infantum atque
lactationis allegoriam perſequitur.) Ita autem vberem deſcribit, vt infan-
tibus propriis & alienigenis etiam reficiendis & alendis, abunde ſatis ſu-
perq; ſuffecturam dicat, eodem dicendi tropo, quo Pſaltes aliquando vſus eſt:
Iuſtitia tua ſicut montes Dei, iudicia tua abyſſus multa. Homines & iu- Pſal. 35.
menta ſaluabis Domine (quemadmodum multiplicaſti miſericordiā tuam
Deus. Filij autem hominum in tegmine alarum tuarū ſperabunt. Inebria-
buntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. quo-
niam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Hanc vi-
tam, hoc lumen, & hoc inenarrabile maximorum bonorum donum SALOM
nomine ſignificat hoc in loco Deus: pro quo cùm Latinè reddimus pacem, Pax Dei
aliam definire oportet ab ea, quam dare poteſt ac ſolet mundus, omnium quæ
expeti expectarive oporteat, quæq; humano ſenſu cognoſci, aut ore dici ple-
nè non datur, bonorum perfectiſsimam ſummam. Hanc pacem primum
Hieroſolymæ filiis promiſſam, iiſdemq; ſperantibus & expectantibus, hoc
eſt, Apoſtolis ac diſcipulis fidelibus fluuij exundantis inſtar à ſe ſuggeren-
dam, conſequenter autem torrentibus ex eodem fluuio redundantibus, ad
gentes quoque deducendam, Deus pollicetur. A quibus gentibus Apoſtoli
ac diſcipuli lætiſsimè accipiendi eodem pacis flumine potis & ſaturatis in
filiorum etiam ius, dignitatem, & auctoritatem atque commoda omnia ad-
optatis, atq; ita omnibus ac ſingulis amanter accipiendis, tractandis, & ab
amantiſsimo Patre geſtandis, & amanter curandis ac fouendis. Super eos,
qui primi Euangelium receperint, hoc eſt, Apoſtolos, atq; ex circumciſione
fideles, quaſi fluuium pacis: *in eos autem qui ex gentibus crediderint,*
quaſi torrentem inundantem gloriam gentium. *Qua beatitatem, fe-*
licitatem atq; gloriam, amplitudinemq; ſuam vni Dei gloriæ acceptam re-
ferent, atq; per Apoſtolos ac diſcipulos primos illos Eccleſiæ filios miniſtra-
tam ſibi agnoſcent & gratulabūtur. S.S.E. Vos teſtes eſtis & Deus, quàm 1 Theſſ. 2.
ſanctè & iuſtè, & ſine querela vobis, qui credidiſtis, fuimus. Sicut ſcitis
qualiter vnumquemque veſtrum, ſicut pater filios ſuos deprecantes vos, &

 conſo-

» *conſolantes teſtificati ſumus, vt ambularetis dignè Deo, qui vocauit vos in*
» *ſuum regnum & gloriam: & ideo nos gratias agimus Deo ſine intermiſ-*
» *ſione; quia cùm accepiſſetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis, non vt*
» *verbum hominum, ſed ſicut eſt verè, verbum Dei: qui operatur in vobis,*
2. Theſſ 2. *qui credidiſtis. Vos enim imitatores facti eſtis, fratres, Eccleſiarum Dei,*
» *quæ ſunt in Iudæa in Chriſto Ieſu. Nos autē debemus ſemper gratias agere*
» *Deo ſemper pro vobis fratres dilecti à Deo, quòd elegerit vos Deus primi-*
» *tias in ſalutem in ſanctificatione ſpiritus & fide veritatis. in qua & voca-*
» *uit vos per Euangelium noſtrum in acquiſitionem gloriæ Domini noſtri*
» *Ieſu Chriſti. Vtroſque itaq; ſuos filios à ſe in Eccleſia natos charos, gratos, & iucundos, atq; paternis officiis iuuandos, in ſinu geſtandos & fouendos & ſuper genua ſibi exhilarandos eſſe prædicit. Perſtat enim in eadem parentum & filiorum tranſlatione.* Ad vbera portabimini. *In exemplari,* GHAL TSADTHI NASSEV, ſuper latus tollemini & geſtabimini. *Ita vt à matribus, ita vt à patribus chariſſimi infantes in ſinu, & ad ſiniſtrum latus tolli ac geſtari ſolent, ambulantibus videlicet; ſedentibus verò ſuper genua teneri, & crurū motu, ac manuum fulcimento, cantus voce ac tinnitu, & omnibus crepundiis exhilarari.* & ſuper genua blandientur vobis. THESAGHASAGHV, *paſſiuum eſt,* oblectabimini. *Luſitanicè, Heredes agaſalhados. Has in ſe credentibus & ſperantibus partes exhibiturum, hæc oblectamenta effecturum Deus in ſe recipit; contrà verò à fide abalienatis, & Euangelij repulſoribus vltionem vindictamq; allaturum ſe minatur.*

Quomodo ſi cui mater blandiatur, ita ego conſolabor vos, & in Ieruſalem conſolabimini.

Maternus affectus Dei erga ſanctos. *Maternum erga infantes affectum tenerrimum natura finxit vſque adeò, vt oblectandi filios cauſa ad miraculum vſque geſtire & obloqui, canere, blandiri, etiam ſeueriores matronas videamus. Cuius affectus inſtar ſibi declarandum promittit, indicatq; Deus tanto teneriorem, efficaciorem, & præſtantiorem, quanto humanis omnibus diuina præſtant: eamq; conſolationem non verbis tantùm, ſed re, ſed virtute, ſed ſpiritu ſuggerendam, qua verè animus affectus gaudeat, ſicut & vnus ex his experimento ſibi*
2. Cor. 1. *probatiſſimum gratulatur. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu*
» *Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſola-*
» *tur nos in omni tribulatione noſtra, vt poſſimus & ipſi conſolari eos, qui in*
» *omni preſſura ſunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipſi à Deo. quo-*
» *niam ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abun-*
» *dat conſolatio noſtra.* Conſolatio Spiritus ſancti. *Quam quidem conſolationem non verbis aut opinione, & imputationis imbuta perſuaſione, ſed re, ac veritate, efficacitate, & ſpiritus in ſenſus etiam ipſos redundante virtute cognoſcendam eſſe, Deus prædicit, idq; per admirabilem illam renouationem interioris hominis perceptum iri ſignificat.*

Videbitis, & gaudebit cor veſtrum, & oſſa veſtra quaſi herba germinabunt, & cognoſcetur manus Domini in ſeruis eius, & indignabitur inimicis ſuis.

STA-

Statvræ in pueris atq; in humanis animaliumq́; corporibus incrementum vel breuitas non carni, ſed oſſibus tribuitur. Namq; caro fluxa & caduca atq; infirmiſſima totius corporis pars eſt, in continuo fluxu ſita, atq; nullo pacto in ſe conſiſtens ac durabilis. Id quod facilè ex morbis vel inedia arguitur, vel etiam ex curis ac ſollicitudinibus, quibus animalis, atq; hominis præcipuè corpus vehementer macreſcit, interdum verò & contabeſcit, oſſibus tantùm ſuum conſeruantibus modum. Quæ cùm robuſta & ſolida permanſerint ac ſucci plena, vegetum & agile conſeruant corpus. His autem alendis & conſolidandis, atq; oportuno ſucco ſufficiendis, cor præeſt, ſpiritusq́; ſuppeditat ad eam rem idoneos atque vtiles. Cor autem nulla re magis afficitur & iuuatur, quàm lætitia, quæ, modò vera & honeſta contingat, cùm fruitur, commodiſſimos omni corpori atq; oſſibus præcipuè ſuggerit ſpiritus. vt ex illo docemur carmine: Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur ſuper ſalutari ſuo. Omnia oſſa mea dicent, Domine quis ſimilis tibi? Id ipſum ex contrario confirmatur documento: Spiritus triſtis exſiccat oſſa. Atq; hæc ratio eſt quamobrem educandis infantibus lætitia & exhilaratio poſtulatur, vtpote ad oſſium incrementum, & vires firmandas valde vtilis. In qua tranſlatione perſiſtens Deus, ait: Videbitis, & gaudebit cor veſtrum, & oſſa veſtra quaſi herba germinabunt. THIPHRAHHNAH, Florebunt. *Ita vt facilè decus, incrementum, ac virtus veſtra diuinæ efficientiæ tribuatur.* & cognoſcetur manus Domini ſerui eius. *Manum Domini virtutem efficaciamq́; ſalutis veræ arbitramur. alluditq́; adnotatio hæc ad Ægyptiacam libertatem, & magnũ miraculum in rubro mari editum, Iſraelitis tuto & incolumi pede, inoffenſoq́; gradu euaſis, & inimicis in mare demerſis, & occiſis. Cuius beneficij magni & arcani frequens apud Vates commemoratio eſt. Iam verò illa publica, & communi ſalute, quam in medio terræ Deus per Chriſtum operatus eſt, Euangelium Iſraelitis primùm, deinde toti orbi afferendum promittitur. Cuius virtute credentes & pij ſeruentur & ſanctificentur; increduli verò & contemptores, iuſtiſſimis addicantur pœnis.*

Statura. | Caro fluxa | Oſſium firmitudo. | Cor. | Cordis lætitia. | Pſal. 34. | Prou. 17. | Infantum educatio. | Euangelij virtus & iudicium.

Quia ecce Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadrigæ eius, reddere in indignatione furorem ſuum, & increpationem ſuam in flamma ignis.

Extremum iudicium igne inchoandum ſancti omnes ex ſacra arcanaq́; diſciplina tradunt. Atque Euangelij iudicium ignis inſtar habiturum, & Vates & Apoſtoli docuerunt. imò publicas omnes rerum ac temporum mutationes cùm ſacra ſcripta tractant, Deum in igne venientem indicant. Sic enim legis ferendæ tempore Sina montem igne ardentem mortales videntes, Dei agnouere tum præſentiam tum virtutẽ. ſic ſibi aduerſus inimicos opem laturum Deum ignis præcedentem vim prætuliſſe, Pſaltes ait: Ignis in conſpectu eius exardeſcẽt, & in circuitu eius tempeſtas valida. Ignis autem natura ac vis duo eodem tempore eademq́; efficit opera: alterum eſt, quòd ea, quæ corripit, ſi firmitudinis elementa & ſemina in ſe habeant, ad puriſſimum excoquere, & meliora longè quàm fuerant, reddere; vt au-

Deus in igne veniens. | Pſal. | Ignis

rum præcipuè & gemmarum quædam rara genera, & vitri materiam: alterum verò, quòd ea quæ impura offendit, & ſordes omnes conſumere, atq; ita loca, quibus iſta fuerint, expurgare ſolet. Eiuſdem virtutis & efficacitatis inſtar, diuinum tamen & arcana definitum ratione, ſacroſancto Dei Euangelio diuina adſcribit philoſophia, ſeruandi & purificandi ac ſanctificandi eos, quos fides commendat, veraq; pietas munit, ſordidos verò atq; impuros, fide carentes, vel obaudire & obſequi nolentes, reiiciendi, & æternis pœnis deſtinandi. Hunc ignem Chriſti in cælos reuerſi, & ad Patris dexteram ſedentis, nomine & efficacitate incenſum, & parteis peragẽtem ſuas, primùm Apoſtolos, diſcipulos, & complures etiam è populo vidiſſe, & ſenſiſſe, ſacra narrat hiſtoria, iiſdem omnino ſignis & conditionibus, quæ apud Vatem noſtrũ prædicta conſtant. Quia Dominus ecce in igne

Act.2. veniet, & quaſi turbo quadrigæ eius. *Cùm complerentur dies Pente-*
„ *coſtes, erant omnes pariter in eodem loco. Et factus eſt repentè de cælo ſonus*
„ *tamquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi*
„ *erant ſedentes: & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tamquam ignis, ſe-*
„ *ditq; ſupra ſingulos eorum. Vt verò hos, quibus inſedit, purgauit; ita iis, quibus contemptus & ſpretus eſt, iram indignationemq; minatus, ex diuino iudicio pœnas arrogauit. Id quod vt caueretur Apoſtolus Petrus monebat:*

Ibid. *Saluamini, inquit, à generatione iſta praua. Hoc eſt quod declarando & confirmando Vates repetit.*

Quia in igne Dominus iudicabit, & in gladio ſuo ad omnem carnem, & multiplicabuntur interfecti à Domino.

Ignem quid hoc loco eſſe intelligeremus explicuimus: idem autem verbum

Dei gladius verbum. *Dei gladium eſſe, ac dici, ex Apoſtolis didicimus. Verùm hoc inter vtrumque eſt diſcriminis ex effectis cogniti, quòd ignis natura & vis partim purgat, partim deuorat & conſumit. Gladius verò ad deuorationem, occiſionem, & diſciſionem vſurpatur tantùm, & ad ſeparationem eorum, quæ vel coniuncta, vel fuerant nimium contigua, inter quæ, propter acutiam ac du-*

Heb.4. *ritiam facilè penetrat. Viuus autem eſt ſermo Dei, & efficax, & penetra-*
„ *bilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac*
„ *ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & in-*
„ *tentionum cordis. Hanc itaq; Euangelij virtutem exercendam quoque Deo prædicat Vates: non quidem in omnes homines, ſed in animales tantùm, eos, inquam, qui nihil vlterius aut ſapere, aut viuere volũt, quàm quod ani-*

Caro. *malis homo cõtingere poſſit. Hos enim carnem hoc loco Vates nominat, quos*

Anima. *Apoſtolus animam à ſpiritu diſtinctam nominauit. Nam diuidendæ atq; ſeparandæ carni propriè & aptè idoneèq; gladius paratur. Ignis itaq; Euangelium eſt, idemq; gladius, qua gladius carnem à ſpiritu ſeiungens, qua verò ignis carnem exurens, ſpiritum verò purificans. Namq; & igne ſpiritus purgari, argumento eſt medicorum induſtria pyras, & igneis publicè ac priuatè peſtis & contagis temporibus incendi iubentium. Itaq; hoc ſpiritus gladio, quod verbum Dei eſſe Apoſtolus definit,* ad omnem carnem *occidendam vſurpatum iri, Vates ait,* & multiplicabuntur interfecti à Domino.

Domino. *Hunc etiam gladium interpretatus Vates alius, indicabat: Et conuerſus vidi ſeptem candelabra aurea, & in medio ſeptem candelabrorum aureorum ſimilem Filio hominis, veſtitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea: caput autem eius & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tamquam nix: & oculi eius tamquam flamma ignis, & pedes eius ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti, & vox illius tamquam vox aquarum multarum: & habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem, & de ore eius gladius vtraq; parte acutus exibat: & facies eius ſicut ſol lucet in virtute ſua. & idem rurſus: Et veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine, & vocatur nomen eius verbum Dei; & exercitus qui ſunt in cælo ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſo albo & mundo. & de ore eius procedit gladius acutus, vt in ipſo percutiat gentes. Et ipſe reget eos in virga ferrea, & ipſe calcat torcular furoris iræ Dei omnipotentis. Atque ita illud efficitur, quod per noſtrum Vatem fuerat antè prædictum.* & multiplicabuntur interfecti à Domino. *Magnam itaq; vltionem diuino igni & gladio ſumendam hoc vaticinium ſignificat, idq́; omnibus cunctarum nationum hominibus altero ex duobus vel vtroque inuolutis crimine, ab iis videlicet, qui ſeſe puros ac ſanctos ſibi fingunt, videri aliis tales volunt; & ab iis, qui manifeſtè impuri & profani ſunt. Vtraq; enim factio à modeſtis, temperatis, & veræ pietatis cultoribus valde diſcrepat; & quamquam ambæ inter ſe opponantur, tamen ambæ Dei iudicio ſunt obnoxiæ, cognoſcentis quidem hominum non facta modò, ſed cogitata etiam, & pro iudicij ratione vtriſque rependentis.*

Apoc. 1. — Hominum impiorũ ordines duo.

Qui ſanctificabantur, & mundos ſe putabant in hortis poſt ianuam intrinſecus.

Sanctitatis non veritatem, ſed ſimulationem ex humano ingenio, conſilio, atq; arbitrio excogitatam, quocunque pacto eam ſibi fingere homines cogitent, in hoc genus refert Vates, ſanctificationem, inquam, non ex Deo petitam, ſperatam, & perceptam, ſed ex opinione in externis tantùm definitam rebus & ritibus per ipſos excogitatis, vel ex loco, vel ex ritu, vel ex modo ac tempore. Verba, ſanctificabantur, & mundos ſe putabant. *in exemplari lingua manifeſtè arguunt, ſanctificationem & puritatem, non ex re & veritate, ſed ex propria ipſorũ præſumptione & vſurpatione atq; oſtentatione vtrumq; verbum in quarta reciprocorum coniugatione pronunciatum* HAMITHKADESIM HAMITAHERIM. illi ſanctificantes, illi purificantes ſe ipſos in hortis. EL HAGANOTH, iuxta hortos. poſt ianuam intrinſecus. *In exemplari clariùs.* AHHAR AHHAD BETHAVECH, poſt vnum in medio. *Quo tropo ſinguli ſibi ſua ſanctificationis ſibi parare, ac deſtinare loca ſeparatim intra ſingularis horti ſepta ſignificantur. Cuiuſmodi quidem ſanctificationis formam aut ſcenam Iſmaëlitarum & Machometanorum nationi frequentatam nouimus, ſuas moſcheas, quas vocãt, inter arbores & hortos plerumq; exſtruenti, ibidemq́; ſeſe crebris purificãti ac luſtranti lotionibus. ad quos etiam referendi, quicunque eiuſmodi ſibi præſcribunt purificationis & ſanctificationis formas & formulas. Atque*

Hypocriſis & carnis ſanctitas.

Machometanorum moſcheæ.

talibus etiam nugis gentium ſacrificulos ſuis populis impoſuiſſe, & imponere, ex antiquorum, noſtriq́ aui cognoſcere eſt hiſtoriis. Improbi & impuri mores. *Aliud verò improborum, & iudicij pœnis addicendorum hominum genus eſt, nihil neque internam nec externam, vel religionem, vel modeſtiam, puritatem, continentiámve curantium, ſed omnia indiſcretè & profanè per abuſum turbantium, atq; nihil inter natura horrendas & impuras atque mundiores formas rerum ſibi ipſis diſcriminis decernentes, ſiue ad victum, ſiue ad cultum. Ex quo etiam turpium atq; impurorum vitæ morum culpa facilè arguitur. Nam quæ animalia hoc loco exempli cauſa nominantur, ex naturæ ſymbolo morum ſignificant contaminationem, atq; execrabilē corruptelam.*

Qui comedunt carnem ſuillam, & abominationem & murem.

Sus. *Suem apud omnes nationes impuritatem ſignificare morum, & Homerus in Circes veneficiis indicauit, & Latinus retulit philoſophus:*

Horatius. *Vixiſſet canis immundus vel amica luto ſus.*

Sekets. Abominationis *Latinum nomen* SEKETS *apud antiquum ſcriptorem eſt ſerpentum, reptilium, atq; vermium omne ſignificans genus, & quidquid* Mures. *putre, putidum & execrabile eſt. Murium autem natura nulla ex parte vtilis omni in loco inuiſa, damnoſa, & nocens pro ſimilibus vſurpatur moribus. Quamquam autem horum diſſimilia vitia & crimina, tamen quia ab vno vero ac recto diuiduntur ac differūt omnino, ideo vno ad pœnarum iudiciū inuoluuntur crimine.* Simul conſumentur [*igne & gladio*] dicit Dominus. *Et quidem alteri ab alteris nimium diuerſi, quod ad externam facit ſpeciem, cùm illi puritatem, ſaltem puritatis vmbram, ſectari videantur; iſti impuritatem apertè & impudenter atque iniuriam exerceant: tamen quod vtrique à Dei voluntate, & ab humanitatis verò ſenſu alieni ſint, quidquid prætexant aut excuſent, Dei iuſti iudicis nec notitiam fallere, nec ſententiam effugere valebunt. Hoc eſt quod ſubiungitur:*

Ego autem opera eorum, & cogitationes eorum: [*Non facta & acta ſolùm, ſed commēta & cogitata mortalium cunctorum ſibi nota, atque ex conſequenti iudicio ſuo obnoxia eſſe declarat prædicatq; Deus: idq; breuiſſima & expeditiſſima oratione, quam eclipticam rhetores nominant, deliberati atq; decreti conſilij & mentis certæ indicem. qualem illam apud* Virg. Aen. 1. *Latinum poëtam: Quos ego. Sed motos præſtat componere fluctus.*

Ita Deus ſibi omnia nota indicat: verùm id agere modo, vt congregatis om- Euangelium. *nium nationum populis, hoc eſt, vt omni terrarum orbi per Euangelium appellato, ſe proborum hominum miſericordem parentem, rurſus verò improborum & infidelium ſeuerum iudicem & vindicem ſe præbeat, aliis quidem in ſalutem & ampliſſimam felicitatem, aliis verò in ruinam & pœnam. Atq; ita effecturū, vt ex edito primùm in vtramq; partē exemplo, qui reliqui, & ſuperſtites fuerint, miſericordiæ conditionē amplexi ſectentur, & ex diuino obtineant beneficio. & hoc pacto ex omnibus nationibus, gentibus & linguis vna demū ſancta conſtruatur & coagmētetur Eccleſia.* Eccleſia.

Venio vt congregē cum omnibus gentibus & linguis: & venient, & videbunt gloriam meam.

Tri-

Triplicem hominum mentem ſignificatam audiuimus, vnam eorum, qui ſanctitatem ſibi ipſi ex arbitrio confingunt: alteram contemptorum & impiorum prorſuſq́ deprauatorum: Tertiam verò indicatam ſanctitatis veræ amatorum & ſtudioſorum: eam tamen ab vno Deo effici credentium, ac communicari ſibi modeſtè ac piè poſcentium, atq; per humanæ virtutis diuinitus adiutæ exercitationem curantium & ſtudentium. His tribus formulis vniuerſum hominum teneri genus, atq; ipſos etiam, quos deprecatores illi allegabant, Iſraelitas patres appellabant ſuos, diuinoq́ cultui operam dediſſe prædicabant. Ad hos itaque omnes examinandos per Euangelij prædicationem, & per Spiritus ſui ſancti donum ſeſe iam aduentare, per hunc Vatem Deus prædicit ac proteſtatur. Coniungendos ex omnibus nationibus & linguis, & eos verè ſanctificandos, ſuiſq; ornandos diuinis virtutibus, qui ad tertiam fuerint inſtructi formulam. & videbunt gloriam meam. *Suam gloriam Deus miſericordiam illam & liberalitatem appellat, qua ſanctum Spiritus donum coram nationum ac linguarum omnium frequentia maxima in diſcipulos Chriſti effuſum eſt, iam non ſeruos, non hoſpites & aduenas, verùm filios & ciues ſanctorum nominandos ædificatos ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templũ ſanctum in Domino. Atq; ita hoc gladio, hoc Euangelij igne ſeparatio illa efficienda ſignificatur. de qua Chriſtus, Nolite, inquit, arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram; non veni pacem mittere, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam; & inimici hominis domeſtici eius. Neque verò in hoc aduentu Iſraelitæ omnes reiiciendi prædicuntur, ſed ſeparandi ita, vt qui ſimpliciores, & Euangelio accipiendo prompti reperti fuerint, aſſumantur; ceteri verò ſuo in peccato relicti conſequentibus euentibus relinquantur addicti (vſque ad nouiſſimam reſtitutionem ex diuina miſericordia expectandam.) Eos verò, qui excepti & aſſumpti, atq; ad filiorũ adoptionem adnumerati fuerint, certiſſimo ſigno notatos, & ad cognoſcendum expoſitos euaſuros ait; cognoſcendum autem non ipſi tantùm Deo, ſed hominibus etiam. cuius de ſigni, ſiue notæ, ſiue characteris diſcretione apud hunc ipſum Vatem dictum fuerat: Omnes qui viderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus. & rurſus: Reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum eſt. Conteſtante Deo ſignis & virtutibus, & portentis, & Spiritus ſancti diſtributionibus. Namque vt antea Iſraelitæ ab aliis gentibus circumciſionis diſcernebantur ſigno; circumciſio autem illa manu fiebat humana: ita Deus, quos in peculiarem ſibi populum ac domeſticam familiam, atq; adeò in filiorum gloriam adoptaturus erat, aliò longè ab illis manufactis, diſtincto atq; planè diuini operis & efficientiæ indice charactere ſignandos declarat: qualem ille ſibi impreſſum profitebatur. In Chriſto enim Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed noua creatura. Et quicunque hanc " regulam ſecuti fuerint, pax ſuper illos & miſericordia, & ſuper Iſrael Dei. "*

[Marginal notes: Hominum triplex conditio. — Spiritus ſancti donum. — Separatio hominum per Euangelium. Matth. 10. — Filiorum Dei nota. — Sup. — Heb. 2. — Circunciſio non manufacta. — Gal. 6.]

De cetero nemo mihi moleſtus ſit: Ego enim ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto. Atque ex his ita ſibi ſignatis, partem aliquam electum iri Deus præmonet, quorum opera ac diligentia, ſedulitate & caritate vniuerſo orbi bonus ille ſalutis communicatus nuncius, pacem iis qui prope, & iis qui longè ſunt, ex Deo afferat: atque diſperſos in omnibus terris melioris mentis & formulæ homines, hoc eſt, eos omnes, qui ſuam ſerio expetierint ſalutem, quiq́ à Deo Cornelij Centurionis inſtar popoſcerint, verè & efficaciter accipiant. Atq́ hoc pacto ſeſe omnes nationes in vnius, de qua agimus, Eccleſiæ & Ieruſalem ſanctæ ciuitatis communionem voto, animo, ſtudio, ac diuinæ veritatis donatione conferant.

Euangelij promulgatio

Et ponam in eis ſignum, & mittam ex eis qui ſaluati fuerint, ad gentes in mare, in Aphricam, & Lydiam, tenentesq́; ſagittam, in Italiam, & Græciam, & ad inſulas longè, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam.

Salutis publicæ primum nuncium orbi toti per Apoſtolos primosq́ Chriſti diſcipulos communicatum iri, à ſe quidem miſſos, & magnis virtutibus ac ſignis inſtructos Deus ait. id quod aliàs etiam apud hunc, & alios Vates prædictum fuerat. Atq́ ita promiſſa piis quondam patribus, & Iſraelitarum populo facta exolutum, atq́ etiam lamentationi & querimoniæ deprecatorum illorum, quibus reſponſum hoc dabatur, ſatisfactum iri. Ex ea verò boni nuncij communicatione diuinis confirmata ſignis euenturum, vt qui ex Iſraelitis per terras omnes diſperſis ad Ieruſalem, nouæ ciuitatem, animum adiecerint, liberi & incolumes ducantur ab ipſis etiam gentibus, inter quas agebant, eadem etiam ciuitate ex Dei beneficio communicaturis. Nominatim verò indicantur terrarum orbis partes, quædam antiquis nominibus præcipuè notæ, ad quas veluti ad regionum capita ſumma, ceteræ referuntur omnes, quotquot terrarum tenent atq́ incolunt varios tractus. Id quod deinde etiam generatim exponitur. Terram autem ex incolarum ratione tribus tantùm diſtinguitur primis gentibus, Iaphet, ſiue Iapeti minoribus, & Semi poſteritate, & Chami filiis. Eadem vero terra ſoli ac ſitus conſideratione ortum occaſumq́ verſus protenſa ad Septentrionem expanditur, à meridie verò mari coërcetur, quod Indicum ſiue meridionalē oceanum Geographi vocant. Septentrionalem partem Iapheti gens prima occupauit; indeq́ Colonias in Græciam, Italiam, & Hiſpaniam miſit. Meridionalem omnem Chami poſteri tenuere. Semitæ orientalem, quàm longiſſimè peragrati habitauere, à Mes, ſiue Meßia, vt Moſes docet, initio facto, & auroram verſus habitatoribus productis. Quocunque itaque modo deſcribatur terra, Euangelij nuncius peragranda prædicatur. & mittam ex eis qui ſalui fuerint [*à generatione illa peßima, quæ primùm Euangelium repulerat*] ad gentes in mare. *Gentes genericum nomen eſt hoc loco ad Iſraelis diſtinctionem appellatum, deinde verò per certa genera diſtributum.* in mare. *Lybicū intelligimus, ſecūdùm quod Lybia, in qua Carthago fuit. Namque hîc apertè dicitur* THARSIS, *quod & nos mediterraneo mari, & Carthagini vrbi datum aliàs oſtendimus. Atq́ hîc Carthaginem ſignificari,*

Terrarum orbis diuiſio.

Tharsis.

cari, adiuncto nomine PVL *indicatur, eadem formula qua Latinè dicitur* Tharſis Africæ, *vt vel à Tyro, vel ab ipſo diſtinguatur mari.* Lydiam, LVD. *nomen adhuc apud noſtros retinentē Geographos. Atq; ita omni meridionali tractu ſecundùm longitudinē indicato, deſcriptio ad Boream vertitur.* Tenentes ſagittam, MOSCHE ICHESETH, tendentes, *ſiue tentores* arcus. *Qua laude Perſæ, Parthi, & Medi inſignes ſunt ad Septentrionem vergētes. qui verò maximè ſunt Septētrionales* THVBAL, *pro quo interpres* THVBAL.
noſter Italiam *poſuit: quam quā ex nonnullorū ſententia Itali & Hiſpani ex Thubalo oriundi ſint, de Hiſpaniſq; minus ambigatur; tamen hic primā originē index mōſtrat, hoc eſt, ipſos frigidiore cælo ſubiacentes populos Germaniam omnē, & cū Britannis Gallias; quibus iam ad meridiem & occaſum vergēte tractu Græci proximi adiacēt. Ceteros verò, quos antiqui non niſi interiecti maris nauigatione adiere, hodieq; noſtrates adeunt, oceano vſq; occidentali intermedio ſeparatos illo generico nomine Vates includit.* ad inſulas longè. *In exemplari preßior & certior nominum indicatio eſt.* HAIIM HARCHHOKIM. ad illas IIM illas remotiſſimas. IIM, *non ſo-* IIM.
lùm inſulæ mari cincta, ſed regiones dicūtur omnes, ad quas nauibus itur. Quî planius & clarius Nouus hodie dictus orbis prophetico ſermone in- Nouus orbis
dicari potuerit, haud video, nempe Deo auctori cognitus, & Vati non ignoratus noſtro.

Et annunciabunt gloriam meam gentibus.

Euangelium gloriæ Chriſti ſuæ gloriæ nuncium Deus nominat: nam Euangelium
idem ſignificat Euangelium, quod bonus nuncius gloriæ Dei, vti ſæpè aliàs audiuimus. Gratiſsimus verò & opportuniſsimus Euangelicus nuncius gentibus omnibus venturus eſſe euentu ipſo declaratur: quippe, vbi iam cognitus & receptus fuerit, magno omnium conſenſu & ſtudio colendus omnibus opportunitatibus & officiis ad communem fratrum & conciuium vtilitatem & commoditatem collatis.

Et adducent omnes fratres veſtros de cunctis gentibus donū Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montem ſanctum meum Ieruſalem, dicit Dominus: quomodo ſi inferant filij Iſrael munus in vaſe mundo in domum Domini.

Iſraelitarum abſoluta reſtitutio reſponſo hoc promittitur, tum demum Iſraelitarum abſoluta reſtitutio.
efficienda, cùm plenitudo gentium intrauerit. Quam quidem nationum cunctarum maximus plauſus, communis conſenſus, & gratiſsimum proſequatur ſtudium. Id quod oratoria declaratur elocutione & ſignificatione opum & commoditatum variarum à diuerſis populis conferendarum pro ratione, ingenio, atq; vſu ſuarum cuiuſque regionum. Varia enim vecturarum genera, loci atq; ſitus diuerſitas inuenire & vſurpare cogit; in planioribus locis currus, in difficilioribus & aſperioribus equi & muli, in anguſtioribus, quanquam non ita aſperis, carrucæ vehendis hominibus adhibentur. Atque his imaginibus conſpiratio ſumma & voluntas omnium gentium, communiſq; gratulatio, & ad opem ferendam commodorum omnium

communicatio cum publica lætitia ſignificatur propter fratres Ieroſolymæ, hoc eſt, Eccleſiæ reſtitutos. Atq; hoc idem promiſſum animo recolens Apoſtolus aiebat: Dico ergo, Numquid ſic offenderunt, vt caderent? Abſit: Sed

Rom. 11. » illorum delicto ſalus eſt gentibus, vt illos æmulentur. Quod ſi delictum illorum diuitiæ ſunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentium, quanto magis plenitudo eorum? & paulo pòſt: Si enim amiſſio eorum reconciliatio eſt mundi, quæ aſſumptio niſi vita ex mortuis? Quod ſi delibatio ſancta

Ibid. eſt, & maſſa; & ſi radix ſancta, & rami. & poſt pauca. Nolo enim vos ignorare fratres myſterium hoc, vt non ſitis vobiſmetipſis ſapientes: quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret, & ſic om-

Sup. 59. nis Iſrael ſaluus fieret. ſicut ſcriptum eſt: Veniet ex Sion qui eripiat, & auertat impietatem à Iaacob: & hoc illis à me teſtamentum cùm abſtulero peccata eorum. Secundùm Euangelium quidem inimici propter vos, ſecundùm electionem autem cariſſimi propter patres. Sine pœnitētia enim ſunt dona & vocatio Dei. Sicut enim aliquando & vos non credidiſtis Deo, nūc autem miſericordiam conſecuti eſtis propter incredulitatem eorum; ita & iſti nunc non crediderunt in veſtram miſericordiam, vt & ipſi miſericordiam conſequantur. Concluſit enim Deus omnia in incredulitatem, vt omnium miſeratur. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Et quidem hæc electorum huiuſmodi reſtitutio gentibus omnibus in Eccleſiam admiſſis, & in ſancta conſcriptis ciuitate, cumprimis grata & iucunda, verùm Deo ipſi fore longè gratiſſima ſignificatur. idq; ex imagine ac ſimilitudine ſacrorum oſtenditur: vt enim inter ſacrificiorum materiam celebre eſt

MINHHAH. MINHHAH, quod ex puriſſima farina & polenta munus tam à pauperioribus quàm à diuitibus per ſacerdotem offerebatur; idq; in vaſe mundo ſiue aureo ad templum, ſiue aliò quocumque ad deferendum examinato. Ita illi, qui ex omni Iſraelitarum gente ad gratiam & ad ciuitatis ſanctæ communionem referendi expectantur, verùm & probatum munus accedent. Verum enim Deo munus, cor, & animus habetur hominis purè ac legitimè dicati, & ad ſpirituales aras admoti. Quin & reſtitutionem atque ciuilitatem hanc amplis etiā honoribus exornandā ſibi fore Deus vlterius declarat:

Et aſſumam ex eis ſacerdotes & Leuitas, dicit Dominus.

Familiæ aut gentis nulla diſtinctio in noua Ieruſalem. Varios in diuini cultus ratione ordines, varia munera fuiſſe legitimè omnia inſtituta, quæ noui Teſtamenti ſpiritualem adumbrabant colendi, atq; ſeruiendi curam & vera exemplaria ſcimus. Ad has autem ſpiritales hoſtias acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum, ad huiuſmodi etiam varia, & verè legitima ſacra & munera, ad quæ gētes iam etiam fuerint delectæ, ex his etiam Iſraelitis deligendos & aſſumendos dicit Dominus. ita vt, quamquam ex Aharonis aut Leui poſteritate ſecundùm carnem non cenſeantur; tamen iam deinceps in illa amplificata ciuitate, in illo publico & communi omnibus nouo templo Dei ex his, & ex omnibus, qui ad communionem admiſſi fuerint, ritè ac legitimè, citra vllam cęterorum inuidiam, aſſumentur. Id quod nullo modo impediri, nulla exceptione aut interceſſione retar-

retardari poterit, vtpote à Deo promiſſum, dicit Dominus. *Cuius dona & vocationes pœnitudinis mutationē non admittunt. Itaq; omnes hominum nationes, atq; in his reſtitutos quoque Iſraelitas, idoneos à Deo præſtitum iri intelligimus, quibus ſacrorum & ſanctorum cura, & ſpiritualium hoſtiarum, atq; aliorum ſacrorum munerum variæ adminiſtrationes demandentur. Id quod alia elocutionis formula per Zachariam quoque declaratum eſt, cum abolitione diſtinctionis familiarum & nationum, atq; aliarum factionum, quas humana olim excogitauit & exercuit inuidia. In die illa erit quod ſuper frenum equi eſt, ſanctum Domino, & erunt lebetes in domo Domini quaſi phialæ coram altari. Et erit omnis lebes in Ieruſalem & in Iuda ſanctificatus Domino exercituum: & venient omnes immolantes, & ſument ex eis, & coquent in eis. & non erit mercator vltrà in domo Domini exercituum in die illo. vbi Latinè legimus,* Mercator, *in exemplari gentile nomen eſt* CHENaGHaNI, Chananæus. *quod nomen quia à* CHaNaH *verbo deducitur, quod emere, ſiue mercaturā exercere & lucrari, Latinis eſt, aliquando pro mercatore vſurpatur. vt in illo loco: Cingulum tradidit Chananæo. id eſt, mercatori. Aliquando, tametſi ad ſignificationem verſum fuerit, pro gente ipſa vſurpatum cenſendū eſt. vt in hoc apud Zachariam loco negantem diſtinctionem illam in noua Ieruſalem & Eccleſia Dei retentum iri; quæ olim in tabernaculo ac templo inſtituta fuerat, videlicet non admittendi Gabaonitas (qui Chananæi erant) niſi ad ligna tantùm cædenda, & aquam adferendam, quæ in ſacrorum miniſteria & vſus forent. Atq; ita obiter & oportunè illum Zachariæ locum ſimili argumēto productum declarare operæpretium duximus. Porrò diuinum hoc beneficium ac donum Iſraelitis ac toti orbi præſtandum, perpetuum, æternum, ſtabile, & nulli naturæ mutationi obnoxium permanſurum, notiſſima ſimilitudine pollicetur Deus.*

Zacharia locus.

Zach 14.

Prou. locus. Prou. 31.

Quia ſicut cæli noui & terra noua, quæ ego facio ſtare coram me, dicit Dn̄s, ſic ſtabit ſemen veſtrum & nomen veſtrum.

Longè alia hoc loco cælum nouum, & terram nouam appellandi ratio eſt, ab ea, quamobrem ſimilia nomina proximo capite anteà appellata ſunt. Namq; illic de nouo & ſpiritali mundo à ſe efficiendo locutus Deus, illam vſurpauit orationis formulam. HINEHANI BORE SAMAIIM HADASIM VEERETS HADASAH. Ecce ego creans cælos nouos, & terram nouam. *In qua oratione vocula* HINEH, ecce, *rem nondum exiſtentem, certam tamen, vel proximam & aduentantem indicat. Verbum verò* BORE, *rei nouæ & non antea ſpectatæ creationem ſignificat. Nomina autem* cælos & terram, *nullo notationis articulo indicata veniunt, qualia rebus certis, & iam notis præiungi ſolent. atque ita nondum viſas aut cognitas hominibus illas eſſe ſignificat naturas, quas creandas Deus nunciat. Hoc verò loco diuerſam pluribus partibus audimus enunciandi formulā cum ſimilitudinis voce notabilem. in qua etiā obſeruationis apertum diſcrimen ſtatuitur. Namque ſimilitudinis lex eſt, vt id quod adhuc ignotum declaratur, ad id referatur, quod eadem ex parte notum eſt. vt: Sicut aues volantes ſuper pullos*

Ecce.

Similitudinis lex. Sup.

Pſal. *ſuos, ita veniet Dominus liberaturus populum ſuum. &, Montes exultaſtis ſicut arietes, & colles ſicut agni ouiū. Deinde orationis huius illa formula eſt.* CHI CHAASER HAHHASAMAIIM HADASIM VEHAARETS HAHHADASAH ASER ANI GHOSEH GHOMEDIM LEPANAI NEVM IEHOVAH. *Ex verbo,* Quia ſicut iſti cæli iſti noui, & iſta terra iſta noua, quæ ego faciens ſtantia coram me: effatū Domini. *In qua forma ſingulis nominibus tam ſubſtantiuis quàm adiectiuis, ſinguli notitiæ indices articuli præponuntur,* iſti cæli iſti noui, iſta terra iſta noua. *Ad hæc verbum præſentis temporis cū præſentibus etiam participiis,* quæ ego faciens ſtantia. *& hanc orationem ita pronunciatam,* effatum ſuum *Deus ipſe appellat, atq; ex conſequenti certum ſanctum & ſtabile adſtruit. Quod vt figura à ſuperiore pronunciato diuerſum, ita argumento ſingulari ad ſimilitudinem intelligimus vſurpatum. quod nos iam ad operis huius finē properantes, ita breuiter exponimus.*

Renouati hominis florēs perpetuo æterna duratio.

Mutationem hanc Iſraeliticarum, atq; adeò humanarum rerum tanto diſcrimine communibus & conſuetis antea exemplis præſtantem non ex naturali cauſa, vel ſiderum ſingulari concurſu & vi, ſiderum, inquam, hominibus fauentium, non ex caſu aut fortuito aliquo euentu, ſed ex certo Dei propoſito & conſilio profectam, perpetua duratione ſtabiliendam & firmandam eſſe, Deus ait, nullis etiam naturæ viribus, nulla temporum violentia, nullis aliis minoribus aut maioribus cauſis & efficacitatibus conuellendam aut labefactandam, vtpote omni naturæ exemplo & Philoſophiæ argumento longè ſuperiorem. Namque ex Philoſophorum doctrina illud tamquam commune & vniuerſale axioma receptum eſt. Quæcumque ortum habeant, quæcunque aliquando noua fuerint, eadem vetuſtatem ſubitura, ac demum caduca deſitura eſſe, & extinctum iri, finemq; habitura. Eamq; communem naturæ conditionem atq; eſſe, atq; haberi in pluribus generibus obſeruatam, quam maxima orbis regna, imperia, & quæcunque narrantur hominum felicitates, & rerum publicarum beatæ & celebres formæ tenuerint. Hanc autem humanæ ſapientiæ argumentationem inſigni & manifeſta diſtinctione redarguit exoluitq; Deus, illo cumprimis naturæ communis exemplis & veritati relicto; nempe res omnes, quæ communi & conſueto vſu gignuntur & creſcunt, eodem etiam decreſcere & ſeneſcere vſu, dummodo ſuo naturali ſinantur procedere curſu. vt quæ ex aqua, quæ ex terra, quæ ex alio ſimplici genere ortum habent, in idem demum rerum abeant ac deſinant genus; &, quæ noua ſunt, ſeneſcant, quæ ante nituerant, defoſſa rurſus condantur; eaq; demum vnde venerunt, redeant. Verùm enimuerò quæ ſingulari conſilio, certóque propoſito Deus conſeruare velit, vndecunq; venerint, ex quacunq; materia, vel nulla etiam conſtiterint; eadem nec interire, aut aboleri, nec in ſuam antiquam materiam aut conditionem aliam redire, ſed neque, quoad ipſe tenuerit, ſeneſcere aut laſſari, fatigari, minui, aut quicquam pati ſimile. Quoniam vt Deus ipſe auctor liber, & omni naturæ cōmunis lege immunis eſt, ita agendo, efficiendo, & conſeruando quocunq; ſibi propoſito rerum genere, omnem naturæ conditionem & neceßitatem infinita ſuperat virtute. id quod apertiſſimo

tiſſimo docet exemplo duarum maximarum totius mundi naturæ partium, cælorum videlicet atq; terræ; quæ quamquam principium habuerint, quamquam ex nihilo creatæ fuerint, quamquam perpetuis & continuatis vſibus exerceantur; tamen ſuam integram retinent naturæ rationem atque vim, neque in antiquum tendunt nihilum; imò, quod apertum, patens, nulliq; ue animaduerſuro ignotum eſt, perinde nunc nouæ atq; integræ, ſuisq; viribus & vſibus præſtandis idoneæ, atq; primo ipſo, quo exſtiterant anno. ita cælum curſus gyrosq; ſuos, rectis & inuiolatis rationibus, & inuariatis momentis, ſine vlla conficit laſſitudine, ſine vllo ſenectæ vitio, atq; omnia, quæ ab initio præſtare iuſſum præſtitit, eadem perpetuo tenore nunc repetit, & ſuis numeris abſoluta iuxta diuinæ legis præſcriptum probat. S. S. E. De celis. Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Non ſunt loquelæ neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquã ſponſus procedens de thalamo ſuo. Exultauit vt gygas ad currendam viam, à ſummo cælo egreſſio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius: nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius. Hæc omnia perpetua ſunt cælo, vti etiam terræ ſua immobilitas, & perpetuum ad celatas & manifeſtas rerum gignendas & ſufficiendas atq; alendas formas ingenium, ad lapides, metalla, plantas, & animalia. S. S. E. Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum ſtat. Oritur ſol & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibiq; renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem. Luſtrans vniuerſa in circuitu peragit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant. Cunctæ res difficiles, non poteſt ea homo explicare ſermone. Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu repletur. Quid eſt, quod fuit? ipſum, quod futurum eſt. Quid eſt, quod factum eſt? ipſum, quod faciendum eſt. Atque documenta exemplaq; hæc omnia cælorum ac terræ perpetuam viridemq; declarant iuuentam, & quandam recentem veluti nouitatem, non ex ipſa natura, aut materiæ ratione, ſed ex Dei auctoritate & voluntate conſeruatam: qui propter infinitam virtutem, vtramque mundi maximam & exercitatiſſimam partem perinde nouam retinet ac ſeruat: atque eo tempore cùm primum ex nihili creauerat. id quod ipſe in hoc verſu declarat; non qui dicat ſe iſtum cælum, iſtamq; terram, quæ oculis conſpiciuntur, denuò in dies creare, ſed iſti cæli iſti noui, & iſta terra iſta noua, quæ ego faciens ſtantia coram me. *Quod totum dictum diuinum, ſimplici ſignificationis complexu excipiendum eſt, &, vt Theologi dialecticiq; recentiores loquuntur, in ſenſu compoſito.* Iſti cæli iſti noui, & iſta terra, iſta noua, quæ ego [*ſic noua*] ſtare facio coram me. *Namq; hac formula diuina auctoritas, voluntas, & probatio ſignificatur; aliàs enim auertente faciem ſuam Deo, omnia in puluerem ſuum, vt confitebatur Pſaltes, redigerentur. Itaq; non coram ſua ipſorum natura, ſed* coram me. *& tamen quamquam ex corruptibili materia, imò ex nihilo, quod longè inferius eſt,*

Cælum & terra cur ſenium non ſentiant.

Pſal. 18.

Eccl. 1

 conſti-

conſtiterint; tamen ego perpetuo noua ſtare coram me, ſuosq́; vſus præſtare facio. Hæc eadem maximè conſpicua declarant philoſophorum de natura rerum diſputantium axiomata nihil omnino voluntati meæ præſcribere, dictare, aut derogare; ſed nec excipere vllo pacto poſſe: nec ſuas illorum argumentationes & collectiones ad artis ac ſapientiæ, virtutiſque meæ præſtantiam quicquam conferre aut valere attingendam. Quando ad ſenſum & ad tactum oſtenſum cunctis hominibus conſtet, cælum atque terram auctore me inueniam, nouitatemq́; ſuam viridem & florentem probare. Quod ſi hoc iis partibus, quæ ex nihilo per Dei voluntatem conſtitere contingit: idq́; certo, ac præſente experimento euincitur, quid exiſtimari oportuerit de eorum ratione ac duratione, perpetuitate atque æternitate, qui
1.Pet.1. *non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei nati fuerint,*
» *vt per hoc efficiantur diuinæ conſortes naturæ, fugientes eius quæ in mun-*
Ioan.1. *do eſt concupiſcentiæ corruptionem? Non ex ſanguinibus, nec ex voluntate*
» *carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo nati, Verbo caro facto, & in ipſis*
Ioan. 3. *habitāte? Quod enim natū eſt ex carne, caro eſt; quod verò ex ſpiritu, ſpiri-*
» *tus eſt: & ſpiritus vbi vult ſpirat, & audit philoſophus vocē eius; & neſcit*
» *vnde veniat, aut quo vadat. Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu. Quamobrem nihil metuendum iis qui ex Deo nati fuerint, de nominis ac virtutis veritatiſq́; ſuæ defectu.* ſic ſtabit ſemen veſtrum, & nomen veſtrum. *Similitudinis ratio non tam ad permanſionem, quàm ad perpetuam nouitatem & vigorem virtutémque numquam vel vetuſtate, vel ſenectute minuendam aut mutandam referenda eſt. Nam verbum* ſtare*, in ſimilitudine nouitatem, & iuuentam reſpicit; quam etiam ſimilitudinis nota* SIC *ſiue, vt in exemplari eſt,* CHEN, ſic, certè, firmiter) *indicat in ſimili. Namque de duratione atque æternitate longè alia ratio fuerit, vt longè aliud vtriuſque naturæ principium, cælorum ac terræ ex nihilo, cui quod ex ſe perire non repugnat; filiorum verò Dei ex ſpiritu Dei; qui natura vi-*
» *que ſua æternus eſt. S. S. E. Principio tu Domine terram fundaſti, &*
» *opera manuum tuarum ſunt cæli; ipſi peribunt, tu autem idem ipſe es. Itaq́; hoc loco non ſolùm perpetuum, ſed perpetuo nouum, ac recens manſurum filiorum ſuorum ſemen & nomen aſſeuerat, recipitque Deus, atque in hanc rationem cælorum ac terræ perpetuo conſeruatæ nouitatis inducit ſimilitudinem. Quam vtriuſque partis perpetuo vegetam ac recentem virtutem*
Sol, & Bacchus. *poëtarum philoſophia ac Theologia agnitam ſub Solis & Bacchi nominibus adſcribit. Bacchum enim illi in myſteriis terram, cælum verò Solem appellarunt. quorū virtuti & efficacitati omnia quæ ſub cælo gignuntur, tribue-*
Tibul.lib.1. *runt:* *Solis æterna eſt Phœbo Bacchoq́; iuuenta:*

Nam decet intonſus crinis vtrumq́; Deum.

Noachus autem, quem Critici Bacchum eſſe volunt, IS ADAMAH, vir terræ, *in ſacra appellatur hiſtoria. Porrò filiorum ſuorum ſemen & nomen perpetua virtute conſtitura ac duratura Deus promittit; quibus nominibus naturæ veritas & efficacitas ſignificantur: Nam ſemen ipſam rerum ſubſtantiam continet: nomen ſiue* SCM *virtutis & efficientiæ ſigni-*

fica-

ficationem obtinere ſæpe iam docuimus: Veritatem itaq; & virtutem interpretamur & intelligimus perpetuo integras duraturam iri, longè diuerſa ratione à ſeminibus & nominibus aliarum rerum, quæ caducam ſortita ſunt naturam, multis modis atque temporum cumprimis vi mutationi, variationi, ac imminutioni obnoxiam.

Vidi læta diu & multo ſpectata labore [ſemina] Virg. Georg.
Degenerare tamen, ni vis humana quotannis
Maxima quæq; manu legeret: ſic omnia fatis
In peius ruere, & retro ſublapſa referri,
Non aliter quàm qui aduerſo vix flumine lembum
Remigiis ſubigit, ſi brachia fortè remiſit,
Atq; illum in præceps prono rapit alueus amne.

Tamen Sanctorum neque ſemen perire, neque degenerare ſinit nomen Deus. idq; diuinum decreuit & pronunciauit effatum. NEVM ADONAI, dicit Dominus, *ſiue* effatum Domini. *Atque ita euenturum prædicitur, vt ſicut cælum ac terra ſuis ſtatis temporibus ſuas vires certa lege exercēt, ſuos perpetuo præſtant vſus; ita filij Dei muneribus officiisq; vacent ſuis, pro præſcriptæ diuinitus normæ rationibus ac vicibus nulla ex parte imminuendis, aut inuertendis, quinimo perpetuo ritu & ordine obſeruandis, offerentes ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum.* Sanctorum munera & officia.

Et erit menſis ex menſe, & ſabbathum ex ſabbatho: veniet omnis caro vt adoret coram facie mea, dicit Dominus.

Vt ſingularis in primæua lingua elocutionis formula, ita ſingularem arcanamq; commendat interpretationē. VEHAIAH MIDIH HODES BEHHODSO VMIDISABATH BESABATHO. *Ex verbo:* Et erit de ſufficientia ipſa nouationis in nouatione, & de ſufficientia ipſa quietis in requie. *Nomen* HHODES, *pro quo menſem Latinè dicimus, nouationem ſignificat: idq; menſi impoſitum eſt, vtpote qui ſingulis renouatur, in eandemq; rationem redit gyrationibus, Sabbathum verò quietem ſignificare, nulli iam ſtudioſorum arbitramur ignoratum. Iam verò illud ex veterum rituum & ſacrorum notitia conſtat, quædam ſacra ſingulis Sabbathis eſſe factitata, quædam etiam, quæ triceſima dicebantur, ſingulis nouiluniis quoque peragi decreta inſtitutaq; fuiſſe. Illa quidem quietis & lætitiæ ſignificatione, hæc verò nouationis rerum gratulationibus commendata. quæ omnia vmbra futurorum fuerant: Illa quidem Sabbathiſmi populo Dei relicti & ſeruati: hæc autem renouationis animorum antiqui Adami vetuſtate exuta ac depoſita. Atque hæc non ſolùm à Hieroſolymitanis in terra Chanaan ciuibus, ſed ab omni carne, id eſt, nationum omnium hominibus in populo conſcriptis Dei perpetuo ſanctitatis more, & vero ſpiritu ſemper celebranda fore, Deus ait. Nam qui intrauit in requiem ipſius, requieuit ab operibus ſuis, ſicut & à ſuis Deus; & qui renouatus fuerit ſpiritu mentis ſuæ, in nouitate vitæ perpetuo incedens verſabitur. Quorum arcanorum frequens apud Apoſtolos mentio atque interpretatio fit. Hoc itaque ſignificat per Vatem Deus, feſtorum illorum celebrationem non in vmbra & figura tan-*

HHODES. Sabbatha & Neomeniæ. Sabbatiſmus & renouatio. Heb. Heb.

tantùm, vt quondam, ſed ipſa veritate perpetuo eſſe peragendam omni carni, Iudæo primùm & Græco, ſeruo & libero, mari & feminæ ſanctificatis à Deo, & in nouitate vitæ ac perpetuo Sabbathiſmo collocatis. Idq; nobis arcana illa formula ſignificat, menſis ex menſe, ſabbathum ex ſabbatho, *ſiue,* nouatio ex ſufficientia nouationis, & quies ex ſufficientia quietis. *Non ex figura & imagine nouationis & quietis, ſed ex ipſa nouatione ſufficiente, & ex ipſa quietis, in qua erunt, ſufficiente re ac veritate & virtute. vt ſi quis regis perſonam non ex imagine & ſcena, ſed ex vero, vtpote qui rex verè ſit, agere & repræſentare dicatur. Ita hi non iam in vetuſtate literæ, ſed in vitæ nouitate conuerſati, rem diei in die ſuo, & rem feſti in feſto ſuo, vti lex inſtituit, ſeriò & verè peragent.* vt adorent coram facie mea. *Præſente & probante eo, qui hæc prædicit, vtpote qui in medio ipſorum, tamquam templo ſancto ſuo, verſetur, & acceptabiles ſibi per* I E S V M *Chriſtum hoſtias perpetuo ritu, ſemperq; opportuno peragendas, ab iis qui ſemper in nouitate, ſemper in ſabbatho viuent. Quod verò dicitur* vt adoret, *ſupplicationem, & perpetuam gratulationem ſignificat verbum* HISTHAHHAVOTH. *Cuiuſmodi ſolenne fuit quondam decernere pro victis & ſuperatis atque deletis hoſtibus, pro victoria, pro pace & ſecuritate parta. qualem rerum ſuarum ſtatum hi ex diuina virtute & auctoritate aſſecuti, auctori atque ſoſpitali Deo, ipſorumq; parenti perpetuis gratulabuntur laudibus. Hanc beatam ſortem piis, & vocationi diuinæ obſecuturis paratam, Deus ait, & miſericordiam ipſis præſtitam agnituris, ſpectaturisq; ſeuerum ac iuſtum iudicium in eos editum, qui vocanti Deo, & Euangelij ſalutem vltrò afferenti obaudire & credere noluerunt, ſed in ſuo manentes peccato, mortui, illorum inſtar, qui in deſerto olim perierunt, non ſolùm à diuinæ quietis patria vel viſenda excluſi ſunt, ſed inſepulti relicti feris & ſerpentibus dilaniandi proſtitere. Hoc tamen diſcrimine, quòd illi tandem conſumpti, in deſerto euanuerant, iſti vero æternis pœnis addicti manebunt.*

Iudicium in impios.

Et egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati ſunt in me. vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt vſque ad ſatietatem viſionis omni carni.

Damnatorum pœnæ.

ÆTERNITAS *non modò conſcientiæ, verùm etiam dolorum ac ſenſus pœnas diuinæ miſericordiæ ac veritatis contemptores & aduerſarij ex diuina ſententia ſubituros & laturos, atque vt illo beneficio bonitatem & benignitatem, ita hoc ſpectaculo diuini iudicij ſeueritatem omni orbi abundè cognoſcendam eſſe, Deus ipſe declarat: Si tamen iuſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant; & vobis, qui tribulamini, requiem nobiſcum in reuelatione Domini* I E S V *de cælo cum Angelis virtutis eius, in flamma ignis, dantis vindictam iis, qui non nouerunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini noſtri* IESV *Chriſti; qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius, cùm venerit glorificari in Sanctis ſuis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt, quia creditum eſt teſtimonium noſtrum in vos in die illo.*

2. Theſſ. 1.

illo. & erunt vſque ad ſatietatem viſionis omni carni. *Vocabulum* DE- DERAON.
RAON *ſemel in ſacris libris repertum, Latinus interpres in* viſionis ſatie-
tatem vertit, *atque vnica voce ſpectaculum dici Latinè poteſt, verùm non
ſolùm hoc ſignificat, ſed etiam vanitatis & impietatis habitationem, ſiue
domum & permanſionem oppoſitam quieti illi, & nouationi diuinæ; quæ
piorum animos manere dictæ ſunt. Huic apud Vatem noſtrum fini ſimilem
prædictionem Ioannes ille Theologus & Propheta Apocalypſin ſuam tam
tam abſoluturus canebat: Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis. Qui* Apoc. 21.
vicerit poßidebit hæc; & ero illi Deus, & ille erit mihi filius. Timidis au- "
tem & incredulis & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & vene- "
ficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in ſtagno "
ardenti igne & ſulphure, quod eſt mors ſecunda. "

COMMENTARIO *huic in* ISAIAM *initium factum Antuerpiæ
anno* M. D. LXXIIII. *intermißio inducta ad annum* M. D. XCIIII.
Menſe Octob. Quo Hiſpali ex diuina ope finis repertus.

FINIS.

APPROBATIO.

HÆc diligenter elaborata in totum Iſaiam Prophetam maximum & diuiniſſimum Commentaria, quod ſanctæ Rom. Eccleſiæ Cath. relig. vel Regiæ Maieſt. contrarium eſt continent nihil, & propter operis dignitatem & vtilitatem digniſſima ſunt, vt & imprimantur, & ab omnibus legantur. Datum Antuerpiæ anno 1596. die 16. Martij.

*Henricus Sebertus Dunghæus S.T. Doct. Cath. Eccl. B. Mariæ
Virg. Can. Apoſtolicus Pœnitentiarius: librorum cenſor.*

BENEDICTI ARIÆ MONTANI
IN ISAIÆ COMMENTARIVM
GRATVLATIO ET SVPPLICATIO.

FILIVM quiſquis ſibi forte Amoſi
Præcipit Vatem, penitusque notum
Iactat integro facilíque curſu
Poſſe referri;
Hunc ego cunctas media ſereni
Nocte ſub cæli numerare ſtellas,
Et modum certum Lybicis arenis
Figere dicam:
Poſſe & hunc noſtri, aut breuioribus ſi
Corporis noſtri eſt minor ipſe membris,
Vallis è preſſæ regione ſummi
Culmina cæli
Tangere, atque altum mare, qua iacenteis
Alluit circum ſubit atque terras,
Vadere ac nullis caput eminendo
Mergier vndis.
Vidimus certè (bene ſi fateri
Fasque teſtari eſt) cupiiſſe multos
Huius ac magni petiiſſe diua o-
racula Vatis,
Siue primæuæ memorem diſertos
Compotes linguæ atque eadem tenentes
Verba, quæ Vati Deus annuebat
Eſſe locuto:
Siue Chaldæos memorem fideli
Ore conatos reſerare ſenſa,
Quæ ſub arcanis voluere priſci
Dicta figuris.
Quantus à doctis venit vſque Athenis
Limen ad noſtri chorus & frequens quàm

Perſti-

Perſtitit Vatis, penetrare & ampla in
Tecta laborat?
Inuidus nec vos etiam peritos,
Sermo quos laudat Latius, tacebo
Plurimos, quales peperêre noſtra &
Secla priora.
Hunc ſibi cunctos adiiſſe fontem
Nouimus, dulci retuliſſe & hauſtu,
Vaſa doctrinæ caperent beatæ
Singula quantum.
Me quoque explendæ ſitis & ſalutis
Ardor ad ſanctos latices auentem
Mille miratum ſaturata primùm
Pectora duxit.
Poſtque tot nempe in ſata culta riuos
Vndique inductos, ſtupui perennem
Nil minus totam ſuperare pleni
Marginis vndam.
Nil deeſt, inquam, nihil aut requiras
Inde ſubductum, tamen & benignè
Cuncta (nam rident placidùm nitentque)
Prata biberunt.
Ergo ego (quis nam vetet?) adorandum
Pulchrè & vndantem putei liquorem
Hauriam paruis animis modeſto &
Ore puſillus.
Et feram quantum liceat minori
Virium, ſi qua detur adiuuare
Paruulum paruo ſimilémque noſtri
De grege quemquam.
Quin Deus mentem probat, & piorum
Promouet felix animos, nec vlla
Simplicis mentis bona vota magnus
Irrita linquit.
Dixeram mecum tacitus, fideli &

Ad ſacrum fontem feror, inde greſſu
Pronus accedo, metuensque labris
Haurio primis.
Vix liquor ſenſum ſubiitque linguam,
Sentio internos penetrare in artus
Spiritum, cuius nequeam canendo
Dona referre.
Nec tamen, quamuis memor ipſe cantu,
Senſero quidquid, celebrem, docebit
Carmen hoc quemquam, vt teneat, niſi rem
Sentiat ipſe.
Quid morer? mutor, neque iam prius qui
Veneram certè maneo, ſed altis
Impleor curis, videorque in æthra
Scandere ſummum.
Digna quæ auditu prius aſſerebam,
Diſplicet tantum celebraſſe, parua
Quippe mutatus reperi, nouis dum
Comparo certus.
Iam ſcio quantum referat ſuis de
Fontibus puris bibere, ambiens quos
Aura cæleſtis fouet ac ſereno
Flamine ſanat.
Inde regreſſus iubeor meorum,
Quos colo fratrum docili cateruæ
Pauca, quæ compos didici, libenter
Nota referre.
Hæc fero; ac teſtor ſupereſſe magnum
Semper vndantem fluidúmque ſemper
Viuidum fontem. petite inde, fas eſt,
Currite auentes.
Currite, ac votis properate ſanctis:
Ipſe namque auctor vocat, & laturos
Plura, promittens mihi vos monenti
Credite, dictat.

Vnde

Vnde ſed tantum fluat hic ſupernæ
Magna doctrinæ monumenta, ſi quis
Rite miratus roget , ipſe promptus
Arbiter edam.

Ille ad extremos operis labores
Vſque ab incepto ſolet intueri
Iuſſus in Chriſtum , ſine quo pedem vel
Tendere neſcit.

Sic & in priſca & ſimul in futura
Tempora intendit, mediúmque vtriſque
Inſerit rebus , paritérque totum
Prouidet æuum.

Te ſi &, æterni, iuuet, ô parentis
Nate , non quamuis meriti poëtæ,
Intimus noſtri (potes) hic receſſus
Pectoris almum.

Chriſte, vel ſedes duce te ſupremas
Vel polos poſſim ſuperare mundi,
Qualibus pennis ſuper alta tollis
Sidera Paulos.

Idem ego ſiccis liquidum per æquor
Deferar plantis rapidæ & procellæ
Tutus & venti : graditur vocatus
Sic tibi Simon.

Denique & quantum cecinere priſci,
Compos, arcanis ſoliis , tenebo;
Tu modò noſtræ tua dona præſens
Inſere menti.

Te tenet quiſquis , nihil eſt quod vltra
Quærat aut poſcat : capis ipſe totum,
Quod ſapit, quod ſcit Deus : vnà ſummæ
Cetera ſunt pars.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
APVD IOANNEM MORETVM.
M. D. XCIX.


LABORE ET CONSTANTIA

i 20191091

167

BENEDICTI
Ariæ
Montani
Commentaria
in Isaiæ

4.